# LOCUS VICESIMUS SEXTUS

XVII. 1.

# DE NOVISSIMIS IN GENERE.

## I.

Typus Exod. 28, v. 31. Inter alias de ornatu summi sacerdotis V. T. Leviticas constitutiones divinitus promulgatas talis lex habetur, Exod. 28, v. 31: *Facies etiam pallium ephod sive superhumeralis totum ex hyacintho.* v. 32. *Et erit os capitis ejus in medio ejus. Labium erit ori ejus circum opere texentis, sicut os loricae erit ei, ne scindatur.* v. 33. *Et facies super fimbriis ejus mala punica ex hyacintho et purpura et vermiculo cocci super fimbriis ejus circum, et tintinnabula auri in medio earum circum.* v. 34. *tintinnabulum auri et malum punicum, tintinnabulum auri et malum punicum super fimbriis pallii circum.* v. 35. *Et erit super Aaron administrandum, et audietur sonus ejus, quando ingredietur sanctuarium coram Domino et quando egredietur et non morietur.* Siracides hanc tunicam sic describit cap. 45, v. 11: *Circumdedit eum* (summum sacerdotem) *sphaerulis aureis, tintinnabulis plurimis in circuitu ad sonandum vocem in gradibus suis, audibilem facere sonum in templo et in memoriam filiis populi sui.* Hunc summi pontificis in V. T. ornatum non minus quam reliquas vestes typicum quid significasse, extra dubitationis aleam positum est.

Allegorica ejusdem explicatio et applicatio: Primo igitur tintinnabula illa ac mala punica in limbo tunicae sacerdotalis alternatim posita, ac sonus tintinnabulorum, qui exaudiebatur, quando pontifex tabernaculum ingrediebatur vel egrediebatur ad excitandam in ipsomet pontifice et populo divinae majestatis reverentiam 1. specialiter ac praecipue *ad Christum* unicum N. T. ἀρχιερέα accommodari possunt, quod facit Rupertus in comm. ubi *tintinnabula* ad praedicationem, *mala punica* ad miracula Christi applicat. 2. Paulo generalius accommodari possunt tum *ad apostolos*, qui sono praedicationis evangelicae totum terrarum orbem in suo ministerio compleverunt Psalm. 19, v. 1. tum *ad reliquos ecclesiae ministros*, de quibus Gregorius part. 2. cur. pastoral. c. 4. ac lib. 1. registr. epist. 24: *Sacerdos ingrediens vel egrediens moritur, si de eo sonitus non audiatur, quia iram contra se occulti judicis exigit, si sine sonitu praedicationis incedit. Vestimentis tintinnabula inhaerent, ut vitae viam cum linguae sonitu ipsa quoque bona opera clament sacerdotis.* Hieronymus in epist. ad Tabiolam de veste sacerdotali: *Tanta debet esse scientia et eruditio pontificis Dei, ut et gressus ejus et motus et universa vocalia sint. Veritatem mente concipiat et toto eam habitu resonet et ornatu, ut quidquid agit, quidquid loquitur, doctrina sit populorum, absque tintinnabulis enim et diversis coloribus et gemmis floribusque virtutum nec sancta ingredi potest, nec nomen antistitis possidere.* Confer Bedam in comm. h. l. 3. Generalissime isthaec applicari possunt *ad omnes vere pios et Christianos.* Illi enim sunt *regale sacerdotium* 1. Petr. 2, v. 9. cum Christus eos *fecerit reges et sacerdotes Deo et patri ejus* Apoc. 1, v. 6. Quamdiu igitur *ingrediuntur et egrediuntur coram Domino*, id est toto vitae tempore, quae per ingressum et egressum significatur Psalm. 121, v. 8. in ora et extremitate vestis debent habere tintinnabula, ut de novissimis perpetuo admoneantur, sicque auribus et cordibus ipsorum semper insonet Siracidis praeceptum cap. 7, v. 40. *ἐν πᾶσι ιοῖς λόγοις σου μιμνήσκου τὰ ἔσχατά σου, καὶ εἰς αἰῶνα οὐχ ἁμαρτήσεις.* Origenes hom. 9. in Exod. post med.: *Potest unusquisque nostrum etiam in semetipso constituere tabernaculum Deo* etc. *supra omnem gloriam sit ei pontificalis ornatus* etc. *habeat per indumenti circuitum tintinnabula, ut ingrediens sancta det sonitum et non intret cum silentio. Et haec tintinnabula, quae semper sonare debent, in extremo vestimenti sint posita, idcirco credo, ut de extremis temporibus et fine mundi nunquam sileas, sed inde semper sones, inde disputes et loquaris secundum eum, qui dixit: Memor esto novissimorum tuorum. Ad hunc ergo modum homo noster interior Deo pontifex adornetur, ut introire possit non solum in sancta, sed et in sancta sanctorum, ut possit adire propitiatorium, ubi sunt Cherubim, et inde appareat ei Deus.*

Margin notes: 1. Ad Christum. — 2. Ad apostolos et XVII. 2. ecclesiae ministros. — 3. Ad omnes vere pios.

Doctrinae de novissimis 1. Necessitas. 2. Ut ergo et nos typice huic praecepto morem geramus, expositis praecipuis Christianae fidei articulis novissimo loco doctrinam *de novissimis* divino freti auxilio, pari filo ac stylo pertractabimus, cujus doctrinae *necessitatem* atque *utilitatem* brevibus quidem, sed emphaticis verbis Siracides c. 7, v. 40. nobis commendat: *In omnibus sermonibus tuis memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis. Necessitas* elucet 1. ex *divini mandati auctoritate*, cui obsequentes nos praebere omnino convenit: *Memorare novissima; 2. ex mandati illius perpetuitate. In omnibus sermonibus tuis*, vel ut habet vulgata versio *in omnibus operibus tuis memorare novissima tua*, quia Hebraeum דָּבָר et eidem respondens Graecum λόγος quandoque pro negotio et opere accipitur; *3. ex ejusdem universalitate.* Ad omnes omnino homines dicitur: *Memorare novissima tua.* Quare ut reliquorum fidei Christianae articulorum, ita quoque hujus ipsius articuli cognitio ac tractatio est omnino in ecclesia necessaria, cum enim quidam Thessalonicenses articulum de resurrectione mortuorum et ultimo Christi ad judicium adventu minus recte intelligerent, apostolus eo nomine ipsis tribuit ὑστερήματα τῆς πίστεως 1. Thes. 3, v. 10. nec desunt quibusvis mundi temporibus, praesertim extremis, ἐμπαῖκται, qui oracula Spiritus sancti de illis novissimis vel negant,
XVII. 3. vel in dubium vocant 2. Petr. 3, v. 3. atque hac ratione ipsum religionis Christianae et totius fidei nostrae fundamentum audacter impugnant, a quibus vera ecclesia non solum publica confessione, sed etiam accurata confutatione sese debet sejungere.

2. Utilitas. 3. *Utilitas* hujus doctrinae in sequentibus verbis Siracidis proponitur, *et in aeternum non peccabis.* Neque enim ullum efficacius τῶν κακῶν ἔργων προφυλακτικὸν ac τῶν καλῶν ἔργων ὁρμητήριον, quam novissimorum nostrorum pia meditatio, quippe quae mentibus nostris instillat 1. *terrenorum contemtum.* Facile terrena omnia repudiat, qui se moriturum cogitat; facile cor suum ab omnibus terrenis abstrahit, qui τὸ σχῆμα τοῦ κόσμου τούτου παράγειν 1. Cor. 7, v. 31. pio et assiduo studio perpendit; *2. coelestium bonorum desiderium.* Qui vere et ex toto corde credit, *terrestris hujus domus nostrae tabernaculo dissoluto nos aedificium ex Deo habituros, domicilium scilicet non manu factum, sed aeternum in coelis, is in hoc ingemiscit domicilium nostrum, quod e coelo est, superindui desiderans* 2. Cor. 5, v. 1. et 2. *qui novit se, dum advena est in corpore, a Domino peregre abesse, ἐνδημοῦντα ἐν τῷ σώματι ἐκδημῆσαι ἀπὸ τοῦ κυρίου, is probat ac desiderat potius peregre abesse e corpore et incolere apud Dominum, ἐκδημῆσαι ἐκ τοῦ σώματος καὶ ἐνδημῆσαι πρὸς τὸν κύριον* v. 6. et 8. Qui firmiter persuasus est se *non habere in hoc mundo civitatem manentem*, is *futuram inquirit* Hebr. 13, v. 14. *3. divini numinis metum.* Qui quotidie expendit illud apostolicum, *omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque, quae in corpore fecerit, congruenter ad id, quod fecit, sive bonum sive malum* 2. Cor. 5, v. 10. is divini numinis et judicii metu facile percellitur. Qui cogitat *tria futura*: *mortem, qua nihil horribilius; judicium, quo nihil terribilius; poenam inferni, qua nihil intolerabilius*, is in vero ac serio Dei timore τὸν τῆς παροικίας χρόνον incolatus sui tempus, transiget 1. Petr. 1, v. 17. *4. Peccati fastidium.* Petrus cum dixisset 1. epist. 4, v. 7: *Omnium finis appropinquat*, statim subjungit, σωφρονήσατε οὖν καὶ νήψατε εἰς τὰς προσευχάς, considerantes scilicet in propinquo esse omnium rerum finem et judicium extremum. Specul. peccat. c. 5. circa fin.: *Nulla artis medicina, nulla doctrina sic superat superbiam, sic vincit malitiam, nec sic exstinguit libidinem, nec sic mundi calcat vanitatem, sicut mortis et judicii recordatio* etc. Memoria ignis, quo in die novissimo totus mundus conflagrabit, et recordatio ignis infernalis facile comprimit pravae concupiscentiae flammas. *5. Sanctae vitae studium.* Qui *omnia opera, sive bona, sive mala, in judicium adducenda* Eccles. 12, v. 14. ac *abscondita cordis consilia in eo manifestanda* 1. Cor. 4, v. 5. cogitat, is sanctae conversationi totum sese consecrat. *Adveniet*, inquit Petrus 2. epist. 3, v. 10. *dies Domini sicut fur, in quo coeli magno impetu transibunt, elementa vero calore solventur, ac terra, et quae in ea opera sunt, exurentur.* v. 11. *Cum igitur haec omnia dissolvenda sint, quales oportebit nos esse in sanctis conversationibus et pietatibus. 6. Omnium aerumnarum remedium.* Dies extremus erit tempus nostrae ἀπολυτρώσεως Lucae 21, v. 28. erit καιρὸς ἀναψύξεως Actor. 3, v. 20. ac χρόνος ἀποκαταστάσεως πάντων v. 21. ecquis igitur in aerumnis animum despondere velit, quis non potius animo aequissimo ac patientissimo quaevis adversa tolerabit? *Passiones hujus temporis non sunt condignae ad futuram gloriam, quae in nos revelabitur* Rom. 8, v. 18. *Momentanea enim levitas afflictionis nostrae excellenter excellentis gloriae pondus aeternum conficit nobis, dum non spectamus ea, quae cernuntur, sed ea, quae non cernuntur nam quae cernuntur, temporalia sunt, quae non cernuntur, aeterna* 2. Cor. 4, v. 17. et 18. Quaenam efficacior in omnibus adversis consolatio in nobis proponi posset quam μισθαποδοσία in resurrectione, extremo judicio et vitae aeternae promissione nobis reposita? Plura de utilitate hujus doctrinae sub finem cujusque novissimi adducemus, ubi latius demonstrabitur, quomodo XVII. 4.
non solum πρὸς διδασκαλίαν καὶ πρὸς ἔλεγχον θεωρητικῶς, sed etiam πρὸς ἐπανόρθωσιν, παιδείαν καὶ παράκλησιν πρακτικῶς eadem maximum pondus ac momentum vere piis adferat.

4. Ex necessitate et utilitate hujus doctrinae, 3. Dignitas. ejusdem *dignitas* consequitur, quae vel ex eo etiam elucere potest, quod ea, quae in hoc articulo ex verbo patefacto proponuntur, sunt pars mysterii coelestis ab omni humana ratione absconditi ac sapientiae solius ecclesiae propriae. Quemadmodum enim exacta futurorum cognitio est actio divinae

omniscientiae, soli Deo utpote infinito et aeterno unice competens Esa. 41, v. 21. 22. ita quoque doctrina de futuris mundi et hominis novissimis in verbo tradita, est evidens argumentum, Scripturam sacram, in qua eadem proponitur, non esse humano arbitrio excogitatam, sed divinitus promulgatam, atque ecclesiam, in qua haec doctrina unice sonat, a Deo hanc revelationem de novissimis accepisse. Quodsi alias juxta Comicum *viri prudentis est, non ea modo, quae ante pedes sunt, videre, sed etiam quae futura sunt, prospicere;* quanto magis ad *spiritualem prudentiam justorum* et *sapientiam* eorum *in occulto* Psalm. 51, v. 8. Luc. 1, v. 17. pertinere censenda est futurorum novissimorum omnibus omnino hominibus exspectandorum cognitio? Qui nec praeteritorum recordantur, nec de futuris soliciti, sed praesentibus duntaxat intenti in diem vivunt, brutorum potius quam hominum vitam ducere haud immerito judicantur; quanto minus in Christianis ferendum erit, si nec praeterita, *malum* scilicet a se *commissum, bonum omissum* et *tempus amissum* ad piae recordationis trutinam revocent, nec futura, *mortis* scilicet *appropinquationem, mundi consummationem* ac *judicii universalis executionem* provida mente prospiciant ac eorum memoriam in animo suo perpetuam circumferant?

Monita piorum veterum de novissimorum meditatione.

5. Inde non solum in *Scripturis sacris* Deut. 32, v. 29. Sirac. 7, v. 30. c. 28, v. 5. c. 38, v. 21, sed etiam in *ecclesiasticis patrum scriptis* crebrae exstant admonitiones de novissimis tum macrocosmi tum microcosmi quotidiana meditatione expendendis. Auctor libri de speculo peccatoris, qui exstat inter opera Augustini tom. 9 c. 1: *Feliciter possumus evadere mortis periculum, si diligenter studeamus sequi divinum consilium, quod nobis intimat Dominus dicens: Utinam saperent et intelligerent ac novissima providerent! O felix et utile consilium, mortis remedium, salutis antidotum, peccatoris speculum! O salutifera nostri redemptoris sententia, ex qua nobis instructio sapientiae, admonitio continentiae, speculum providentiae, exsultatio poenitentiae, acquisitio divinae gratiae datur.* c. 2: *Consideratio hujus sententiae, utinam saperent* etc. *destructio est superbiae, exstinctio invidiae, medela malitiae, effugatio luxuriae, evacuatio vanitatis et jactantiae, constructio disciplinae, perfectio sanctimoniae, praeparatio salutis aeternae.* c. 5: *Si novissima provideres, Deum timeres, superna appeteres, mundum contemneres et infernum horreres* etc. Eodem fere sensu Bernhardus epist. 292: *Utinam saperes, quae Dei sunt, intelligeres, quae mundi sunt, provideres, quae inferni sunt, profecto inferna horreres, superna appeteres, quae sunt mundi, contemneres.* Idem in serm. de prim. et noviss. nostris fol. 377: *Novissima quae sunt? nam de eis dicitur, quod eorum memor non peccabis: Ipsa sunt mors, judicium, gehenna. Quid horribilius morte? quid judicio terribilius? nam gehenna nihil potest intolerabilius cogitari. Quid metuet, si quis ad ista non trepidat, non expavescit, non timore concutitur? O homo, si pudorem perdideras ad nobilem creaturam pertinentem, si dolorem non sentiebas afflictionis, quod etiam est carnalium, vel timorem non amittas* etc. *Time ergo, o homo, quod in morte separandus es a bonis omnibus hujus corporis, et tam dulce carnis et animae vinculum amarissimo secandum erit divortio. Time, quod in terribili judicio ei praesentandus es,* XVII. 5.
*in cujus manus horrendum est incidere, et eo examinante, quem nihil latet, siquidem in te inventa fuerit iniquitas, alienandus ab universitate quietis et gloriae et segregandus a numero beatorum. Time, quod in gehenna cruciatibus aeternis et immensis exponendus es, in sorte diaboli et angelorum ejus in igne aeterno, qui praeparatus est eis. Hic ergo timor initium sapientiae dicitur, non pudor aut dolor, quia neuter eorum sic initiat sapientiam, neuter tantam habet efficaciam. Unde est, quod non dicitur: Memorare primordia aut media, sed novissima, et non peccabis.* Idem in alio quodam serm.: *In omnibus operibus tuis memorare tuae mortis horrorem, judicii valde tremendi discrimen, ardentis gehennae metum ab oculis cordis tui elongari nullatenus patiaris. Cogita peregrinationis tuae miseriam, recogita annos tuos in amaritudine animae tuae et cogita vitae humanae pericula. Cogita fragilitatem propriam, et in hujusmodi cogitatione si perseveraveris, dico tibi, parum senties, quidquid foris videtur esse molestum, dum toto corde circa interiorem molestiam occuperis.* Idem tractans dictum Christi Matth. 10, v. 28. *timete eum, qui potest animam et corpus perdere in gehenna. Paveo,* inquit, *gehennam, paveo judicis vultum, ipsis etiam angelicis potestatibus tremendum, contremisco ab ira potentis, a facie furoris ejus et a verbo aspero; contremisco a dentibus bestiae infernalis, a ventre inferni, a rugientibus praeparatis ad escam; horreo vermem rodentem, ignem torrentem, fumum et vaporem, sulphur et spiritum procellarum. Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrymarum, ut praeveniam fletibus, fletum et stridorem dentium et manuum pedumque dira vincula et pondus catenarum prementium, stringentium, urentium nec consumentium?* Neander in erotem. Hebr. fol. 348. adducit sententiam R. Akabiae filii Mahaleelis: *Considera tres res, et non venies in manus transgressionis. Cognosce unde veneris, quo tandem sis abiturus, coram quo etiam oportebit te tandem rationem reddere. Unde venisti? ex guttula sordida. Quo tandem abis? ad locum pulveris et vermium. Coram quo futurum est, ut rationem reddas? coram rege, qui rex est omnium regum, qui scilicet est sanctus Deus benedictus.* In vitis patrum Evagrio hoc tribuitur: *Memor esto semper exitus tui, et non obliviscaris aeterni judicii, et non erit delictum in anima tua,* quod Jacobus Billius in anthol. sacra sic exprimit:

*An cupis, adversus scelerum foedissima quaeque*
*Vulnera perfacilem dem tibi promtus opem?*

*Cum te turpe aliquid tentat, fac illico menti*
*Sese mors oculis offerat atra tuae.*
*Quisquis enim horrendum Christi cum morte tribunal*
*Cogitat, hic omnis criminis hostis erit.*
*Flante velut valido nubes aquilone fugantur,*
*Sic meditata scelus mors procul omne fugat.*

Auctor libri de quatuor novissimis, quem edidit Hamelmannus anno 1592. in princ.: *Quatuor novissima sunt quatuor rotae victrices animae, vehentes eam ad aeternam salutem. Ista quatuor sunt incitamenta spiritum hominis incitantia, ut spretis omnibus mundanis ad suum redeat creatorem.* Animalia non ruminantia censentur immunda, Lev. 11, v. 26. sic immundiciem peccatorum contrahunt, qui praeteritorum et futurorum immemores non ruminant dies antiquos et novissimos, contra vero sponsa Christi Cantic. 7, v. 9. sic describitur: *Guttur tuum sicut vinum optimum dignum dilecto meo ad potandum, labiis et dentibus illius ad ruminandum.* Mira fuerunt arma, quibus Gideon instruxit suos milites iisque Midianitarum fudit exercitum, Jud. 7, v. 16. *dedit tubas in manibus eorum, lagenas vacuas ac lampades in medio lagenarum.* Haec sunt arma timoris Dei, his Midianitarum, id est daemonum, superatur exercitus, videlicet tubis sonantibus, lagenis fractis atque igne. Eximium sane timoris telum est tuba illa, quae extremo die mortales ad immortali-
XVII. 6. tatem vocabit, si animo frequenter insonet terribilis illius clangor. Fortissimus clypeus est lagena fracta, id est fictile corpus nostrum fractum dispersisque ossibus sepulcro conditum, si ante oculos mentis semper proponatur. Igne autem tartareo, si meditatione irruentes in hostes jactetur, quodnam tormentum bellicum est horribilius? haec arma suppeditat Dei verbum, in eo enim habemus vasa fictilia fracta, id est corpora omnium hominum in cinerem redacta; habemus tubas judicii horrendo perstrepentes sonitu; habemus ignem aeternum, cujus impii esca erunt sempiterna.

Ὀνοματολογία. 6. Ordiemur explicationem ab ὀνοματολογίᾳ. Nomen ἐσχάτων sive: *novissimorum*, ἔγγραφον est in illa ipsa, in qua hoc loco usurpatur, significatione. Est autem Graecis ἔσχατον in genere idem quod Hebraeis אַחֲרוֹן vel אַחֲרִית ac dupliciter in scripturis accipitur: *1. proprie*, *2. metaphorice.* Proprie 1. *Localiter*, pro extremitate loci, sic dicuntur ἔσχατα τῆς γῆς, ἔσχατα τῆς θαλάσσης, ἔσχατα τῶν παρεμβολῶν, quae significatio non est hujus loci. *2. Temporaliter* pro extremitate temporis, quo sensu iterum dupliciter accipitur: *1. particulariter* ac *secundum quid* pro fine seu novissimo alicujus gentis, populi ac hominis in particulari. Genes. 49, v. 1: *Congregamini, ut annuntiem, quae ventura sunt vobis*, ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν, *in novissimis diebus*, non sub finem mundi demum, sed toto durationis politiae Judaicae tempore usque ad ejus excidium. Deut. 4, v. 30: *Quando te invenient omnia verba ista*, ἐπ' ἐσχάτων ἡμερῶν, *novissimo* sive longe secuturo *tempore, et reverteris ad Dominum Deum tuum.* c. 31, v. 29: *Occurrent vobis mala in extremo tempore* etc. Deut. 32, v. 29: *Utinam essent sapientes ac intelligerent hoc, novissima sua intelligerent*, id est ultimum suum excidium atque exitium, idque vera poenitentia averterent. Esa. 47, v. 7. de Babylone dicitur, *non recordata es novissimi tui*, id est, finalis excidii et πανολεθρίας. Jerem. 23, v. 26: *In novissimis diebus intelligetis in ea intellectum.* Hujus loci est illa significatio, qua in V. T. *dies novissimus* vocatur tempus παρουσίας sive adventus Christi in hunc mundum, id est incarnationis τοῦ λόγου, Esa. 2, v. 2. quia sub finem V. T. ea erat secutura. Item, qua finem et eventum alicujus rei exprimit, 2. Sam. 2, v. 26. Job. 8, v. 7. Psalm. 37, v. 37. Psalm. 73, v. 17. Prov. 5, v. 4. etc. *2. Universaliter et absolute* pro fine seu novissimo totius mundi ac omnium gentium, populorum et hominum. Esa. 41, v. 22: *Accedant et nuntient nobis, quae ventura sunt, priora quae fuerunt nuntiate, et ponemus cor nostrum et sciemus* τὰ ἔσχατα, ubi non solum in specie certae alicujus gentis, sed etiam in genere totius mundi novissima optime per τὰ ἔσχατα intelligi possunt, est enim argumentum sapientiae solius Dei propriae, quod doctrina de novissimis in verbo divinitus nobis revelata. Esa. 46, v. 9: *Ego sum Deus, et non est ultra Deus, nec est similis mei;* v. 10. *annuntians ab exordio* τὰ ἔσχατα, *novissima, et ab initio, quae necdum facta.* Jerem. 17, v. 11. de divite avaro et iniquo dicitur, *in novissimo erit insipiens*, id est in morte suam insipientiam cognoscet. Dan. 2, v. 28: *Est Deus in coelo revelans mysteria, qui indicavit tibi rex, quae ventura sunt* ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν, *in novissimis temporibus*, usque ad diem extremum, in quo omnia regna terrena sunt comminuenda ac consumenda, ut praedicitur v. 44. Sic etiam c. 8, v. 19: *Ostendam tibi, quae futura sunt in novissima ira*, ἐπ' ἐσχάτων τῆς ὀργῆς, quando scilicet antichristus, cujus typus fuit Antiochus, *sine manu conteretur* v. 26. hoc est glorioso Domini adventu in die novissimo abolebitur 2. Thess. 2,
v. 8. Sirac. 7, v. 40: *In omnibus sermonibus* XVII. 7.
*memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis.* c. 28, v. 6: μνήσθητι τὰ ἔσχατα καὶ παῦσαι ἐχθραίνων. Si mortem, si mundi finem, si extremum judicium, si infernum hominibus duris, reconciliari nesciis, paratum cogitaveris, odii flammas facile exstinxeris, perquam enim absurdum est, mortales homines iras immortales fovere; c. 38, v. 21: *Ne des in tristitiam cor tuum, repelle eam memor novissimorum* μνησθεὶς τὰ ἔσχατα, id est noli diutius ac gravius, quam par est, mortuum lugere, quia omnibus tandem mors ac post mortem judicium statutum. Ex N. T. huc referenda dicta, in quibus tempus secundi adventus Christi ad judicium dicitur ἐσχάτη ἡμέρα Johan. 6, v. 39. 40. 44. 54. c. 11, v. 24. c. 12, v. 48. καιρὸς ἔσχατος 1. Petr. 1, v. 5. ac *tuba Dei*, quae in novissimo die sonabit, vocatur ἐσχάτη σάλπιγξ 1. Cor. 15, v. 52. *Metaphorice* per

*τὰ ἔσχατα* intelliguntur abjecti et postremae sortis homines. Ezech. 23, v. 25: *Novissimum tuum gladio cadet.* c. 33, v. 2: *Cum induxero gladium super terram et tulerit populus terrae virum unum de novissimis suis.* Hoc loco accipitur in significatione propria, qua universaliter et absolute pro omnium hominum et totius mundi novissimis usurpatur.

Numerus novissimorum. 7. In enumeratione istorum novissimorum ecclesiastici scriptores tam veteres, quam recentiores quodammodo variant, dum alii *plura*, alii *pauciora*, eademque alio atque alio ordine recensent. Auctor libri de speculo peccatoris inter opera Augustini c. 5. in princ. ad quaestionem, *quae sint illa novissima, quae providere soliciti debemus?* respondet: *Summa totius providentiae est utique illa terribilis hora, in qua misera anima tua ex hoc corpusculo corruptibili timens est egressura* etc. *Reduo ergo sedulus in memoriam illum extremum exitus tui diem, et antequam misera anima tua de carcere carnis exeat, provideas, quo vadat.* Sed ad novissima in genere accepta plura pertinent quam mors, quae est *τοῦ μικροκόσμου ἔσχατον.* Quibusdam probatur haec enumeratio dichotomica. Novissima sunt duplicia. *1. mundi destructio. 2. Christi apparitio*, qui veniet 1. ad *resuscitandum*, 2. ad *judicandum*, in quo judicio piis *vitam aeternam*, impiis *infernum* adjudicabit. Sed in hac distributione omittitur unum ex *ἐσχάτοις*, videlicet *mors* temporalis. Communiter numerantur quatuor novissima hoc inclusa disticho:

*Mors tua, judicium postremum, gloria coeli,*
*Et dolor inferni sunt meditanda tibi.*

Bernhardus in quod. serm.: *Novissima sunt quatuor, mors, judicium, gehenna, gloria. Quid horribilius morte? quid terribilius judicio? quid intolerabilius gehenna? et quid jucundius gloria?* Sed in hac enumeratione omittitur *mortuorum resurrectio* et *mundi consummatio.* Quidam igitur quaternarium novissimorum numerum sic explicant, ut 1. inter ea locum tribuant morti hominis, 2. ejusdem resurrectioni, quibus de transitu mundi quaedam attexenda censent; 3. adventui Christi ad judicium de vivis simul ac mortuis exercendum; 4. saluti seu beatitudini piorum et damnationi impiorum aeternae. Sed praestat distincte de mortuorum resurrectione et mundi consummatione, item de gloria aeterna piorum et poenis aeternis impiorum agere, quam ad unum idemque caput ea referre. Quidam in extremis illis percensendis sic progrediuntur. Actio Dei circa hominem post lapsum consideratur vel *in vita praesenti*, ratione tum status peccati seu irae, tum reconciliationis seu gratiae; vel *in vita futura*, quae consideratur vel *inchoative*, vel *consummative.* Inchoative occurrit finis ultimus vel *μικροκόσμου* sive *hominis*, vel *μακροκόσμου* sive totius *mundani systematis. Μικροκόσμου* sive hominis finis ultimus est *mors temporalis*, *μακροκόσμου* finis ultimus est *mundi interitus.* Consummative in *mortuorum resurrectione*, cujus finis est vel *intermedius* seu decisivus, vel *ultimus* seu executivus. Intermedius seu decisivus est *judicium extremum*, universale ac finale; ultimus seu exsecutivus est sententiae decisae executio duplex ratione duplicis objecti, impiorum scilicet et piorum. XVII. 8.
Pii transferentur ad *vitam* seu gloriam *aeternam*, impii vero detrudentur in ignominiam ac *poenam sempiternam.* Cum hac distributione fere coincidit illa aliorum series. Novissima sunt vel *μακροκόσμου*, vel *μικροκόσμου.* Novissimum *μακροκόσμου* est *mundi destructio*; novissima *μικροκόσμου* sunt duplicis generis. Vel enim sunt *via* ad terminum novissimum tendens, vel *meta* viam terminans. Illa pergit per duplicem *vallem, mortis* scilicet Psalm. 23, v. 4. et Josaphat seu *judicii* Joël. 3, v. 7. quod judicium praecedet *universalis resurrectio.* Meta est, ad quam pervenit vel anima hominis soluta a corpore; vel totus homo post resurrectionem. Eaque gemina est sibi extreme opposita, impiorum *infernus*, piorum *vita aeterna.* Illud ex hisce enumerationibus omnibus simul sumtis elucescit, quod sex in universum sint hominis ac mundi novissima. *1. Mors hominis temporalis*, ad quam pertinet animae a corpore separatio ac corporis in sepulcro cinefactio. *2. Universalis omnium hominum resuscitatio; 3. judicii extremi administratio; 4. mundi conflagratio; 5. impiorum aeterna damnatio; 6. piorum aeterna glorificatio.* Cumque usitatum sit quatuor duntaxat novissima statuere, ideo sic progredi possumus. Novissima in genere accepta ratione duplicis objecti sunt duplicia, 1. *μακροκόσμου*, 2. *μικροκόσμου. Μακροκόσμου* novissimum est *seculi consummatio;* novissima *μικροκόσμου* sunt quatuor; *1. mors; 2. resurrectio; 3. judicium;* 4. mora aeterna, piorum scilicet in *coelo* et damnatorum in *inferno.*

Ordo. 1. Mors. 8. De ordine novissimorum itidem plurimum variant. *1. Mortem hominis* temporalem inter novissima primo loco ponendam plerique omnes statuunt, quia reliqua omnia temporis ratione antegreditur. *Statutum est hominibus semel mori, post hoc vero judicium*, Hebr. 9, v. 27. cui judicio cum immediate ac indivulse conjuncta sit futura mundi consummatio, ideo hoc *ἔσχατον*, mors scilicet temporalis, mundi consummationi non immerito praeponitur. De illis, quos dies extremus vivos deprehendet, quaestio moveri poterat, an scilicet eorum *immutatio*, quae analogum quiddam mortis et resurrectionis obtinebit, mundi consummationem sit praecessura, an vero secutura? Sed cum reliquorum hominum mors, cujus instar futura erit ista *ἀλλαγή.* 1. Cor. 15, v. 52. mundi consummationem antecessura sit, ideo verisimile est, illam vivorum immutationem itidem consummationi mundi fore praemittendam. Adde, quod resurrectio mortuorum antecessura videatur mundi consummationem, ut postea videbimus. Jam vero immutatio illa vivorum non solum mortis, sed etiam resurrectionis analogiam quandam obtinebit, ergo et ipsa mundi consummationem videtur ante-

cessura. Idem colligitur ex serie descriptionis apostolicae 1. Cor. 15, v. 52: *In momento, in ictu oculi, in novissima tuba, et mortui resurgent* ἄφθαρτοι *et nos* (in vivis superstites ad diem usque judicii relicti) *immutabimur*. Ergo ut mortui resurgent ante mundi consummationem, ita quoque ante eandem vivi videntur immutandi. Qui mundi consummationem morti temporali in enumeratione novissimorum praeponunt, eo respiciunt, quod mors temporalis sit novissimum μικροκόσμου, mundi autem consummatio novissimum μακροκόσμου, jam vero μακρόκοσμος est veluti totum quid, μικρόκοσμος totius illius quasi quaedam pars; ex eo colligunt, de consummatione mundi priore, de morte hominis loco posteriore esse agendum. Sed potior respectus ad temporis seriem in enumeratione novissimorum habendus videtur.

2. Resurrectio mortuorum. 9. 2. *Resurrectionem mortuorum* prius futuram quam extremum judicium in propatulo est, cum finis resurrectionis hic sit, ut omnes homines ex morte resuscitati reportent suorum vel benefactorum praemia, vel malefactorum supplicia. Idem colligitur ex judicii illius descriptione. Matth. 25, v. 31: *Cum venerit Filius hominis in majestate sua et*
XVII. 9. *omnes angeli cum eo, tunc se debit super sedem majestatis suae;* v. 32: *et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem.* Atqui illam omnium populorum ac gentium congregationem praecedet universalis omnium hominum resuscitatio. Johan. 5, v. 28: *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii hominis*, v. 29. *et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.* ἀνάστασις τῆς κρίσεως est ἀνάστασις εἰς κρίσιν vel πρὸς κρίσιν, utique ergo resurrectio judicium praecedet. Confer Dan. 12, v. 2: *Multi e dormientibus in terra pulveris expergiscentur, illi quidem ad vitae seculi, hi vero ad opprobria, ad contemtum sempiternum.* Jam vero opprobrium illud sempiternum in actu extremi judicii demum ipsis decernetur. 2. Cor. 5, v. 10: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut reportet unusquisque*, τὰ διὰ τοῦ σώματος πρὸς ἃ ἔπραξεν, utique ergo animae prius unientur suis corporibus, antequam judicium exercebitur. 4. Esdr. 7, v. 32: *Terra reddet, quae in ea dormiunt, et pulvis, qui in eo silentio habitant, et promtuaria reddent, quae eis commendatae sunt animae*, v. 33. *et revelabitur Altissimus super sedem judicii.* Sed in re manifesta pluribus non est opus. Illud vero in quaestione est, an resurrectio mortuorum antecessura sit mundi συντέλειαν, an vero vice versa mundi consummatio praegressura sit mortuorum resurrectionem. Posterius verisimile reddi posset ex eo, quod ἀνάλυσις καὶ ἀποκατάστασις totius praecessura videatur ἀποκατάστασιν partis, videlicet hominis, quodque Job. 14, v. 12. dicitur: *Non resurget homo, donec non erunt coeli, non expergiscentur et non suscitabuntur a somno suo*, sed prius rectius forte affirmatur, 1. quia extremum judicium videtur prius instituendum, quam mundus sit conflagratus, ut paulo post videbimus. Jam vero resurrectio mortuorum praecedet judicium, ut jam ante demonstratum fuit. Ergo eadem etiam praecedet mundi conflagrationem ac totius universi consummationem. 2. Quia mortui dicuntur resuscitandi *ex pulvere terrae* Job. 19, v. 25. Dan. 12, v. 2. *ex monumentis* Joh. 5, v. 29. terminus igitur a quo resuscitandorum corporum est pulvis ac cinis, in quem post mortem sunt redacta, utique ergo in resuscitatione mortuorum terra adhuc stabit. 3. Quia notanter dicitur Apoc. 20, v. 13. *quod mare dederit mortuos, qui in eo erant*, utique ergo mare adhuc superit, quando suffocati in mari vel in mare projecti ad vitam a judice revocabuntur. 4. Quia locum Job. 19, v. 25. quidam sic vertunt, *post excitari meum*, id est me ex mortuis excitato, *excindentur haec*, quae in mundo sunt visibilia, quam versionem admittunt verba Hebraea. Ergo resurrectionem sequetur demum mundi consummatio.

10. 3. *Judicium extremum* praecessurum esse 3. Judicium extremum.
impiorum damnationem et piorum glorificationem extra controversiae aleam positum est, quia in ipso judicii actu ac processu dicet judex electis ad dextram constitutis: *Venite benedicti patris mei, possidete regnum paratum vobis a constitutione mundi*, Matth. 25, v. 34. ac impiis ad sinistram collocatis: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum*, v. 41. *et ibunt hi in supplicium aeternum, justi vero in vitam aeternam*, v. 46. Sed de eo quaestio movetur, an judicium extremum antegressurum sit mundi conflagrationem, an vero mundi conflagratio antecessura sit extremum judicium. Posterius affirmat Thomas in supplem. part. 3. q. 74. art. 7. ubi sic concludit: *Cum mortuorum resurrectio judicium praecessura sit, conflagratio ignis, quantum ad mundi purgationem spectat, Dei judicium praecedat oportet, quantum vero attinet ad illius ignis actum, quo malos involvit, judicium ignis conflagrationem anteibit.* Thomae vestigiis insistunt Jesuitae. Gregorius de Valentia tom. 4. p. 2276: *Plerique theologi sentiunt, conflagrationem antecessuram ipsum judicium, id quod satis aperte colligi videtur ex illis Scripturae locis: Ignis in conspectu ejus exardescet* Psalm. 49. *et ante ipsum ignis praecedet* Psalm. 96. *et ante faciem ejus vorax ignis* Joël. 2. Josephus a Costa XVII. 10.
lib. 4. de novissimis temp. c. 22. hac de re sic disserit: *Ut meam commentationem ipse subjiciam, sic de iis cogitare soleo, ut omnium illorum terribilium signorum, quae praedicuntur proxima futuro judicio ultimum ignis sit, qui faciem judicis jam descendentis praeeat. Igne hoc ubique grassante sceleratos arsuros puto secundum* Apocal. c. 20. *probos et justos purgandos quidem, si quid labis insederit, ut insinuat apostolus* 1. Cor. 3. *sed non necandos.* Sebastianus Barradius tom. 3. conc. evang. lib. 9. c. 11. p. 590. *Ignem praecessurum esse judicium, probatur ex verbis ecclesiae in officio*

*defunctorum, cum veneris judicare seculum per ignem. Idem indicant verba* Esa. 66. Psalm. 49. Psalm. 96. *Actiones ejus ignis erunt terrae combustio, justorum purgatio et mundi expurgatio.* Atqui 1. de purgandis materiali quodam igne piis et electis altum in Scripturis silentium. 2. Opinio illa fomentum praebet purgatorio, contra quod inferius disputabitur, vel potius ex purgatorii fictitii cineribus originem coepit. 3. Eadem opinio orta est ex hypothesi de ἀλλοιώσει mundi secundum qualitates tantum, quam ad minimum dubiam et incertam esse inferius patebit. 4. Eundem omnino ignem futurum, quo conflagrabit mundus et quo damnati in inferno torquebuntur, quod Thomas praesupponit, ecquis certos nos reddet? 5. Si ignis ille ante judicium inflammandus ac toto judicii tempore duraturus, impii non ut rei ex vinculis, sed ut jam damnati ex flammis causam suam agerent, quin et poena infligeretur, antequam sententia fuisset pronuntiata. 6. Quae de igne *faciem judicis praecessuro* ex Psalm. 50, v. 3. Psalm. 97, v. 3. Joël. 2, v. 3. afferuntur, ea quidam malunt in sensu figurato de ira et furore, vel tremenda potentia et ultione judicis quam in sensu proprio de igne materiali exponere, quia Esa. 66, v. 16. *ignis et gladius* conjunguntur. Jam vero gladii nomen non potest aliter quam metaphorice eo in loco accipi. Ergo etiam ignis nomen metaphorice accipiendum. 7. Quodsi vel maxime de igne illo, quo totum hoc universum conflagrabit, dicta illa accipiamus, illud tantum ex eis colligi poterit, quod cum judicio divino proxime conjuncta sit futura illa mundi conflagratio, nequaquam vero quod eadem sit illud antecessura. Ignis enim ille dicitur ire לְפָנָיו, *coram eo* vel *in conspectu ejus,* a facie ejus, quando autem id futurum sit, num ante judicium, an vero post judicium, illud diserte non exprimitur. Esa. 66, v. 15: *Dominus veniet* בָּאֵשׁ *in igne* vel cum igne. 2. Thess. 1, v. 8: *Revelabitur Dominus Jesus e coelo ἐν πυρὶ φλογός, in flamma ignis.* 8. Quid quod Joël 2, v. 3. sic legitur: *A conspectu ejus comedit ignis* וְאַחֲרָיו, *et post eum exuret flamma.* Ex quo loco prophetico colligimus, initium conflagrationis mundi per ignem coeptum iri ante judicium, sed complementum post judicium demum secuturum.

11. Probabilius igitur existimamus, judicium extremum antecessurum esse totalem mundi conflagrationem, 1. quia judex venturus dicitur ἐπὶ τῶν νεφελῶν, *in nubibus coeli,* Matth. 24, v. 30. c. 26, v. 64. Apoc. 14, v. 14. ἐν νεφέλῃ ac νεφέλαις Marc. 13, v. 26. Lucae 21, v. 27. μετὰ τῶν νεφελῶν Marc. 14, v. 62. Apoc. 1, v. 7. jam vero nubes pertinent ad universi hujus constitutionem, utique ergo in extremi judicii executione adhuc supererunt nubes, nisi velimus dicere, nubem illam non fore naturalem, sed singularem extraordinario Christi miraculo formatum. 2. Quia post latam judicis sententiam pii *in occursum Domini per aëra* prius *transferentur* et evehentur 1. Thess. 4, v. 17. antequam conflagret mundus, ut paulo post probabiliter disseremus, utique ergo etiam ante extremum judicium non conflagrabit hoc universum. Abulens. in Matth. q. 521. disputat, quod *terra immenso hiatu post promulgatam in damnatos sententiam sit os suum apertura, ut vivos illos deglutiat,* utique ergo in judicio terra adhuc supererit. 3. Quia 1. Thess 4, v. 16. Dominus ad judicium dicitur *venturus ἐν κελεύσματι*, quod proprie significat acclamationes illas, quibus nautae seu milites sese mutuo exhortantur ad rem fortiter gerendam, ἐν φωνῇ ἀρχαγ- XVII. 11.
γέλου, per quem quidam intelligunt aliquem ex creatis angelis, quidam ipsum Christum, cujus vocem mortui in sepulcro dicuntur audituri et ad vitam prodituri, Joh. 5, v. 28. καὶ ἐν σάλπιγγι Θεοῦ, per quam quidam intelligunt tonitrua, Exod. 19, v. 16. Johan. 12, v. 19. quidam vero proprie de clangore buccinae accipiunt, sicut exponitur Matth. 24, v. 31: *Mittet Filius hominis angelos suos cum tuba vocis magnae*, vel cum tubae voce magna, utroque enim modo reddi potest. 1. Cor. 15, v. 52: ἐν ἐσχάτῃ σάλπιγγι, σαλπίσει γάρ. Jam vero illud κέλευσμα ac sonus tubae aërem adhuc superfuturum requirit, nisi itidem dicere velimus, non naturali, sed plane praeternaturali modo haec omnia peragenda esse, qua de re suo loco. 4. Quia angeli dicuntur *congregaturi electos a quatuor ventis seu plagis mundi, a summis coelorum usque ad terminos eorum,* Matth. 24, v. 31. Marc. 13, v. 27. ergo quando angeli electos congregabunt et tribunali Christi sistent, supererunt adhuc quatuor mundi plagae. 5. Quia apostolus 1. Thess. 4, v. 15. testatur, Dominum in reditu suo ad judicium multos inventurum vivos. *Nos vivi*, inquit per figuram κοινοποιΐας, *qui reliqui erimus in adventum Domini*, *non praeveniemus eos*, *qui obdormierunt*, v. 17. *nos vivi*, *qui relinquimur*, *simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Domino* etc. Atqui si totius universi conflagratio praecessura esset extremum judicium, Christus in suo ad judicium adventu nullos inveniret vivos, quia in illa conflagratione homines vivi immutarentur. 6. Quia segregatio impiorum dicitur instituenda *in consummatione seculi* Matth. 13, v. 39. et 49. ac sententiae judiciariae executio dicitur futura *in die novissimo* 1. Tim. 4, v. 8. at post transitum mundi nullum amplius tempus, et in executione cessabit finis mundi propter homines creati. 7. Eadem est sententia Augustini lib. 20. de civ. Dei c. 14: *Peracto judicio tunc esse desinet hoc coelum et haec terra*, *quando incipiet esse coelum novum et terra nova.* et lib. ejusd. cap. 16. non longe a princ.: *Judicatis his*, *qui scripti non sunt in libro vitae et in aeternum ignem missis*, *tunc figura hujus mundi mundanorum ignium conflagratione praeteribit*, *sicut factum est mundanarum aquarum inundatione diluvii.* cap. 18: *Post factum judicium mundus ardebit.* cap. 30: *Post Christi judicium mortuorum resurrectionem*, *bonorum malorumque diremtionem existimo secuturam mundi conflagrationem.*

12. Si quis urgeat Apoc. 20, v. 11. et seqq. mundi φυγήν, *fugam*, ac transitum ante extremi judicii actum describi, *vidi*, inquit Johannes, *thronum magnum candidum et sedentem super eum, a cujus conspectu fugit coelum et terra, et locus non est inventus eis. Et vidi mortuos magnos et pusillos stantes in conspectu Dei, et libri aperti sunt, et alius liber apertus est, qui est vitae, et judicati sunt mortui ex his, quae scripta sunt in libris secundum opera eorum* etc. illi respondemus 1. in apocalypticis illis visionibus quandoque πρωθύστερον occurrere. Sic Apoc. 6, v. 14. *coelum* dicitur *recessisse sicut liber involutus, et omnis mons et insulae* dicuntur *de locis suis motae.* v. 16. statim subjungitur, *reges terrae et principes etc. absconderunt se in speluncis ac petris montium.* 2. Judicem jamdum super thronum δικαστικὸν sedere visum esse, cum coelum ac terra fugeret a conspectu ejus, utique ergo judicii actus jamdum coeperat. 3. Mortui magni et pusilli apparent *stantes coram Deo*, utique ergo non in aëre libero sese librantes, sed in terra stantes coram judicio apparebunt, id vero de nova terra accipi nequit, quippe quae omnium consensu demum post judicium ac latam de utroque hominum genere sententiam una cum coelo novo immediate a Deo creabitur. 4. Post judicii actum v. 13. *mare* dicitur *dedisse mortuos suos, qui in eo erant, ac mors et infernus* dicuntur *dedisse mortuos suos, qui in ipsis erant*, ubi describuntur tres classes mortuorum. Prima est eorum, qui in mari suffocati vel post mortem in illud praecipitati; altera eorum, qui extra mare mortui ac sepulcris illati; tertia eorum, qui
XVII. 12. vivi in infernum descenderunt, quamvis et alii aliter accommodent, ut suo loco videbimus. 5. Augustinus lib. 20. de civ. Dei c. 14. hoc observat: *Non ait, vidi thronum magnum et candidum, et sedentem super eum, et ab ejus facie fugit coelum et terra, et locus eorum non est inventus', quoniam nondum factum est, id est, antequam esset de vivis et mortuis judicatum, sed eum se vidisse dixit in throno sedentem, a cujus facie fugit coelum et terra, sed postea* etc. Item: *Ut ostendat, qui mortui sunt judicandi, recapitulando dicit tanquam ad id rediens, quod praeterierat potiusve distulerat: Et exhibuit mare mortuos. Hoc procul dubio prius factum est, quam mortui essent judicati, et tamen illud prius dictum est. Hoc ergo est, quod dixi recapitulando eum ad id rediisse, quod intermiserat.* Quidquid sit, illud ex hoc loco apocalyptico constat, mare et terram adhuc exstitisse, cum judicium institueretur, additur enim, et judicatum est de singulis mortuis ex mari, sepulcris et inferno revocatis secundum opera ipsorum.

4. Mundi conflagratio. 13. *4. Mundi conflagrationem* postponendam esse impiorum damnationi et piorum glorificationi, probabiliter aliquis colligere poterat ex his conjecturis: 1. Apostolus post resurrectionem et latam judicii sententiam pios *in nubibus in occursum Domini in aëra rapiendos esse* asserit 1. Thessal. 4, v. 17. ergo, quando pii in coelum ad possessionem aeternae gloriae evehentur, supererunt adhuc nubes et aër. 2. Executio promulgatae sententiae pertinet ad processum et actum extremi judicii. Quodsi ergo extremum judicium mundi conflagrationem praecedit, utique etiam sententiae executio, quae in evectione piorum in coelum ac detrusione impiorum in infernum consistit, eidem videtur praemittenda. *3. Expectatio creaturae revelationem filiorum Dei exspectat* Rom. 8, v. 19. *ac ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei* v. 22. ergo verisimile est, hoc desiderium creaturae in glorificatione prius implendum, antequam ipsa a servitute corruptionis liberetur. 4. Verisimile est, tunc demum destructum iri habitaculum, quando antiquus ejusdem hospes, homo scilicet ex eo in novas sedes translatus fuit. Gerson. in summa de gaudiis paradis. f. 433: *Post praedicta fiet innovatio, quae non complebitur, quamdiu peccator erit in mundo, nisi quousque detrudatur in infernum.* Conf. Phil. Nicolai lib. 5. de vit. aetern. c. 9. Sed verisimilius videtur, conflagrationem mundi prius futuram, quam impii in infernum detrudantur ac pii in coelum evehantur. 1. Apoc. 20, v. 14. *infernus et mors* dicuntur *prius missi in stagnum ignis*, antequam damnandi non inventi in libro vitae scripti in illud mittantur. 2. Erit pars supplicii impiis parati, quod conflagrationem mundi, cui praepostero amore adhaeserunt, intueri cogentur, ac vicissim electis erit materia gaudii, quod judicium Dei adversus mundum, in quo tot mala perpessi sunt, intuebuntur. 3. Pii veteres statuunt, quod in igne illo, quo mundus conflagraturus est, claritas lucis divina virtute separanda sit a vi urendi, atque illam cessuram piis ad gloriam, hanc vero impiis ad justam poenam. 4. Sicut mundus in primo hexaëmero ante hominis opificium conditus; ita verisimile est, eundem ante hominis glorificationem esse destruendum. Posset autem pro conciliatione harum sententiarum distingui inter piorum glorificationem inchoatam et consummatam. Illa praecedet mundi conflagrationem, haec vero subsequetur, quando enim pii in nubibus in occursum Domini in aëra rapientur, eo ipso momento mundus et omnia, quae sunt in eo, conflagrabit, ut sic pii ab omnibus ignis flammis liberi recta in coelum subvolent, mundo interim conflagrante et impiis in infernum praecipitatis.

14. *5. Impiorum damnationem* glorificationi pio- 5. Infernus
rum praemittimus, 1. quia Matth. 25, v. 34. processus judicii sic describitur, ut sententia absolutoria primo quidem denuntietur piis, condemnatoria impiis, sed executio sententiae incipiat a damnatione impio- XVII. 13.
rum et terminetur in glorificatione piorum, v. 46. *ibunt hi*, impii scilicet, *in supplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam.* Matth. 13, v. 30: *Colligite πρῶτον zizania, triticum autem congregate.* v. 41. *Mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala et eos, qui faciunt iniquitatem,* v. 42. *et mittent eos in caminum ignis.* v. 43. *Tunc, τότε, justi fulgebunt sicut sol.* 2. Apoc. 20, v. 15: *Qui non inventi sunt in libro vitae*

*scripti, missi sunt in stagnum ignis*, et tunc demum Apoc. 21, v. 1. vidit Johannes *coelum novum ac terram novam*. 3. Ad augmentum gaudii et felicitatis electorum faciet, quod impios in supplicium abire coram intuentur, quia ex comparatione suae felicitatis cum aliorum condemnatione magis Dei gratiam erga se agnoscunt et praedicant. Neque adversatur illud Bernhardus serm. 8. in Ps. Qui habitat: *Prius benedicti vocabuntur in regnum, quam maledicti dejiciantur in caminum ignis aeterni, quo videlicet acrius doleant videntes, quid amiserint.* Hoc enim accipiendum de sententiae judiciariae promulgatione, non autem de ejusdem exsecutione, ut constat ex Matth. 25, v. 41. et 46. 4. Glossa interlinearis Matth. 25. addit hanc rationem: *Tollitur impius, ne videat gloriam Dei.* 5. Augustinus lib. 21. de civ. Dei c. 1. causam ordinis exponens, cur de supplicio damnatorum, quam de gloria beatorum prius agere voluerit, sic scribit: *Incredibilius videtur esse, in aeternis corpora durare cruciatibus, quam sine dolore ullo in aeterna beatitudine permanere. Ac per hoc cum illam poenam non debere esse incredibilem demonstravero, adjuvabit me plurimum, ut multo facilius omni carens molestia immortalitas corporum in sanctis futura credatur.* Atque haec omnia, quae de ordine novissimorum dicta sunt, non *ἀποδεικτικῶς*, sed *στοχαστικῶς*, non tanquam absolute ac praecise certa, sed ut verisimiliter asserta accipi cupimus. Valde enim probatur nobis illud Augustini lib. 20. de civit. Dei cap. 30. circa fin.: *In illo judicio vel circa illud judicium has res didicimus esse futuras etc. Christum venturum judicaturum, mortuorum resurrectionem, bonorum malorumque diremtionem, mundi conflagrationem ejusdemque renovationem, quae omnia quidem ventura esse credendum est. Sed quibus modis et quo ordine veniant, magis tunc docebit rerum experientia, quam nunc valet consequi ad perfectum hominum intelligentia.* Restat, ut in specie de singulis sex novissimis, utpote *1. de morte, 2. de mortuorum resurrectione, 3. de resuscitatorum judicio, 4. de mundi destructione, 5. de inferno et 6. de vita aeterna* paulo uberius agamus.

---

# TRACTATUS I.

# DE MORTE.

## CAPUT I.

## DE *ΟΝΟΜΑΤΟΛΟΓΙΑ*.

1. *Ἐτυμολογία.* Nominis. 1. Latini. § 15. *Mortis nomen* unde ductum sit, non una est omnium sententia. 1. Augustinus lib. 1. hypognost. cont. Pelag. circa med. *a morsu* illud deducit. *Opinor*, inquit, *quod ideo mors hoc vocabulum accepit, eo quod morsu quodammodo venenosi serpentis, id est diaboli in paradiso, Adam fuerit interemtus. Tunc enim serpens morsu decepit Adam, quando per concupiscentiam mordere, hoc est edere, suasit illicita, et propterea mors quasi a morsu nomen accepit, unde et Dominus in Hosea propheta morti minitans dicit: Ero mors tua o mors, ero morsus*
XVII. 14. *tuus inferne.* In vetustis quibusdam versiculis alia appellationis ratio exprimitur:

*Jure vocata fuit mors, quod quasi morsus amarus*
*Omnibus est, a quo nemo cavere potest.*

2. Quidam deducunt *a mora*, quia omnes homines moratur et exspectat, vel quia nullius moratur conditionem. 3. Quidam mortem ab *emerita* jam vita et absoluta nominatam volunt ac mortuos dictos quasi emeritos. 4. Sunt qui graecam derivationem quaerunt, vel *ἀπὸ τοῦ μείρειν, a dividendo*, quia mors est animae a corpore separatio, vel a *μόρος*, quod *sortem*, partem ac mortem significat. Sic Homerus *θάνατόντε μόροντε*, tanquam synonyma conjungit, quamvis posterior vox magis sit poëtica. Scaliger exerc. 352. Mors dicitur a *fato*, Graeca vox *μόρος, μοῖρα. Θάνατος* Etymologus dictum putat quasi *τάνατος* a *τείνω*, quod est *τανύω*, ut sit *ὁ τείνων τὰ σώματα τῇ ψύξει*, vel quia est *ὁ τανaός*, utpote *πάντας ἑαυτὸν διατείνων.* Sed has ac similes etymologias non immerito deridet Henr. Stephanus in thes. Graecae linguae in verbo *θνήσκω*. *Ecquis non videt*, inquit, *rem ineptissimam esse, etymum investigare nominis a verbo derivati, et quidem nominis, quod aliquam etiam verbalis formam retinet? quis non videt, hic posse dici, quod in proverbio est, ἡ βοῦς τὴν ἅμαξαν.* Tales allusivas etymologias complures affert Stobaeus ex Themistio serm. 119. *γένεσιν* generationem dictam volunt quasi *νεῦσιν ἐπὶ γῆν*, inclinationem et nutationem in terram; *γενέθλιον* diem natalitium, *ὡς ἀρχὴν γενομένην ἄθλων*, principium certa- 2. Graeci.

minum et laborum, *δέμας* corpus quasi *δέσμος*, quod anima hoc in loco praeter naturam *δεδεμένη* sive ligata detineatur; *σῶμα* quasi *σῆμα; βίον* vitam *παρὰ τὴν βίαν* a violentia, quod anima invita et coacta in hoc carcere delitescat. Contra *θάνατον* dici arbitrantur quasi *ἄνω εἰς θεὸν φερόμενον* sursum ad Deum et sedem divinam nos reducentem, *θάνειν* quasi *ἀνὰ θεεῖν*, quod est redire, domum reverti, *τελευτὴν* quasi *τελετήν*, initationem, et *τελευτᾶν* quasi *τελετᾶν* et *τελεῖσθαι* initiare, quia per mortem pii consecrantur et initiantur vitae aeternae. Graeci mortem vocant *τελευτὴν μετωνυμικῶς*, quod, ut De-
3. Hebraei. mosthenes ait, sit *πέρας τοῦ βίου ἑκάστῳ*. Hebraeum מָוֶת (cum ה paragog. מָוְתָה et cum מ heaemanthico מָמוֹת) est ex radice מוּת *mortuus est*, hanc radicem, si per metathesin legamus, fiet תּוֹם, *perfectus fuit*, quia mors piorum est verae perfectionis et perfectae sanctitatis exordium.

2. ὁμωνυμία. 16. Est autem hoc nomen *ἐκ τῶν πολλαχῶς λεγομένων*, unde variis modis distinguitur. 1. *In genere* accipitur vel *theologice ac naturaliter* pro separatione animae a corpore, vel *politice ac civiliter* pro capitis diminutione. Hoc fere sensu quidam accipiunt locum Psalm. 88, v. 6: *Factus sum inter mortuos absconditus*, id est a communi hominum consortio exclusus ac civiliter quasi mortuus. Qui enim de gradu honoris ac libertatis deciderunt, pro civiliter mortuis habentur. 2. Apud Augustinum et alios scriptores ecclesiasticos distinguitur in mortem *animae* et *corporis*. Quia enim duplex est hominis vita, naturae ac gratiae, sive corporis et animae, ideo etiam duplicem mortem statuunt, corporis, quae bonis et malis communis est; et animae, quae impiis ac peccatoribus est peculiaris. Augustinus 13. de civ. Dei cap. 2. in princ.: *Mors animae fit, cum eam deserit Deus, sicut corporis, cum id deserit anima. Ergo utriusque rei, id est totius hominis, mors est, cum anima a Deo deserta deserit corpus, ita enim nec ex Deo vivit ipsa, nec corpus ex ipsa.* Et postea: *Vivit anima ex Deo, cum vivit bene, non enim potest bene vivere, nisi Deo operante in se, quod bonum est; vivit autem corpus ex anima, cum anima vivit in corpore, seu vivat ipsa, seu non vivat ex Deo. Impiorum enim in corporibus vita non animarum sed corporum vita est, quam possunt eis animae etiam mortuae, id est a Deo
XVII. 15. desertae, quantulacunque propria vita, ex qua etiam immortales sunt, non desistente conferre. De prima corporis morte dici potest, quod bonis bona sit, malis mala. Secunda vero sine dubio sicut nullorum bonorum est, ita nulli bona.* lib. 14. de Trinit. cap. 3: *Et anima et corpore mortui sumus, anima propter peccatum, corpore propter poenam peccati. Una ergo mors nostri Salvatoris duabus mortibus nostris saluti fuit.* lib. ejusd. cap. 4. in princ.: *Habet et anima mortem suam, cum vita beata caret, quae vera animae vita dicenda est, sed immortalis ideo nuncupatur, quia qualicunque vita, etiamsi miserrima est, nunquam desinit vivere.* in enarr. Psalm. 48: *Mors, quam timent homines, est separatio animae a corpore. Mors autem vera, quam non timent homines, est separatio animae a Deo, et plerunque cum timent homines istam, quae separat animam a corpore, incidunt in illam, quae animam a Deo separat. Vita enim animae Deus est, mors animae peccatum.* Fulgentius lib. 1. ad Monim. cap. 27. *Prima mors animae, quam sibi homo intulit, secundae mortis est causa, et secunda mors, quam Deus homini reddidit, primae mortis est poena. In prima discedente anima caro sola moritur, in secunda, quando rediens in carnem anima in eadem cum eadem, quae peccavit, carne torquetur, ut cum qua communicavit mortem peccati, cum ipsa communicet mortem supplicii.* 3. Ambrosius lib. 5. in Luc. tres mortis species enumerat. *Mors*, inquit, *triplex est. Naturae, de qua dicitur, quaerent homines mortem et non invenient. Haec mors non est metuenda fortibus, desideranda sapientibus, miseris expetenda. Culpae, de qua dicitur: anima, quae peccaverit, ipsa morietur. Gratiae, quae secularium aufert interitum voluptatum, in qua non natura, sed delicta moriuntur; hanc mortem subimus consepulti cum Christo in baptismo.* Quidam tres mortis species paulo aliter explicant. *Triplex* (inquiunt) *mors in Scripturis proponitur. 1. Mors corporis, quae consistit in separatione animae; 2. mors animae, quae consistit in amissione gratiae; 3. mors totius hominis, quae consistit in privatione vitae aeternae et cruciatibus infernalibus corporis et animae.* Illa est mors corporalis vel *naturae*, ista mors spiritualis vel *gratiae*, haec mors novissima vel *gloriae*. 4. Communiter quatuor species mortis numerantur. Est enim primo mors *carnis*, quae separat animam a corpore, ea est *irremedicabilis*, ut loquuntur, ac *meditanda*. Secundo *culpae*, quae separat animam a Deo, ea est *ineffabilis ac fugienda*. Tertio *spiritus*, quae separat animam a terrenis, ea est *sanabilis et amplectenda*. Quarto *gehennae*, quae separat corpus et animam a coelestibus, ea est *interminabilis ac pertimescenda*. Juxta hanc divisionem intelligendum illud *αἰνιγματῶδες*: *Qui moritur*, scilicet vitiis per mortem spiritus, *antequam moritur*, scilicet carne vel corpore, is *non moritur*, scilicet morte aeterna sive gehennae, *quando moritur*, scilicet morte corporis. Augustinus in lib. 65. qu. q. 32: *Quatuor esse mortes Scriptura sancta evidenter ostendit. Prima mors est animae, quae suum deserit creatorem, quae enim deserit, peccat. Sine*, inquit Dominus, *mortuos sepelire mortuos suos. Ecce habes mortuos secundum animam scilicet sepelientes mortuos. Et quos sepeliunt? scilicet secundum carnem mortuos. Haec itaque sententia duas mortes manifestissime docet, unam animae, quam peccando incurrit, alteram corporis. Tertia autem est solius animae, quam, dum ex hoc corpore exierit, patitur. Quarta est mors, cum anima recipiet corpus, ut in ignem mittatur aeternum. Vide etiam lib. 13. de civ. Dei cap. 12.* 5. Sedulius in cap. 6. Rom. *quinque species* mortis recenset. *Prima*, ait, *mors est sepa-*

*ratio animae a corpore; secunda separatio animae a Deo, quae per peccatum evenit; tertia est secundum illud, quod auctor mortis diabolus mors appellatur; quarta mors inferni lacus, qua praevaricatrices animae detinentur, dicitur etiam et illa mors laudabilis, qua peccator quisque moritur poenitens et Christo consepelitur.* 6. Plenior ac perfectior est haec distinctio. Mortis nomen in sacris literis et scriptoribus ecclesiasticis accipitur vel *proprie*, vel
III. 16. *figurate.* Proprie pro *morte naturali*, quae est separatio animae a corpore. (Vocatur mors naturalis respectu habito non ad naturam *institutam*, sed *destitutam.*) In hac significatione hoc loco accipitur, quando inter novissima hominis mors numeratur. Figurate usurpatur vel μεταφορικῶς, vel μετωνυμικῶς. *Metaphorice* pro morte *temporali* vel *aeterna*. Mors temporalis metaphorice sic dicta iterum duplex est, vel *corporalis*, vel *spiritualis*. Mors corporalis metaphorice sic appellata complectitur omnis generis calamitates propter peccatum in hac vita homini tolerandas, quae sunt mortis caduceatores ac nuntii. Exod. 10, v. 17: *Rogate Dominum ut auferat a me* הַמָּוֶת, *mortem istam*, id est locustarum perniciem. Rom. 8, v. 10. *corpus est mortuum*, id est calamitatibus, morbis et ipsi tandem morti temporali obnoxium *propter peccatum*, quod in eo adhuc habitat. 1. Cor. 15, v. 31. καθ' ἡμέραν ἀποθνήσκω, versor in quotidiano ac perpetuo mortis periculo. 2. Cor. 1, v. 10: *Deus eripuit nos ex tanta morte.* c. 4, v. 11: *Semper nos, qui vivimus, in mortem tradimur.* v. 12. *Mors in nobis operatur* etc. c. 11, v. 23. *in mortibus* sese saepius fuisse scribit. Ut enim canit Statius poëta lib. 9. Theb.:

*Mille modis miseros leti mors una fatigat,*

hoc sensu etiam quidam accipiunt phrasin Esa. 41, v. 14. *mortui Israël*, id est qui tantis afflictionibus oppressi estis, ut mortui potius quam vivi appareatis. Sed in Hebraeo est מְתֵי *pauci, exigui.* Mors *spiritualis* duplex est, *fidelium* et *infidelium;* illa est laudabilis ac fructuosa, haec detestabilis ac perniciosa. Mors spiritualis fidelium est, qua salutariter dicuntur mori 1. *peccato*, quod tum per *regenerationem*, quatenus peccatum fide in Christum ipsis remissum, non amplius coram Dei judicio eos accusat; tum per *renovationem*, quatenus peccatum in carne sua mortificant, vigorem, vim, impetum ac vitam ejus per spiritum reprimunt, ne in ipsis dominetur et vigeat. Rom. 6, v. 2: *Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo?* v. 6. *Vetus noster homo simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati.* v. 11. *Existimate, vos quidem mortuos esse peccato, viventes autem Deo in Christo Jesu Domino nostro.* v. 12. *Non ergo regnet peccatum in mortali corpore vestro, ut obediatis concupiscentiis ejus.* Col. 3, v. 3: *Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* 1. Petri 2, v. 24. *Ut peccatis mortui justitiae vivamus. 2. Legi*, tum per *justificationem*, quatenus per fidem in Christum ab accusatione et damnatione legis sunt liberati; tum per *sanctificationem*, quatenus a legis imperio et coactione liberi spontaneam obedientiam ex spiritu praestant, ac quatenus lex concupiscentiam pravam in carne ipsorum adhuc haerentem non amplius irritat, qui est accidentarius legis in non renatis effectus. Rom. 7, v. 1: *Lex homini dominatur, quanto tempore vivit.* v. 2. *Nam quae sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi, si autem mortuus fuerit vir, liberata est a lege viri.* v. 4. Itaque *et vos mortificati estis legi per corpus Christi, ut sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit, ut fructificemus Deo* etc. Galat. 2, v. 19: *Ego per legem legi mortuus sum, ut Deo vivam, cum Christo simul crucifixus sum. 3. Ceremoniis legalibus V. T.* a quibus per Christi mortem liberati sunt, ut in novitate spiritus non juxta externas illas observationes, sed juxta interiorem hominem Deo serviant. Col. 2, v. 20: *Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi*, id est si per virtutem mortis Christi liberati estis a ceremoniis legalibus, per quas Deus priorem mundum, id est populum V. T. informare voluit, sicut per literarum elementa ac rudimenta pueri informantur, Rom. 7, v. 4. et 6. Gal. 2, v. 19: *Quid adhuc tanquam viventes in mundo decretis ac constitutionibus hominum vos duci permittitis*, quasi adhuc ceremoniis legis subjecti essetis, quae in mundanis et externis rebus consistunt, cum tamen sitis in Christi regno, quod est spirituale et internum. 4. *Mundo*, quatenus spiritualiter cum Christo mortui ac crucifixi non amplius agunt vitam mundanam, non conformant se huic mundo, non indulgent ejus voluptatibus ac desideriis; Gal. 6, v. 14:
*Per Christum mundus mihi crucifixus est* (et sic XVII. 17.
etiam mortuus) *et ego mundo*, id est quidquid est in mundo Christi regno adversum, *concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitae*, 1. Joh. 2, v. 16. Itemque mundi vanitates et voluptates non amplius in me obtinent dominium, nec ego illa desidero, sed plane sum illi mortuus. Rom. 6, v. 6: *Vetus noster homo simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati;* v. 7. *qui enim mortuus est, justificatus est a peccato.* Bernh. tom. 1. serm. 6. de peregrino mortuo et crucifixo p. 153. *Non solum* inquit *mortuus mundo, sed et crucifixus, quod est ignominiosum genus mortis. Ego illi et pariter ipse mihi. Omnia quae mundus amat, crux mihi sunt, delectatio carnis, honores, divitiae, vanae hominum laudes. Quae vero mundus crucem reputat, illis affixus sum, illis adhaereo, illa toto amplector affectu.* Mors *spiritualis infidelium* est, qua in peccatis mortui et a vera illa animae vita, quae in Deo est, separati dicuntur. Matth. 8, v. 22. Luc. 9, v. 60: *Sine, ut mortui sepeliant suos mortuos.* Lucae 15, v. 24: *Filius meus mortuus erat.* Joh. 5, v. 25: *Mortui audient vocem Filii hominis.* 1. Tim. 5, v. 6: *Vidua, quae in deliciis vivit, vivens mortua est.* Eph. 2, v. 5. et 7. Col. 2, v. 13: *Cum essetis mortui delictis.* Quemadmodum enim anima a corpore separata corpus redditur sensus et motus expers, nec ullas actiones vitales edit; sic homo ψυχι-

*κός*, qui non est particeps spiritualis vitae, quae ex gratiosa Dei inhabitatione dependet, destituitur sensu spirituali nec potest facere opera spiritualiter bona ac Deo grata. Quemadmodum mortui non audiunt, nec vident, nec loquuntur; sic spiritualiter in peccatis mortui non audiunt vocem Dei, non vident opera Dei, non praedicant magnalia Dei. Quemadmodum corpus exanime computrescit ac foetorem hominibus intolerabilem exhibet; sic homines in peccatis mortui Deo sunt abominabiles ac intolerabiles. *Mors aeterna damnatorum* est finalis et plenaria divini consortii amissio, et ex ea consequens horribilis animae et corporis cruciatus ac nunquam finienda miseria in inferno damnatis metuenda, quae vocatur a Johanne *mors secunda,* Apoc. 2, v. 11. et cap. 20, v. 14. respectu tum naturalis, tum spiritualis mortis infidelium propriae, de hac accipiunt Psalm. 34, v. 22. *mors peccatorum pessima,* sed in Hebr. est occidet *impium improbitas.* Johan. 6, v. 50: *Si quis ex hoc pane manducaverit, non morietur in aeternum.* Johan. 8, v. 51: *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum.* Joh. 11, v. 26: *Qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum.* Atque hae sunt praecipuae significationes vocabuli mortis de homine usurpatae, de quibus in genere notandum, quod in uno eodemque dicto diversae significationes hujus verbi quandoque locum obtinere possint. Sic quando primis parentibus Gen. 2, v. 17. haec comminatio proponitur: *Quacunque die de hac arbore comederis, morte morieris,* tum gemina mortis mentio, non solum certitudinem comminationis, ut Gen. 41, v. 32. sed etiam plures mortis species homini metuendas designat, intelligitur; tum mors proprie accepta, tum metaphorice, et quidem tam temporalis quam aeterna, tam corporalis quam spiritualis infidelium propria. Augustinus lib. 13. de civit. Dei cap. 12: *Quando dixit Deus homini illi primo, quem in paradiso constituerat, de cibo vetito, quacunque die ederitis ex eo, morte moriemini, non tantum primae mortis partem priorem, ubi anima privatur Deo, nec tantum posteriorem, ubi corpus privatur anima, nec solum ipsam totam primam, ubi anima et a Deo, et a corpore separata punitur, sed quidquid mortis est, usque ad novissimam, quae secunda dicitur, et qua est nulla posterior, comminatio illa complexa est.* lib. ejusd. c. 15: *In ea morte etiam ceterae denuntiatae sunt, quae procul dubio erant secuturae. Nam in eo, quod inobediens motus in carne ex motu animae inobedientis exortus est, propter quem pudenda texerunt, sensa est mors una, in qua deseruit animam Deus. Ea significata est verbis ejus, quando timore deambulantis sese abscondenti homini dixit: Adam ubi es? non utique ignorando quaerens, sed increpando admonens, ut attenderet, ubi esset, in*
XVII. 18. *quo non esset Deus. Cum vero jam corpus anima ipsa deseruit aetate corruptum et senectute confectum, venit in experimentum mors altera, de qua Deus peccatum adhuc puniens homini dixerat, terra es et in terram ibis, ut ex his duabus mors illa prima, quae totius hominis est, compleretur, quam secunda in ultimo sequitur, nisi homo per gratiam Dei liberetur.* lib. 4. de Trinit. cap. 3: *Et anima et corpore mortui sumus, anima propter peccatum, corpore propter poenam peccati.* in libro 65. qq. q. 32: *Die quo peccavit Adam, in anima mortuus est. Sicut enim corpus vivit ex anima, ita anima ut beatius vivat, vivit ex Deo. Ergo deserta anima Adae a Deo jure dicitur mortua prima morte, ex qua tres postea subsecutae sunt mortes.* Confer Ambrosium lib. de paradis. cap. 9. Neque vero de homine tantum mortis vox accipitur, quo referendae sunt hactenus enumeratae significationes omnes, sed etiam de brutis anima sensitiva praeditis Gen. 7, v. 22. c. 33, v. 13. ac de vegetabilibus anima vegetativa praeditis Joh. 12, v. 24. 1. Cor. 15, v. 37. quin et de inanimatis non solum substantiis, sed etiam accidentibus sive qualitatibus metaphorice usurpatur. Sic *sapientia dicitur mori* Job. 12, v. 12. quae evanescit ac perit. *Peccatum* dicitur *mortuum* Roman. 7, v. 9. quod in carne quidem haeret, sed non satis agnoscitur, ac veluti exstinctum et quasi non esset, reputatur, quodque non ita exserit vires irritando pravam concupiscentiam in carne latentem. *Fides mortua* dicitur Jac. 2, v. 17. quae sese non exserit per operum effecta, quae est *ὁμωνύμως* tantum dicta fides hypocritarum propria. *Μετωνυμικῶς* nomen mortis accipitur pro re mortifera 2. Reg. 4, v. 40. *mors in olla,* id est, cibus venenatus mortem allaturus. Est et in eo species *μετωνυμίας,* quando peccata dicuntur opera *mortua* Hebr. 6, v. 1. cap. 9, v. 14. cum ratione causae, quia proficiscuntur ab iis, qui haerent in morte spirituali, tum ratione effectus, quia afferunt mortem aeternam. *Μετωνυμικῶς* ac *μεταφορικῶς* simul Christus dicitur *mors nostrae mortis, quia sua morte nostram mortem destruxit,* 2. Tim. 1, v. 10. Sed hae significationes non sunt hujus loci, ubi de morte hominis naturali duntaxat agitur.

17. Ad *συνωνυμίαν* pertinent periphrases, quibus mors, praesertim piorum, tum in *sacris literis,* tum in *scriptoribus ecclesiasticis,* tum in *profanis auctoribus* describitur. In sacris literis de morte hominum, praesertim piorum, suavissimae loquendi formulae occurrunt, in quibus salutares doctrinae de multis utiliter admonentes ac efficaces consolationes mortis terroribus opponendae continentur. Usitatissima est sanctis Dei viris, prophetis et apostolis tam in V. quam in N. T. *somni* appellatio, qua in morte XVII. 19.
dicuntur homines *obdormire.* Deuter. 31, v. 16. 2. Sam. 7, v. 12. 1. Reg. 2, v. 10. Esa. 26, v. 20. cap. 56, v. 14. Dan. 12, v. 2. Matth. 9, v. 24. Johan. 11, v. 11. Act. 13, v. 36. 1. Corinth. 11, v. 30. cap. 15, v. 20. 1. Thess. 4, v. 13. etc. Hilarius in Psalm. 126. p. 552: *Mortem sanctorum Deus frequentissime somnum nuncupat. Somnus ut est mortis, sic lectus imago sepulcri,* quae nomenclatura de multis utiliter nos admonere potest. Confertur enim mors somno *1. ratione antecedentium.*

3. *Συνωνυμία.* Appellationes mortis 1. in sacris literis.

Quemadmodum somnus oritur ex vaporibus ventriculi ad cerebrum delatis, qui nervos occupant et operationes sensuum impediunt; sic mors corporis ex eo originem trahit, quod primi nostri parentes de fructu arboris vetitae comederint, inde namque factum, ut venenatus peccati odor totum corpus et omnia ejus membra pertransiens, tum ipsos, tum omnes posteros morti obnoxios reddiderit, Rom. 5, v. 12. cap. 6, v. 23. ac quia venenum illud peccati nos ipsorum posteri in corpore perpetuo in hac vita nobiscum circumferimus, ideo etiam mortem nostram in nobis ipsis semper circumferimus, nec repente in mortem incidimus, sed minutatim procedimus. Quando venenum est intro assumtum quandoque diu haeret in corpore, antequam vim suam exserat; sic etiam peccati venenum in carne nostra haeret, Rom. 7, v. 18. Hebr. 12, v. 1. illud in quibusdam citius, in qubiusdam tardius mortem operatur, interim omnibus est letale, ac si vel maxime ab omnibus causis mortis externis ac violentis simus liberi, tamen mors et corruptio provenit a causa interiore omnibus hominibus communi. Quemadmodum non omnes placide ac suaviter obdormiscunt, sed illi duntaxat, qui animo quieto et corpore moderate pasto cubitum sese conferunt; qui curis sese macerant ac conscientiae onere gravantur, illorum somnus est inquietus ac turbulentus: sic impiis mors non est suavis somnus, sed potius initium mortis aeternae, auferunt enim secum ex hac vita rodentem conscientiae *vermem* Esa. 66, v. 24. soli autem vere pii, qui *in Domino moriuntur*, placide *requiescunt a laboribus suis* Apocal. 14, v. 13. deponunt enim per veram poenitentiam et fidem in Christum onus peccati ipsos premens, Christum vitae ducem et mortis victorem vera cordis fiducia amplectuntur ac vitam suam ita componunt, ut mortem venientem pacato ac laeto animo semper exspectent. *Mortem venientem nemo laetus excipit, nisi qui se diu ad eam composuit*, Seneca epist. 30. Quemadmodum somno nos daturi vestes deponimus, ita quoque apostolus 2. Cor. 5, v. 4. asserit, nos in morte *ἐκδύσασθαι*, *exui*, quia mors omnibus hujus vitae bonis nos exuit et accurate perquirit, ne quidquam terrenorum ex hac vita nobiscum auferamus. Job. 1, v. 21: *Nudus egressus sum de utero matris meae et nudus revertar illuc.* 1. Tim. 6, v. 7: *Nihil intulimus in mundum, manifestum, quod nec quidquam auferre possimus.* Corpus nostrum est animae quasi ἔνδυμα ac vestimentum, atqui illud ipsum in morte deponere eodemque exui cogimur, 2. Petr. 1, v. 14. Chrysostomus in morali homil. 5. ep. Hebr.: *Cum tanta facilitate carnem exuere debemus, cum quanta vestimentum exuimus.* Deponamus et nos veteris Adami tunicam, exuamus curam terrenorum, ita poterimus quiete obdormiscere etc. Quemadmodum somnus hominem quandoque inopinato opprimit, adeo ut momentum illud temporis, quo obdormit, non possit exacte notare; sic homines quandoque eo temporis momento moriuntur, quo de morte minime omnium cogitant, ac opinione citius anima e corporis habitaculo emigrat, ut nec ipsi, nec adstantes momentum exitus observent. Gen. 27, v. 2. *ignoro diem mortis meae.*

*Mors certa est, mortis nihil est incertius hora.*
*Quod moreris, certum est, incertum, ubi, quomodo, quando.*

Quemadmodum infantes ac pueri non intelligunt XVII. 20.
somni commoda, ideo aegre cubitum sese conferunt; sic spiritualis prudentiae respectu coram Deo vere sunt pueri, qui non intelligunt, quantum boni sit in morte piorum, ideoque mortem nimiopere
exhorrescunt. Quemadmodum somnus, ita quoque XVII 20.
mors omnibus hominibus communis est, ac sicut somnus, ita quoque mors etiam invitis obrepit etc.

18. 2. *Ratione concomitantium.* Quemadmodum somnus occupat solum membra et sensus exteriores, cum interim anima interiores suas operationes exerceat, ut ex insomniis colligitur: sic in morte corpus solum interit, anima autem piorum *in sinum Abrahae* transfertur Luc. 16, v. 22. *fruitur consolatione* v. 25. ac verae vitae particeps redditur. Matth. 10, v. 28. *animam occidere non possunt.* Augustinus lib. 6. confess. c. 11: *Morte corporis vita animae non consumitur.* Quemadmodum somnus est suavis et utilis requies tam aegrotis, quam sanis hominibus: Joh. 11, v. 12. sic mortui *quiescunt in cubilibus suis* Esa. 26, v. 20. ac *requiescunt a laboribus suis* Apoc. 14; v. 13. Ambrosius de bon. mortis c. 3: *Sola mors est requies viro.* Dies nostri in hac vita sunt *dies mercenarii*, ut ergo mercenarius praestolatur finem operis sui; sic mortis quietem in hujus vitae miseriis et laboribus cupide desideremus, Job. 7, v. 1. et 2. Quemadmodum animi et corporis vires in somno reparantur, ut homo mane alacrior ac vegetior ad pristinum opus redeat, unde Tertullianus lib. de anim. c. 43. p. 287. somnum pulcherrime vocat *recreatorem corporum, redintegratorem virium, probatorem valetudinum, pacatorem operum et medicum laborum*; sic mors piorum est veluti quaedam ἀνακαίνωσις, renovatio, ac reparatio omnium virium, ut Christo justitiae sole in extremo die exoriente alacriores ac vegetiores sint ad peragenda opera, ad quae in prima creatione divinitus sunt conditi. Quemadmodum dormiens ab omnibus affectibus naturae adversis, a curis, angoribus, tristitia, dolore, metu est immunis; sic pii in morte ab illis flagellis liberi beatam et tranquillam apud Deum vitam agunt et in sepulcris velut κοιμητηρίοις ac dormitoriis suis somno fruentes laetum resurrectionis diem in pace exspectant. Quemadmodum dormientes non animadvertunt nec curant, quid in plateis agatur, an homines emant vel vendant, saltent vel pugnent, neque tempus mensurant aut ejus articulos computant; sic mortui non afficiuntur curis hujus mundi, neque pensi quidquam habent, an superstites bello, vel fame, persecutionibus affligantur, multo minus aliquid molestiae vel solicitudinis ex adversis superstitum persentiscunt. 2. Reg. 22, v. 20: *Colligam te ad patres tuos, ne videant oculi tui omnia mala, quae introducturus sum super locum istum.* Job. 14, v. 21: *Sive nobiles fuerint filii ejus, sive ignobiles, non intelliget.* Eccles. 9,

v. 5: *Viventes sciunt, se esse morituros, mortui vero nihil noverunt amplius*, scilicet eorum, quae in his terris geruntur, additur enim v. 6. *nec habent partem in hoc sèculo: et in opere, quod sub sole geritur.* Esa. 63, v. 16: *Abraham nescit nos, Israël ignorat nos.* Quemadmodum dormiens quandoque incendii terrores et magnas tempestates durante ipsius somno exortas, non sentit, sed eas quasi praetervehitur: sic pie defuncti futuris calamitatibus praeripiuntur. Esa. 57, v. 1: *A facie mali collectus est justus;* v. 2. *veniet pax, requiescet in cubili suo ambulans recte.*

19. *3. Ratione consequentium.* Somnus non est perpetua quaedam quies, sed certo tempore iterum expergiscimur, at tunc vigor animi, sensuum ac corporis redit alacrior; sic non manebimus perpetuo in morte, sed *veniet hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii hominis et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae, qui vero mala fecerunt, in resurrectionem judicii,* Dan. 12, v. 2. Joh. 5, v. 28. 29. Beda in Marcum: *Mos Christianus obtinuit, ut mortui, qui resurrecturi esse non dubitantur, dormientes vocentur.* Quemadmodum Christus filiam Iairi propterea negat esse mortuam, sed tantum dormire asserit Matth. 9, v. 24. quia mox in vitam revocanda erat; sic in genere de mortuis statuendum, quod dormiant, quia per Christum ad vitam sunt resuscitandi, Esa. 26, v. 19: *Vivent mortui tui, expergiscimini,*
XVII. 21. *qui habitatis in pulvere.* Luc. 20, v. 38: *Omnes Deo vivunt.* Quemadmodum dormientes facile e somno voce alterius hominis excitantur; sic mortui voce Christi in die novissimo perquam facile excitabuntur. Augustinus serm. 44. de verb. Dom.: *Nemo nostrum tam facile excitat dormientem in lecto, quam Christus jacentem in sepulcro.* Quemadmodum e somno excitati vestibus nos induimus; sic pii ex mortuis resurgentes stola immortalitatis ornabuntur. 1. Cor. 15, v. 53: *Oportet corruptibile hoc induere incorruptibilitatem et mortale hoc induere immortalitatem.* Sicut nescimus, quomodo e somno expergiscamur; sic non intelligimus, qualis futura sit resurrectio. Quemadmodum e somno expergefacti videmur per pauxillas duntaxat horas dormiisse; sic in novissimo die a morte excitatis brevissimum videbitur illud tempus, quod inter mortem ac resurrectionem intercessit. Lutherus tom. 4. Latin. p. 528. in comm. Psalm. 90: *Totum illud tempus, quod est ab initio conditi hominis, videbitur Adamo resurgenti tanquam somnus unius horae.* Somnus igitur, quo singulis diebus ad vitae conservationem indigemus, perpetuum *μνημόσυνον* ac quotidianum memoriale mortis nobis esse debet, cum in quotidiana illa mortis meditatione magna pars coelestis sapientiae consistat, Psalm. 39, v. 5. Psalm. 90, v. 12. sicut Plato in Phaedone dicebat, *veram philosophiam esse μελέτην τοῦ θανάτου.* Quando vestes lectulum ingressuri deponimus, cogitemus, aliquando vestimentum corporis esse deponendum. Quando ad somnum nos componimus, cogitemus, nos in cubile sepulcri aliquando collocandos. Quando oculos claudimus, cogitemus, oculos nostros aliquando in morte esse claudendos. Quando cubitu surgimus, cogitemus, ex sepulcris nostris post mortem aliquando resurrecturos. Si eo modo quotidie de morte cogitamus, aliquando pie et pacate mori possumus.

Appellationes mortis 1. ex V. T.

20. Atque haec est generalis et communissima mortis descriptio, qua somno a sanctis Dei hominibus comparatur. Speciales appellationes occurrunt complures. Moysi usitatum est, ut pios in morte ac per mortem dicat colligi sive *congregari ad populum suum* Gen. 25, v. 8. cap. 35, v. 29. c. 49, v. 33. eadem phrasis exstat Num. 20, v. 26. c. 31, v. 2. Jud. 2, v. 10. 2. Reg. 22, v. 20. 2. Paral. 34, v. 28. Esa. 57, v. 1. אָסַף significat *congregavit aliquid ut asservetur, in unum redegit, reposuit, occultavit*; hae significationes omnes huic loquendi formulae congruunt, in morte enim ac per mortem pii ex confuso bonorum ac malorum in hac vita invicem commixtorum coetu separantur ac congregantur, animae eorum *in fasciculum viventium colliguntur* 1. Sam. 25, v. 29. sicque in unum rediguntur, ut a furore persecutorum occultentur et usque ad diem judicii in quiete et pace conserventur. Dicuntur autem pii non simpliciter congregari ac colligi, sed *ad populum suum. Nemo colligitur ad eos, qui non sunt*, inquit Origenes. Ergo est populus, cui pii morientes adjunguntur, proinde animae piorum in morte non evanescunt in auras, nec in nihilum rediguntur, sed congregantur in coetum triumphantis ecclesiae et colliguntur ad beatum illum populum, qui ante ipsos in fide ex hac vita praecessit, cum quo unum corpus mysticum constituunt. Cinis et pulvis anima cassus non est populus, ergo sepulturae respectu non possunt dici ad populum suum congregari. Adde quod Abraham patriarcha, de quo Spiritus sanctus primo omnium hac phrasi utitur, corpore suo non ad sepulcra majorum et populorum suorum, sed ad conjugis Sarae exuvias tantum in agro Hephronis sit aggregatus, ut recte monet Gesnerus in c. 25. Genes. quod iterum evidens argumentum est, non corporis nec sepulturae, sed animae respectu pios ad populum suum congregatos dici. Lutherus in Genes. c. 25. p. 320: *Quo transivit Abraham? collectus est ad populos suos. An ergo restant adhuc populi post hanc vitam? sic enim sonant verba,* XVII. 22.
*quasi migrasset de populo ad populum, de una civitate in aliam civitatem. Id vero insigne et memorabile est testimonium resurrectionis et vitae futurae, quod proponendum est in consolationem omnibus, qui credunt in Deum.* Cognata huic phrasi est illa altera, qua Deus mortem Abrahae describit Gen. 15, v. 15: *Ingredieris ad patres tuos in pace.* Ergo Abraham in morte non est penitus exstinctus, sed potius ad patrum suorum coetum translatus.

21. Josua c. 23, v. 14. mortem vocat *viam universae carnis. Ecce*, inquit, *ego vado in via* vel

per viam *universae carnis*. Eadem loquendi formula utitur David 1. Reg. 2, v. 2. exprimit autem moriendi necessitatem omnibus hominibus communem, propter peccatum ac per peccatum in mundum introductam, quod scilicet mors omnibus sit constituta, quodque homines non minus quam reliqua animalia morti omnes sint subjecti. Hebr. 9, v. 27. Eccl. 9, v. 3. *Omnibus est calcanda semel via leti*, inquit poëta. David mortem vocat eductionem animae מִמַּסְגֵּר, *ex clausura sive carcere*, Psalm. 142, v. 8. τὸ mori in se ac per se consideratum vocat *ambulare per vallem umbrae mortis* Psalm. 23, v. 4. Esaias de morte piorum sic loquitur c. 26, v. 19: *Expergiscimini, qui habitatis in pulvere*. v. 20. *Vade popule mi, ingredere* בַּחֲדָרֶיךָ, *in conclavia*, in cubicula tua (LXX *εἰς τὸ ταμεῖόν σου*, ergo mortuorum sepulcra sunt בָּתֵּי־חַיִּים, *domus viventium, κοιμητήρια, dormitoria), claude januam super te, absconde te paululum, donec transeat indignatio*. c. 57, v. 1: *Justus periit* (אָבַד interdum significat omnimodam rei perditionem, in qua significatione si hoc loco accipiatur, explicandum est habito respectu ad opinionem impiorum, coram *illorum oculis videntur interire* ac cum perditione amoveri, praesertim si vel a tyrannis occidantur, vel praematura morte abripiantur Sap. 3, v. 3. sed coram Dei oculis vere vivere incipiunt) *et non est quisquam, qui ponat super cor, viri misericordiae* נֶאֱסָפִים *congregantur, et non est, qui intelligat, a facie mali colligitur justus* (id est propter malum mundo imminens congregantur, sicut oviculae imminente tempestate in septa a pastore colliguntur, sicut tempore incendii paterfamilias pretiosam supellectilem colligit et in locum tutum reponit), v. 2. *ingredietur in pacem, requiescet* מִשְׁכְּבוֹתָם, *in cubiculissuis ambulans coram eo* (pax ad animas, requies ad corpora in sepulcris pertinet, quia enim pii dicuntur in morte obdormire, ex eo necessario sequitur, quod sepulcra ipsorum sint cubicula, dormitoria).

22. Auctor libri *Sapientiae* mortem piorum sic describit c. 3, v. 1: *Justorum animae in manu Dei sunt* (post mortem scilicet, de qua in fine praecedentis cap. egerat) *et non tanget illos tormentum*; v. 2. *visi sunt in oculis insipientium mori et aestimata est afflictio ἡ ἔξοδος αὐτῶν*, exitus illorum (eadem appellatione Christi mors insignitur Luc. 9, v. 31. ac Petrus 2. epist. 1, v. 15. mortem suam itidem vocat *ἔξοδον*, in morte enim anima ex corpore egreditur, ac homines ex statu hujus vitae in aliam vitam egrediuntur. Israëlitarum ex Aegyptica servitute liberatio vocatur *ἔξοδος*, ut ostendit *'επιγραφὴ* libri secundi Mosaici et Hebr. 11, v. 22. sic anima nostra, quamdiu in corpore moratur, misera captivitate ac servitute premitur, Rom. 7, v. 14. 23. 24, sed quando e corpore egredietur, tunc ex vinculis illis liberatur, Psalm. 142, v. 8.) v. 3. *καὶ ἡ ἀφ' ἡμῶν πορεία, ipsorum a nobis*, in regionem scilicet viventium, *profectio* ac iter *habetur contritio, illi autem sunt in pace*. c. 4, v. 7: *Justus si praeoccupatus fuerit morte, ἐὰν φθάσῃ τελευτῆσαι, erit in ἀναπαύσει* (in hac vita nulla est intercapedo laboris, doloris ac molestiae Psalm. 90, v. 10. sed XVII 23.
in morte succedit *ἀνάπαυσις*). v. 10. *placens Deo factus dilectus est et vivens a peccatoribus μετετέθη, translatus est*. (Eadem appellatione utitur apostolus Hebr. 11, v. 5. de Henocho. Qui domicilia commutant ac res suas ex una habitatione in aliam transferunt, illi proprie dicuntur *μεταιἴθεσθαι*, sic in morte fit habitaculi permutatio, quia *tabernaculum terrenae hujus domus dissolvitur, ut accipiamus aedificium ex Deo, domicilium non manufactum, sed aeternum in coelo* 2. Cor. 5, v. 1. 2. Petr. 1, v. 14. Domicilii translatio molesta esse consuevit, sed si quis ex ruinoso aedificio in regale palatium, ex pessima vicinia in consortium suavissimorum amicorum transmigret, illi commutatio ejusmodi grata esse debet; id ipsum ad mortem piorum applicari potest etc.)

23. In N. T. apud evangelistas haec occurrunt 2. Ex N. T.
descriptiones. Matth. 10, v. 22. c. 24, v. 13. Marc. 13, v. 13. 1. Cor. 1, v. 8. Hebr. 3, v. 6. etc. mors vocatur *τέλος*, non quod omnia in morte et cum morte finiantur, quia etiam de Christi morte haec appellatio usurpatur Joh. 13, v. 1. sed quia terrenae ac mortali huic vitae ac mundanae conversationi finem imponit, unde etiam inter *τὰ ἔσχατα* sive *novissima* hominis recensetur. Eccl. 9, v. 10: *Non opus, nec cogitatio, nec scientia, nec sapientia in sepulcro, quo tu vadis*. Luc. 2, v. 29. Simeon pulcherrima phrasi mortem describit, *νῦν ἀπολύεις τὸν δοῦλόν σου δέσποτα ἐν εἰρήνῃ*. Videtur desumtum ex Num. 20, v. 29. ubi de morte Aaronis LXX interpr. utuntur verbo *ἀπολύεσθει* ac de Abrahamo dicunt Genes. 15, v. 2. *ἐγὼ ἀπολύομαι ἄτεκνος vadam* sive moriar *absque liberis*. Verbum *ἀπολύειν* accipitur 1. de *dimissione ex carcere et vinculis* Matth. 18, v. 27. c. 27, v. 15. Marc. 15, v. 11. Luc. 23, v. 16. Act. 3, v. 13. Apud Xenophontem Hellen. 4. *χρημάτων πολλῶν ἀπολύειν* est *accepta magna pecuniae summa aliquem ex carcere dimittere* etc. Haec significatio pulchre congruit huic loco, quia nostra in terris vita nihil aliud est quam carcer tenebricosus ac sordidus, ex quo per beatam *ἀπόλυσιν* liberamur. Josephus lib. 2. de bello Judaic. c. 12. et Eusebius lib. 9. praeparat. evang. c. 2. de Essenis referunt, quod docuerint, *τὰς ψυχὰς ἀθανάτους ἀεὶ διαμένειν καὶ ἐπειδὰν ἀνεθῶσι τῶν κατὰ σάρκα δεσμῶν, οἷον δὴ μακρᾶς δουλείας ἀπαλλαγμένας χαίρειν καὶ μετεώρους φέρεσθαι, cum animae a vinculis carnalibus solutae sunt, quasi de longissima servitute liberatas laetari et in sublime ferri*. 2. De *dimissione in patriam*. Sic Christus dicitur *ἀπολῦσαι τοὺς ὄχλους*, quando homines, quos in deserto detinuerat, a se dimittit in suam quemque patriam. Matth. 14, v. 15. c. 15, v. 32. Marc. 8, v. 9. Polybius: *ἀπέλυσαν εἰς τὴν οἰκίαν*, haec significatio itidem huc accommodari potest. Vita haec nostra est perpetua quaedam per desertum mundi peregrinatio, quando ad mortis terminum pervenimus, in coelestem nostram patriam

dimittimur. 3. De *dimissione* vel *discessu post confectum negotium* Exod. 33, v. 11. Act. 13, v. 3. cap. 15, v. 30. sic quando in hac vita confecimus iter nostrum ac omne illud, quod Deus per nos confici voluit, tunc a Domino nostro, qui nos in hanc stationem collocavit, benevole dimittimur, nec licet ante illam dimissionem Domini nostri ex hac vita discedere. 4. *De liberatione ab infirmitate,* Luc. 13, v. 12. mulier ἀπολέλυσαι, *dimissa es, a tua infirmitate;* sic mors est ultimus omnium morborum et aerumnarum medicus, ac anima nostra ad perfectam sanitatem post mortem reducitur. Luc. 9, v. 31. Christi mors vocatur ἔξοδος, de cujus appellationis ratione diximus §. praeced. Capitis ejusd. v. 51. vocatur ἀνάληψις, *receptio.* Quamvis vero peculiariter de morte Christi, quam secuta est gloriosa in coelum assumtio ac reditus ad Patrem ἀναλήψεως nomine descriptus Marc. 16, v. 19. Act. 1, v. 2. 1. Tim. 3, v. 16. haec appellatio ibidem usurpetur, tamen in genere ad mortem piorum accommodari potest. Dicitur enim proprie ἀνάληψις, quando filii, qui diu domo abfuerunt, parentibus suis restituuntur, ac patres eos pro suis iterum agnoscunt, ἀναλαμβάνειν inquit Budaeus, *est filium abdicatum in*
XVII. 24. *domum recipere, quod patres post emendationem et satisfactionem Athenis faciebant.* Demosthenes contra Neaeram: ἀνέλαβεν ὡς αὐτόν. Sic nos miseri exsules a Patre coelesti in hoc mundo peregrinamur, sed Christus sua ἀναλήψει nobis hoc promeruit, ut in patriam nostram recipiamur, utque Pater coelestis nos pro filiis suis agnoscat, unde orat Tobias: *Nunc Domine praecipe in pace*, ἀναλαβεῖν, *suscipi, spiritum meum* Tob. 3, v. 6. dę Elia in coelum quadrigis angelicis sublato dicitur 2. Reg. 2, v. 9. πρὶν ἢ ἀναληφθῆναί με ἀπὸ σοῦ. Sirac. 48, v. 9. ὁ ἀναληφθεὶς ἐν λαίλαπι. De Enocho eadem phrasis usurpatur Sirac. 49, v. 16. ἀνελήφθη ἀπὸ τῆς γῆς, quia *spiritus in morte redit ad eum*, ac recipitur ab eo, qui *dedit illum*, Eccles. 12, v. 7. In profanis scriptoribus ἀνάληψις est virium recuperatio post morbum, convalescentia, unde Suidas exponit per ἀνάῤῥωσιν, corroborationem; eadem significatio huc accommodari potest, quia post mortem anima nostra a peccati languore convalescit et ad perfectam sanitatem adspirat. Joh. 5, v. 24. mors vocatur μετάβασις, *transitus*, quia per mortem ex hac vita terrena in coelestem transitum facimus ac maceriam illam, quae a Christi et omnium electorum in coelis gloria nos sejungit, transilimus. Luc. 16, v. 26.

24. Apud *Paulum* suavissimae occurrunt mortis nomenclaturae. 1. Cor. 15, v. 43. *seminatur* ἐν φθορᾷ, *surgit* ἐν ἀφθαρσίᾳ, v. 44. *seminatur in ignominia, surgit in gloria, seminatur in infirmitate, surgit in virtute*, v. 45. *seminatur corpus animale, surgit corpus spirituale*, ubi observa, apostolum emphatica quadam metaphora verba ἐναλλὰξ permutasse, quia superius v. 36. semini ea attribuit, quae pertinent ad corpora nostra, hic vero corporibus nostris tribuit ea, quae pertinent ad semen. Latet autem in verbo *seminandi* de corporibus mortuis aliquoties repetito elegans metaphora. Joh. 12, v. 24: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Coram oculis insipientium. quibus de messe nihil constaret, absurdum videretur grana frumenti in terram projicere, sic impii, quibus resurrectionis articulus vel ignotus, vel ἄτοπος, mortem statuunt plenarium et totalem interitum. Grana frumenti in terram projecta suo tempore iterum progerminant; sic in resurrectione *ossa nostra instar graminis revirescent* Es. 66, v. 14. Tristem sementem sequitur laetissima et uberrima messis; sic in dolore et tristitia morimur, sed in laetitia resurgemus. Psalm. 126, v. 5: *Qui seminant in lacrymis, cum jubilatione metent;* v. 6: *euntes ibant et flebant portantes pretiosum semen, venientes autem venient cum exsultatione portantes manipulos suos.* 2. Cor. 5, v. 1: *Scimus, si terrestris domus tabernaculi*, id est terrestre tabernaculum, in quo velut domo quadam habitamus, *dissoluta fuerit, aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, aeternam in coelis.* Elegans haec est mortis descriptio. In hac vita *inhabitamus domus luteas* Job. 4, v. 19. circumferimus corpus terreum, ac proinde fragile et caducum instar tabernaculi, quod temporariam duntaxat habitationem praestat, in quo belli tantum tempore milites commorantur, quodque cito transferri potest. Illud tabernaculum dicit apostolus in morte *dissolvi*, sed loco illius accipimus *domum non manu factam*, nec transitoriam, sed *aeternam in coelis.* v. 4. mori vocatur ἐκδύσασθαι, *exui*, cujus metaphorae rationem exposuimus superius §. 17. v. 8. pii in morte dicuntur ἐκδημῆσαι ἐκ τοῦ σώματος καὶ ἐνδημῆσαι πρὸς τὸν κύριον. Dum in hac vita degunt, *peregrinantur* et absunt *a Domino*, id est nondum sunt in vera patria, in coelo; sed quando per mortem ex hac vita in coelestem transferuntur, tunc *ex corpore peregrinantur et praesentes sunt apud Deum*, id quod elegantissima sua ἀντανακλάσει apostolus innuit v. 6. ἐνδημοῦντες ἐν τῷ σώματι ἐκδημοῦμεν ἀπὸ τοῦ κυρίου. v. 8. ἐκδημοῦντες ἐκ τοῦ σώματος ἐνδημοῦμεν πρὸς τὸν κύριον. Phil. 1, v. 23: *Cupio* ἀναλῦσαι *et esse cum Christo.* 2. Tim. 4, v. 6: *Tempus meae* ἀναλύσεως *imminet.* Verbum ἀναλῦσαι non tantum notat separationem animae a corpore, nec tantum dissolutionem massae corporis humani ex quatuor elementis XVII. 25.
compositae et coagulatae, quam utramque in morte fieri constat, dissolvit enim Dominus structuram hominis, ut eam multo elegantius et gloriosius reparet, sed etiam alias metaphoricas significationes obtinet, quae ad piorum mortem recte applicari possunt. Significat enim 1. *sarcinas colligere, ad iter se praeparare* et illud ingredi, sicut nautae dicuntur solvere, cum migraturi solvunt rudentes et mari se committunt Odyss. ό, ac equitaturi equos parant, quos postea ingressi hospitium solvunt; sic piorum mors est quaedam profectio ac emigratio

ex statu vitae mortalis in regionem viventium. 2. *Emigrare ex hospitio* seu diversorio ac domum reverti. Luc. 12, v. 36. usurpatur de hero ex nuptiis domum revertente; sic in morte anima ex corporis hospitio in veram patriam revertitur, unde Chrysostomus vertit *μεθίστασθαι, sedem commutare, transferri, ex domo conductitia migrare.* 3. *Ex vinculis solvi.* Sic boves toto die jugo alligati vesperi dicuntur *ἀναλύεσθαι*, ac vincti in carcere solutis compedibus in libertatem restituti itidem dicuntur *ἀναλύεσθαι*. Idem ad mortem piorum commode applicari potest. Tempus hujus vitae est tempus *laboris* et oneris Job. 7, v. 2. Psalm. 90, v. 10. in morte ex vinculis illis solvimur ac jugo crucis liberamur. Tertullianus exponit *recipi*, in qua versione respectum habuit ad cognatum verbum *ἀπολύεσθαι*. 4. *Cubitum se conferre*, Jud. 13, v. 1: *Ut vespera facta est, festinaverunt servi ejus ἀναλύειν.* Sic pii in cubile suum se conferunt, quando per mortem ex hac vita evocantur. Ibidem ad Philip. scilicet c. 1, v. 21. *τὸ ἀποθανεῖν* apostolus vocat *κέρδος*, in quae verba sic commentatur Cyprianus serm. 4. de mortalit. p. 209: *Lucrum maximum computat* (Christianus) *jam seculi laqueis non teneri, jam nullis peccatis et vitiis carnis obnoxium fieri, exemtum pressuris angentibus et venenatis diaboli faucibus liberatum ad laetitiam salutis aeternae Christo vocante proficisci.* Alius ex veteribus apostoli dictum sic explicat: *Lucrum est evasisse incrementa peccati, lucrum fugisse deteriora, lucrum ad meliora transire.* Ecquis neget, maximum esse lucrum, quod pii in morte pro peccato justitiam Roman. 6, v. 7. pro labore requiem Job. 3, v. 13. pro militia pacem Job. 7, v. 1. Sap. 3, v. 3. pro fletu solatium Luc. 16, v. 25. pro corruptibilitate *ἀφθαρσίαν*, pro mortalitate *ἀθανασίαν*, pro ignominia gloriam 1. Cor. 15, v. 53. 54. pro miseria felicitatem Apoc. 14, v. 13. pro morte vitali vitam immortalem Joh. 5, v. 24. pro captivitate libertatem, pro malorum tumulo omnium bonorum cumulum consequuntur? Hebr. 11, v. 5. mors appellatur *μετάθεσις, translatio*, de qua appellatione dictum est superius §. 22. Hebr. 13, v. 7. dicitur *ἔκβασις τῆς ἀναστροφῆς, exitus conversationis nostrae* in his terris, qui est simul omnium malorum et miseriarum nostrarum *ἔκβασις* 1. Cor. 10, v. 13. Petrus 2. epist. 1, v. 14. mortem suam vocat *ἀπόθεσιν τοῦ σκηνώματος, depositionem tabernaculi*, imitatus phrasin Paulinam 2. Cor. 5, v. 1. Johannes Apoc. 14, v. 13. *in Domino mori* dicit *requiescere a laboribus.* In hac vita laboramus sub pondere crucis et peccati, sed post mortem ad pacatam quietem pervenimus, tunc Christus plene et perfecte nos *ἀναπαύει* Matth. 11, v. 28. et ex intempesto hujus mundi mari ad quietissimum et tranquillissimum aeternae vitae portum nos deducit. In fragmentis apostolorum a Praetorio editis Petrus ad Albini conjugem et alios fratres dixisse memoratur: *Fugiendum censetis, ut mortem declinemus, quam multis suspiriis ut progressum vitae expetivimus.* Irenaeus lib. 3. c. 37. f. 224: *Deus prohibuit hominis transgressionem interponens mortem et cessare faciens peccatum, finem inferens ei per carnis resolutionem, quae fieret in terra, ut cessans aliquando homo vivere peccato et moriens ei inciperet vivere Deo.*

25. In scriptoribus ecclesiasticis hae potissimum **2. Ex patribus.** occurrunt descriptiones. Tertullianus lib. de patient. c. 9. p. 132: *Profectio est, quam mortem putas. Non est lugendus, qui antecedit, sed plane deside-* **XVII. 26.** *randus.* lib. de anim. c. 27. p. 278: *Mors non aliud determinatur quam disjunctio corporis animaeque.* c. 51. p. 291: *Opus mortis in medio discretio corporis animaeque*, et paulo ante c. 50: *Publica totius humani generis sententia mortem naturae debitum pronuntiamus.* Caecilia virgo ad supplicium ducta dixit: *Non homo, sed miseria Christiani hominis moritur.* Cyprianus serm. 4. de mortalit. p. 208: *Contestatur Simeon, tunc esse servis Dei pacem, tunc liberam et tranquillam quietem, quando de istis mundi turbinibus extracti sedis et securitatis aeternae portum petimus, quando expuncta hac morte ad immortalitatem venimus. Illa est enim nostra pax, illa fidei tranquillitas, illa stabilis et firma et perpetua securitas.* p. 212: *Mortalitas ista ut Judaeis et gentibus et Christi hostibus pestis est, ita servis Dei salutaris excessus est.* p. 213: *Quam praeposterum est quamque perversum, ut cum Dei voluntatem fieri postulemus, quando evocat nos et accersit de hoc mundo Deus, non statim voluntatis ejus imperio pareamus?* Et postea: *Fratres nostros accersione Dominica de seculo liberatos scimus non amitti, sed praemitti, recedentes praecedere, ut proficiscentes et navigantes desiderari eos debere, non plangi.* p. 214: *Quod morimur, ad immortalitatem morte transgredimur, nec potest vita aeterna succedere, nisi hinc contigerit exire, non est exitus, sed transitus et temporali itinere decurso ad aeterna transgressus. Quis non ad meliora festinet? quis non mutari et reformari ad Christi speciem et ad coelestis gratiae dignitatem venire citius exoptet?* Et postea: *Venturus ad Christi sedem, ad regnorum coelestium claritatem lugere non debet nec plangere, sed potius secundum pollicitationem Domini, secundum fidem veritatis in profectione sua et translatione gaudere.* p. 215: *Cum accersitionis propriae dies venerit, incunctanter et libenter ad Dominum ipso vocante veniamus.* Et postea: *Considerandum est et identidem cogitandum, renuntiasse nos mundo et tanquam hospites et peregrinos hic interim degere. Amplectamur diem, qui assignat singulos domicilio suo, qui nos istinc ereptos et laqueis secularibus exutos paradiso restituit et regno coelesti. Quis non peregre constitutus properet in patriam regredi? Quis non ad suos navigare festinans ventum prosperum cupidius optaret, ut velociter caros liceret amplecti? Patriam nostram paradisum computamus, parentes nostros patriarchas habere jam coepimus, quid non properamus et cur-*

*rimus, ut patriam nostram videre, ut parentes salutare possimus?* Methodius mortem piorum vocat φαρμακευτικὴν κάθαρσιν ψυχῆς καὶ σώματος. Est qui eam vocat *peccatorum malorumque omnium sepulturam, finem malorum et januam ad vitam.* Hilarius in Psalm. 62. circa med.: *Preciosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus, quia per eam cum peccati lege resolutis demutationis gloriosae profectu aeternitas, animae corporisque jam sine peccati corpore rependetur;* in Psalm. 63: *Mors non est animae interitus, sed ejus e corpore discessus;* in Psalm. 119. p. 527: *Paulus beatus in habitatione corporis sui congemiscit, per incolatum carnis peregrinari se a Deo conquerens, ex quo contra peregrinandum in carne scit sibi esse, ut ei cum Deo incolatus sit, sed tamen melius ei esset dissolvi et cum Christo esse, libera scilicet per dissolutionem corporis anima, onere atque consortio, atque etiam infirmis hujus atque periculosae carnis exuta.* Lactantius lib. 3. inst. c. 18: *Sicut vita ipsa bonum est, si cum virtute vivatur, malum, si cum scelere; sic et mors ex praeteritis vitae actibus ponderanda est. Ita fit, ut si vita in Dei religione transacta sit, mors malum non sit, quia translatio est ad immortalitatem; sin aliter, malum sit necesse est, quoniam ad aeterna supplicia transmittit.* Ambrosius lib. de bono mortis c. 2: *Si plena oneris vita, utique finis ejus allevamentum est, allevamentum autem bonum mors, mori autem finis, mors igitur bonum est.* c. 3: *Mors absolutio est animae et corporis et quaedam hominis separatio. Solvimur enim hoc nexu animae et corporis, cum recedimus.* c. 10: *Repetitur anima, non interimitur.* in c. 8. Luc.: *Ubi resurrectionis fides est,*
XVII. 27. *non mortis species, sed quietis est.* de fid. resurrect. c. 9: *Debuit dari finis malorum, ut mors restitueret, quod vita amiserat. Immortalis enim oneri potius quam usui est, nisi adspiret gratia. Et si bene discutias, non naturae mors ista est, sed malitiae. Manet enim natura, malitia moritur, resurgit quod fuit.* Idem de excess. frat.: *Non amitti, sed praemitti videntur, quos non absumtura mors, sed aeternitas receptura est.* Basilius serm. in martyr. Julittam: *Non est mortuus, sed redditus.* Athanasius in orat. contra idola p. 23: *Non anima est, quae moritur, sed ob ejus discessum corpus moritur.* Ephrem in lib. de judicio c. 3: *Quemadmodum in vinculis vel in carceribus, sic omnes sancti usque ad tempus resolutionis suae in corporibus commorantur ad tranquillissimum portum festinantes, ut adipiscantur sine fluctibus vitam.* Nazianzenus orat. 38. εἰς τὰ γενέθλια: *Mortem ut peccati praecisionem homo lucratur, ne malum immortale esset.* in definit. rerum v. 25: ζωὴ δὲ σώματός τε καὶ ψυχῆς δέσις, ὡς θάνατον εἶναι τῶν δὲ τὴν διάστασιν. Gregorius Nyssen. in orat. de morte: *Mors est velut obstetrix, ut ad vitam meliorem educamur.* Quamvis igitur in depositione hujus tabernaculi acerbitas mortis piis gustanda, ut infanti ex angusta alvo matris in hunc spatiosum mundum nascenti pericula et dolores partus perferendi sunt, tamen brevi momento paroxysmus ille durat, et dies *ille aeternae vitae natalis fit*, sicut dies martyrii sanctorum natales in ecclesia vocantur, ut monet Chytraeus lib. de mort. et vit. aet. pag. 49. Idem Nyssenus in orat. habita in funere Pulcheriae circa fin.: *Mors nihil aliud est quam vitiositatis expurgatio.* Prudentius canit: *Mors haec reparatio vitae est.* Chrysostomus homil. 45. in Genes. col. 375: *Mors est transmigratio a deterioribus ad meliora.* homil. 35. in Matth.: *Sicut quando aes effunditur, unde statua conflatur, nullam aeris perditionem tunc esse dicimus, cum ad meliorem usum traducatur; similiter de corpore tuo futurum est, mors ipsa et mortalitas destruitur corruptione carnis* etc. homil. 2. in 2. ad Corinth.: *Non amisisti, sed in locum tutiorem reposuisti.* Augustinus epist. 6: *Non amisimus, sed praemisimus.* lib. de spiritu et anim. c. 43: *Mors hominis nihil aliud est quam carnis occasus, a qua cum vis potentiae vivificantis abscesserit, in terram, de qua sumta est, redit, amissis sensibus, quos per se ipsam non habuit. Anima non aliter quam sol lucem diei, vitam tribuit carni, cum venerit, mortem efficit, cum recedit. Mors tamen non consumit conjuncta, sed dividit, dum origini suae utrumque reddit.* lib. 1. hypognost. contra Pelag. circ. med.: *Mors nihil est nisi nomen recedente vita, sicuti fames escarum defectus, sitis egentia potus, tenebrae absentia lucis, sterilitas defectus fructus, silentium vocis absentia, inopia privatio facultatum, et si quae sunt alia, quae rerum privatione nihil esse nisi nomen inveniuntur.* Idiota de contempl. mortis §. 8: *Mors portus est, ad quem in his mundi calamitatibus miseri navigamus omnes, ad quem quo citius pervenerimus, eo celerius liberabimur* etc. Apud Nicephorum lib. 11. c. 43. cum quidam nuntiasset eremitae, filium ipsius mortuum esse, respondisse fertur, *cur ita blasphemaret? non enim filium suum mortuum esse, sed dormire.* Nimirum

*Nomina mors retinet, facilis sunt cetera somnus.*

Bernhardus in epist.: *Bona mors justi propter requiem, melior propter novitatem, optima propter securitatem. Contra, mors peccatorum pessima, mala siquidem in mundi amissione, pejor in carnis separatione, pessima in vermis ignisque duplici contritione.* Idem de transit. Malach.: *Preciosa mors sanctorum, preciosa plane tanquam finis laborum, tanquam victoriae consummatio, tanquam vitae janua et perfectae securitatis ingressus.* Damascenus lib. 2. de orth. fid. c. 1. postquam mentionem fecerat συντελείας τοῦ κόσμου, subjungit: ἔστι μὲν γὰρ συντέλεια μερικὴ ὁ ἑκάστου θάνατος. Conradus Teutonicus moriturus dixisse scribitur: *Istud punctum mortis, in quo me videtis, tantum est transi-* XVII. 28.
*tus a planctu ad risum, a labore ad quietem.* Joh. Baptista Mantuanus lib. 6. Syl.

*Vindemia mors est*
*Spirituum, messis mors est, sunt horrea coeli,*
*Vinitor et messor Deus est divique ministri.*

Lindeberg.:

*Mors, quae corporeae est hujus destructio massae,*
*Janua ea est vitae principiumque novae,*
*Transitus e vivis, vitae coelestis origo est.*

3. Ex ethnicis. 26. In *profanis scriptoribus* hae periphrases mortis exstant. Plato eam definit τῆς ψυχῆς καὶ τοῦ σώματος λύσιν sive διάλυσιν καὶ χωρισμόν, in Phaedone et Gorgia; item, quod sit μετοίκησις ψυχῆς εἰς ἄλλον τόπον, *animae migratio ex hoc loco in alium*, quod sit quaedam ἀποδημία sive *peregrinatio*, in Phaedone. Jul. Caesar apud Salustium in Catilina: *Mors requies aerumnarum in luctu atque miseriis est et cuncta mortalium mala dissolvit.* Plutarchus: mors est μεταβολὴ τῆς ψυχῆς, οὐ φθορά, *loci mutatio, non animae exstinctio.* Euripides: τὸ θανεῖν κακῶν μέγιστον φάρμακον. Socrates moriturus cum interrogaretur, quid ageret, respondit: *Jam incipit me somnus commendare fratri suo.* Idem mortem vocavit θαυμάσιον κέρδος referente Platone in apolog. Socratis. Homerus *somnum et mortem gemellos* facit. Seneca: *Stultum est somno delectari, mortem horrere, cum somnus assiduus sit mortis imitatio.* (Veras tamen causas, propter quas mors piorum somno comparetur, ethnici ignorarunt.) Artabanus apud Herodotum: *Mors est optatissimum perfugium vitae aerumnosae, portus miserorum et effugium miseriarum.* Cicero in Tusc. mortem definit *discessum animae a corpore, dissolutionem, commutationem vitae, migrationem in eas oras, quas, qui e vita excesserunt, incolunt, portum malorum, finem miserae vitae*, cum quibus congruit illud Servii in comment. Virg.: *Res haec, quae mors vocatur, non est mors, quippe quae nihil perire facit, sed resolutio, unde mors bene a plerisque interitus dicta est quasi interveniens et mixtarum rerum connexionem resolvens.* Epaminondas moriturus apud Valerium lib. 3: *Non finis meae vitae, sed melius et altius initium advenit, nunc enim vester Epaminondas nascitur, quia moritur.* Gorgias orator jam senex interrogatus, an libenter moreretur, maxime, dixit, *nam tanquam ex putri et diffluente domuncula non invitus discedo.* De Pythagoricis memorat Jamblichus de vita Pythag. cap. 36. quod familiare illis fuerit, ὥσπερ ἐκ δεσμῶν τοῦ σώματος ἀπαλλάττειν, *ut e corpore velut e carcere aut e vinculis discederent* etc.

---

## CAPUT II.

## DE CAUSIS MORTIS.

De causis mortis. XVII. 29. 27. Ab ὀνοματολογίᾳ transitum facimus ad πραγματολογίαν, ubi primo loco occurrit *causarum consideratio.* Quemadmodum vero doctrina ecclesiae de consolationibus morti opponendis longissimo intervallo distat a consolationibus, quas philosophia ex penu rationis depromit; ita quoque est sapientia ecclesiae propria, scire veras et principales causas mortis. Ratio enim et ex principiis rationis exstructa philosophia subsistit duntaxat in *causis proximis et intermediis*, ad *remotas vero et principales* causas pernoscendas assurgere nequit. Sic Seneca in lib. XVII. 30.
de remediis fortun. scribit: *Morieris, ista hominis natura, non poena est.* Ex verbo igitur divino constat tres esse principales et primarias causas, propter quas homo morti est obnoxius. Prima est *diaboli seducentis malitia,* altera *hominis delinquentis culpa*, tertia *Dei vindicis ira*, quae causae certo ordine sese invicem consequuntur. Conditus erat a Deo primus homo ad Dei imaginem, cujus pars erat immortalitas, hanc felicitatem diabolus homini invidit, ac per fallacem seductionem in peccatum XVII. 31.
eum praecipitavit, inde propter peccatum justo Dei judicio et primus homo, et omnes posteri morti facti sunt obnoxii, vi divinae comminationis, Gen. 2. v. 17: *Quacunque die ex hac arbore comederis, morte morieris.* Sed haec brevitas latius explicanda. Primam mortis, quatenus in se ac per se, ut peccati effectus ac poena consideratur, causam esse diximus *diaboli seducentis malitiam.* Illud 1. Diaboli seducentis malitia.
constat 1. *ex lapsus Adamici descriptione.* Primus homo ad imaginem Dei conditus ab omnibus animae et corporis malis liber beatam in paradiso egisset vitam, donec tempore divinitus constituto ex vita animali ad vitam spiritualem absque ullo doloris sensu ac citra animae a corpore separationem translatus fuisset, ut colligitur ex comminatione transgressioni praecepti Dominici addita, *quacunque die comederis ex hac arbore, morte morieris.* Quia enim comminationis loco homini denuntiatur, quod *morte moriturus*, id est certissime moriturus sit, si mandato Dei de non comedendo arboris vetitae fructu minus obsequentem sese praestaret, ex eo immote colligitur, quod moriendi necessitati non fuerit obnoxius, si in sancta erga Deum obedientia perstitisset. Quod est poena ἁμαρτίας, non potest esse conditio quaedam naturalis οὐσίας. Sed hanc felicitatem diabolus ipsi invidit, ideoque odio Dei et invidia hominum impulsus per *serpentem inobedientiam hominum operatus est*, ut loquitur Irenaeus in praefat. lib. 4. p. 232. Diabolus *colubrum, animal scilicet lubricum et tortuosis anfractibus mobile, operi suo congruum, per quem loqueretur, elegit eoque per angelicam praesentiam praestantioremque naturam spirituali nequitia sibi subjecto et tanquam instrumento abutens fallaciam sermocinatus est feminae*, quae sunt verba Augustini lib. 14. de civ. Dei c. 11. post med. Insidiosa quaestione de mandati divini sensu ac certitudine feminam exterius aggressus, interius animum ipsius venenatis spiculis vulnerat et de comminationis additae rigore dubitationem ei inspirat, mox dubitationem illam convertit in negationem ac fallaci divinae similitudinis promisso ad apostasian sollicitat, unde femina contra expressum Dei verbum de fructu arboris vetitae comedit et in peccati societatem etiam virum suum pertrahit, qui paulo XVII. 32.
post audire cogitur v. 19: *Pulvis es et in pulverem*

*reverteris.* Quamvis enim non statim post peccatum ex diaboli seductione perpetratum primus homo fuerit mortuus, tamen mors ei inflicta fuit, *tum quoad reatum*, quo morti obnoxius fuit factus, sicut maleficus morti adjudicatus in carcere aliquamdiu adhuc vivit. Theodoretus ex Symmacho q. 38. in Genes. verba comminationis, *morte morieris*, sic παραφράζει: *Mortalis eris et singulis diebus expectabis mortem;* tum *quoad moriendi necessitatem*, quam per peccati reatum incurrit; tum *quoad initia mortis* corporalis in fame, siti, frigore, lassitudine, morbis et variis adversis, quae velut agmine facto in ipsum incurrere coeperunt. Sic ergo ex immortali homo factus est mortalis et ex throno vitae in barathrum mortis est a diabolo seductore detrusus.

28. *2. Ex diserta Salvatoris assertione.* Joh. 8, v. 44: *Diabolus est ἀνθρωποκτόνος ab initio.* Scopus Salvatoris est demonstrare, Judaeos vitae ipsius insidias struentes esse filios diaboli, non natura scilicet, sed vitio, *non quia diabolus eos creavit aut genuit, sed quia persuasit ac tenuit*, ut recte monet Augustinus tract. 52. in Joh. Probat id ipsum Salvator ex eo, quod *desideria diaboli patris sui quaerant perficere, qui fuerit ἀπ' ἀρχῆς, ab initio,* scilicet ratione initii defectionis, non autem creationis, *homicida,* id est qui primum hominem ad vitam immortalem a Deo conditum in peccatum et per peccatum in mortem praecipitem dederit atque hac ratione maximum homicidium commiserit. Quidam existimant, Salvatorem ad fratricidium Caini respicere, ad quod diabolus eum impulit, 1. Joh. 3, v. 12. sed quia diserte additur, quod ἀπ' ἀρχῆς, *a primo statim initio,* diabolus sit homicida, et quia ἀνθρωποκτονία illi non ut causae impulsivae, sed ut efficienti principali tribuitur, ideo rectius de seductione primorum parentum, per quam morti facti sunt obnoxii, intelligitur. Augustinus lib. 2. contra literas Petiliani c. 13: *Quaerimus, unde fuerit diabolus homicida ab initio, et invenimus, quod primum hominem occiderit, non gladium stringendo aut aliquam vim corporaliter infligendo, sed persuadendo peccatum et a paradisi felicitate dejiciendo.* lib. 1. de Gen. ad lit. c. 16: *Homicida ab illo initio, ex quo homo potuit occidi, non autem potuit occidere, antequam esset, qui occideretur. Ab initio ergo homicida diabolus, quia ipse occidit hominem primum, ante quem nullus hominum fuit.*

29. *3. Ex libri Sapientiae consensione.* Sap. 2, v. 23: *Deus creavit hominem ἐπ' ἀφθορσίᾳ* vel ut alii codd. legunt *ἐν ἀφθαρσίᾳ et imaginem propriae similitudinis fecit eum;* v. 24. *invidia autem diaboli mors intravit in mundum.* Quamvis vero liber Sapientiae non sit in canone, ac proinde ad fidei dogmata confirmanda minus efficax, tamen cum haec assertio canonicae scripturae testimoniis sit omni ex parte congrua, ideo merito etiam ad hunc locum ut secundarium fundamentum refertur. Notetur autem oppositio. Deus quidem creavit hominem ἐπ' ἀφθαρσίᾳ, ut potuerit esse omnis corruptelae ac mortis expers, sed diaboli, qui est ἄσπονδος Dei hostis, invidia mors in mundum intravit. Causa invidiae ea fuit, quod sciens, se propter *apostasian in judicium magni diei vinculis aeternis sub caligine reservari ac rudentibus inferni detractum in tartarum ad cruciatum esse traditum* 2. Petr. 2, v. 4. Jud. v. 6. homini ad vitam beatissimam condito felicitatem illam inviderit eumque malorum suorum socium expetiverit. Augustinus serm. 14. de verb. apost. hoc observat, quod non dicantur homines in diabolo peccasse et per peccatum morti obnoxii facti, sicut in Adamo peccasse dicuntur Rom. 5, v. 12. sed quod diaboli invidia mors in mundum intrasse dicatur. *Constat*, inquit, *in catholica fide, quod diabolus nec generaverit nostram naturam, nec condiderit, sola in illa seductio est praecedentis, imitatio consequentis. Denique quomodo dictum est de Adam, in quo omnes peccaverunt, legatur mihi alicubi, omnes in diabolo peccaverunt. Aliud est illo praecedente et seducente peccare, aliud in illo peccare, quia secundum pro-* XVII. *paginem carnis in illo eramus omnes, antequam nati essemus, tanquam in parente, tanquam in radice est venenata arbor, ibi eramus. Nam quia ad diabolum, hoc est principem peccati et vere primum peccatorem, non pertinet origo, sed imitatio, cum de illo scriptura loqueretur, invidia inquit diaboli mors intravit in orbem. Imitantur autem eum, qui sunt ex parte ipsius, imitando eum fiunt ex parte ipsius. Numquid dictum est in illo peccaverunt? cum vero de Adam diceretur propter originem, propter posteritatem, propter propaginem viscerum, in quo omnes, inquit, peccaverunt.*

30. *4. Ex diaboli denominatione.* Hebr. 2, v. 14. de diabolo dicitur, quod *habeat κράτος τοῦ θανάτου, imperium ac robur mortis*, id est quod per peccatum homines sub regnum ac jugum suum redegerit, ut morte illos mulctare possit, sicut victor captivos morti destinat. Christus autem per mortem, quam pro nobis sustinuit, et per eam pro peccatis nostris satisfecit, abstulit diabolo dominium illud mortis, quod in corpus et animam hominis habebat, ut sic, quia per mortem diabolus dominabatur, Christus per mortem suam duplicem nostram mortem destruxerit. Observa autem, diabolum habuisse mortis imperium non eo modo, quo legitimus aliquis magistratus, rex aut princeps imperium in suos subditos habere dicitur, sed quo modo tyrannus per injustam occupationem regnum sibi acquirit, vel quo carnifex habet imperium in eos, qui morti propter facinora sua adjudicati et ipsius potestati traditi sunt. Diabolus enim nunquam in homines habuit legitimum aliquod dominium jure ad ipsum pertinens, sed Deus justus judex homines propter peccatum diabolo tanquam carnifici morte mulctandos tradidit. Proinde sicut tyrannus destrui dicitur, quando potestate tyrannica privatur, quamvis ipse in vivis relinquatur, sic Christus etiam dicitur destruxisse diabolum mortis imperium habentem, quia ejus regnum et imperium destruxit, dum sua morte homines a potestate diaboli ac mortis

liberavit, non quia substantiam diaboli in nihilum redegit. Ex quibus omnibus constat, diaboli seducentis malitiam recte statui primariam ac principalem mortis causam, ac proinde diabolum recte vocari *patrem mortis*, sicut Christus eum vocat *patrem mendacii* Joh. 8, v. 44. Pii veteres vocant diabolum *mortis conciliatorem.* Topiarius lib. 1. de nov. c. 4: *Invidia diaboli operata est deceptionem, deceptio transgressionem, transgressio inobedientiam, inobedientia peccatum, peccatum mortem.* Antonius Margar. in lib. de fid. Jud. refert, Judaeis in more positum esse, ut quando aliquis mortuus est, omnia vasa aquis repleta effundant, dicunt enim, Satanam in illis abluere cultrum, quo interfecit mortuum, quod ex 2. Reg. 25. et 1. Paral. 21. probare nituntur. Quod majores symbolice docuerunt, id illi tanquam proprie dictum accipiunt.

Hominis delinquentis culpa.

31. Altera principalis mortis causa est *hominis delinquentis culpa.* Jussus erat primus homo abstinere a fructu arboris scientiae boni ac mali, addita mortis comminatione, sed quia divinam illam comminationem susque deque habuit ac Deum creatorem suum praecepti illius transgressione offendere non dubitavit, ideo non faciente servo, quod erat praeceptum, fecit Deus, quod servo erat comminatus. Aequissimum est, ut cum animus noster sua voluntate discesserit a Deo, nolens et invitus a corpore suo sejungatur, ac jure homo delapsus est in mortem, qui et Deum, auctorem vitae, contemsit, et diabolo, mortis parenti, consensit. Hic primorum parentum lapsus est amplissima illa janua, per quam mors in totum mundum penetravit; est pyxis illa Pandorae, ex qua omne malum in homines propagatum; est venenatus ille fons, qui totum genus humanum infecit ac corrupit. Probatur hoc *tum ex historia lapsus Adamici, tum ex manifestis dictis apostoli.* Primus parens noster mandatum acceperat de non comedendo vetitae arboris fructu,
VIII. 34. cum annexa mortis comminatione Gen. 2, v. 17. utique ergo mors est peccati effectus et consequens. Idem cum in peccatum prolapsus fuisset, ex ore Dei audivit mortis sententiam, Genes. 3, v. 19: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, ex qua sumtus es, quia pulvis tu et in pulverem reverteris*, ubi homo dicitur *pulvis* non ratione animae, nec ratione primaevi status et conditionis, quam corpus ejus ante peccatum habuit, quia illud dono immortalitatis fuit praeditum, sed ratione primae originis, quia corpus ex limo terrae et sic ex pulvere fuit formatum, ac reversio in pulverem homini in peccatum prolapso denuntiatur, non quasi homo in statum suum naturalem reciderit, sed quia homo per peccatum a statu suo naturali in alium praeternaturalem voluntario errore desciverat, utique ergo mors est peccati consequens ac poena, non conditio οὐσίας, sed poena ἁμαρτίας. Peccatum iram Dei provocavit, ira Dei mortem mundo induxit. Sirac. 25, v. 32. a muliere initium peccati, et propter illud (quidam referunt ad γυναῖκα, sed rectius refertur ad ἁμαρτίαν) omnes morimur. Confer loc. de imag. Dei §. 82.

32. Ex hoc fundamento deducta sunt pronuntiata apostolica. Rom. 5, v. 12: *Per unum hominem peccatum in mundum intravit, et per peccatum mors, et sic in omnes homines mors pertransiit, ἐφ' ᾧ, eo quod, omnes peccaverunt.* Mundum hic appellavit apostolus universum genus humanum, docente Augustino in ench. c. 26. in illud peccatum per *unum hominem*, per primum scilicet parentem utpote caput et radicem humani generis, *intravit*, et *per peccatum mors*, tanquam ejus immediatum consequens et justissima poena, *sicque in omnes homines mors pertransiit*, ubi observanda elegans paronomasia in verbis εἰσῆλθε καὶ διῆλθε ac notanda peculiaris emphasis posterioris verbi, est enim *διῆλθε pervasit*, eo modo, quo lues totum gregem pervadit atque inficit. Augustinus serm. 4. de verb. apost. *Pertransiit: Verbum attendite, quod audivistis considerate. Videte, quid est pertransiit, inde est parvulus reus, peccatum non fecit, sed traxit, etenim peccatum illud in fonte non mansit, sed pertransiit, non in illum aut in illum, sed in omnes homines pertransiit.* Particulam ἐφ' ᾧ plerique exponunt *pronominaliter, in quo, scilicet,* Adamo primo homine, *omnes peccaverunt*, quia scilicet omnes erant in ejus lumbis, sicut in *Adamo dicuntur omnes mortui*, id est morti facti obnoxii 1. Cor. 15, v. 22. ac sicut Levi in *Abrahamo decimatus dicitur, in cujus lumbis erat* Hebr. 7, v. 9. vel peccarunt in Adamo tanquam in communi stirpe, e qua omnes tanquam rami prodeunt. Sed quia ἐπί hoc sensu raro usurpatur, ac quia pendet haec sententia a proxime praecedentibus verbis, in quibus nulla fit Adami mentio, referre autem pronomen relativum ad unum illum hominem, cujus in principio versiculi fit mentio, nimis durum et ἀνακόλουθον videtur, ideo simplicius exponitur *causaliter, eo quod omnes peccaverunt*, in qua forma ponitur Rom. 8, v. 3. 2. Cor. 5, v. 4. quo modo etiam Syrus reddidit; interim fatemur, circa verbum ἥμαρτον subintelligendum esse, quod omnes *in Adamo* peccaverint, id est quod ex Adamo omnes trahant peccatum, per carnalem scilicet generationem et hac ratione omnes morti sint obnoxii facti. Mortis autem nomine, quam apostolus per peccatum in mundum introiisse asserit, non potest intelligi duntaxat *mors animae spiritualis* in aversione a Deo ac in amissione divinae gratiae et inhabitationis consistens, quia apostolus distinguit inter peccatum et mortem ac illud hujus causam constituit, jam vero peccatum et animae mors realiter non differunt; nec potest tantum intelligi *mors aeterna*, quia mortem illam, de qua loquitur, etiam in eos, qui non peccant ad similitudinem Adae, in ipsos etiam infantes regnare scribit, intelligitur ergo proprie *mors corporis*, cui in se ac per se extra Christi gratiam consideratae reatus mortis aeternae immediate est connexus. In eod. cap. v. 14. pergit apostolus: *Regnavit mors ab Adamo usque ad*

*Moysen etiam in eos, qui non peccaverunt in simili-*
XVII. 35. *tudine praevaricationis Adam*, id est effectus ipse, videlicet mors, testatur, etiam ante legem latam peccatum fuisse in mundo, cum infantes mortui fuerint, qui tamen non eo modo, quo Adam, plena scilicet ac deliberata voluntate peccaverunt, estque magna emphasis in verbis θάνατος ἐβασίλευσεν, id est instar regis, qui hostes devicit, tyrannice in homines saeviit, quia vero *diabolus habet mortis imperium* Hebr. 2, v. 14. sensus est, quod diabolus per mortem regnaverit. v. 15: *Unius delicto multi mortui sunt*, id est propter lapsum unius, videlicet Adae, omnes homines morti facti sunt obnoxii. v. 17: *Unius delicto mors regnavit per unum* v. 21: *Regnavit peccatum in morte.* Roman. 6, v. 23: *Stipendia peccati mors*, non solum aeterna, sed etiam temporalis, adeoque etiam omnes caduceatores ac nuntii mortis temporalis, unde apostolus in plurali loquitur τὰ ὀψώνια, eo quod uno mortis vocabulo comprehendantur multae species poenarum ac mortis. Ὀψώνια proprie dicuntur cibaria quaedam et lautitiae, quibus milites alliciebantur, qui ventris gulaeque causa vitam habebant venalem. Revocamur igitur ab apostolo ad considerationem lapsus Adamici. Primus parens noster, et nos in ipso, sub vexillo diaboli contra Deum rebellionem coeperat fructu vetitae arboris inescatus, quale vero retulit stipendium? mortem temporalem et aeternam. Roman. 7, v. 24. optat se liberari *a corpore mortis hujus*, quod a quibusdam sic exponitur, ut pronomen τούτου referatur non ad propinquius θανάτου, sed ad remotius σώματος, ut sic σῶμα θανάτου vocetur, quia est θανάτῳ ὀφειλόμενον, obnoxium morti propter peccatum in eo adhuc habitans. v. 17. quia duo illi venenati vermes, peccatum et mors, in corpore nostro habitant, quamdiu hic vivimus. Quidam accipiunt dictum μετωνυμικῶς, ut per mortem intelligatur naturae corruptio, quae mortem in nobis operatur, sicut Roman. 6, v. 6. σῶμα τῆς ἁμαρτίας ponitur, ac Coloss. 3, v. 5. membra hujus corporis enumerantur, quo sensu accipit Ambrosius in comment. Sic ergo diceretur *corpus mortis*, id est peccati, quod est causa mortis, sicut Elisaei discipuli exclamant 2. Regum 4, v. 40: *Mors in olla*, id est cibus venenatus causa mortis est in olla. Utraque expositio ostendit, mortem peccati in carne habitantis consequens et effectum ab apostolo statui. Flacius in clavi sic exponit, *de corpore mortis hujus*, id est a corpore hoc mortifero tam tetram peccati originalis pestem circumferente. Quidam sic exponunt, *a corpore mortis hujus*, hoc est de hac morte, videlicet de plaga hujus doloris, quam capio ex duello carnis et spiritus. Exod. 10, v. 17. *tolle a me mortem istam*, id est plagam. Sed persistimus in prima explicatione. Rom. 8, v. 10: *Si Christus est in vobis*, *corpus mortuum est propter peccatum, spiritus autem vita propter justitiam.* Piscator per corpus intelligit id ipsum, quod antea dixerat *carnem*, quia opponit ei *spiritum*, existimat ergo, intelligi vitiositatem naturae, quae in corpore haeret, ut sit sensus, *corpus est mortuum*, id est, peccatum in carne haerens majori ex parte exstinctum est, quod attinet scilicet ad peccati formale ac reatum, ne ad peccatum nos impellere possit. *Spiritus* vero, id est novitas vitae, unde exsistit studium pietatis, *est vita*, id est vivit, est actuosa et operosa, *propter justitiam*, id est, quoad justitiam, ut impellat nos ad pias et justas actiones. Tossanus contra exponit de peccato nondum mortificato et exstincto. *Corpus*, id est, corrupta natura *est mortua*, id est, inepta ad omne bonum, propter peccatum, cui dedita est, sed *spiritus*, id est animus hominis quatenus est regenitus, *est vita*, id est, ostendit se vivum et efficacem per opera justitiae, quae Spiritus sanctus efficit. Sed quia apostolus utitur voce *corporis* ac particulam αἰτιολογικὴν *propter* usurpat, et quia in v. 11. proxime sequente consolationem resurrectionis adjungit, ex eo intelligitur, v. 10. de morte temporali sive naturali, cui pii adhuc propter peccatum obnoxii sunt, ipsum agere, ut sit sensus, *corpus mortuum est*, id est, moriendi necessitate constrictum, mortique obnoxium (non propter naturam vel ex necessitate
naturae, sed) *propter peccatum* in carne adhuc XVII. 36.
haerens, quo modo etiam Augustinus lib. 13. de civ. Dei c. 23. exponit. Rab. Salomon: *Homo est quasi folium, quod in paradiso ab arbore vitae cecidit, quod dum vento tentationum rapitur et desideriorum flatibus levatur, suorum peccatorum pondere ad mortem trahitur.* 1. Cor. 15, v. 21: *Per hominem*, Adamum scilicet delinquentem, *mors*, v. 22. *in Adamo omnes moriuntur*, quia scilicet in eo omnes peccaverunt, id est naturam peccato corruptam ab eo per generationem carnalem traxerunt. v. 56: *Aculeus mortis est peccatum*, quia nisi peccatum in carne nostra habitaret, mors non posset nos laedere ac pungere. Chrysostomus: *Fabricavit diabolus ensem, quem exacuit invidia, obtulit serpens, accepit homo, quo se ipsum jugulavit.* Photius: *Mors est merces, quam nobis per peccatum nostrum inobedientia nostra comparavimus.* Damascenus l. 3. orthod. fid. c. 1. in princ.: *Per peccatum mors intravit in mundum,* ὥσπερ τὶ θηρίον ἄγριον καὶ ἀνήμερον τὸν ἀνθρώπινον λυμαινόμενος βίον, *tanquam fera quaedam agrestis et immanis humanam depopulans vitam.*

33. Tertia mortis causa est *vindicis Dei ira.* 3. Vindicis Dei ira.
Quamvis enim Deus ratione *voluntatis antecedentis* sive misericordis sit et φιλάνθρωπος Tit. 3, v. 4. φιλόψυχος Sap. 11, v. 27. nec *delectetur morte morientis* Ezech. 18, v. 23. unde etiam hominem non ad mortem, sed ad sui imaginem Gen. 1, v. 27. ac proinde ἐπ᾽ ἀφθαρσίᾳ condidit Sap. 2, v. 23. ac diserte de ipso dicitur, *quod mortem non fecerit neque laetetur in perditione vivorum* Sap. 1, v. 13. tamen quia sapientissimo consilio homini proposuerat γυμνάσιον obedientiae in prohibitione arboris vetitae ac mortis comminationem huic suae prohibitioni adjecerat, ideo homini in peccatum prolapso non potuit non irasci ac proinde ratione *voluntatis*

*consequentis* seu judiciariae, ut et respectu immotae suae veritatis non potuit non hominem propter peccatum morti adjudicare, cum non solum immota justitiae regula, sed etiam infallibilis antegressae comminationis veritas illud requirerent. Mors dupliciter consideratur, 1. *ratione causae promerentis*, eatenus non est a Deo, sed ab homine et diabolo; 2. *ratione causae decernentis et punientis*, eatenus mors est a Deo tanquam justo judice ob peccata homines hac poena affligente. Deus simpliciter et per se mortem non fecit, sed ex justa retributione peccantibus irrogavit. Topiarius libr. 1. de noviss. cap. 2: *Mors privatio cum sit nomen tantum habens, non essentiam, ideo Deus mortis creator dici non potest, quidquid enim Deum fecisse dicimus, habet essentiam* (quod Esa. 45, v. 7. Deus *tenebras creasse dicitur*, metaphorico sensu ac respectu remotionis contrarii accipiendum), *interim in poenam peccati eam homini inflixit et adversus illum mortis sententiam tulit.* Ipse enim est *ignis consumens* Deut. 4, v. 24. Hebr. 12, v. 29. coram quo peccatores sunt *instar stipularum*, sed aliud est ferre mortis sententiam, aliud esse mortis causam. Ad hanc mortis causam revocat nos Moyses Psalm. 90, v. 3: *Convertis hominem usque ad contritionem.* v. 7. *Consumti sumus in furore tuo et in ira tua territi sumus.* v. 8. *Posuisti iniquitates nostras coram te, absconditum nostrum ad luminare vultus tui* v. 9. *quoniam omnes dies nostri declinaverunt propter iram tuam.* Sir. 11, v. 14: *Bona et mala, vita et mors, paupertas et divitiae sunt a Domino.* c. 17. v. 1: *Deus creavit hominem de terra et iterum convertit eum in illam.* Eadem causa in historia lapsus nobis proponitur. Postquam enim primi parentes diabolo auctore ac seductore in peccatum prolapsi fuerant, citantur ad Dei judicium, ac comminatio inobedientiae proposita in memoriam ipsis revocatur. Quamvis vero propter intercessionem Filii ac sponsionem plenariae satisfactionis in plenitudine temporis praestandae ab aeterna morte absolvantur et fide in promissum semen mulieris Deo reconcilientur; tamen εἰς μνημόσυνον, in memoriale, lapsus praecedentis ac παιδευτήριον vitae sequentis temporales calamitates ac inter has etiam mors
XVII. 37. temporalis ipsis imponitur, quando audire Adamus cogitur, *pulvis es, et in pulverem reverteris.* Huc pertinet etiam dictum apostolicum 1. Cor. 15, v. 56: *Virtus peccati lex est*, quia lex, quae est aeterna et immota norma justitiae divinae, ostendit, accusat, arguit ac damnat peccatum in natura nostra haerens, et quia consequenter iram Dei adversus peccatum monstrat, propter quam morti obnoxii reddimur, ideo *virtus peccati* ab apostolo vocatur De hac mortis causa sic disserit Augustinus lib. 1. hypogn. circ. med.: *Numquid cum delinquentibus mortem futuram praedixisset, quod futurum erat, ipsum fecisse credendum est? Quid enim eam cavendam praemonuit, si ejus in eorum occasu factor est ipse? sed nec eis per diabolum veniens peccantibus succedere voluisset, nisi Dominus in judicio justo in vindictam propter inobedientiam permisisset.*

34. Atque hae sunt *verae, principales, primae ac remotae* causae mortis. *Propinquae et intermediae causae* sunt vel *internae*, vel *externae*. *Interna* est caloris nativi defectus. Quia enim corpus humanum ex quatuor elementis compactum, quorum qualitates perpetua quadam actionis et passionis reciprocatione in se agunt, inde humorum in corpore humano δυσκρασία ac intemperies oritur, quam vel ex caloris nativi languore ac defectu, vel ex humidi radicalis suffocatione tandem mors consequitur. *Externae mortis causae* sunt, quae extrinsecus homini accidunt ac mortem ei inferunt, ut sunt aër pestilens, ignis comburens, aqua suffocans, gladius amputans, laqueus guttur constringens, animalia venenata mordentia etc. Scaliger exerc. 352: *Vita nostra est actus animae, in quem nihil habet tempus juris aut imperii, sed coeli faciunt impressiones, eorum motus varii varias, quibus corpus nostrum ad intemperiem evehatur, qua ex prolapsione ineptum fit ad animae conjunctionem. Itaque ejus separatio mors dicitur.* Bonaventura 2. sent. dist. 19. q. 5: *Mors tripliciter potest homini contingere, aut per elementorum pugnam et dissolutionem, id est elementorum qualitates sive qualitates primas; aut per humidi radicalis consumtionem; aut per extrinsecam laesionem.* In hisce intermediis et proximis mortis causis perquirendis medicina ac philosophia occupata est, neque potest humana ratio ex suis principiis altius assurgere, sed verbum Dei tradit nobis hanc doctrinam, quod primum hominem ad immortalitatem conditum contra omnes interitus ac dissolutionis causas sufficienter Deus muniverit. Contra pugnam primarum qualitatum elementarium data erat homini aequabilis et exacta medietas temperamenti, cum in ipso fuerit totius naturae integritas ac rectitudo, Eccl. 7, v. 30. Contra caloris nativi et humidi radicalis defectum data ipsi erat arbor vitae, cujus fructus in humore primigeniam puritatem conservabat et calorem nativum corroborabat. Contra extrinsecas mortis causas muniverat Deus hominem per paradisi inhabitationem ac felicissimi status collationem, per connatam homini prudentiam per fidam angelorum custodiam ac per specialem Dei erga ipsum curam ac providentiam. Proinde nisi primi homines venenum peccati ab infernali serpente sibi propinatum voluntaria insania hausissent, nec extrinsecae, nec intrinsecae mortis causae in ipsis vel ipsorum posteris locum habuissent.

35. Respectu intermediarum ac proximarum causarum mors hominis a medicis distinguitur in *naturalem et violentam.* Naturalis mors est, cum humore ob continuum caloris pastum arescente, velut pabulo deficiente, calor flaccescit et tandem exstinguitur, perinde ut oleo deficiente lucerna. Hanc mortis speciem vocant μάρανσιν. Violenta est, cum casu aliquo vel humor detrahitur, vel calor violenta quadam oppressione exstinguitur, eaque

vel interna, ut in veneno, ingluvie, immodica potus alluvione, quemadmodum cum nimium olei in lucernam infunditur, quam mortis speciem vocant σβέσιν; vel externa a causa quadam extrinsecus agente,
XVII. 38. veluti cum ignis lapidibus ac multo cinere obruitur. Aristoteles lib. de respir. c. 7: *Mors alia violenta, alia naturalis est.* Violenta, *cum principium est externum, naturalis, cum interius.* Cicero in Catone majore: *Adolescentes sic mori videntur, ut cum aquae multitudine vis flammae opprimitur, et quasi poma ex arboribus, si cruda sint, vi avelluntur, si matura et cocta, decidunt; sic vitam adolescentibus vis aufert, senibus maturitas.* Theologi paulo aliter has mortis species definiunt. *Naturalem* enim vocant, quando homo vel virium in senio defectu, vel vi morbi divinitus immissi in lectulo suo mortem oppetit. *Violentam*, quando quis vel sibi ipsi voluntarie mortem consciscit, vel ab aliis e medio tollitur, sicut Abel interfectus a Caino, Johannes Baptista ab Herode. Quidam addunt tertiam speciem, videlicet *singularem*, eorum, qui perierunt in diluvio, Sodomitarum, Core, Datan et Abiran etc. sed haec ad speciem mortis violentae reduci potest.

Qu. 1. De illis, qui pereunt morte violenta.

36. Quaeritur hoc loco *1. Quid de illis statuendum, qui violenta morte intereunt, an vitae aeternae extorres simpliciter sint dicendi?* Photinianorum ea est opinio, *damnari universos, qui ob facinora jugulantur a carnifice, vel violenta seu cruenta morte intereunt.* Vide Sommerum in tract. anno 1583. edit. et in confut. senior. p. 69. 70. etc. cui errori opponimus 1. *exemplum latronis* cum Christo crucifixi et vere ad Deum conversi Luc. 23, v. 42. 2. *Universalitatem promissionum evangelicarum*, quae fundatur in sufficientissimo Christi merito pro omnibus omnium hominum peccatis praestito et in infinita Dei misericordia, qua omnium hominum salutem serio expetit. 3. *Efficaciam verae ac seriae poenitentiae*, quae licet sera sit, per fidem in Christum, quae est verae poenitentiae anima, omnium peccatorum remissionem impetrat. 4. *Evidens dictum Christi* Joh. 6, v. 37: *Venientem ad me non ejiciam foras.* Atqui si malefici poenitentiam agentes non reciperentur in gratiam, quidam ad Christum venientes repudiarentur, nec constaret Salvatoris pronuntiato sua veritas, quod absit. 5. *Aequalem latitudinem concionum legalium et evangelicarum.* Sicut per conciones legales omnes homines accusantur peccati et rei statuuntur aeternae damnationis; sic vicissim per conciones evangelicas omnibus offertur gratia Dei, peccatorum remissio et vita aeterna, Rom. 11, v. 32. modo agant poenitentiam et vere in Christum credant. 6. Testatur *historia sacra* et experientia, etiam pios sapientissimo Dei consilio publicis calamitatibus in peste, obsidionibus, proeliis, captivitatibus, exsiliis, inundationibus, incendiis etc. involvi, temerarium ergo fuerit, omnes, qui eo modo interierunt, aeternae damnationi adjudicare.

2. De illis, qui sibi ipsis manus inferunt.

37. *2. An qui sibi ipsis violentas manus inferunt, indistincte omnes sint damnandi?* Edidit hac de quaestione peculiare scriptum Andreas Celichius theol. Megapolitanus, in quo ostendit, temeraria judicia in hisce casibus esse cohibenda. Quamvis enim αὐτοχειρία sit gravissimum peccatum pugnans cum *lege divina*, cum *lege naturae*, cum *praeceptis moralibus*, violatur enim fortitudinis officium; cum *politia*, quia tollitur civis reipublicae cum *jure civili*, quod αὐτόχειρας jubet esse infames etc. tamen absolute et indistincte omnes αὐτόχειρες non sunt temerario judicio damnandi. Ut enim Samsonis exemplum heroicum praetermittamus, constat, quosdam ex vi morbi omnem rationis usum impediente in se ipsos esse injurios, qui ad saniorem mentem postmodum reversi divina gratia ad peccati sui agnitionem perducuntur et ad Deum iterum convertuntur. Testatur historia Jobi ac Jeremiae, quanta sit vis dolorum ac tentationum, ob quam uterque diei nativitatis maledixit; interim Deus, qui dives est in misericordia, utrique hoc peccatum benigne condonavit, idem etiam extrema hominis suspiria exaudire potest, si id, quod ex gravitate morbi ac tentationum commissum, poenitenti corde deflet. Annotabo hac de re judicium Davidis Chytraei in lib. de vit. et morte p. 76. *Etsi*, inquit, *non possumus de plerisque, qui mortem sibi consciverunt,* XVII. 39.
*aliter judicare, quam esse eos in diaboli potestate, a quo ad tantum scelus impulsi sunt etc. tamen exempla aliqua exstant et in hac ipsa urbe* (Rostochiensi) *duo vel tria memini, ubi cives alioquin honesti et honesto genere nati, cum se letaliter jam vulnerassent, in illa ipsa perturbatione, ante mortem ad se redierunt et indicia verae poenitentiae non obscura ostenderunt. Ut enim latro in cruce extremo vitae momento ad Deum conversus est, et Philippis custos carceris extracto gladio se ipsum interfecturus subito poenitentiam egit, et in naufragiis et aliis subitis casibus multi ad Deum convertuntur; ita quosdam αὐτόχειρας inflicto jam vulnere letali ad Deum redire constat. Non enim abbreviata est manus Domini, ut salvare nequeat, neque aggravata est auris ejus, ut non exaudiat quocunque tempore remissionem peccatorum fiducia Christi Servatoris vero cordis gemitu petentes. Cum igitur judicium Dei de multis talibus arcanum et absconditum sit, solus enim Dominus novit, qui sunt ejus, ut* Esa. 24. *inquit, secretum meum mihi, non debemus nec possumus de omnibus, qui violentas manus sibi attulerunt, quod pariter damnati sint, certo judicare.* Conf. decad. 5. consil. Bidenbach. consil. 7. 8. 9.

Antithesis errantium, 1. extra ecclesiam.

38. Errant circa mortis causas 1. quidam *extra ecclesiam*; 2. quidam *in ecclesia.* 1. Extra ecclesiam 1. *Stoici*, qui mortis causam ad inevitabilem fati necessitatem et ad aeternam seriem causarum necessario connexarum retulerunt, quorum sententiam sic exprimit Manilius,

*Fata regunt homines, certa stant omnia lege.*

2. *Epicurei*, qui casu et fortuito homines ut nasci, ita etiam mori judicarunt, quorum sententiam sic exprimit Lucanus lib. 2.

*Sive nihil positum est, sed sors incerta vagatur,*
*Fertque refertque vices et habent mortalia casum.*

Utinam vero Stoicorum fatum et Epicureorum fortuna extra ecclesiae pomoeria sese continerent; at testis est experientia, in ipso visibilis ecclesiae gremio, id est in coetu eorum, qui luce verbi revelati gaudent, Stoicorum et Epicureorum furores a quibusdam foveri. Epicureae certae voces sunt, quae ex ore impiorum annotatae exstant Sap. 2, v. 2. *αὐτοσχεδίως ἐγεννήθημεν* et *post hoc erimus, tanquam non fuerimus, quoniam fumus est respiratio in naribus nostris et sermo scintilla est in motu cordis nostri*, v. 3. *qua exstincta cinis evadet corpus et spiritus noster diffundetur tanquam mollis aër.* Sed paulo post sequitur v. 21. *ταῦτα ἐλογίσαντο καὶ ἐπλανήθησαν.* Quinimo quando extra verbi lucem corruptae rationis judicio indulgemus et juxta illud de morte sententiam ferimus, natura omnes sumus vel Stoici vel Epicurei, declinamus enim vel ad Syrtim fatalis Stoicorum necessitatis, vel ad Charybdin coecae Epicureorum fortunae. *3. Astrologi ac genethliaci judiciarii*, qui ex conjunctionibus, oppositionibus ac motibus siderum mortem hominis dependere statuunt ac certo et determinate ex erecto nativitatis themate ejusdem tempus praedicere satagunt, quibus Augustinus lib. 5. de civ. Dei c. 1. circ. fin. opponii hoc immotum argumentum. *Quid est, quod nihil unquam dicere potuerunt genethliaci, cur in vita, geminorum, in actionibus, in eventis, possessionibus, artibus, honoribus ceterisque rebus ad humanam vitam pertinentibus, atque in ipsa morte sit plerumque tanta diversitas, ut similiores eis sint, quantum ad haec attinet, multi extranei, quam ipsi inter se gemini per exiguum temporis intervallum in nascendo separati, in conceptu autem per unum concubitum uno etiam momento seminati?* quod ipsum c. 4. exemplo Esavi et Jacobi declarat. Conf. Mirandula in opere contra astrol. et Scaliger exerc. 251. 4. *Philosophi gentiles*, qui in proximis et intermediis mortis causis subsistunt ac in *ὕλῃ νοσοποιῷ καὶ θανατοφόρῳ* consideranda unice occupati, altiores et principaliores quasdam mortis
IVII. 40. causas statuendas vel investigandas esse negant, qua ratione mortem hominis cum interitu ac *πανολεθρίᾳ* brutorum, a qua toto genere distincta est, confundunt, quodque per et propter peccatum ex diaboli seductione a primis parentibus perpetratum justo Dei judicio in naturam humanam ad imaginem Dei et ad immortalitatem conditam aliunde invectum est, illud homini aeque ac brutis naturale esse perverso ac praepostero judicio statuunt. Conciliator Petrus de Apono diff. 113. probat, quod animal nequeat in aeternum vivere, *1. ratione primae et secundae materiae*, quia utraque est corruptionis principium, illud patere dicit ex lib. 1. physic. hoc vero ex libris duobus de ortu et interitu. 2. *Ratione formae*, quia haec ut est finita, ita finito tempore informat. 3. *Ratione efficientis*, quia calor debilitatur, qui non semper id, quod optimum est, reponit. 4. *Ratione finis*, quia omnium sublunarium mutatio requiritur.

39. 2. In ecclesia circa hoc doctrinae coelestis caput 1. errarunt olim *Pelagiani*, qui docuerunt, *hominem fuisse moriturum, etiamsi non peccasset.* Augustinus epist. 106. et in lib. de haeres. ad Quodvultd. 88: *Ipsum Adam dicunt, si non peccasset, fuisse corpore moriturum, neque mortuum merito culpae, sed conditione naturae.* Argumenta ipsis opponenda exposuimus in loc. de imag. Dei §. 100. 2. Ex *Pontificiis Augustinus Steuchus* in annot. Gen. 2. scribit, *ex Adami lapsu genus humanum non corporis, sed animae mortem incurrisse et fuisse homines mortiuros, etiamsi non peccassent.* Reliqui Pontificii hominem primum immortalem fuisse concedunt, interim tamen immortalitatem illam in primo homine ante lapsum *donum supernaturale fuisse*, adeoque eum *per et juxta naturam mortalem fuisse* asserunt. Bellarminus de statu primi hominis c. 9. Pererius l. 5. in Gen. disp. de tert. hominis excell. p. 566. p. 619. cui errori, quae opponenda sint fundamenta, in tract. de imag. Dei expositum fuit. 3. *Photiniani* negant, primum hominem fuisse immortalem a Deo conditum, ex quo sponte sequitur, non ipsam mortalitatem, sed moriendi necessitatem esse peccati poenam. Catechismus Racoviensis Germ. p. 21: *Adamus non est in immortalitate conditus.* p. 26: *Ne quidem sciri potuit ab Adamo immortalitatis via.* In praelectionib. Socini ann. 1609. editis et Heidelb. academiae a Schmaltzio inscriptis *ἐπιγραφῇ* primi cap. sic habet, *primus homo etiam ante lapsum natura mortalis fuit*, quam thesin septem argumentis confirmare nititur. Anno 1610. Racoviae edita est disputatio Socini, quam de statu primi hominis ante lapsum cum Francisco Puccio ann. 1578. habuit, in qua decem argumentis pro immortalitate primi hominis a Puccio allatis, respondere conatur, cumque Puccius defensionem suorum argumentorum susciperet, prolixam isti defensioni Socinus opposuit refutationem priori isti scripto annexam. Ostorodus in inst. Germ. c. 33. p. 268. Socini argumenta repetit. Schmaltzius disp. 7. contr. Frantz. p. 399. eandem terit orbitam.

2. In ecclesia.

40. Quamvis vero plena et solida hujus quaestionis pertractatio ad alium locum, videlicet ad doctrinam de imagine Dei in primo homine, pertineat; tamen cum ad causas mortalitatis pernoscendas ejus cognitio plurimum conferat, ideo summatim ac breviter capita argumentorum Pelagiano ac Photiniano errori opponendorum assignabimus. Primum ducitur *ab hominis ad Dei imaginem creatione.* Qui conditus est ad imaginem Dei, ille etiam immortalis est a Deo conditus, quomodo enim homo mortalis exsistens Dei immortalis imaginem in se exprimere potuisset? Basilius in hexaëm. hom. 10: *Incorruptibile non figuratur in corruptibili et corruptibile non est imago ejus, quod est incorruptibile.* Jam vero homo conditus est *ad Dei imaginem* Gen. 1, v. 27. Ergo etiam immortalis a Deo conditus est, unde cum auctor libri Sapientiae dixisset, hominem a Deo conditum *ἐπ᾽ ἀφθαρσίᾳ*,

An primus homo ante lapsum fuerit immortalis. Aff. probatur 10. argumentis.

cap. 2, v. 23. immediate per quandam *αἰτιολογίαν*
XVII. 41. subjungit, et *ad imaginem propriae similitudinis fecit illum.* In Graeco est *εἰκόνα τῆς ἰδίας ἰδιότητος ἐποίησεν αὐτόν*, *imaginem propriae suae naturae fecit eum.* *2. A mortis comminatione.* Quod comminationis loco tanquam poena peccati et inobedientiae homini denuntiatur, non potest esse naturae conditio. Atqui mors comminationis loco homini denuntiatur. Genes. 2, v. 17: *Quacunque die comederis ex illa arbore, morte morieris.* Ergo nec potest excipi, *comminationem illam de morte aeterna duntaxat loqui*, quia generalis locutio ostendit, intelligendum esse id omne, quod mortis nomine in Scripturis intelligitur, id quod gemina illa mortis mentio innuit, ut superius ex Augustino docuimus. *3. A comminationis illius post lapsum exsecutione.* Cui post lapsum propter peccatum mortalitas et mors obvenit, ille non fuit per naturam ante lapsum mortalis. Gregorius Nyssen. de opif. hom. cap. 2: *Si Deus hominem a principio mortalem fecisset, nequaquam peccantem morte condemnasset, nam mortalem mortalitate nullatenus condemnat.* Atqui Adamo post lapsum demum propter peccatum mortalitas et mors obvenit. Gen. 3, v. 17: *Quia comedisti ex illa arbore* etc. v. 19. *in labore vultus tui vesceris pane tuo, donec in terram revertaris, e qua sumtus es.* *4. Ex primaevi status descriptione.* Genes. 2, v. 25. Primi homines *erant nudi*, ergo corpora ipsorum non fuerunt frigori aliisve injuriis obnoxia, alias sine dolore et sanitatis detrimento non potuissent nudi ambulare, inde Sap. 2, v. 23. dicitur, quod *Deus condiderit hominem ἐπ' ἀφθαρσίᾳ*, quod plus est quam *ἐν ἀθανασίᾳ*, quia excludit non solum mortem, sed etiam mortalitatem, adeoque omnem *φθαρτικὴν κακότητα.* *5. Ex causarum mortalitatis ac mortis remotione.* In primo hominis statu aberat omnis causa mortis physica; aberat vis externa, quam in hominem, omnium creaturarum dominum a Deo constitutum, nulla creatura exercere potuisset; aberat fames et sitis, quam homo fructibus arborum paradisiacarum et potu fluminis sedare potuisset; aberant morbi, quibus subjectus homo non fuisset; aberat senium et debilitas, a qua per fructum arboris vitae praeservatus fuisset. Hugo de S. Victore in cap. 2. Genes.: *Deus munierat hominem per lignum vitae et dextram potentiae, ut posset non mori, intus portam negligentiae per rationem humanam, extra portam violentiae obserans per divinam custodiam, ut nisi homo ratione abutens portam negligentiae aperiret, nunquam per portam violentiae aliquid ei noxium intraret.* Contra vero aderat exactissima temperamenti *συμμετρία* ac harmonia; praesto erat arbor vitae, per quam humidum primogenium et calor nativus aequali bonitate usque ad constitutum vitae animalis terminum reparari potuissent; aderat provida Dei cura er fida angelorum custodia, ut superius docuimus. Variant quidem veterum sententiae de causa, cur Adam in statu innocentiae potuerit non mori. Athanasius enim in orat. de incarnat. Verbi p. 60. dicit, *hominem secundum naturam corporis esse mortalem, sed non fuisse moriturum propter imaginem Dei, ad quam erat conditus.* Augustinus lib. 16. de Genes. ad liter. cap. 19. immortalitatis causam *arbori vitae* asscribit, quia ejus esus atque usus perpetuam hominis sanitatem effecisset. Quidam *in libero hominis arbitrio* causam quaerunt, quod a Deo ita fuerit munitum, ut si vellet, posset omnia cavere et avertere, quae vel intus, vel foris mortem et corruptionem homini afferre possunt. Thomas part. 1. q. 97. art. 1. existimat, id futurum fuisse *vi animae, ex qua in corpus transitura fuisset plenitudo sanitatis et perpetuae incorruptionis vigor.* Scotus 2. sentent. distinct. 29. negat, talem immortalitatis vigorem ab anima in corpus transfundi potuisse, sed *futurum quidem fuisse corpus dissolubile, nunquam tamen hominem fuisse moriturum, quia Deus praevenisset tempus dissolutionis transferendo eum ex hac vita in coelestem absque mortis interventu.* Interim in eo consentiunt, nec mortalitati, nec morti primum hominem ante lapsum obnoxium fuisse, ac possunt pleraeque illae causae, utpote subordinatae, optima ratione conjungi. *6. A causarum mortali-*
*tatis et mortis assignatione.* Spiritus s. ubique cau- XVII. 4(
sam mortis tribuit naturae hominis non institutae sed destitutae, id est non ut a Deo facta est, sed ut veneno peccati per seductionem serpentis infecta est, Sap. 2, v. 24. Rom. 5, v. 12. 1. Cor. 15, v. 21. etc. quorum dictorum emphasin expendimus superius §. 32. Sic ergo ex illis Scripturae testimoniis concludimus. Quod est poena peccati et naturam destruit, illud primo homini integro tribui nequit. Mors et mortalitas est poena peccati ac naturam destruit. Ergo. Quod per peccatum in mundum intravit, illud ante peccatum in mundo non fuit nec homini per naturam et ex creatione convenit. Atqui mors ac mortalitas per peccatum intravit in mundum. Ergo. Quod per diaboli invidiam intravit in mundum, illud homini non inerat ante lapsum per naturam. Sed mors ac mortalitas per invidiam diaboli intravit in mundum. Ergo. *7. A Christi redemtione.* A quocunque nos Christus liberavit, illud ipsum, si non peccatum est, peccati tamen supplicium est et poena. Atqui Christus redemit nos a morte corporali ac fecit, ut ea nobis esset verae vitae janua. Ergo mors corporalis, cum non sit peccatum, fuit peccati supplicium, et per consequens, in primo statu ante peccatum locum non habuit. *8. A speranda vitae aeternae restitutione.* Petrus Act. 3, v. 21. in vita aeterna exspectandam dicit *ἀποκατάστασιν πάντων.* Jam vero in vita aeterna nec mors, nec mortalitas locum habebit, Apoc. 21, v. 4. Ergo nec in statu integritatis locum habuit. *9. Ex animae et corporis essentiali unione.* In quo per naturam est essentialis, perpetua et indissolubilis inter animam et corpus unio, illi mors non potest esse naturalis. Ratio connexionis pendet a definitione mortis, quod sit *separatio animae a corpore.* Atqui in Adamo ante

lapsum per naturam erat essentialis, perpetua et indissolubilis inter animam et corpus unio. Ratio pendet ex fine conditi hominis. Anima a Deo creatore sic condita erat, ut non solum ipsa esset immortalis, sed etiam ut in corporis domicilio perpetuum habitaret, quia non constituebat per se entis speciem completam, sed una cum corpore et in corpore integrum ac perfectum hominem. *10. Ex absurdorum consecutione.* Si primus homo per naturam fuit mortalis ac morti obnoxius, consequens fuerit, comminationem mortis primo homini propositam fuisse inane terriculamentum, mortem non per invidiam diaboli et per hominis peccatum, sed per naturam a Deo conditam in mundum intrasse, ac proinde etiam Deum mortem fecisse, prodromos mortis dolores et morbos homini ante lapsum molestos fuisse, cum posito consequente ponatur etiam antecedens, mortem non esse naturae humanae destructivam, sed potius conservativam, cum natura et naturale non intendat sui corruptionem, sed conservationem, Christum ipsum etiam naturaliter mori debuisse etc. Sed haec omnia sunt absurda, ergo et illud, ex quo talia consequuntur. Conjunge examen errorum Photinianorum de statu integritatis et peccati Hunnii fratris nostri in Christo honorandi et disputationem Derschovii amici nostri singularis de immort. primi hominis, ac refer ad hunc locum dicta piorum veterum. Augustinus lib. 13. de civ. Dei cap. 15: *Inter Christianos, qui veraciter catholicam fidem tenent, constat, etiam ipsam corporis mortem non contigisse nobis lege naturae, sed merito inflictam esse peccati, quia peccatum vendicans Deus dixit primo homini, in quo tunc omnes eramus, terra es et in terram ibis.* lib. de praedestinat. et gratia cap. 3: *Mors non naturae conditio est, sed poena peccati.* lib. 1. hypognost. circ. med.: *Ut moriantur homines, poena peccati est; ut revertantur ad vitam, Domini miserantis est.* Talmudistae ac Cabalistae in libro Schemoth Rabba super Exod. 21, v. 1. rationem reddunt, cur dictio tholedoth, id est generationes in universis bibliis, tantum bis cum pleno vau scribatur, quia scilicet ante peccatum Adae mors nondum fuerit in mundo, ideo Gen. 2, v. 1. plene adhuc scribi, in ceteris vero defective; quia autem tempore Messiae mors plane abolenda et destruenda sit vi vaticinii Esa. 25,
XVII. 43. v. 8. ideo in ejusdem genealogia Ruth. 1, v. 18. iterum plene scribi.

Exceptio Photinianorum.

41. Excipiunt Socinus et Ostorodus d. l. (quibus se conjungit Timpl. in anthrop. c. 1. probl. 13.) *comminationem divinam* Gen. 2, v. 17. *ac sententiam apostolicam* Rom. 5, v. 12. *accipiendam esse non de naturali mortalitate, sed de ipsa morte ac moriendi necessitate. Poterat* (inquiunt) *Adamus, si non peccasset, quamvis natura mortalis, a morte Dei beneficio conservari, vel si mortuus fuisset, in vitam aliquando revocari atque immortalis fieri. Peccatum igitur non mortalitatis naturalis, sed necessariae mortis causa fuit.* Respondemus: imo vero non tantum moriendi necessitas, sed ipsa etiam naturalis mortalitas ex peccato orta est, ut argumenta in medium adducta evincunt. Haec duo, *mortalitas* (ratione potentiae propinquae) et *mors*, nec ante lapsum, nec post lapsum sejungi possunt, sed adamantino invicem inter se nexu cohaerent. Qui est mortalis, illum oportet tandem fieri morti obnoxium, id quod ex ipsa comminatione divina intelligitur: *Quacunque die ex hac arbore comederis, morte morieris.* Aut mori significat actu statim ipso interire, in ipso illo momento, quo peccatum committitur, exstingui, aut mortalem fieri et in illum statum redigi, ut morti obnoxius reddaris. Si prius, comminationi divinae non constabit sua veritas. Ergo posterius. Unde Theodoretus verba comminationis, *morte morieris*, sic interpretatur, *mortalis eris et singulis diebus mortem exspectabis.* Quodsi ergo ex naturae proprietate primus homo mortalis fuisset ac propinquam mortis potentiam in se habuisset, utique illa potentia naturalis a causis naturalibus in actum deducta fuisset, ac proinde etiam ipsa moriendi necessitas in homine ante lapsum locum habuisset, unde Socinus sibi ipsi contradicens in scripto contra Puccium p. 201. diserte scribit, *mortalitatem illam Adami ex natura materiei, ex qua creatus fuit, necessario provenisse* et pag. 267. *mortalitatem seu corruptibilitatem terrenae conditioni, quae Adamo semper propria fuit, necessario inhaesisse.* Utique ergo non solum naturalis mortalitas, sed etiam moriendi necessitas fuit in primo homine ante lapsum. At hoc ipsum manifestis Scripturae dictis ac ipsorum Photinianorum hypothesi adversatur. Proinde quod Socinus dicit, *Adamum, si in statu integritatis mortuus fuisset, in vitam a Deo revocari ac immortalem fieri potuisse*, in eo et veritati, et sibi ipsi fortissime contradicit, si enim ipsa mors est a peccato, ut docet veritas et concedit Socinus, quomodo quaeso Adamus in statu integritatis ab omni peccato immunis persistens mortuus fuisset? est hoc oppositum in apposito. Quod vero asserit, *Adamum, si non peccasset, quamvis natura mortalem, a morte Dei beneficio conservari potuisse,* illud ambigue dicitur; proinde ad ambiguitatem illam explicandam ac removendam utimur sequentibus distinctionibus. Immortale aliquid dicitur potissimum quatuor modis. *1. Quod essentialiter ac simpliciter, absolute et omnimode, per suam naturam et essentiam est immortale*, hoc sensu *solus Deus* dicitur *habere immortalitatem* Rom. 1, v. 23. 1. Tim. 1, v. 17. cap. 6, v. 16. Jacob. 1, v. 17. *2. Quod ex gratia creationis propter segregationem a materia, quae corruptionis solet esse radix, est incorruptibile.* Eo modo angeli et animae humanae, utpote essentiae ἄϋλοι et materiae omnis expertes immortales a Deo sunt conditae. Quamvis enim anima hominis corpori corruptibili uniatur, tamen propter illam unionem ac consociationem nec materialis nec corruptibilis ac mortalis redditur. *3. Quod per Dei potentiam et specialem ordinationem factum est incorruptibile, quamvis in se et sua natura consideratum, sit mortale ac corruptibile.* Sic

corpora beatorum ac damnatorum erunt immortalia, illa quidem ex dono gratiae, haec ex dispositione divinae justitiae, cum tamen in se et sua natura considerata sint resolubilia ac proinde etiam mortalia. 4. *Quod ex conditoris dono et ex certa hypothesi potentiam non moriendi obtinet, nec actu moritur, quamvis alia conditione posita mori*
XVII. 44. *possit.* Hoc modo Adamus in statu innocentiae fuit immortalis, quia durante illo statu, actu non fuisset mortuus, quin et potentiam non moriendi obtinuisset, sed ut in peccatum potuit prolabi, ita quoque propter peccatum potuit mori. Accurate igitur inter immortalitatem primi hominis in statu naturae *institutae* et immortalitatem beatorum in statu naturae *restitutae* distinguendum. Illa consistebat in *potentia non moriendi*, haec in *moriendi impotentia*; illa erat hypothetica, haec absoluta immortalitas; illa excludebat et actum et necessitatem et propinquam potentiam moriendi, non autem remotam et conditionalem, haec et actum et necessitatem et omnem omnino potentiam moriendi tam remotam quam propinquam excludit. Sicut primus homo poterat non peccare, ita etiam poterat non mori, interim tamen etiam poterat per abusum liberi arbitrii peccare et per peccatum mortem sibi ac posteris suis attrahere. Beati in vita aeterna ut non poterunt peccare, ita etiam non poterunt mori; ac proinde ut in bono, ita quoque in immortalitatis dono erunt plene confirmati. Augustinus lib. 22. de civ. Dei cap. 30: *Sicut prima immortalitas fuit, quam peccando Adam perdidit, posse non mori, novissima erit non posse mori; ita primum liberum arbitrium posse non peccare, novissimum non posse peccare.* Lombardus 2. sent. distinct. 19. lit. A.: *In primo statu habuit homo posse mori et non mori. Et haec fuit prima humani corporis immortalitas, scilicet posse non mori. In secundo vero statu post peccatum habuit posse mori et non posse non mori, quia in hoc statu moriendi est necessitas. In tertio statu habebit posse non mori et non posse mori, quia ad illum statum pertinet moriendi impossibilitas, quod ex gratia erit, non ex natura.* litera D: *Alia est immortalitas carnis, quam in Adamo accepimus, alia, quam in resurrectione speramus per Christum. Ille factus est homo immortalis, ut non posset mori, si non peccaret, moreretur autem, si peccaret. Filii vero resurrectionis non poterunt ultra peccare nec mori.* Confer Meisnerum in anthropol. decad. 1. disp. 1. §. 36.

42. Ut autem *immortale* variis modis accipitur, ita quoque *mortale.* Dicitur enim aliquid mortale, 1. vel ratione *potentiae remotae*, vel ratione *potentiae propinquae.* Priori sensu illud dici potest *mortale*, quod cum sit ex materia elementari compositum, remotam in se habet resolubilitatis ac proinde etiam mortalitatis potentiam, quamvis illa *δύναμις* durante illo rei statu, nec ad potentiam propinquam, nec in actum deducatur. Eo modo corpus primi hominis ante lapsum fuit mortale. Posteriori sensu *mortale* dicitur, quod potentiam moriendi propinquam in se habet, adeoque ad corruptionem naturaliter propendet, quae naturalis inclinatio ad actum tandem deducitur. Hoc modo corpus primi hominis demum post lapsum mortale esse coepit. 2. Vel *absolute*, vel *hypothetice.* Mortale priori sensu dicitur, quod causis mortis internis et externis est obnoxium ac nulla alia conditione posita moriendi potentiam obtinet; hoc modo corpus primi hominis ante lapsum non fuit mortale. Mortale posteriori sensu dicitur, quod causis mortis ac morti obnoxium non est, quamdiu in concreato statu persistit, interim posita quadam conditione, si scilicet excidat ab illo statu, morti obnoxium fieri potest. Hoc sensu corpus primi hominis etiam ante lapsum mortale dici potest. 3. Vel *κατὰ τὶ καὶ ἀκύρως*, de eo, quod potest mori posita quacunque conditione, vel *ἁπλῶς, simpliciter et per se*, quod internum habet moriendi principium. Priori sensu illud dicitur mortale, quod qualemcunque *δύναμιν* moriendi, etiam remotissimam, includit, quae tamen stante et recte se habente natura non traducitur in actum. Posteriori sensu mortale dicitur, quod ad mortem certo secuturam per continuam partium absumtionem naturaliter propendet. Priori sensu potuerunt primi homines mori, videlicet si peccarent, posteriori vero sensu non fuerunt mortales. Ex quibus omnibus facile intelligi potest, quo sensu vel orthodoxe, vel minus recte dicatur, Adamum, quamvis natura mortalem, Dei beneficio a morte conservari potuisse. Augustinus libr. 6. de Genes. ad liter. c. 25: *Corpus* XVII. 45
*hominis ante peccatum et mortale secundum aliam, et immortale secundum aliam causam dici poterat, id est mortale, quia poterat mori, immortale, quia poterat non mori. Aliud est enim non posse mori, sicut quasdam naturas immortales creavit Deus; aliud autem posse non mori, secundum quem modum primus homo creatus est immortalis, quod ei praestabatur de ligno vitae, non de constitutione naturae, a quo ligno separatus est, cum peccasset, ut posset mori, qui nisi peccasset, posset non mori. Mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio conditoris. Si enim corpus animale, utique mortale, quia et mori poterat, quamvis et immortale ideo, quia et non mori poterat. Neque enim immortale, quod mori omnino non possit, erit nisi spirituale, quod nobis futurum in resurrectione promittitur.* Idem in quaest. ex Vet. Test. c. 19: *Deus hominem fecit, qui quamdiu non peccaret, immortalitate vigeret, ut ipse sibi auctor esset ad vitam aut ad mortem, ut custodiens se a peccato, labore suo gauderet et esse se immortalem, negligens vero factus ipse sibi imputaret, quia coeperat esse mortalis. Quamdiu enim in creatoris lege duravit, dignus fuit edere de arbore vitae, ut mori non posset. Nec enim corpus tale erat, quod dissolvi impossibile videretur, sed gustus arboris vitae corporis corruptionem inhibebat.*

43. Haec omnia si recte observentur, facili negotio ad Socini argumenta, quae Ostorodus ordine — Responsiones ad argument

Photinianorum, quorum 1. ductum a primi hominis generatione.

repetit, responderi potest, *1. a generatione Primus homo etiam ante peccatum liberis procreandis a Deo conditore destinatus erat*, Gen. 1, v. 28. *Qui autem immortales sunt, liberos non procreant*, Luc. 20, v. 36. Respondemus: 1. Scriptura de primo homine ante lapsum utrumque asserit, videlicet quod immortalis fuerit ac quod liberos gignere debuerit. Utrumque igitur de ipso credi debet. 2. Distinguendum inter statum naturae *institutae* et in vita aeterna plenae *restitutae*, inter conditionem hujus seculi ante lapsum et statum futuri seculi post mundi consummationem. Dictum Salvatoris non de priore, sed de posteriore statu loquitur. Cum primi homines ad Dei imaginem ac proinde ad immortalitatem essent conditi, nondum completus erat electorum ad salutem ordinatorum numerus, ideo ex Dei ordinatione liberos gignere debuerunt; sed in resurrectione ac statu vitae aeternae completus erit salvandorum numerus, ideo nulla opus erit generatione. 3. Medium non est opponendum fini sive termino ad quem. Terminus ad quem creationis primi hominis fuit vita coelestis ac aeterna, medium vero vita animalis ac terrena, neque enim a Deo ad vitam aeternam ita conditus erat primus homo, ut eam immediate possideret, sed ut peracto prius in paradiso terreno hujus vitae curriculo ad illam eveheretur, hoc medium non est fini ac termino opponendum. 4. Socini argumentum confundit proprietates corporis animalis et spiritualis. Qui sunt immortales, scilicet in corpore spirituali, non procreant liberos, sed qui sunt immortales in corpore animali, illi liberos generare possunt. 5. Immortalitas individui in primo homine non tollit multiplicationem speciei; neque enim Deo placuit omnes homines simul condere, sicut omnes angelos simul creaverat, sed per generationem voluit humanum genus propagari, quod ipsum immortalitati in vita animali fraudi esse non potuit.

2. A manducatione.

44. *2. A manducatione. Ubi immortalitas est, ibi escis ciboque non est locus*, 1. Cor. 6, v. 13. *At homo ante lapsum utebatur cibo*, Gen. 1, v. 29. Idem argumentum latius explicat et acrius urget Gittichius in disceptat. scholast. contra Lucium p. 51: *Quorsum fructum arboris vitae et aliarum arborum, quibus vescebatur, si vitam in se manentem habuisset Adam? an non nutritio est perditae substantiae per intrinsecus assumta alimenta restitu-*
IVII. 48. *tio? Si ergo ille nutriebatur, subinde periisse aliquid de substantia ipsius necesse fuit, si hoc, fuit ergo corruptibilis et ab ipsa creatione mortalis.* Confer Socinum in Anti-Pucc. p. 122. et 236. Schmaltzium in refut. Frantz. disp. 7. p. 405. Respondemus: 1. argumentum sic corrigimus. Quicunque vescitur cibo immortalitatem afferente, ille a morte se praeservare et immortalitatem concreatam tueri potuit. Adamus ante lapsum vesci potuit cibo immortalitatem afferente, fructibus scilicet arboris vitae, quae naturali atque occulta facultate vitam ipsius sanam ac vegetam conservasset, atque a debilitate, senio et morte ipsum praeservasset, ut colligitur tum ex appellatione hujus arboris, tum ex appellationis interpretatione divinitus tradita Genes. 3, v. 22. Augustinus lib. 13. de civ. Dei c. 20: *Alebantur primi parentes reliquarum arborum fructibus, ne animalia corpora molestiae quid esuriendo ac sitiendo sentirent, de ligno autem vitae propterea gustabatur, ne mors eis undecunque subreperet vel senectute confecti decursis temporum spatiis interirent.* 2. Confunditur denuo status hominis ante lapsum et in vita futura. Dictum apostoli loquitur non de priore, sed de posteriore statu. Quamvis vero collatio quaedam inter illos status instituatur, cum posterior respectu prioris dicatur ἀποκατάστασις Act. 3, v. 21. tamen adhuc manet quaedam disparitas, alias corpus primi hominis statuendum foret glorificatum, spirituale et absolute sive ἁπλῶς immortale. 3. Si esus cibi semper conjunctam habet mortalitatem, consequens erit, Christum etiam post resurrectionem fuisse natura mortalem, cum et ipse aliquoties apud discipulos cibo fuerit usus. Sed posterius dici nequit. Ergo nec prius. Photiniani quidem statuunt, Christum resurrexisse in corpore mortali, sed haec hypothesis falsa et erronea ex Rom. 6, v. 9. et aliis Scripturae locis refelli potest. 4. Immortalitas et animali et spirituali corpori competit, sed diversimode, ut paulo ante expositum fuit. Immortalitas in corpore spirituali opponitur usui ciborum, sed in corpore animali eidem subordinatur. Prior immortalitatis species in statu gloriae est absoluta, posterior in statu innocentiae est hypothetica.

45. *3. A corporis conditione. Omne corpus animale est mortale*, 1. Cor. 15, v. 44. ubi *corpus animale illud vocatur, quod prius vile, corruptibile et mortale fuerat dictum, idque a spirituali discernitur, quod gloriosum, incorruptum et immortale ibidem dicitur. Jam vero Adamus etiam ante peccatum habuit corpus animale*, Gen. 2, v. 7. 1. Cor. 15, v. 45. Respondemus: 1. majorem limitamus. Corpus animale est mortale, scilicet post lapsum, hanc enim limitationem addendam esse colligitur ex Gen. 3, v. 19. ubi post lapsum demum homini dicitur: *Pulvis es et in pulverem reverteris.* 2. Corpus animale non opponitur corpori immortali, sed corpori spirituali, cum immortalitas utrique sit communis, certo tamen gradu ac respectu. Corpus animale est, cui vitam, sensum ac motum praestat anima, scilicet ad constitutum aliquem hujus vitae cursum, in quo homo interim indiget cibo ac potu. Corpus spirituale est, quod praeditum est qualitatibus spiritualibus, nec indiget amplius cibo et potu. Augustinus de fid. et symbol. c. 6: *Corpus spirituale est, quod spiritui promtum praestabit obsequium, omni fragilitate ac labe terrena in coelestem puritatem et stabilitatem mutata et conversa.* Animale corpus per naturales animae operationes regitur ac sustentatur; spirituale per spiritum citra cibum, potum, concoctionem etc. regitur. Illud est hujus, hoc vero futurae vitae proprium. Utrique tamen immortalitas, diversa licet ratione, competit. 3. Apo-

3. A corporis conditione.

stolus loquitur de statu Adae et qualitatibus corporis ejus post lapsum, quando factus est humani generis parens, et corpus non solum animale ex naturae conditione, sed etiam mortale ex praecepti divini transgressione factum in nos propagavit. 4. Quamvis igitur Adamus in prima statim creatione factus fuerit in animam viventem ac proinde etiam ante lapsum corpus animale sortitus fuerit, illud XVII. 47. tamen nondum fuit mortale, sed post lapsum demum mortalitatis conditioni subjectum fuit, ac proinde *non mortalitatem*, sed, ut sic loquar, *animalitatem* corporis Adamici apostolus ex dicto Geneseos probat.

4. Ex imaginis gestatione.

46. *4. Ex imaginis gestatione. Primus homo, antequam peccaret, jam erat terrenus, nempe quia e terra formatus fuerat. Sed nos in eo, quod morimur et corrumpimur, imaginem primi hominis, quatenus terrenus erat, portamus. Ergo primus homo, quatenus terrenus fuit, mortalis censendus est, et sic etiam, antequam peccaret.* Respondemus: 1. Si vel maxime de statu hominis ante lapsum apostolus ageret, nihil obtinerent Photiniani, primus enim homo terrenus diceretur non propter mortalitatis conditionem, quia contrarium ostendunt argumenta superius producta, sed tum propter *originem*, quia ex limo terrae formatus erat, tum propter *habitationem*, quia in paradisum terrenum collocatus erat ac vitam in his terris aliquamdiu exigere debebat, antequam in coelestem paradisum et in statum futurae vitae transferretur. 2. Quo sensu primus homo dicatur terrenus, ex antithesi apostolica 1. Cor. 15, v. 47. omnium optime colligitur. Quemadmodum enim secundus homo Christus dicitur *dominus de coelo* ratione *originis*, quia de coelo quasi in nostram carnem sese dimisit, Luc. 1, v. 78. sic etiam Adamus e contrario dicitur terrenus, quia ex terra formatus est. 3. Ex toto contextu manifestum est, apostolum non loqui de statu Adami ante lapsum, sed de statu ejusdem post lapsum, ac utrumque complecti, tum quid Adamus obtinuerit ex beneficio creationis, tum quid contraxerit ex vitio transgressionis, utrumque enim in nos per carnalem generationem in hac vita propagat. Terrenus est, tum ratione *ortus*, tum ratione *qualitatum vitiosarum* ex lapsu contractarum, quas etiam in nos omnes propagat, ut imaginem terreni hac ratione gestemus. 4. Scopus apostoli est demonstrare, a diversis principiis diversas vitas in nos propagari, perinde ut in cap. 5. Roman. eadem ἀντιθέσει utitur. Ab Adamo in peccatum prolapso animalem et transitoriam, a Christo coelestem et aeternam vitam consequimur; ab illo quidem per carnalem generationem, ab hoc vero per spiritualem regenerationem. Sicut Adamus in peccatum prolapsus mortem et corruptionem in nos derivavit; sic Christus resurrectionem ad vitam et corporum ἀφθαρσίαν nobis promeruit.

5. A Christi redemtione.

47. *5. A Christi redemtione. Si peccatum mortalitatem naturalem homini attulisset, Christus, qui peccatum abstulit ejusque propriam vim omnem ac poenas illi proprie constitutas delevit, mortalitatem quoque naturalem abstulisset ac delevisset, quod tamen non fecit. Cum primus homo diaboli opera peccaverit, quidquid ex peccato illo vere profectum est, opus diaboli censeri debet. Atqui Dei Filius apparuit, ut dissolveret opera diaboli* 1. Joh. 3, v. 8. *igitur si ex peccato illo mortalitas naturalis re vera profecta esset, eam quoque Filius Dei dissolvisset.* Respondemus: 1. *per instantiam.* Christus juxta Socini hypothesin mortem naturalem sive temporalem non abstulit, nec delevit, cum omnes homines illi adhuc sint obnoxii, tam pii, quam impii. Ut enim Socinus ex eo, quod adhuc mortales sumus, infert, Christum non abstulisse naturalem mortalitatem, ita ex eodem principio inferri potest, Christum non abstulisse mortem, quia omnes morimur. Jam vero concedit Socinus, peccatum esse causam necessariae mortis, mortem esse opus diaboli ex peccato primi hominis vere profectum. Agnoscat igitur, non posse sic inferri, si ex peccato mortalitas naturalis re vera profecta esset, eam quoque Filius Dei dissolvisset, possemus enim eodem modo contra Socini hypothesin inferre: Si ex peccato mors ipsa re vera profecta fuisset, eam quoque Filius Dei dissolvisset. 2. Per *inversionem.* A quocunque nos Christus sua passione ac morte liberavit, illud ipsum non est concreata hominis conditio, sed malum ex peccato ortum ac proinde XVII. 4 in statu integritatis non habuit locum. Jam vero Christus a mortalitate et morte nos liberavit, ut ex manifestis Scripturae dictis paulo post demonstrabimus. Ergo mortalitas et mors non est concreata hominis conditio, sed malum ex peccato ortum. 3. Per *inficiationem.* Negamus illud, quod tam confidenter asserit Socinus, Christum non abstulisse nec delevisse mortalitatem, nec dissolvisse opus diaboli ex peccato ortum. Progredimur autem in demonstranda assertione contraria hoc modo: Uti eadem est ratio mortalitatis et mortis ante lapsum, ita quoque post lapsum. Ut enim non solum mors, sed etiam mortalitas in statu integritatis a primo homine penitus abfuit; ita quoque non solum mors, sed etiam mortalitas per peccatum in mundum introiit. Jam vero Christus derivando in se poenas ex peccato ortas sustulit illud omne, quod ex peccato ortum. Ergo non solum mortem, sed etiam mortalitatem naturalem a nobis sustulit. Utrumque constat ex manifestis Scripturae dictis. Oseae 13, v. 14: *Ero pestis tua o mors.* Utique ergo Christi mors est mors nostrae mortis. 1. Cor. 15, v. 21: *Per hominem mors et per hominem resurrectio mortuorum;* v. 22. et *sicut in Adamo omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur.* v. 26. *Novissimus hostis destruetur mors.* 2. Tim. 1, v. 10: *Christus mortem destruxit, in lucem autem produxit vitam* et ἀφθαρσίαν, ubi respectus habetur ad opus creationis, ut sit sensus, Christum eadem virtute mortem abolevisse ac vitam promeruisse, qua olim ex tenebris lucem in prima creatione produxit. Probe autem observandum, quod apostolus

**vitam** et incorruptibilitatem sive immortalitatem conjungat ac utrumque Christum nobis attulisse asserat, utique ergo non solum mortem, sed etiam mortalitatem a nobis abstulit. Hebr. 2, v. 14: *Per mortem destruxit eum, qui habebat imperium mortis, hoc est diabolum*, v. 15. *ac liberavit eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti.* 4. Idem probatur ex enumeratione specierum mortis. Liberavit nos Christus a *morte animae*, quia pro peccatis nostris satisfecit ac Patri suo coelesti nos reconciliavit, ut non amplius simus *abalienati a vita Dei* Eph. 4, v. 18, sed spiritualis illius vitae participes facti. Liberavit nos *a morte corporis*, quia ex illa morte in vitam nos revocabit et hostem illum novissimum tandem penitus destruet. Liberavit nos *a morte aeterna*, ne in eam per corporis mortem incidamus, sed *ex morte in vitam transeamus* Joh. 5, v. 24. nec mortem illam aeternam *videamus* vel *gustemus* Joh. 8, v. 51. 52. 5. At, inquis, *si Christus a mortalitate ac morte nos redemit, cur igitur non solum mortales adhuc sumus, sed morti etiam obnoxii tandem ipso actu reddimur?* Respondemus: quemadmodum liberationi a peccato per Christum nobis praestitae non repugnat, quod peccatum in carne adhuc circumferimus, nec liberationi a potestate Satanae, quod ejusdem tentationibus in hac vita adhuc obnoxii sumus, nec liberationi ab ira Dei, quod eandem quandoque in conscientiae angoribus sentimus; ita quoque liberationi a morte per Christum nobis praestitae nequaquam repugnat, quod morti temporali adhuc obnoxii sumus, quia beneficia Christi non concludenda sunt angustis hujus vitae terminis, sed in ipsam aeternitatem sese extendunt. Liberavit nos Christus a morte multis ac variis modis. Primo *timorem mortis in nobis exstinguendo*, Hebr. 2, v. 15. cum enim peccatum *stimulum mortis* sustulerit 1. Cor. 15, v. 56. ideo non amplius mortem temporalem tanquam peccati supplicium et aeternae mortis initium per totam vitam extimescimus, sed potius ut verae vitae januam cupide desideramus. Secundo, *mortem in aliquid melius commutando.* Quamvis enim post peccatum remissum paterna illa castigatio adversitates hujus vitae et mortem temporalem nobis infligens adhuc maneat, tamen mors non obtinet pristinam suam naturam et qualitatem, quam extra Christi satisfactionem ac meritum habuit, sed mutatur piis et in Christum credentibus in suavem somnum et verae vitae exordium, in peccati exterminium et omnium malorum levamentum. Tertio, *in media morte vivifica consolatione*
XVII. 49. *nos sustentando*, ac denique quarto, *corpus nostrum ex terrae pulvere resuscitando*, in qua resurrectione plena atque integra ex morte victoria et perfecta ἀφθαρσία per Christum nobis continget, Joh. 6, v. 39. c. 11, v. 25. 1. Cor. 15, v. 25. etc. Atqui si Christus a morte et mortalitate nos nequaquam liberasset, nunquam illius verae vitae et ἀφθαρσίας participes redderemur.

6. Ex 48. *6 Ex arboris vitae constitutione. Si primus homo, antequam peccaret, fuisset natura immortalis, quid opus fuisset propter eum vitae arborem conserere eique ad comedendum tradere?* Gen. 2, v. 17. Respondemus 1. per *inversionem.* Quia inter ceteros paradisiacos fructus fuit arbor vitae, quae naturali atque occulta facultate vitam hominis conservandi, vires vegetas praestandi ac a debilitate, senio et morte ipsum praeservandi fuit instructa, ex eo colligitur, primum hominem non fuisse mortalem, sed immortalem. Quidam ex veteribus non naturalem ac nativam quandam vim corroborandi vires, sed sacramentalem duntaxat significationem tribuunt; quidam statuunt, lignum illud vitae eam vim habuisse, ut vel semel gustatum perfectam afferret immortalitatem, ideoque non ante sumendum fuisse, quam transferendi essent homines de statu gratiae in statum gloriae. Neutra hypothesis Socini argumentum confirmat. 2. Per *concessionem.* Si primus homo ab usu fructuum paradisiacorum ac praesertim arboris vitae penitus abstinere voluisset, procul dubio morti obnoxius factus fuisset. Lombardus 2. sent. dist. 19: *Sicut peccavit comedendo, quod erat prohibitum, ita etiam peccaret, si non comederet, quod erat jussum.* Sed ex eo inferri nequit, ipsum natura mortalem fuisse, quia hac ratione Adamus contra ordinem divinitus institutum peccasset, cum de fructibus arboris comedere jussus fuerit, unica arbore scientiae boni et mali excepta, sic ergo non ex *naturae conditione*, sed *ordinis divini transgressione* mortalis fuisset factus. 3. Per *distinctionem* inter immortalitatem in statu integritatis ac primaevae creationis, et inter immortalitatem in statu glorificationis, ut et inter mortalitatem absolutam et hypotheticam, inter potentiam moriendi remotam et propinquam, de quibus distinctionibus superius actum fuit.

(arboris vitae constitutione.)

49. *7. Ex causarum enumeratione. Cum omnes causae efficientes mortalitatis nostrae naturalis, sive in nobis, sive extra nos sint, jam antequam primus homo peccaret, exsisterent, non minus quam postea necesse est, ut ipse etiam effectus mortalitatis naturalis non minus antea quam postea exstiterit.* Respondemus: 1. per *distinctionem.* Non sufficit, causas mortis internas vel externas *materialiter* exstitisse, sed necesse est, ut *formaliter* in actu exstiterint, id quod de primaevo hominis statu dici nequit. Neque enim humores vel quantitate, vel qualitate peccassent, nec calor naturalis humidum radicale penitus absumsisset, nec corpus hominis a frigore, aestu, combustione, suffocatione laesum fuisset, cum ab internarum et externarum illarum causarum injuriis Deus sufficienter hominem muniverit. 2. Per *inficiationem.* Causae mortis principales, primariae ac adaequatae, videlicet peccatum, ira Dei ac tyrannis diaboli, in primo illo statu non habuissent locum, ideo etiam nullum a morte vel mortalitate homini in eo persistenti metuendum fuisset periculum. 7. Ex causarum enumeratione.

50. *8. Ex absurdi consecutione.* Ostorodus in inst. Germ. c. 33. p. 266. Socini argumentis etiam 8. Ex absurdi consecutione.

hoc addit: *Si homo in justitia et immortalitate similis fuisset a Deo conditus, nec peccare, nec mori potuisset, quia Dei justitia et immortalitas in eo consistit, quod ipse nec peccare, nec mori possit. Sed consequens absurdum. Si enim homo nec peccare, nec mori potuisset, utique actu non peccasset nec mortuus fuisset. Ergo et antecedens.* Ex quo porro infert, *imaginem Dei, ad quam homo*
XVII. 50. *fuit conditus, non in justitia et immortalitate, sed in dominio super bestias et in ratione constitisse.* Respondemus 1. per *inversionem.* Quia homo ad imaginem et similitudinem Dei fuit conditus, utique etiam immortalis fuit conditus, quomodo enim homo mortalis Dei immortalis imaginem gestare potuisset? 2. Per *distinctionem* inter immortalitatem Dei et Adami. Facile concedimus, Adamum non fuisse eo modo, gradu ac sensu immortalem, quo Deus est immortalis *essentialiter ac simpliciter, absolute et omnimode, per suam naturam et essentiam;* quinimo et hoc concedimus, Adamum non fuisse eo modo, sensu ac gradu immortalem, quo beati in statu gloriae erunt immortales; sed ex eo inferri nequit, ipsum nullo plane modo ac sensu immortalem fuisse. A remotione enim unius speciei ad remotionem generis non valet consequentia. 3. Per *limitationem* propositionis majoris. Qui Deo aequalis est in justitia et immortalitate, non autem qui ratione justitiae et immortalitatis Deo duntaxat similis, is non potest peccare nec mori. Ut simile non est idem vel aequale, ita quoque similitudo non est identitas nec aequalitas, sed sufficit ad similitudinem qualiscunque conformitas ac proportio. Quodsi jam subsumatur de primo homine, eum fuisse Deo aequalem in justitia et sanctitate, tum falsum assumi in propatulo est. 4. Per *concessionem.* Adamus peccato et morti actu obnoxius est factus, ergo etiam peccare et mori potuit; sed haec est potentia moriendi *remota,* non *propinqua; hypothetica,* non *absoluta.* Jam vero talis immortalitas, qualem primo homini tribuimus, probe consistit cum potentia moriendi remota et hypothetica, ut et cum imagine Dei, ad quam primus homo fuit conditus. Pari ratione concedimus, imaginem Dei δευτέρως et secundario in dominio super bestias constitisse, sed ex eo inferri nequit, quod in justitia et sanctitate, itemque in immortalitate ea non sit statuenda, cum contrarium disertis verbis tradat apostolus Eph. 4, v. 24.

9. Ex corporis compositione.

51. *9. Ex corporis compositione.* Quidam hoc insuper utuntur argumento: *Quidquid ex contrariis elementis componitur, illud est mortale; sed in statu innocentiae corpus hominis compositum fuit ex diversis, imo contrariis elementis.* Ergo. Respondemus 1. per *instantiam.* Corpora beatorum glorificata erunt composita ex elementis, nec tamen erunt mortalia et corruptibilia. 2. Per *limitationem.* Quidquid ita constat ex contrariis elementis, ut in eo non sit exactissima primarum ac secundarum qualitatum harmonia, nec habeat exactissimam temperamenti aequalitatem, nec possit usu cujusdam fructus in vegetis atque integris viribus conservari, nec sit animae ad immortalitatem conditae indissolubili vinculo unitum, illud etiam est mortale et corruptibile. Jam vero de corpore primi hominis subsumi non poterit, illud enim quamvis fuerit ex contrariis elementis compositum, tamen exactam qualitatum harmoniam ac temperamenti aequalitatem obtinuit, ac usu arboris vitae ab omni corruptione praeservari potuit, quin et animae ad immortalitatem conditae essentialiter et indissolubiliter fuit unitum. 3. Per *distinctionem* inter potentiam moriendi remotam et propinquam. Quidquid ex contrariis elementis componitur, est resolubile ac mortale, scilicet potentia remota, non autem habet propinquam potentiam et inclinationem naturalem ad mortem. Deus et voluit pro sua sapientia, et potuit pro sua omnipotentia ex contrariis et corruptibilibus elementis tale corpus formare, quod esset immortale sensu eo, quem expositum dedimus superius, et animae ad immortalitatem conditae organum perpetuum. Ecquis ergo sapientiae ac potentiae illius limites praescribere velit? Etiam stellas ex rebus elementaribus, aquis scilicet coelestibus, et substantia aërea, luce scilicet, condidit, quas tamen incorruptibiles esse, constans quorundam est assertio. Coronidis loco notari potest, quodnam sit πρῶτον ψεῦδος in hac Photinianorum opinione de naturali mortalitate primi hominis, videlicet 1. *ratiocinii humani elevatio.* Ut enim in aliis fidei capitibus, ita quoque in hac quaestione de statu hominis ante lapsum plus aequo tribuunt judicio
corruptae rationis, et quia ratio sibi relicta et extra XVII. 5
verbi lucem non potest aliter judicare, quam mortem homini aeque ac reliquis animalibus esse naturalem ac corpus ex elementis compositum esse mortale; ideo rationis judicium relicta verbi luce praepostere sequuntur. *2. Peccati originalis negatio.* Quia enim peccatum originis ἀποτόμως negant, quid mirum, quod de effectu illius peccati tam graviter aberrant? Finis ac scopus hujus opinionis Photinianae eo directus est, ut doctrina de satisfactione Christi labefactetur. Facile enim intelligunt vim hujus nostri argumenti: Quicunque moritur, propter peccata moritur. Christus actu mortuus est. Ergo propter peccata mortuus, non autem sua, teste tota Scriptura, ergo propter nostra peccata, et per consequens, sua morte pro peccatis nostris satisfecit.

---

## CAPUT III.

## DE MATERIA MORTIS.

2. Materia mortis.

52. Atque haec de *causa efficiente* mortis dicta sint. *Materia ex qua* mortis nulla dari potest, cum sit privatio. *Materia in qua* sive *subjectum* est *totus homo,* non quidem ratione partium seorsim consideratarum, quia anima est immortalis et incorruptibilis, Matth. 10, v. 28. sed ratione totius

*compositi*, quia totus homo mori et interire dicitur, id quod probamus 1. *ex phrasi Scripturae*. Gen. 5, v. 5: *Mortuus est Adam*, v. 8: *mortuus est Seth*, v. 11. *mortuus est Enos*, et sic consequenter. *2. Ex regula philosophorum*. Actiones et passiones non partibus, sed toti composito ac supposito tribuenda sunt. *Compositae substantiae*, inquit Philosophus, *insunt omnes actiones et passiones, sed propter naturas, ex quibus est composita*. Thomas 2, 2. quaest. 58. art. 2: *Actiones sunt suppositorum et totorum, non autem proprie loquendo partium et formarum seu potentiarum. Non enim proprie dicitur, quod manus percutiat, sed homo per manum, neque proprie dicitur, quod calor calefaciat, sed ignis per calorem*. Jam vero mors est quaedam passio. Ergo toti homini tribuenda. *3. Ex mortis natura*. Mors est solutio animae a corpore. Jam vero totus homo constat anima et corpore nexu quodam essentiali sibi invicem devinctis. Ergo etiam totus homo mori recte dicitur. *4. Ex oppositione*. Quod proprie dicitur vivere, illi etiam mors recte et proprie tribuitur, quia mors opponitur vitae privative. Jam vero totus homo, totum compositum proprie dicitur vivere. Anima est principium, quo homo vivit, sed illud, quod vivit, est totum compositum, vita enim est actus animae in corpore. Ergo etiam totus homo proprie dicitur mori. *5. Ex causae et effectus collatione*. Quod est subjectum peccati originalis, illud etiam est subjectum mortis, quia mors est effectus et consequens peccati. Jam vero totus homo est subjectum originalis peccati, ut suo loco fuit demonstratum. Ergo.

---

## CAPUT IV.

## DE FORMA MORTIS.

1. Forma. 53. *Forma* mortis ex ejusdem descriptione superius tradita colligi potest. Scriptura sacra de forma mortis sic loquitur. Eccl. 12, v. 7: *Revertetur pulvis* (corpus ex terrae pulvere formatum) *in terram, quemadmodum fuit, et spiritus* (anima) *revertetur ad Deum, qui dedit illum*. 2. Cor. 5, v. 1: *Si terrestris domus hujus tabernaculi dissolvitur* etc. v. 4. *nolumus exui, ἐκδύσασθαι*. v. 8. *Bonam voluntatem habemus, magis ἐκδημῆσαι ἐκ τοῦ σώματος καὶ ἐνδημῆσαι πρὸς τὸν κύριον, peregrinari a corpore*
XVII. 52. *et praesentes esse apud Dominum*. Phil. 1, v. 23: *ἐπιθυμίαν ἔχω εἰς τὸ ἀναλῦσαι, dissolvi, et esse cum Christo*. 2. Tim. 4, v. 6: *Tempus meae ἀναλύσεως instat*. 2. Petri 1, v. 14: *In propinquo est ἡ ἀπόθεσις τοῦ σκηνώματός μου*. Cum enim homo constet ex anima et corpore essentiali vinculo invicem unitis, ideo mors hominis nihil aliud est quam animae a corpore *ἀνάλυσις* sive solutio. Cum anima in corpore velut in terreno quodam habitaculo peregrinetur, quamdiu homo vivit, ideo mors hominis nihil aliud erit quam terrestris illius habitaculi ac tabernaculi *κατάλυσις καὶ ἀπόθεσις*, ac animae ex diuturna peregrinatione ad Deum *ἐπαναχώρησις*. Cum corpus sit quasi indumentum ac vestimentum animae, ideo mors hominis nihil aliud est quam vestimenti illius *ἔκδυσις* sive exuitio. Cum vita sit actus animae in corpore, *τὸ ζῆν ἐστι σύνθεσις καὶ σύνδεσμος ψυχῆς σώματι* Aristoteles lib. 8. metaph. Scaliger exerc. 102. sect. 5. utique mors vitae privative opposita formaliter erit animae et corporis divulsio sive distractio ac conjunctissimorum illorum separatio.

54. Errant igitur *Photiniani*, qui mortem definiunt per annihilationem sive in nihilum redactionem. An mors sit annihilatio. Schmaltzius de div. Christi cap. 13. fol. 79: *Resurrectio et resurgere nihil aliud est quam ex non exsistente iterum exsistere. Hinc generationi assimilatur resurrectio, hinc etiam de mortuis dicitur, quod non sint, natura scilicet rei inspecta. Et quod aliqui vivere dicuntur, nempe Deo, id non aliter accipiendum est, quam eos olim ex mortuis resuscitatum iri, hoc enim vere est Deo vivere, ut locus* Luc. 20. *aperte declarat, in quo Christus per id, quod dixerat de Abrahamo, Isaaco et Jacobo, quod Deo vivant, demonstrat, eos resurrecturos ex mortuis*. Dicta Scripturae, in quibus de mortuis dicitur, quod *non sint*, potiora haec sunt. Psalm. 39, v. 14: *Desine a me, antequam vadam* וְאֵינֶנִּי, *et non ego*. Jer. 31, v. 15: *Rahel renuit consolari super filiis suis*, כִּי אֵינֶנּוּ, *quia non ipsi*, id est quia nullus eorum superest, ita ut singularis pro plurali distributive ponatur. c. 49, v. 10: *Vastatum est semen ejus et fratres ejus et vicini ejus*, וְאֵינֶנּוּ, *et non ipsi*. Thren. 5, v. 7: *Patres nostri peccaverunt, et non ipsi*. Matth. 2, v. 18. adducitur dictum Jeremiae de filiis Rachelis *ὅτι οὐκ εἰσίν*, ex quibus omnibus Schmaltzius infert, quod *mori sit non exsistere, et resurgere nihil aliud sit quam ex non exsistente iterum exsistere*. Respondemus: 1. per *instantiam*. Si mori est in nihilum redigi, nemo eorum, qui a Christo ac sanctis Dei viris, tum in V. tum in N. T. sunt resuscitati, vere fuit mortuus, quia nemo eorum fuit in nihilum redactus, sed anima ad corporis domicilium, e quo non multo ante egressa erat, fuit duntaxat revocata; quinimo nec ipse Christus fuisset vere mortuus, absit enim, ut dicamus, eum fuisse in nihilum redactum, cum diserte de ipso negetur, quod viderit *διαφθοράν* Psalm. 16, v. 10. Act. 2, v. 27. 2. Per *inficiationem*. Nec anima, nec corpus hominis in morte in nihilum redigitur. Non anima, quia illa a corpore discedens immortalis subsistit, ut suo loco probabimus. Non corpus, quia somno consopitum in pulvere terrae quiescit resuscitationem in extremo die exspectans. 3. Per *deductionem ad absurdum*. Si mori est in nihilum redigi, plane negabitur resurrectio. Animae utpote immortali resurrectio ascribi nequit; non enim resurgit, nisi quod prius cecidit, corpori autem ex hypothesi Photinianorum resurrectio tribui nequit, negant enim illam ipsam carnem, quam in hac

vita circumferimus et quae in morte per cinefactionem resolvitur, resurrecturam. Schmaltzius in exam. cent. error. p. 36. *Corpora haec*, (inquit) *quae nunc circumferimus, resurrectura non credimus, sed alia nobis danda esse ab apostolo edocti sumus.* Ostorodus in inst. p. 394. verba symboli apostolici, *Credo resurrectionem carnis*, sic depravat: *Credo resurrectionem non carnis, sed illius, quod fuit caro, sicut publicani et meretrices dicuntur praecessurae Pharisaeos in regno coelorum.* Matth. 21, v. 31. *hoc est, qui fuerunt publicani et meretrices.*
XVII. 53. Quid ergo resurget, quid ex non exsistente iterum exsistet? nihil plane. Creatio igitur potius erit quam resurrectio. 4. Haec omnia evidenter probant, phrasin illam *non esse*, de mortuis usurpatam, accipiendam esse *ratione totius compositi*, quod illud non amplius sit, scilicet tale compositum, quale antea fuit, sicut in vulgato versiculo dicitur:

*Post hominem vermis, post vermem foetor et horror;*
*Sic in non hominem vertitur omnis homo;*

nequaquam vero *ratione partium seorsim consideratarum*, quasi vel alterutra, vel utraque earum in morte statim in nihilum redigatur, quia mors est talis *ἀνάλυσις*, per quam totum quidem compositum dissolvitur, interim partes non rediguntur in nihilum, sed quaelibet in suum redit locum, pulvis in terram, spiritus ad Deum. Sic destructio domus non est omnimoda ejusdem annihilatio, cum partes quaedam post destructionem manere possint superstites. Recte Dionysius de eccl. hierarch. c. 11: Mors non est *ἀνυπαρξία τῆς οὐσίας*, sed potius *τῶν ἡνωμένων διάκρισις εἰς τὸ ἡμῖν ἀφανὲς ἄγουσα*. Hilarius in Psalm. 63: *Qui praedicabit animae cum corpore occasum, audiet, animam non esse terrenam, sed ex afflatu Dei ortam elementis corporis admisceri, mortem autem non interitum esse, sed discessum ejus ex corpore.* Idem in Psalm. 140. circa fin.: *Ablatio animae non abolitio ejus est.* 5. Ne ulla restet dubitatio, adducimus locum Gen. 5, v. 24. ubi de patriarcha Enocho dicitur: *Ambulavit cum Deo,* וְאֵינֶנּוּ *et non ipse, quia tulit eum Deus.* Ecquis vero dixerit, Enochum in nihilum esse redactum, cum de eo dicatur, quod *Deus ipsum tulerit* sive assumserit, videlicet ad se in gloriam coelestem, quod *translatus fuerit*, ne *videret mortem*, Hebr. 11, v. 5. Sirac. 44, v. 16? Nequaquam igitur *absolute et simpliciter* intelligendum, quod Henoch post suam *μετάθεσιν* non fuerit, et quod mortui non sint, sicut haec phrasis usurpatur Rom. [illegible] v. 17: *Deus vocat ea, quae non sunt*; sed [illegible]dum *quid*, respectu scilicet hujus vitae [illegible]nae, quod in terris non amplius fuerit [illegible]tes, unde phrasis illa Hebr. 11, v. 5. [illegible]xponitur *οὐχ εὑρίσκετο*, *non inveniebatur*. [illegible]onfero etiam locum propheticum Dan. [illegible] v. 26: *Post hebdomadas sexaginta* [illegible] *du*[illegible] [illegible]*idetur Messias,* וְאֵין לוֹ *et non ei*; quidam [illegible]ponunt, *non sibi*, id est non morietur propter sua, sed propter aliena peccata. Vatablus *et non ei*, scilicet erit opem ferens, LXX interpr. *καὶ κρῖμα οὐκ ἔσται ἐν αὐτῷ, non erit in eo causa mortis.* Symmachus *οὐχ ὑπάρξει αὐτῷ.* Vulgata *et non erit ei populus*, qui eum negaturus est. Tremellius et Junius *cum nihil erit ipsi*, id est nihil amplius Hierosolymis erit habiturus, sed ea plane reprobaturus ac suos inde ducturus. Piscator *nulla in eo erit iniquitas.* Lutherus er wird nichts mehr sein, in margine addit, *in regno Mosaico et politico*, quia novum regnum auspicabitur. Sed simplicissime juxta phrasin usitatam exponitur *et non erit*, id est vere erit mortuus ac *de terra viventium abscissus*, ut explicatur Esa. 53, v. 8. 7. Quid de interitu mundi Photiniani statuant, ex ipsorum scriptis colligi nequit, an *alterationem* duntaxat, an vero *annihilationem* futuram credant. Quodsi cum plerisque Calvinianis alterationem tantum statuerent, posset illis validissimae instantiae loco opponi dictum Job. 14, v. 12: *Non resurget, donec non erit coelum.* 8. Quod resurrectio assimiletur *generationi*, ex eo inferri nequit, *resurgere nihil aliud esse quam ex non exsistente iterum exsistere*, quia resurrectio non vocatur generatio, sed *παλιγγενεσία*, *regeneratio* Matth. 19, v. 28. per quam intelligitur non animae et corporis ex nihilo creatio, sed totius naturae nostrae instauratio, per quam peccatum et mors penitus abolebuntur, quo sensu etiam Petrus diem resurrectionis vocat diem *ἀποκαταστάσεως πάντων* Actor. 3, v. 21. Sic enim caro nostra regenerabitur per incorruptionem, quemadmodum est anima nostra regenerata per fidem. Ex Actor. 13, v. 33. non potest probari, resurrectionem esse generationem, quia verbum *ἀναστήσας* non de Christi ex mortuis
resuscitatione, sed de ejusdem missione ac suscita- XVII. 5[illegible]
tione usurpatur, ut ex scopo concionis apostolicae, ex textus *συνεπείᾳ* v. 23. et 33. ex adversativa particula *δέ* v. 34. ex collatione aliorum Scripturae locorum, Actor. 3, v. 22. et 26. c. 7, v. 37. Rom. 15, v. 12. et ex hujus ipsius cap. v. 22. in praelectionibus de Deo demonstravimus. Et qua veritatis specie de Christi resuscitatione ex mortuis dici potest, quod per eam Christus ex non exsistente iterum exsistere coeperit? Quod Lucae 20, v. 36. illi, qui ex mortuis suscitantur, dicuntur *filii resurrectionis*, nequaquam probat. resuscitationem esse quandam generationem, [illegible] est phrasis Hebraica in Scripturis saepius [illegible]ata. *Filii resurrectionis*, id est participes [illegible]urrectionis, sicut ibid. v. 34. *filii hujus* [illegible] dicuntur, qui in hoc seculo aetatem [illegible] 9. Denique quod phrasis Scripturae sacrae de mortuis sanctis patriarchis usurpata, *vivere Deo*, sit non exsistere et olim resurgere, id e diametro textui adversatur, sic enim Deus esset *Deus non vivorum, sed mortuorum*, quod Christus *ἄτοπον* esse ibidem asserit. Vivunt ergo Deo patriarchae etiam mortui, quia ipsum a facie ad faciem intuentur, ipsum laudant ac praedicant, ut inferius late demonstrabimus.

## CAPUT V.

## DE FINE MORTIS.

1. Finis mortis.

55. *Finis mortis* in se ac per se consideratae est esse poenam peccati, Rom. 6, v. 23. postquam enim primus homo in peccatum prolapsus ex ore Dei audiit: *Pulvis es et in pulverem reverteris* Gen. 3, v. 19. inde omnes ejus posteri, utpote in quos peccatum primi hominis per carnalem generationem propagatur, propter peccatum morti facti sunt obnoxii, Rom. 5, v. 12. Eccles. 25, v. 32. Quodsi vero non amplius in se ac per se, sed respectu diversorum objectorum, *piorum* scilicet ac *impiorum*, mors consideretur, tum diversitas finis et effectus deprehenditur. *Impiis* mors est *1. peccati poena propie et exquisite sic dicta*, quia a Deo irato ipsis infligitur, unde etiam dicuntur *consumi cum terroribus* Psalm. 73, v. 19. *2. Est secundae sive aeternae mortis initium*, unde ab una morte ad aliam transeunt. *Piis* vero mors 1. proprie et accurate loquendo non est talis poena peccati, id quod patet tum ex *termino a quo*, quia non infligitur a Deo irato, sed est paterna castigatio, quam propter peccatum in carne adhuc haerens, ex gratia tamen remissum et per spiritum mortificari coeptum, non minus quam reliquas hujus vitae calamitates sustinere coguntur; tum ex *termino ad quem*, de quo in sequentibus membris dicetur. 2. Est *suavis ac dulcis somnus*, quo ad tempus consopiti ad vitam aliquando evigilabunt. 3. Est *liberatio a labe adhaerentis peccati*, ab insidiis diaboli, a scandalis mundi, ab omnibus hujus vitae periculis et miseriis, Rom. 6, v. 7. Regeneratio tollit peccati reatum, renovatio tollit peccati dominium, mors ejus sensum, redactio corporis in cineres ejusdem radicem, vitiosam scilicet qualitatem. 4. Est *materia agonis ac victoriae*, ut in Christo et per Christum mortem vincant ac coronam gloriae victoribus promissam consequantur, Apoc. 2, v. 10. 5. Est *translatio ad statum beatum* et janua ad veram vitam, Joh. 5, v. 24. collectio ad patres, emigratio ad Dominum etc. Augustinus lib. 13. de civit. Dei cap. 4: *Per ineffabilem Dei misericordiam et ipsa poena vitiorum transit in arma virtutis et fit justi meritum etiam supplicium peccatoris. Tunc enim mors est acquisita peccando, nunc impletur justitia moriendo* etc. *non quia mors bonum aliquod facta est, quae antea malum fuit, sed tantam Deus fidei praestitit gratiam, ut mors, quam vitae constat esse contrariam, instrumentum fieret, per quod transiretur in vitam.* Ambrosius lib. de fide resurrect. cap. 9: *Debuit dari finis malorum, ut mors restitueret, quod vita*
XVII. 55. *amiserat. Immortalis enim oneri potius est quam usui, nisi adspiret gratia. Et si bene discutias, non naturae mors ista est, sed malitiae. Manet enim natura, malitia moritur, resurgit quod fuit.* Qua de re in tract. postremo de vita aeterna plenius dicetur.

An mors sit satisfactio pro peccatis.

56. Circa finem et effectum mortis errant *Pontificii* docendo, *mortem esse satisfactionem pro peccatis et meritum vitae aeternae.* Thomas contra gent.: *Homo per poenam mortis satisfacit et meretur quoque, quamvis enim in hora mortis non habeat usum liberi arbitrii, sufficit tamen illi bona intentio.* Hanc Thomae sententiam allegat et approbat Keisersbergius in lib. German. de proprietatibus villici p. 136. ubi inter cetera sic scribit: *Vere mors sanctorum pretiosa coram Deo, quia propter illam peccata delentur et ejus merito palmae justitiae obtinentur, quod quamvis Augustinus de morte martyrum dicat, tamen verum est de quavis morte, quam quis patienter et fideliter sustinet.* Ibid. disputat, *remisso peccato originali per baptismum mortem relictam esse pro satisfactione actualium peccatorum* etc. et p. 138. *violentam mortem latronis, furis aut alterius malefici patienter toleratam esse satisfactionem pro peccatis.* Contra vero 1. Scriptura unicam tantum pro peccatis satisfactionem, a Christo scilicet praestitam, novit Esa. 53, v. 5. c. 63, v. 3. Rom. 4, v. 25. Hebr. 2, v. 14. cap. 9, v. 28. cap. 10, v. 14. etc. 2. Ut ergo apostolus infert, *si per legem justitia, Christus frustra mortuus est* Gal. 2, v. 21. ita eodem modo inferimus. Si per mortem nostram satisfacere possumus, Christus frustra mortuus est. 3. Quod in se ac per se est poena peccati, non potest esse satisfactio pro peccato. Jam vero mors in se est poena peccati. Ergo. 4. Oppositio apostolica est perquam emphatica. Rom. 6, v. 23: *Stipendium peccati mors, gratia autem Dei est vita aeterna in Christo.* 5. Vera ac Deo grata patientia, qua martyres violentam ac reliqui pii naturalem mortem aequo animo suscipiunt, est fructus verae fidei, quae in uno et solo Christo satisfactionem pro peccatis et meritum vitae aeternae quaerit. 6. Ergo nec meriti, nec medii rationem in impetranda peccatorum remissione mors corporalis obtinere potest; non illud, quia sola Christi passio est satisfactio pro peccatis et meritum remissionis; nec hoc, quia sola fides promissionem de remissione peccatorum propter Christum in verbo evangelii oblatam salutariter apprehendit.

---

## CAPUT VI.

## DE OBJECTO MORTIS.

57. *Objectum mortis* est totum genus humanum. 5. Objectum mortis.
Ut enim [illegible] *totus homo*, ita quoque moritur *omnis homo*, id [illegible] probant 1. *Scripturae sacrae oracula*, tum *affirmant*[illegible] quae testantur, omnes homines morti obnoxios esse. [illegible] Sam. 14, v. 14: *Moriendo morimur, et velut aquae*, [illegible] *defluentes in terram, quae non congregantur*, id est, [illegible] mortales sumus, quia verba activa et neutra apud Hebr[illegible] quandoque significant inhaerentes qualitates, vita

omnium est labilis ac fluxa instar aquarum in terram effusarum, quae non recolliguntur, anima enim non revertitur in corpus ad hujus vitae usuram ante resurrectionem. Augustinus in Psalm. 109: *Torrens est profluxio mortalitatis humanae. Sicut enim torrens pluvialibus aquis colligitur, redundat, perstrepit, currit et currendo decurrit, id est cursum finit; sic est omnis iste cursus mortalitatis. Nascuntur homines, vivunt, moriuntur, et aliis morientibus alii nascuntur. Quid hic tenetur? quid hic non decurrit? quid non quasi de pluvia collectum it in mare et abyssum?* Job. 30, v. 23. mors vocatur *domus congregationis omnis viventis*, id est in quam omnes viventes congregantur. Sirac. 8, v. 8: *Memento, quod omnes morimur.* c. 14, v. 18: *Omnis*
XVII. 56. *caro ut vestis veterascit.* cap. 25, v. 32: *Propter peccatum omnes morimur.* Rom. 5, v. 12: *Mors in omnes homines pertransiit.* Hebr. 9, v. 27: *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium*, ubi indefinita aequipollet universali, ut intelligitur ex membro posteriore. Quemadmodum enim *omnes nos manifestari oportet coram tribunali Christi* 2. Cor. 5, v. 10. ita quoque omnibus statutum est mori. Tum *negativa*, in quibus neminem a morte immunem esse asseritur. Psalm. 89, v. 49: *Quis vir vivet et non videbit mortem?* unde etiam mors vocatur *via universae carnis* Jos. 23, v. 14. 1. Reg. 2, v. 2. ac *testamentum jam olim cum homine initum*, ἡ διαθήκη ἡ ἀπὸ αἰῶνος, θανάτῳ ἀποθανῇ Sirac. 14, v. 18. 2. *Universalis mortis causa.* Cum enim omnes homines post lapsum protoplastorum nascantur peccato obnoxii, ideo etiam omnibus moriendum, Rom. 5, v. 12. 1. Cor. 15, v. 22. Solus Christus ut omnis peccati expers, ita quoque a lege mortis liber fuit, quod autem *mortuus est, peccato mortuus est semel*, Rom. 6, v. 10. hoc est quia peccata nostra expianda in se susceperat, ideo etiam poenam peccatorum nostrorum, mortem scilicet, in sese transtulit, et sic ipse etiam propter peccata mortuus est non quidem sua, sed nostra in se conjecta ac sibi imputata, quod vero omnes reliquos homines attinet, illi propter sua peccata morti sunt obnoxii. 3. *Manifesta exempla.* Non solum Scriptura, sed etiam ipsa experientia testantur, omnes homines morti obnoxios esse. Moriuntur juvenes et senes, divites et pauperes, pii et impii, eruditi et indocti, deformes et pulchri etc. Job. 3, v. 14: *Requiescunt in morte reges, consules, principes;* v. 19. *parvus et magnus ibidem, et servus manumissus a Domino.* Eccles. 2, v. 16: *Morietur sapiens cum stulto.* Sirac. 10, v. 12: *Rex hodie et cras morietur.* cap. 41, v. 5: *Ne timeas* [illegible] *um* [illegible], *hoc enim mortis, memento priorum te et ultim*[illegible]. *Et quid recu*[illegible] *judicium tuae carni a Domin*[illegible] *sive decem, sive censas in beneplacito Altis*[illegible] *Non est in inferno redargutum, sive mille an*[illegible] *tio vitae.* [illegible] reddidit: Im Tode fragt man nicht, [illegible] *ge* einer gelebet hat. 4. *Piorum veterum* [illegible] Justinus apol. 1. pro Christ. p. 38: παντὸς παντὶ γεννωμένῳ ἀνθρώπῳ καὶ θανεῖν ὀφείλεται. Basilius serm. de gratiis Deo agend. tom. 1. p. 363: *Mortis lex irrefragabilis.* Chrysostomus in c. 10. Matth.: *Mors munus necessarium est naturae jam corruptae, quae non est fugienda, sed potius amplectenda, ut iterum fiat voluntarium, quod futurum est necessarium, offeramus Deo pro munere, quod pro debito teneamur reddere.* Hieronymus in epist. ad Heliodor.: *Xerxes ille magnus rex potentissimusque, qui subvertit montes, maria constravit, cum de sublimi loco infinitam hominum multitudinem et innumerabilem vidisset exercitum, flevisse dicitur, quod post centum annos nullus eorum, quos tunc cernebat, superfuturus esset. O si possemus super talem adscendere speculam, de qua universam terram sub pedibus cerneremus, jam tibi ostenderem totius mundi ruinas, gentes gentibus, reges regibus, regna regnis collisa! Alios torqueri, alios necari, alios absorberi fluctibus, alios in servitutem trahi etc. et non tantum Xerxis exercitum, sed totius mundi homines, qui nunc vivunt, in brevi spatio defuturos. Vincitur sermo rei magnitudine, et minus est, quod dicimus. Redeamus igitur ad nos et quasi e coelo descendentes paulisper nostra videamus. Sentis obsecro te, quando infans, quando puer, quando senex factus sis. Quotidie morimur, quotidie commutamur, et tamen aeternos nos esse credimus.* Bernhardus in serm.: *Quid in rebus humanis certius est morte, quid incertius hora mortis invenitur? Non miseretur inopiae, non reveretur divitias, non sapientiae, non moribus, non aetati denique parcit, nisi quod senibus mors est in januis, juvenibus vero in insidiis.* 5. *Saniorum gentilium effata.* Aeschylus referente Stobaeo serm. 117.

*Μόνος θεῶν θάνατος οὐ δώρων ἐρᾷ,*

*una e Diis mors nulla captat munera.* Phocylides:

*Πάντες ἴσον νέκυες, ψυχῶν δὲ θεὸς βασιλεύει,*
*Κοινὸς χῶρος ἅπασι, πένησί τε καὶ βασιλεῦσιν,*

*omnes ex aequo morti obnoxii sunt, animas autem regit Deus; communis omnes locus manet, tum paupe-*
*res, tum reges.* Quintus Calaber: XVII. 57.

*Οὔτι γὰρ ἄνδρες*
*Ζώομεν ἤματα πάντα, πότμος δ' ἐπὶ πᾶσι τέτυκται,*

*non enim homines vivimus dies omnes, mors enim omnibus parata est.* Euripides:

*Βροτοῖς ἅπασι κατθανεῖν ὀφείλεται,*
*Κοὐκ ἔστι θνητῶν, ὅστις ἐξεπίσταται,*
*Τὴν αὔριον μέλλουσαν εἰ βιώσεται,*

*cunctis mortalibus mors debetur, et nullus hominum certo novit, an victurus sit diem crastinum.* Metrodorus: πρὸς μὲν τὰ ἄλλα δύνατον ἀσφάλειαν πορίσασθαι, χάριν δὲ θανάτου πάντες ἄνθρωποι πόλιν ἀτείχιστον οἰκοῦμεν, *adversus alia quidem munimenta parari possunt, quod vero mortem attinet, omnes homines civitatem immunitam habitamus.* Poëtae mortem vocant *pamphagam*, ac juxta citharae illius sonum πάντες δεῖν χορεύειν asserunt. Ovidius ad Liviam:

*Fata manent omnes, omnes exspectat avarus*
*Portitor et turbae vix satis una ratis.*
*Tendimus huc omnes, metam properamus ad unam,*
*Omnia sub leges mors vocat atra suas.*

Horatius lib. 1. carm.:

*Pallida mors aequo pulsat pede pauperum tabernas,*
*Regumque turres.*

ibid.: *Omnes una manet nox*
*Et calcanda semel via leti.*

ibid.:

*Mista senum et juvenum densentur funera, nullum*
*Saeva caput Proserpina fugit.*

Propertius;

*Longius aut citius mors sua quemque manet.*

Corn. Gallus:

*Omnibus est eadem leti via, non tamen unus*
*Est vitae cunctis exitiique modus.*
*Hac pueri atque senes pariter juvenesque ferentur,*
*Hac par divitibus pauper egenus erit.*

Isocrates ad Demon.: *τὸ τελευτῆσαι πάντων ἡ πεπρωμένη κατέκρινε, τὸ δὲ καλῶς ἀποθανεῖν ἴδιον τοῖς σπουδαίοις ἡ φύσις ἀπένειμεν.* Seneca epist. 72: *Omne humanum genus, quodcunque est, quodcunque erit, morte damnatum est.*

58. Universalitatem illam objecti non labefactant 1. *exempla Henochi* Gen. 5, v. 34. *et Eliae* 2. Reg. 2, v. 11. siquidem 1. extraordinaria exempla non tollunt generalem et ordinariam regulam. Voluit Deus hac *μεταθέσει* publicum ac peculiare testimonium dare doctrinae de resurrectione mortuorum, immortalitate animae et vitae aeternae. Irenaeus lib. 5. cap. 7: *Henoch translatus est translationem justorum praemonstrans; Helias assumtus est assumtionem patrum prophetans.* 2. Fuerunt et ipsi morti obnoxii, ac propter peccatum in carne adhuc haerens juxta ordinarium naturae cursum actu mortui fuissent, nisi speciali Dei privilegio ab hac naturae lege et communi omnium debito fuissent excepti. 3. Immutatio illa, per quam corpora ipsorum ex animali et terrena vita in spiritualem et coelestem translatorum facta sunt spiritualia et immortalia, instar mortis obtinuit. 4. Pontificii addunt, tempore Antichristi ipsos adhuc esse occidendos, quod colligunt ex Sirac. 44, v. 16. c. 48, v. 10. Apoc. 11, v. 7. sed falsitatem hujus Judaicae opinionis jam olim monstravit Hieronymus in c. 4. Matth. 4. *Judaei*, inquit, *et Judaizantes haeretici ante εἰλημμένον suum Heliam putant esse venturum et omnia restituturum. 2. Immutatio eorum*, quos dies novissimus deprehendet vivos, 1. Cor. 15, v. 51. 1. Thess. 4, v. 15. quia mutatio illa, in qua et per quam vita prior, animalis scilicet ac naturalis, cessabit, erit instar mortis. Ambrosius in 1. Thess. 4: *In ipso raptu eorum, qui vivi reperientur, mors erit et resurrectio, ubi anima quasi per soporem egressa de corpore, eidem in momento reddetur.* Adde, quod 1. Cor. 15, v. 51. Graeci et Latini codices varient, uti suo loco plenius dicetur. *3. Opinio de Jeremia* propheta, quam proponit Victorinus Martyr in cap. 11. Apoc. quod *ipse nondum mortuus in paradiso adhuc vivat, ut inde in fine seculi veniat praedicaturus poenitentiam et ab Antichristo occidendus. Multi*, inquit, *putant, unum ex his duobus testibus esse Eliam, aut Helisaeum, aut Moysen, sed omnes mortui sunt.* XVII. 58. *Jeremiae autem mors non invenitur, quia omnes veteres nostri tradiderunt, illum esse Jeremiam. Nam et ipsum verbum, quod factum est ad eum, testificatur ei dicens: Priusquam figurarem te in ventre, cognovi te, et priusquam de vulva procederes, sanctificavi te, et prophetam in gentibus posui te. In gentibus autem propheta non fuit, et ideo verbum Domini verax necesse habet, quod promisit exhibere, ut in gentibus propheta sit.* Sed hanc Victorini opinionem damnat Hilarius can. in Matth. 20. Ad rationem adductam Sixtus Senensis lib. 6. biblioth. annot. 346. recte respondet, oraculum illud divinum, *posui te in lucem gentibus*, non sic accipiendum esse, quasi Deus eum missurus esset extra Judaeam ad prophetandum et praedicandum in regiones gentium, sed quod de gentium factis prophetare deberet, praedixit enim Assyriorum victorias adversus Israël et ipsorum quoque regni excidium. *4. Similis opinio* de Johanne evangelista, quam posuimus ac refutavimus in harm. de resurrect. c. 11. p. 403.

---

## CAPUT VII.

## DE ADJUNCTIS MORTIS.

Adjuncta mortis. 1. Tempus.

59. *Adjuncta* mortis sunt *1. tempus, 2. numerus, 3. antecedentia* et *4. consequentia. 1. Tempus* mortis est vitae terminus cuique homini divinitus constitutus. Deut. 30, v. 20: *Deus est vita tua et longitudo dierum tuorum.* Job. 14, v. 5: *Si definiti sunt dies ejus* (hominis), *si numerus mensium ejus apud te est, si statuta ejus fecisti*, id est terminos ei praescripsisti et certum tempus, quo sit victurus, neque praeteribit, quos non praetergrediatur, ut diutius vivat. Particula אִם hoc loco non ponitur interrogative, sed *conditionaliter*, nam versu seq. absolvitur sententia: *Si definiti sunt dies ejus, recede ab eo.* חָרַץ significat *sedulo et solicite minutissima quaeque curavit, ordinavit, decrevit.* Dicuntur ergo dies hominis חֲרוּצִים *definiti, decisi, decreti*, dem Menschen sind die Tage seines Lebens zugewogen. *Numerus mensium ejus tecum est* vel penès te, seine Monate sind ihm zugezählet. cap. 16, v. 22: *Anni numeri sive numerati venerunt.* Psalm. 31, v. 16: *In manu tua tempora mea.* Psalm. 39, v. 5: *Fac me scire mensuram dierum meorum.* Psalm. 139, v. 16: *Omnes dies mei in libro tuo erant consignati, antequam formarentur, cum ne unus quidem illorum exstaret.* Textus Hebraeus est ellipticus, unde quidam subintelligunt אֲשֶׁר,

quidam vero מקדם, sed sensus eodem redit. Act. 17, v. 28: *In ipso vivimus, movemur et sumus.*

Antithesis 1. Epicureorum.

60. Errant circa vitae terminum 1. *in defectu Epicurei*, qui fortuitum et casualem eum esse arbitrantur, quorum cogitationes ac sermones graphice depinguntur Sap. 2, v. 2. *αὐτοσχεδίως ἐγεννήθημεν καὶ μετὰ τοῦτο ἐσόμεθα ὡς οὐχ ὑπάρξαντες.* Quibus Epicureis cogitationibus opponenda est doctrina de divina providentia, cujus objectum sunt omnia, quae sunt ac fiunt, tum ratione *conservationis*, tum ratione *gubernationis*, tam quoad *communem*, quam quoad *singularem* naturam, tam quoad principia *corruptibilium*, quam quoad principia *incorruptibilium*, tam ratione *exsistentiae*, quam ratione *virtutis et efficaciae*, tam ratione *interitus*, quam ratione *ortus*. Peculiariter autem ac specialiter providentia divina versatur circa hominem, tum in *vitae ingressu*, tum in *progressu*, tum in *egressu*. Ut enim Deus omnia propter hominem condidit, ita quoque peculiariter Deo curae est homo, totius mundi epitome ac *μικρόκοσμος*. Quodsi ergo *ne passerculus quidem in terram cadit sine Patre coelesti*, id et sine providentia ac voluntate Patris coelestis, Matth. 10,
XVII. 59. v. 29. quanto minus homo nobilissima Dei creatura sine ejusdem providentia fortuitum et casualem vitae terminum habebit, cum ipse *πολλῶν στρουθίων διαφέρῃ* v. 31. *Si capilli capitis numerati sunt* Matth. 10, v. 30. an non et dies vitae in numerato essent apud Deum?

2. Stoicorum.

61. 2. In *excessu Stoici*, qui vitae humanae terminum fatalem esse arbitrantur, quam opinionem Calviniani absolutae necessitatis patroni jampridem fecerunt suam. Statuunt enim, Deum absoluto, id est omnem omnino causarum respectum excludente, decreto unicuique homini certam mortis horam ac certum mortis genus ita determinasse, ut alio temporis articulo et alio mortis genere interire nec possit, nec potuerit, quam quo eum interire contingit. Antequam vero hanc opinionem oppugnemus, annotabimus certas quasdam hypotheses, quae ad statum quaestionis recte formandum et ad contraria argumenta solvenda plurimum conferunt.

An terminus vitae sit fatalis.

1. Distinguendum est inter *mortem ipsam simpliciter, absolute et in genere consideratam;* ac inter *genus et horam mortis*, id est inter mortem determinate, et in specie cum circumstantiis certis consideratam. Mors ipsa simpliciter, absolute et in genere considerata post lapsum protoplastorum omnibus hominibus juxta ordinarium naturae cursum est necessaria, Hebr. 9, v. 27. sed genus et hora mortis non sunt absoluta et fatali quadam necessitate unicuique certa et definita. 2. Terminus vitae est vel *physicus*, vel *hyperphysicus.* Prior respicit causas naturales, quibus Deus ordinarie agendi vires liberas permittit; posterior respectum habet ad causas supernaturales, ad peculiarem scilicet Dei operationem supra et contra naturales causas quandoque agentem, estque vel *gratiae*, vel *irae.* Terminus *gratiae* est, quo Deus piis vitam vel prolongat, vel decurtat; terminus *irae*, quo impiis vitam in medio dierum abrumpit. 3. Praescientia divina, quatenus talis, nuda notitia terminatur, proinde quamvis sit infallibilis et certissima, non tamen absolutam, a priori sive consequentis necessitatem infert. Notum quidem Deo ab aeterno, et infallibiliter quidem notum, quo temporis articulo quove mortis genere quilibet homo sit interiturus, sed propter hanc infallibilem Dei praescientiam non affertur homini necessitas *a priori*, ut hoc articulo temporis et hoc genere mortis occumbat, sed necessitas ex praescientiae infallibilitate originem ducens est duntaxat conditionata, *a posteriori* et consequentiae. 4. Distinguendum inter constitutionem termini *absolutam* et *limitatam.* Terminum vitae cuivis homini divinitus constitutum esse non negamus, sed absoluta quadam ac fatali necessitate sine ullo causarum secundarum, tum naturalium, tum voluntarium respectu eum constitutum esse, id vero totis viribus negamus. Constituit Deus unicuique horam et genus mortis, non tamen absoluto et causas omnes excludente decreto, sed respectu habito tum ad causas naturales, tum ad voluntarias. Quia enim omnia futura in praesentissimo *τῷ νῦν* ab aeterno exactissime intuetur, ideo illi, quem praescit ebrietatem, tyrannidem, caedes, libidines et alia flagitia sectaturum, juxta comminationes in verbo revelato propositas brevem vitae terminum et tragicum mortis genus constituit, quem vitae suae terminum homo flagitiosus praeterire nequit, quia causas *βραχυβιτηιος*, atrocia scilicet delicta sua, non deponit, sed in illis obstinate perseverat, neque tamen vel ad peccata, vel ad peccatorum poenam, praematuram scilicet ac tragicam mortem, absoluto quodam et infallibili Dei decreto impellitur, sed si pietati operam dedisset, si vitam in melius emendasset, Deus hoc ipsum praevidisset et juxta promissiones suas alium vitae terminum et aliud mortis genus ipsi praestituisset. Lyranus in cap. 14. Jobi utitur hac distinctione: *Constitutio termini dupliciter intelligi potest. Uno modo, prout est in divina ordinatione, et sic termini vitae hominis praeteriri non possunt anticipando vel differendo, quia ejus providentia est infallibilis; alio modo, ut est in effectu exteriori, in quantum ex naturalibus causis est periodus certa vitae hominis,* XVII.
*et in aliquibus major et minor secundum varietatem complexionis, et secundum hoc termini vitae possunt anticipari per malum regimen, gladium vel aliam occasionem.* 5. Distinguendum inter *regulam ordinariam et exceptiones extraordinarias.* Regula ordinaria est, piis exspectandam esse *μακροβιότητα*, sed exceptio extraordinaria est, quod praematura quandoque morte pii abripiuntur, ne malitia pervertat ipsorum intellectum, neve futuris involvantur adversis, promissiones Dei temporalia bona concernentes intelligendae sunt cum exceptione crucis et divinae *εὐδοκίας*. Hieronymus sic respondet: *Deus in Scripturis promittens bona temporalia, praesentia et carnalia, si ea non praestat, dat pro eis longe majora, scilicet spiritualia, coelestia et*

*aeterna.* Regula ordinaria est, impiis metuendam esse βραχυβιότητα, sed exceptio extraordinaria est, quod divina bonitas quandoque tempus poenitentiae eis prolongat. Rom. 2, v. 4. 6. Vanitas genethliacorum, qui ab astrorum cursu fatalem termini necessitatem arcessunt, tum aliis argumentis, tum exemplis eorum, qui in diluvio perierunt, Sodomitarum igne coelesti absumtorum, et ruina turris Siloa oppressorum validissime confutari potest, nemo enim asserere audebit, illos omnes sub eadem coeli figura ac schematismo esse natos, cum tamen eodem mortis genere et eodem temporis articulo exstincti fuerint.

utar b ad- in ptu- limi- ne.

62. Hisce praemissis argumenta nostra contra Stoicam et fatalem termini necessitatem producimus *1. ab addita in Scripturis sacris limitatione.* Quidquid pietatis ac impietatis, poenitentiae et impoenitentiae, obedientiae et inobedientiae, virtutis ac flagitiorum conditione est limitatum ac circumscriptum, illud non est absoluta ac fatali quadam necessitate definitum. Sed terminus vitae et genus et horam mortis includens, pietatis et impietatis, poenitentiae et impoenitentiae, obedientiae et inobedientiae, virtutis et flagitiorum conditione est limitatus. Ergo non est absoluta et fatali quadam necessitate definitus. Major est manifesta ex oppositione conditionati et absoluti. Minor probatur tum ex *promissionibus* longaevitatis, pietatis, poenitentiae, obedientiae et virtutis conditionem annexam habentibus tum ex *comminationibus* brevioris aevi ac tragici exitus impietatis, impoenitentiae, inobedientiae et flagitiorum poenam exprimentibus. Promissiones potiores hae sunt. Exod. 20, v. 12: *Honora patrem tuum et matrem tuam, ut prolongentur dies tui super terram*, quod praeceptum de honorandis parentibus adducens apostolus Eph. 6, v. 2. dicit, illud esse *primum in promissione*, vel quia in secunda decalogi tabula primum est, vel quod textui magis convenit, quia primum est, quod specialem ac propriam habet promissionem disertis verbis expressam. Promissio enim addita primo praecepto communis est et generalis ad totum decalogum pertinens. Rationem illius promissionis pulchre explicat Thomas in opusc. 4: *Filii* (inquit) *obtinent vitam a parentibus, sicut milites obtinent feudum a rege. Sicut ergo hi merentur* (acquirunt) *ejus conservationem, quamdiu homagium praestant regi, ita et filii merentur* (acquirunt) *vitae conservationem, quamdiu parentes honorant. Contra, sicut milites rebelles spoliantur feudo, ita et filii rebelles vita.* Exod. 23, v. 25: *Servietis Domino Deo vestro, et benedicet pani tuo et aquis tuis, et removebo infirmitatem de medio tui*, v. 26. *numerum dierum tuorum complebo*, id est faciam, ut sanam et longam consequaris senectam ac moriaris satur et plenus dierum. Deut. 30, v. 20: *Ut diligas Dominum Deum tuum, ut obedias voci ejus et adhaereas ei, quia ipse vita tua et longitudo dierum tuorum ad manendum super terram* etc. Proverb. 3, v. 1: *Fili mi, legis meae ne obliviscaris et praecepta mea custodiat cor tuum*, v. 2. *quia longitudinem dierum et annos vitarum et pacem apponent tibi.* v. 16. de sapientiae coelestis, id est verae pietatis, studio dicit, *longitudo dierum in dextra illius.* Prov. 4, v. 10: *Audi, fili mi, et suscipe eloquia mea et multiplicabuntur tibi anni vitae.* c. 10, v. 27: XVII. 61.
*Timor Domini apponet dies.* Jer. 18, v. 7: *Repente loquor adversus populum, ut eradicem, destruam ac perdam illum, quodsi poenitentiam egerit a malo, agam et ego poenitentiam a malo, quod cogitavi, ut facerem ei.* Apostolus in genere pronuntiat 1. Tim. 4, v. 8. *pietatem habere promissionem praesentis et futurae vitae*, ubi ad praesentis vitae promissionem omnino etiam pertinet longaevitas. *Comminationes* potiores occurrunt istae. Lev. 26, v. 25: *Si non audieritis me, mittam pestilentiam in medio vestri* etc. Deut. 30, v. 18: *Si averterit se cor tuum et non audieris, pereundo peribis, non prolongabis dies tuos super terram.* Psalm. 55, v. 24: *Viri sanguinum et dolosi* (qui vel crudelitate, vel calliditate proximum opprimunt) *non dimidiabunt dies suos*, non attingent medium dierum sive vitae suae, non pervenient ad illum terminum, quem per causas naturales attingere poterant. Psalm. 109, v. 8: *Sint dies ejus pauci, et praefecturam ejus accipiat alter.* Proverb. 10, v. 27: *Anni impiorum breviabuntur.* c. 30, v. 17: *Oculum, qui subsannaverit patrem et contemserit ad obedientiam matris, effodient eum corvi torrentis et comedent eum filii aquilae.* Esa 1, v. 20: *Si rebelles fueritis, gladius devorabit vos, quia os Domini locutum est.* Eccl. 7, v. 18: *Ne impie agas multum, ne moriaris in tempore non tuo.* (Eccl. 19, v. 3. quaedam exemplaria vulgatae versionis Latinae legunt *et tollentur immaturae animae impiorum.* Sed in Graeco haec non habentur nec in omnibus codicibus Latinis.) Haec divina oracula solis radio scripta manifeste ostendunt, nec horam, nec genus mortis fatali et absoluta quadam necessitate esse definitum, sed in utroque ad hominis pietatem vel impietatem respectum haberi.

63. *2. Ab exemplorum enumeratione.* Ne quis 2. Ab exemplorum enumeratione.
enim existimaret, promissiones illas esse vanae cujusdam spei illectamenta, comminationes esse inania terriculamenta et quaedam ex pelvi fulgura, ideo Deus utramque veritatem et immobilitatem exemplis comprobavit. Abrahae dictum fuerat Gen. 15, v. 15: *Ibis ad patres tuos in pace sepultus in senectute bona*, id quod ipso eventu postea fuit comprobatum Gen. 25, v. 8. Illustre cumprimis est exemplum regis Hiskiae, 2. Reg. 20, v. 1. 2. Paral. 32, v. 24. Esa. 38, v. 1. et seqq. de eo expresse dicitur, quod *aegrotaverit* לָמוּת, *ad moriendum* sive letaliter; ne quis vero cogitet, nondum adfuisse naturalem vitae terminum, sed morbum vocari letalem per quandam αὔξησιν καὶ ὑπερβολήν, is expendat divinum oraculum per prophetam ipsi redditum: *Dispone domui tuae, quia morieris tu.* Hebr. מֵת *mortuus es et non vives.* Sed cum in vera ac seria poenitentia ad Deum se converte-

ret et diuturniorem lucis hujus usuram sibi dari serio expeteret, accepit hoc responsum a Deo: *Audivi orationem tuam, vidi lacrymas tuas, ecce ego addam diebus tuis quindecim annos.* Hic nemo, nisi extreme impudens inficias ire poterit, dies Ezechiae juxta ordinarium naturae cursum fuisse completos, sed precibus et lacrymis ex corde poenitente profectis quindecim annos vitae suae superaddi obtinuit. Justinus in quaest. et resp. ad orthod. q. 33. p. 321: *οὐ τῇ προωρισμένῃ ζωῇ τοῦ Ἐζεκίου προσετέθησαν χρόνοι ζωῆς, ἀλλὰ τοῖς ἀορίστως προλαβοῦσιν ἔτεσιν αὐτοῦ, ὧν τὸ τέλος ἐγίνετο διὰ τοῦ θανατικοῦ πάθους, μὴ τοῦ θεοῦ ἐκ τοῦ πάθους ἰασαμένου αὐτὸν καὶ εἰς τὸ ζῆν αὐτὸν ἀποκαταστήσαντος.* Augustinus lib. 5. de Gen. ad lit. cap. 17: *Illi anni quindecim non recte additi dicerentur Ezechiae, nisi aliquid adderetur, quod sese aliter in aliis causis habuerat, secundum aliquas igitur inferiores causas jam vitam finierat, secundum illas autem, quae sunt in voluntate et praescientia Dei, qui ex aeterno noverat, quod illo tempore facturus erat, et hoc vere futurum erat, tunc erat finiturus vitam, quando finivit vitam, quia et sic oranti concessum est, etiam sic eum oraturum, ut tali orationi concedi oportere ille utique praesciebat, cujus praescientia falli non poterat, et ideo quod praesciebat, necessario futurum erat.* Ninivitis per prophetam excidium denuntiatur expleto quadraginta dierum
XVII. 62. spatio certissime metuendum, Jon. 3, v. 4. sed *cum converterentur de via sua mala, poenituit Deum super malo, quod locutus fuerat, ut faceret eis, et non fecit*, v. 10. Certe nisi poenitentiam egissent, constituto divinitus tempore omnes periissent, sed per veram ac seriam poenitentiam poenam denuntiatam averterunt sicque vitae suae terminos produxerunt. Huc referri possunt similia exempla, quae testantur, agentibus poenitentiam temporales poenas vel condonari, vel mitigari. Numer. 16, v. 48. cum plaga in populo orta grassaretur, *Aaron* obtulit thymiama *et stans inter vivos ac mortuos deprecatus est Dominum, ac statim plaga cessavit.* Certe per hanc pestilentiae plagam plures in medio dierum suorum abrepti fuissent, nisi Aaronis precibus et odoramento Deus placatus eandem sustulisset. 2. Sam. 24, v. 25. *David* in vera poenitentia coram Deo sese humilians precibus suis obtinet, ut tempus pestis abbreviaretur ac plaga ab Israël cohiberetur. In N. T. illustre est exemplum comitum Pauli in naufragio servatorum; Act. 27, v. 20. de illis dicitur, *περιῃρεῖτο πᾶσα ἐλπὶς τοῦ σώζεσθαι ἡμᾶς*, sed Paulus ab angelo audit v. 24. *κεχάρισταί σοι ὁ θεὸς πάντας τοὺς πλέοντας μετὰ σοῦ*, utique ergo omnibus in hoc naufragio pereundum fuisset, nisi Paulus precibus suis hoc impetrasset, ut ex gratia ipsi donarentur ac ex praesentissimae mortis faucibus liberarentur. Neve quis cogitet, *promissionem illam de vitae donatione et conservatione fuisse plane absolutam, quae nullum prorsus ad causas secundas respectum obtineat*, notandum, quod nautis ex navi fugere quaerentibus apostolus dicat v. 31: *Nisi hi in navi manserint, vos servari non poteritis.*

64. Haec omnia manifeste probant, promissiones divinas de vitae longaevitate poenitentibus ac piis factas ipso eventu divinitus fuisse comprobatas. Id ipsum de *comminationibus* divinis facili negotio ostendi potest. In *cataclysmo* universum genus humanum, octo duntaxat animabus exceptis, miserabiliter periit, non quia absoluto quodam Dei decreto fatalis vitae terminus aderat, sed quia *omnis caro viam suam corruperat, ac terra repleta erat iniquitate* Gen. 6, v. 12. Certe plurimi ex ipsis per naturam diutius vitam suam protrahere potuissent, nisi impoenitentia ac sceleribus vitae suae stamina in medio dierum suorum cursu abrupissent, quorsum enim Deus centum ac viginti annos ad poenitentiae spatium ipsis concessisset, nisi imminens excidium atque exitium vera poenitentia avertere potuissent? *Sodomitae* propter effrenem libidinem ac alia scelera ad coelum clamantia igne et sulphure coelitus delapso horribiliter deleti sunt Gen. 19. at num fatalis fuit ipsis iste terminus, quem non potuissent poenitentia et piis precibus avertere? id vero aperte refragatur divino oraculo Gen. 18, v. 32: *Si inveniantur ibi decem justi, non disperdam eos.* Her et Onan *a Domino percussi et occisi dicuntur* Gen. 38, v. 7. et 10. non quia fatalis vitae terminus aderat, quem nulla ratione producere potuissent, sed quia rem detestabilem fecerant. *Absolon* Davidis filius in ipso aetatis flore tragico mortis genere abreptus est, certe non ex absoluto quodam omnium causarum mediarum respectum antecedente et excludente decreto, sed quia ex insana regnandi cupiditate seditionem ac bellum non necessarium contra parentem regem movebat, 2. Sam. 18, v. 14. *Ahasiae* denuntiatur vitae finis, propterea quod legatos mitteret ad idolum Ekroniticum, ex eo quaesitum, an ex morbo convalescere debeat, necne, 2. Reg. 1, v. 2. *Pueri Bethelitici* ab ursis lacerantur, quia illuserant prophetae Elisaeo, 2. Reg. 2, v. 24. Idem judicium esto de facinorosorum ac maleficorum suppliciis. Ut enim sine fatali quodam et interno Dei impulsu flagitia designant; ita quoque tragicum vitae exitum justo quidem vindicis Dei judicio, non autem fatali et absoluto quodam decreto sortiuntur.

65. *3. Ex providentiae divinae ratione.* Provi- 3. Ex providentiae divinae ratione. XVII. 63.
dentia divina nequaquam excludit in *διοικήσει* causas secundas *naturaliter* vel *voluntarie* agentes, *externas* vel *internas*, sed easdem includit, quia *conservatio* rerum creatarum, quae providentiae divinae actus prior, est quaedam essendi continuatio, quae ergo sic a Deo condita sunt, ut agant naturaliter, in illis conservat virtutem agendi naturaliter, quae sic condita sint, ut agant libere, in illis conservat virtutem agendi libere; sed nec *gubernatio*, quae est posterior divinae providentiae actus, causarum secundarum activitatem excludit, *Deus enim res creatas sic administrat, ut eas proprios motus agere sinat* Augustinus lib. 7. de civ. Dei c. 30.

Gerson lib. 2. de conc. theol. pros. 4. Rationes, quare Deus in conservatione et gubernatione totius universi et in specie hominis utatur ordinarie causis intermediis, afferri possunt complures, videlicet ut declaret bonitatem suam, dum causas secundas cooperationis consortio dignatur; ut ostendat absolutum suum in creaturas omnes dominium, dum eas ad suam gloriam et hominis bonum promovendum adhibet; ut recordemur, causas secundas a Deo esse ordinatas et proinde in abusum non esse pertrahendas; ut admoneamur, media divinitus ordinata non esse negligenda. Atque haec de ordinaria divinae providentiae actione intelligenda sunt, extraordinarie Deus etiam sine causis secundis ac supra causas secundas, imo contra causas secundas, agere potest, cum ipse sit prima causa, quae defectum secundarum facile supplere potest, cumque ipse sit naturae Dominus ac proinde naturae legibus minime alligatus. Ex qua hypothesi, cujus veritas alibi plenius demonstratur, sic inferimus. Si divina providentia non excludit causas secundas et naturales, utique vitae terminus non est absoluta et Stoica quadam necessitate fatalis. Ratio connexionis est, quia sicut Deus per causas secundas et naturales unicuique dat corpus et vitam, ita quoque per causas secundas et naturales eandem conservat; utique ergo in vitae conservatione ad causas secundas respectus haberi debet, nec spernenda sunt vitae conservandae media, alimenta, indumenta, medicamenta etc. ne in Deum creatorem temerarie injurii deprehendamur. Vicissim si divina providentia extraordinarie sine causis secundis ac praeter imo contra causas secundas agere potest et quandoque agit, denuo sequitur, vitae terminum non esse absoluta et Stoica quadam necessitate fatalem. Ratio connexionis est, quia si vel maxime habito ad causas naturales respectu terminus vitae adsit, tamen non est absoluta ejusdem necessitas, cum Deus pro sua εὐδοκίᾳ ac παντοκρατορίᾳ eundem prolongare possit, si velit.

4. Ex medicinae ordinatione. 66. *4. Ex medicinae ordinatione.* Si medicorum operae et medicinarum usui locus relinquendus, terminus vitae fatalis statui nequit. Sed prius. Ergo. Ratio connexionis est manifesta, quia si terminus vitae fatali quadam necessitate certus, parum referet, sive quis utatur medicamentis morbo profligando accommodis, sive eadem respuat et noxia potius quam salutaria assumat. Assumtum constat ex Sirac. 38, v. 1: *Honora medicum propter necessitatem honoribus ejus, etenim creavit illum Dominus*, v. 2. *ab Altissimo enim est medela.* Si nullus locus medicamentorum usui dandus, utique nec cibi et potus usui. Ut enim per alimenta vigor corporis conservatur, ita per medicamenta sanitas amissa recuperatur, quare de medicamentis etiam usurpari potest illud apostolicum 1. Tim. 4, v. 4: *Omnis creatura Dei bona est et nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur*, v. 5. *sanctificatur enim per verbum Dei et orationem.* cap. 5, v. 23: *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum et frequentes infirmitates tuas.* Mesue in principio grabadin: *Sanat solus languores Deus et de frugalitatis solio produxit in largitate sua medicinam benedictus, gloriosus et excelsus. 5. Ex subjecti distributione.* 5. Ex subjecti distributione.
Terminus vitae consideratur vel in *piis*, vel in *impiis*, in quas duas classes Scriptura totum genus humanum distribuit. Sed nec piis, nec impiis vitae terminus est fatalis. Non *piis*, quia alias non orarent pro vita longaeva, vel sibi, vel proximo divinitus con- XVII. 64.
cedenda, cujus contrarium testantur exempla *Ezechiae* Esa. 38, v. 2. *Davidis* pro filiolo 2. Sam. 12, v. 22. et *Pauli* pro Epaphrodito intercedentis Phil. 2, v. 27. Confer Psalm. 102, v. 25. 2. Cor. 1, v. 8. Jac. 5, v. 15. nec orarent pro beato ac placido vitae exitu, cujus contrarium testantur exempla *Eliae* 1. Reg. 19, v. 4. *Simeonis* Luc. 2, v. 29. *Pauli* Phil. 1, v. 23. Non *impiis*, quia alias non concederet illis Deus tempus ad poenitentiam, cujus contrarium testantur tum *dicta* Luc. 13, v. 5. Rom. 2, v. 4. tum *exempla* antediluvianorum, Sodomitarum, Ninivitarum etc. *6. Ex multiplici ad absurdum deductione.* 6. Ex deductione ad absurdum.
Si et hora et genus mortis absoluta et fatali quadam necessitate sunt determinata, 1. frustraneae erunt promissiones divinae de vita longaeva piis exspectanda; 2. frustraneae erunt comminationes divinae, quibus Deus impiis vitae abbreviationem ac tragicum exitum comminatur; 3. frustraneae erunt piorum preces, quibus vitam longaevam ac placidum exitum sibi vel aliis petunt; 4. frustraneus erit medicinae usus; 5. illi, qui violentas manus sibi ipsis inferunt, absoluto Dei decreto ad hoc facinus constringentur; 6. qui morte violenta et ignominiosa, gladio, rota, fune etc. propter flagitia sua pereunt et ad supplicia rapiuntur, absoluto Dei decreto et Stoico quodam fato hoc genere mortis interirent, quin et Deus peccatorum illorum impulsor statueretur, ut ad fatalis illius et absoluti decreti exsecutionem tanquam ad finem per certa media pervenire posset. Si enim fataliter inevitabilis est poena, erit etiam inevitabilis culpa, propter quam malefici ad illum violentae mortis terminum rapiuntur. Quae omnia, cum sint absurda et fidei Christianae contraria, ideo absurdum censendum etiam illud, ex quo talia consequuntur. Atque haec sunt praecipua sententiae nostrae argumenta. Justinus in quaest. et resp. ad orth. q. 33. p. 321. hoc urget: *Non esse definitum cujusque vitae tempus, ex oracularibus Scripturae verbis sic ostenditur. Si*, inquit, *in agro homo reperit puellam, quae desponsata sit, et vi illata concubuerit cum ea, virum quidem occidite, puellam vero ne occidite. Quomodo namque percussit homo proximum suum, et cum eum percuteret, non adfuit percusso opitulator; sic et facinus hoc patratum est. Inclamavit puella, et adjutor ei praesto non fuit. Non contulisset divina Scriptura stuprum vi illatum caedi violenter commissae, si mors definita esset. Nam quod apud Deum definitum est, id vi movere et transgredi non est.* Sed hoc argumentum est infirmum, ideo contenti sumus

illis, quae in medium sunt adducta. Contrariae sententiae fundamentis facile responderi potest, si hypotheses superius propositae recte observentur et dextre applicentur.

Quaeritur, an licitum sit maturam mortem expetere.

67. Quaeritur, *an licitum ac pium sit maturam mortem expetere et hac ratione naturalem vitae terminum antevertere velle?* Non est hoc loco quaestio de violenta mortis illatione, quam vocant *αὐτοχειρίαν*, qua quis vel veneno, vel gladio, vel laqueo nefarias ac violentas manus sibi ipsi injicit, eam enim prorsus illicitam esse variis argumentis demonstrari potest, siquidem pugnat 1. *cum lege divina* Exod. 20, v. 13: Non occides; jam vero qui se occidit, hominem occidit. Lactantius lib. 3. instit. c. 18: *Si homicida nefarius est, qui hominis exstinctor est, eidem sceleri obstrictus est, qui se necat, quia hominem necat, imo vero majus id esse facinus existimandum est, cujus ultio soli Deo subjacet; 2. cum lege naturae*, quae vitae amorem et conservationem cuique animanti indidit; *3. cum legibus civilibus*, quae *αὐτόχειρας* notant infamia; *4. cum salute reipublicae*, tollitur enim civis reipublicae, imo ecclesiae utilis; *5. cum statu et conditione humana.* Ut non sumus domini vitae alienae, ita nec potestatem accepimus nostrae, ut in eam pro lubitu injurii esse possimus. In acie hic stamus, nec licet injussu summi imperatoris ac agonothetae ea excedere. Lactantius d. l.: *Sicut in hanc vitam non sponte nostra venimus, ita rursus ex hoc*
XVII. 65. *domicilio corporis, quod tuendum nobis assignatum est, ejusdem jussu recedendum est, qui nos in hoc corpus induxit tam diu habitaturos, donec jubeat emitti. 6. Cum recta ratione*, neque enim sufficiens et urgens causa afferri potest, propter quam sibi ipsi mortem consciscere justum videri queat, qua de re diligenter tractat Augustinus lib. 1. de civ. Dei c. 26. lib. 2. contr. Petilian. c. 49. Quinimo recta ratio potius contrarium docet. Si enim odium sui ipsius est illicitum, multo magis *αὐτοχειρία*. De Lucretia gentilium scriptorum laudibus tantopere celebrata quidam haud absurde sic cecinit:

*Si fuit ille tibi, Lucretia, gratus adulter,*
*Immerito ex merita praemia morte capis;*
*Sin potius casto vis est illata pudori,*
*Quis furor, alterius crimine velle mori?*
*Frustra igitur laudem captas Lucretia, namque*
*Vel scelerata cadis, vel furiosa ruis.*

*7. Cum praeceptis moralibus de fortitudine.* Augustinus lib. 19. de civ. Dei c. 4: *Utrum, obsecro, Cato ille patientia, an potius impatientia se peremit? non enim hoc fecisset, nisi victoriam Caesaris impatienter tulisset. Ubi est fortitudo? nempe cessit, nempe succubuit adeoque superata est.* Martialis ita canit:

*Nolo virum, facile redimit qui sanguine vitam,*
*Hunc volo laudari, qui sine morte potest.*
*Rebus in adversis facile est contemnere mortem,*
*Fortiter ille facit, qui miser esse potest.*

*8. Cum probatis exemplis.* Neque enim ullum ex canonicis Scripturae sacrae libris probatum *αὐτοχειρίας* exemplum proferri potest, quin potius *Achitophelis* et *Judae* exempla infamem eam reddunt. Confer tract. de lege §. 155. De eo vero quaestio instituitur, an liceat piis precibus et sancto desiderio maturam mortem exoptare. Quidam negant, 1. quia longaevitas est donum Dei ac singulare beneficium piis ex gratia promissum, ut in praecedentibus vidimus. 2. Quia *βραχυβιότης* numeratur inter poenas, quas Deus impiis minatus est. 3. Quia in Dei beneplacito est vita Psalm. 30, v. 6. ipse est *φιλόψυχος*, Lutherus reddidit, ein Liebhaber des Lebens Sap. 11, v. 27. ipse *mortem nec fecit, nec laetatur in perditione vivorum* Sap. 1, v. 13. *in ipso vivimus, movemur et sumus* Act. 17, v. 28. 4. Sancti praematuram mortem fuere deprecati. Psalm. 30, v. 10: *Quae utilitas in sanguine meo, cum descendero in foveam? numquid confitebitur tibi pulvis, numquid annuntiabit veritatem tuam?* Psalm. 102, v. 25: *Domine Deus ne succidas me in dimidio dierum meorum.* 5. Propter quaedam hujus vitae mala non statim vita ipsa tanquam malum repudianda. Lactantius lib. 3. inst. c. 18: *Errant illi, qui aut mortem appetunt tanquam bonum, aut vitam fugiunt tanquam malum, nisi qui sunt iniquissimi, qui pauciora mala non pensant bonis pluribus.* 6. Vitae longius spatium expetendum et exoptandum, ut ecclesiae ac reipublicae opera nostra salutaris esse possit, ut plures ad veram Dei agnitionem et cultum perducantur. **Vita longaeva exoptari potest 1. propter divinae gloriae propagationem, 2. propter uberiorem Dei cognitionem, 3. propter proximi aedificationem, 4. propter divinae benedictionis consecutionem.** Quidam contra affirmant, 1. quia Christus in oratione Dominica quotidie nos petere jussit: *Adveniat regnum tuum*, et *libera nos a malo* Matth. 6, v. 10. et 13. Luc. 11, v. 2. et 4. jam vero ad regnum gloriae adspirare et ab omni malo liberari non possumus, nisi per beatam *ἀνάλυσιν*. 2. Quia exempla sanctorum idem testantur, puta Eliae 1. Reg. 19, v. 4: *Sufficit nunc Domine, tolle animam meam, neque enim melior sum quam patres mei.* Simeonis Luc. 2, v. 29: *Nunc dimittis Domine servum tuum in pace.* Pauli Rom. 7, v. 24: *Miser ego homo, quis me eripiet ex corpore mortis hujus?* Phil. 1, v. 23: *Cupio dissolvi et esse cum Christo*, adeoque totius ecclesiae Apoc. 22,
v. 17: *Spiritus et sponsa dicunt, veni Domine* XVII. 66.
*Jesu.* In fragmentis apostol. a Praetorio editis de Petro commemoratur, quod ad conjugem Albini et alios fratres dixerit: *Fugiendum censetis, ut mortem declinemus, quam multis suspiriis ut ingressum vitae expetivimus.* Chrysostomus in epist. Hebr. p. 285: *Sancti mortuos excitabant et tamen mori desiderabant.* Augustinus in epist. Joh.: *Qui desiderat dissolvi et esse cum Christo, non patienter moritur, sed patienter vivit et delectabiliter moritur.* Climacus gradu 6: *Probatus ille est, qui mortem singulis diebus exspectat, sed ille sanctus, qui eam*

*singulis horis desiderat.* 3. Quia diu vivere nihil aliud est quam diu torqueri, illud enim affert nobis longius vitae spatium, ut plura mala videamus, plura mala faciamus, plura mala toleremus, unde gentiles ex lumine naturae cognoverunt, optimum esse quam citissime hujus vitae laboribus ac doloribus defungi. *Quem Deus amat, moritur juvenis*, inquit Menander. 4. Contra vero per maturum ex hac vita discessum multas lucramur utilitates, ut si mors piorum lucrum sit Phil. 1, v. 21. matura mors majus lucrum censeri merito debeat, tum ratione *termini a quo*, mature enim liberamur a jugo originalis peccati, quod per totum vitae hujus decursum nos premit et ad illicita desideria sollicitat, Rom. 7, v. 23. 24. a peccatorum actualium tam ignorantiae, quam infirmitatis tela, quam in hac vita quotidie teximus, a periculo lapsuum contra conscientiam, quibus gratia Dei, inhabitatio Spiritus sancti, fides et salus aeterna amittuntur Rom. 8, v. 13. a scandalis hujus mundi, quibus fides ac pietas gravissime perturbatur Sap. 4, v. 10. Matth. 18, v. 22. a periculosa pugna adversus Satanam, carnem et mundum, quae quanto longior, tanto gravior ac difficilior Ephes. 6, v. 10. Rom. 16, v. 20. a poenis fatalibus securitati et impoenitentiae hominum debitis, a curis, laboribus et molestiis quotidie in hac vita exantlandis, ab onere ac pondere crucis vel impendentis vel incumbentis etc. tum ratione *termini ad quem*, quia a labore ad requiem, a tristitia ad gaudium, a pugna ad victoriam, ab exsilio in patriam, ex colluvie impiorum ad coetum sanctorum transferimur, ad perfectionem divinae *ϑεογνωσίας* et *εὐσεβείας* provehimur, promissa pietati praemia eo citius adipiscimur, finem desideriorum nostrorum et complementum spei nostrae consequimur ac ineffabilis gloriae ac felicitatis coelestis participes reddimur. 5. Qui in stadio currit, ad metam propositam quam potest fieri citissime anhelat; qui ex diuturno exsilio in patriam contendit, quantum potest fieri, maxime properat; qui in mari oberrat, ad propositum portum anxius respicit. Chrysostomus in cap. 1. Phil.: *Quis mercator navem habens multis rerum copiis plenam, cum liceat jam ad portum appellere tutoque quiescere, adhuc tamen in mari navigare mallet? Quis athleta cupiet amplius certamen, cum jam liceat coronari? Quis miles cum jam liceat cum celebritate et tropaeis a bello liberari ac cum rege in ipsis quiescere et refocillari regiis, sustineat adhuc in bello sudare et in aciem collocari? quomodo ergo cupis adhuc in vita consistere, quam adeo amaram vivis?* 6. Deus Pater coelestis, cujus sapientia incomprehensibilis ac bonitas ineffabilis, deque cujus favore erga infantes expressa exstant testimonia Marc. 10, v. 14. Luc. 18, v. 16. plures in aetate infantili ac puerili, quam adulta et senili ex hac vita evocat. Pro decisione quaestionis distinguendum inter *causam impulsivam* et *petendi modum*. *Causa impulsiva*, ex qua matura mors petitur, non debet esse vel auxilii divini diffidentia, vel taedium carnale et impatientia, vel laborum officii ad Dei gloriam et ecclesiae salutem tolerandorum fuga, sed pium et sanctum desiderium, quo ad beatum Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi conspectum ac sanctorum angelorum et electorum consortium adspiremus, sicut Paulus inquit Phil. 1, v. 23: *Cupio dissolvi et esse cum Christo.* 2. Cor. 5, v. 8: *εὐδοκοῦμεν μᾶλλον ἐκδημῆσαι ἐκ τοῦ σώματος καὶ ἐνδημῆσαι πρὸς τὸν κύριον.* Mortificandus igitur est carnalis ille affectus, quo ex fastidio crucis cum tacita quadam impatientia conjuncto vitae suae finem imponi quidam petunt, a quo ne ipsi quidem sancti XVII. 67.
immunes fuerunt. Jobus c. 3, v. 3. ex taedio multiplicium calamitatum in haec erumpit verba: *Pereat dies, in qua natus sum.* c. 7, v. 15: *Suspendium elegit anima mea, mortem potius quam esse cum ossibus meis.* Jerem. 20, v. 14: *Maledicta dies, in qua natus sum*, quo sensu etiam aliqui accipiunt verba Eliae 1. Reg. 19, v. 4: *Sufficit nunc Domine, tolle animam meam;* sed in dubio praestat ad sanctum vitae melioris desiderium ea referre. *Modus petendi* debet esse conditionatus, ut submittamus nos penitus divinae voluntati, an diuturniorem hujus vitae usuram nobis concedere, an vero ad quietiorem ac laetiorem futurae vitae statum maturius nos transferre velit, cum longe melius noverit, quid ecclesiae in terris militanti quidve saluti nostrae sit utilius. Sic Christus Matth. 6, v. 10. orationi illi, *adveniat regnum tuum*, statim subjungendum esse docuit, *fiat voluntas tua, sicut in coelo, ita et in terra*, ac ipse suo exemplo ut in aliis, ita quoque hac in parte nobis praelucere voluit in horto orans Matth. 26, v. 39: *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste, veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis.* Apostolus Phil. 1, v. 22. et seqq. itidem hunc petitionis modum diligenter observavit. *Utrum*, inquit, *vivere in carne mihi operae pretium sit, et quid eligam, ignoro. Coarctor enim utrinque desiderans migrare et esse cum Christo, nam id longe optimum est, sed permanere in carne magis necessarium est propter vos. Et hoc confisus novi, quod permansurus sim et una permansurus cum vobis omnibus ad vestrum profectum et gaudium fidei, ut gratulatio vestra abundet in Christo super me.* Paulinus in vita Ambrosii, quae in praefat. operum Ambros. continetur circa fin.: *Cum plurimis diebus episcopus ille Mediolanensis Ambrosius in lecto detineretur, comes Stilico dixisse fertur, quod tanto viro recedente de corpore interitus immineret Italiae, unde convocatis ad se nobilibus viris illius civitatis, quos diligi a sancto sacerdote cognoverat, partim interminatus est illis, partim blando sermone persuasit, ut pergerent ad sanctum sacerdotem suaderentque illi, ut sibi vivendi peteret a Domino commeatum, quod ille ubi ab illis audivit, respondit: Non ita inter vos vixi, ut pudeat me vivere, nec timeo mori, quoniam Dominum bonum habemus.* Quam Ambrosii sententiam Augustinus Hipponensis episcopus laudare solebat, referente Posidonio in

vita Augustini, ubi et haec addit: *Cujusdam coëpiscopi et familiarissimi sui amici in extremis vitae de talibus frequentissimum referebat* (Augustinus) *dictum, ad quem cum visitandum jam morti appropinqudntem ventitasset, et ille manus gestu se de seculo exiturum significaret, atque a se illi esset responsum, adhuc eum ecclesiae necessarium vivere posse, illum ne putaretur teneri hujus vitae cupiditate, respondisse ei: Si nunquam, bene; si aliquando, quare non modo? Illud etiam cujusdam aegrotantis dictum afferebat* (Augustinus) *episcopi, de quo sanctus in epistola sua, quam de mortalitate scripsit, martyr Cyprianus ita retulit dicens, cum quidam de collegis et consacerdotibus nostris infirmitate defessus et de appropinquante morte sollicitus commeatum sibi precaretur deprecanti et jam paene morienti juvenis honore et majestate venerabilis, statura celsus et clarus adspectu, quem adstantem sibi vix posset humanus adspectus oculis carnalibus intueri, nisi quod talem videre jam poterat de seculo recessurus. Atque ille non sine quadam animi et vocis indignatione infremuit et dixit: Pati timetis, exire non vultis, quid faciam vobis?* Sulpitius in vita Martini episcopi refert, quod cum pro morte acceleranda ad Deum intercederet, discipuli ad eum dixerint, *Cur nos pater deseris? cui nos desolatos relinquis?* quibus ille responderit: *Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, nullum recuso laborem, fiat voluntas tua.* Breviter, desiderium mortis ex fide et spe profectum caritas temperet, ea enim ob proximi salutem longinquum vitae spatium praematurae morti quandoque anteferendum esse suadet, unde Augustinus in Psalm. 54. explicans verba illa, *quis dabit mihi pennas sicut columbae*, ad Paulinam
XVII. 68. dissertationem Phil. 1, v. 23. ea accommodat ac Paulum columbae gementi et ad coelum suspiranti comparans subjungit: *Columba delicata, religata affectu, non cupiditate, volare non poterat propter faciendum officium.*

2. Numerus mortis.

68. 2. *Numerus mortis* in quovis homine est ad unitatem restrictus, singularis ac non iteratus. Hebr. 9, v. 27: *Statutum est homini ἅπαξ, semel, mori.* Ut enim Christus *semel duntaxat mortuus* Rom. 6, v. 10. ac *semel oblatus est* Hebr. 9, v. 28. propter peccatum sibi imputatum ad illud exhauriendum; ita quoque omnibus hominibus definitum est semel mori, propter peccatum ab Adamo in ipsos propagatum et peccatorum actualium foenore auctum, ad stipendium illius recipiendum, Rom. 6, v. 23. Inde jam quaeritur: *Quid statuendum de illis, qui a Christo, prophetis et apostolis ex morte in vitam revocati sunt, an iterum fuerint mortui, an expleto animalis vitae curriculo sine mortis interventu in vitam coelestem translati?*

Quaeritur, an resuscitati a Christo fuerint denuo mortui.

Quibusdam placet posterius 1. *ob definitum ab apostolo mortis numerum* Hebr. 9, v. 27. 2. *Ob Scripturae silentium.* De iterata illorum morte in historia Biblica nihil quidquam legitur. *3. Ob divinae justitiae et bonitatis aequilibrium.* Non videtur justitiae divinae satis congruum esse, illos, qui poenam peccati, mortem scilicet, jamdum sustinuerunt, denuo eidem subjicere. Quodsi enim *is, qui mortuus, a peccato est justificatus* Rom. 6, v. 7. utique etiam a peccati stipendio absolutus censeri merito debet. Nec Christi bonitati satis congruere videtur eos, quos singulari amore complexus est, doloribus mortis altera vice tolerandae objicere, quin et in praesens periculum conjicere, ne infeliciter secunda vice moriantur, qui semel beate vita functi. *4. Ob difficultatum*, quibus contraria sententia circumsepta tenetur, *cumulum.* Animae enim piorum, quamprimum a corpore solvuntur, a peccato statim purgantur, quodsi ergo etiam illorum, qui a Christo, prophetis et apostolis resuscitati fuerunt, animae a peccati labe penitus fuerunt purgatae ac liberae, injustitiae dica videtur Deo scribi posse, quod animam a peccato puram in corpus peccato infectum postliminio reducat ac ex statu felicitatis et gloriae absque omni ipsius culpa animam detrudat in statum miseriae, dum corpori peccatis infecto eandem iterum conjungit. Praeterea animae illae resuscitatorum aut in coelo fuerunt, aut in inferno, aut in loco quodam intermedio. Non *in inferno*, quia fuerunt animae fidelium, quibus non infernus sed paradisus paratus. Nec *in loco intermedio*, quia illum ignorat tota Scriptura, ac contra Pontificiam hypothesin de purgatorio arcte hoc tenemus, quod *non sit ullus ulli medius locus, ut sit nisi cum diabolo, qui non est cum Christo*, Augustinus 1. de remiss. peccat. cap. 28. Ergo in coelo, et per consequens animae illae a peccati labe prorsus fuerunt purgatae, quia in *Hierosolymam coelestem nihil coinquinatum intrat* Apoc. 21, v. 27. Ulterius. Anima, quae peccati est πρῶτον δεκτικόν, a peccati labe semel purgata non potest a corpore iterum peccato infici, quia corporeum non agit in incorporeum, ut in quaestione de origine animae latius probatur. Ergo animae illorum resuscitatorum fuerunt et manserunt a peccati labe immunes, et per consequens, a morte peccati stipendio resuscitati illi manserunt liberi. Prius placet Hunnio in comm. c. 6. Rom. Meisnero part. 1. anthropol. disput. 2. §. 33. Mehlfurero in vindic. evang. decad. 6. disp. 1. §. 36. quae sententia nititur hisce XVII. 69.
hypothesibus: 1. Sicut ipsa resuscitatio illorum hominum est actus miraculosus et extraordinarius, discedens a communi illa regula, quod ex morte in hanc vitam temporalem nullus concedatur reditus 2. Sam. 12, v. 23. Siracid. 38, v. 22. ita quoque in morte eorundem aliquid extraordinarium ac speciale est agnoscendum. Quemadmodum enim Enoch et Elias salva communi et ordinaria illa regula, quod homini *constitutum sit semel mori* Hebr. 9, v. 27. peculiari et extraordinario Dei beneficio potuerunt ne quidem semel mori Gen. 5, v. 24. 2. Reg. 2, v. 11. ita eadem regula salva resuscitati a Christo, prophetis et apostolis potuerunt bis mori. Neque est, quod obvertatur, prius esse bonitati divinae congruum, posterius vero justitiae divinae adversum,

utrumque enim bonitati, justitiae, sapientiae ac potentiae divinae optime congruit, quia, ut prius est exemplum bonitatis divinae extraordinarium, quo ostendere Deus voluit, quid pro sua bonitate et potentia omnibus praestare posset, nisi divinae sapientiae aliter congrueret; ita posterius est exemplum divinae justitiae extraordinarium, quo demonstrare voluit, quid omnes homines meriti sint, et quid juxta exactum justitiae rigorem omnibus infligere posset. Cum enim peccati stipendium sit mors non solum temporalis, sed etiam aeterna, ecquis dixerit, cum regula divinae justitiae pugnare, mortem temporalem propter peccatum bis alicui infligi, atque interim ab aeterna morte eum liberari? 2. Quamvis ergo de iterata illorum morte in Scripturis *κατὰ ῥητόν* nihil contineatur, ex eo tamen inferri nequit, quod non fuerint iterum mortui, tum quia nec de *μεταθέσει* eorundem, quod sine interventu mortis vivi in coelum translati fuerint, quidquam in Scripturis exstat, id quod tanquam singulare et extraordinarium Spiritus sanctus procul dubio non praetermisisset, quare cum de speciali illo beneficio in Scripturis nihil contineatur, locum omnino habebit generalis regula Gen. 3, v. 19: *Pulvis es et in pulverem reverteris*, cum peccati poena non solum sit animae a corpore separatio, sed etiam corporis in cinerem redactio; tum quia in historicis non licet ex Scripturis argumentari negative, sed tantum in fidei articulis; tum quia indicia haud obscura in Scripturis exstant, ex quibus colligi potest, illos ad temporalem et corruptibilem vitam resuscitatos esse et corpus animale, mortale ac corruptibile secum retulisse. Filius viduae Sareptanae, ab Elia resuscitatus, *traditur matri suae* 1. Reg. 17, v. 23. ergo non fuit in gloriam coelestem ablegatus, sed in terrenam matris familiam et oeconomiam reductus. Idem de filio viduae in Nain a Christo Salvatore resuscitato commemoratur Luc. 7, v. 15. De filio Sunamitidis, quem Elisaeus excitaverat, 2. Reg. 8, v. 2. et 5. refertur, *quod una cum matre per integrum septennium tempore famis in locis externis fuerit peregrinatus.* De filia Jairi a Christo resuscitata evangelistae memorant, quod Christus *jusserit illi cibum apponere* Marc. 5, v. 43. Luc. 8, v. 55. non tantum ut veritas resurrectionis manifestaretur, sed etiam ut qualitas resuscitati corporis agnosceretur. Quinimo cum parentes puellae in actu resuscitationis praesto fuerint, suspicio de spectro in eorum animos non poterat cadere, Luc. 24, v. 41. Lazarus ex mortuis a Christo revocatus cum reliquis convivis *mensae accumbit* Joh. 12, v. 2. tale igitur corpus ex sepulcro retulit, quod cibo ac potu indiguit, neque enim specialem quandam *οἰκονομίαν*, ut in corpore Christi ex mortuis suscitato, Scriptura manifestat, neque principes sacerdotum pro immortali Lazarum habebant, alias *non cogitassent ipsum interficere* v. 10. Ex quibus constat, mortuos illos ad temporalem et corruptibilem vitam esse suscitatos, id quod etiam ex scopo horum miraculorum probatur, qui inter reliquos fines etiam hic fuit, ut desiderio parentum et cognatorum obitum istorum mortuorum anxie lugentium satisfieret. Jam vero illi desiderabant, mortuos ad hanc vitam et terrenam conversationem sibi restitui. Quod autem corpora illorum fuerint animalia et mortalia, ex qualitatibus et actionibus eorum patere potest. Neque enim fuerunt invisibilia, impassibilia, agilia, subtilia, sicut XVII. 70.
corpora glorificata, sed contrariis potius qualitatibus affecta; neque actiones eorum fuerunt spirituales, coelestes et angelicae, sed animales, physicae ac terrenae, comederunt enim ac biberunt non ex peculiari quadam dispensatione, ea enim non est perpetua, sed certi duntaxat temporis; jam vero hi resuscitati semper visi sunt, nec ex libertate, sed ex necessitate cibum assumserunt. Ergo ex naturae et corporum conditione. 3. Cum ergo mortui illi non fuerint resuscitati ad statum et consortium alterius, sed hujus vitae, utique morti adhuc fuere obnoxii. Primo mortui fuere non ad solvendum naturae debitum, sed ut Christo et sanctis daretur occasio manifestandi gloriam Dei. Joh. 11, v. 4: *Infirmitas haec non est ad mortem* (ut in ea perseveret et permaneat usque ad extremum judicium et universalem resurrectionem), *sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam* (extraordinaria et miraculosa actione a morte ipsum excitando). Matth. 9, v. 24. Luc. 8, v. 52. dicit Christus de filia Jairi: *Puella non est mortua, sed dormit.* Vere quidem mortua erat, alias non fuisset vera resuscitatio, nec verum miraculum, interim Christus negat, eam esse mortuam, quia jamjam ex morte erat suscitanda, necdum talem occubuerat mortem, quae est commune naturae debitum et in qua usque ad extremum judicium erat perseverandum. Actor. 20, v. 10. Paulus de Eutycho dicit: *Anima ejus est in ipso*, non quod Eutychus non fuerit revera mortuus, sed quia anima ad preces Pauli in pristinum domicilium mox erat reversura, nec ea ratione a corpore separata, ut ad extremum usque diem ab eo soluta persisteret. 4. Cum corpora illorum resuscitatorum nondum fuerint spiritualia, glorificata, immortalia et incorruptibilia, sed animalia, mortalia et corruptibilia 1. Corinth. 15, v. 45. ex eo ulterius colligimus, quod a veneno peccati et vitiosa ejus radice nondum fuerint purgata et liberata. Mortalitas enim ac corruptibilitas praesupponit peccatum, cum sit ex peccato orta, ut in praecedentibus fuit demonstratum. Adde quod ordinarius modus, quo peccati radix e corpore humano tollitur, inchoative consistat in cinefactione, consummative in resuscitatione ad vitam coelestem et spiritualem. Jam vero corpora illorum nec in cineres fuere redacta, nec ad vitam coelestem resuscitata. Nec est, quod suspiceris, *metuendum esse, ne Deo aliqua impingatur macula, si corpora illa cum peccato resuscitasse dicatur*, quia non hoc adscribendum Dei actioni, ipsi scilicet resuscitationi, sed extremae hominis corruptioni, quod peccatum in corpore ejus tam altas egerit radices, ut non nisi

per cinefactionem plene expurgari possit. Deus in utero format corpora peccatis infecta, Deus conservat impiorum corpora peccatis contaminata, Deus ex morte suscitabit corpora damnandorum peccatis penitus cooperta, neque tamen ullam ex eo labem contrahit, quia distinguendum creatoris, conservatoris ac resuscitatoris beneficium ab hominis creati, conservati ac resuscitati vitio. 5. Ulterius, cum corpora illorum resuscitatorum nondum fuerint a peccati radice purgata, ex eo colligimus, animas etiam nondum fuisse a peccati labe purgatas ac liberatas. Neque enim permittit justitia divina, ut anima a peccato pura ac libera in corpus peccato infectum velut in carcerem venenatum detrudatur. Praeterea, si animae illorum fuissent a peccati macula prorsus purgatae, reliquum, quod in his terris exegerunt, vitae spatium ab omni peccato immunes transegissent, quia peccati principium est in anima intelligendi ac volendi facultate praedita, non in corpore sensus ac motus per se experte. Jam vero illos resuscitatos ab omni peccati labe immunes fuisse vix potest verisimili quodam argumento demonstrari. 6. Denique, cum animae illorum resuscitatorum non fuerint in morte a peccati labe purgatae, ex eo verisimiliter colligere licet, quod non fuerint post mortem in statum gloriae et in vitam coelestem protinus receptae, quia in *Hierosolymam coelestem non intrat aliquid coinquinatum* Apoc. 21, v. 27. Addo, quod bonitati divinae non
XVII. 71. satis congruum videatur, si ex statu gloriae praeter omnem suam culpam in statum infelicitatis ac miseriae fuissent deturbatae; quodque difficulter admitti potest, animam glorificatam ad actiones vitae animalis concurrere posse. Cumque in infernum illae animae praecipitatae dici nequeant, siquidem remissionem peccati et reatus solutionem ex hypothesi loquendo obtinuerunt, inde inferunt, quod in tertio quodam *ποῦ* ante reductionem in corpus exstiterint. Neque est quod metuas, Pontificiorum hypothesi de purgatorio ac limbo fulcrum aliquod substitui, quia distinguendum inter receptaculum ordinarium ac commune, ac extraordinarium et singulare. Quemadmodum ex peculiari et extraordinaria illorum hominum ad hanc vitam resuscitatione inferri nequit, alios etiam homines ad hanc vitam eodem modo revocandos, ita ex peculiari et extraordinario animarum illarum receptaculo concludi nequit, aliorum etiam hominum animas in locum quendam intermedium post mortem colligi. Lucas Osiander in comm. 1. Petr. 3. statuit, *animas eorum, qui tum demum poenitentiam egerunt, quando aquas diluvii ingruere ac sibi moriendum esse viderunt, non statim in conspectum Domini fuisse admissas, sed alicubi tanquam in custodia, citra tamen cruciatum, fuisse detentas, usque dum Christus post suam passionem ac mortem illis annuntiaret, quod in gratiam a Patre coelesti essent recepti, easque animas in paradisum transferret.* Nemo tamen ex hac privata opinione Osiandri colligere potest, quod vel purgatorium Pontificium, vel limbum patrum aut puerorum sine baptismo decedentium confirmatum dare voluerit, cum disertis verbis ea omnia repudiet.

69. Atque haec de proposita controversia dicta sint, de qua coronidis loco notetur, 1. esse eam rem *quaestionis non fidei*, ac proinde dissentientibus non posse haereseos dicam scribi; 2. *τοπικῶς*, non autem *ἀποδεικτικῶς* de ea disseri posse, cum neutrum in Scripturis expresse definitum ac decisum exstet, an scilicet resuscitati illi vivi in coelum translati, an vero iterum mortui fuerint. 3. Posterior tamen sententia, quod attinet *τὸ ὅτι*, probabilior nobis videtur, cui non solum recentiores quam plurimi, sed etiam quidam ex veteribus assurgunt. Tertullianus lib. de resurrect. carnis c. 38. p. 333. de resuscitatis a Christo scribit: *Non in gloriam nec incorruptibilitatem, sed in mortem aliam suscitabantur.* Epiphanius in ancor. col. 1006: *Illi* (ab Elia et Elisaeo suscitati) *ubi resurrexerunt, rursus mortui sunt.* Augustinus epist. 49. ad Deo gratias presbyterum q. 1. ad quaestionem, *utrum Christi, an Lazari resurrectio promissae resurrectioni magis conveniat?* respondet, *Christi potius quam Lazari resurrectionem eidem congruere, addita ratione, quia Lazarus ita resurrexit, ut iterum moreretur, Christus autem surgens a mortuis jam non moritur, quod etiam promissum est resurrecturis in fine seculi.* Idem lib. 22. de civ. Dei c. 28: *Isti auctores talem resurrectionem corporis factam fuisse narrarunt, quales fuerunt eorum, quos resurrexisse novimus, et huic quidem redditos vitae, sed non eo modo, ut non morerentur ulterius.* in enarr. Psalm. 129. circ. med.: *Helias resuscitavit mortuum et Helisaeus, sed resurrexerunt iterum morituri. Dominus ipse quos suscitavit, morituri resurrexerunt etc. semel nati sunt, sed bis mortui sunt, nemo resurrexerat nunquam moriturus nisi Dominus.* Damascenus lib. 4. orth. fid. cap. 8. 2: *Resuscitavit Christus Lazarum πάλιν ὑποστρέφειν μέλλοντα εἰς θάνατον.* In harmonia de resurrect. cap. 3. p. 92. ex veteribus produximus hanc allegoriam: Linteamina et sudarium Christus resurgens in monumento reliquit Joh. 20, v. 6. et 7. quia ad immortalem vitam resurgebat, in qua nullus vestimentorum usus; sed Lazarus a mortuis excitatus affert secum *κειρίας*, *fascias sepulcrales, et sudarium* Joh. 11, v. 44. quia resuscitabatur ad hanc mortalem vitam, ac erat ipsi denuo moriendum. 4. Quod vero *τὸ διότι καὶ τὸ πῶς* concernit, quo scilicet in *ποῦ* asservatae fuerint resuscitatorum istorum animae, antequam in pristinum corporis domicilium reducerentur, an non fuerint in XVII. 7
meliori statu extra corpus quam in corpore; an pristini status sui recordari potuerint, necne; quibus ex causis quove consilio iteratae morti Deus homines illos subjicere voluerit, num mortem proprie sic dictam, an vero aliquid *ἀνάλογον* morti, immutationem scilicet, duntaxat subierint, in his et similibus praestat cautam profiteri ignorantiam, quam temerariam venditare scientiam. Ecquis enim sine *παραπρεσβείας* suspicione in extraordinarii et mira-

culosi operis causas ac circumstantias extra limites verbi scrupulosius inquirere, et quod Deus occultum esse voluit, in lucem producere, quod singulare, ad communis cursus regulas revocare audebit? 5. Distinguendum etiam inter eos, qui a Christo, prophetis et apostolis resuscitati fuere, et inter illos, qui cum Christo resurgente dicuntur resurrexisse Matth. 27, v. 52. De illis verisimilius, quod fuerint iterum mortui, de his idem statuit Augustinus epist. 99. ad Evodium, Theophylactus in cap. 27. Matth. Brigitta lib. 6. c. 64. quod scilicet peracto testificationis suae de Christo officio iterum mortui fuerint, quae sententia nititur hac hypothesi, quod resurrexerint ad vitam mortalem. Sed verisimilior est sententia Epiphanii haeres. 75. Ambrosii in Psalm. 1. et aliorum, quod resurrexerint ad vitam immortalem et cum Christo in adscensione coelos ingressi sint, id quod ex phrasi evangelistae probavimus in harm. de pass. cap. 18. p. 855. Confer Cajetanum in c. 27. Matth. et Blasium de Viegas in Apocal. p. 27.

1 Antecedentia mortis remotiora.

70. *3. Antecedentia mortis* ab Hugone lib. 2. de claustro animae revocantur ad tria capita. *Tres* (inquit) *sunt nuntii mortis, casus, infirmitas, senectus. Casus dubia, infirmitas gravia, senectus certa denuntiat. Casus nuntiat mortem latentem, infirmitas apparentem, senectus praesentem.* Possunt etiam antecedentia illa sic distingui, ut 1. quaedam dicantur omnibus hominibus *communia*, quaedam vero certis individuis peculiaria ac *propria;* 2. quaedam *remota*, quaedam vero *propinqua*. Remota sunt 1. *morbi*, qui sunt mortis caduceatores, ac quorum ultimus medicus mors est. Qui morbis a Domino corripitur, de vitae exitu admonetur. Psalm. 39, v. 12: *In increpationibus propter iniquitatem corripuisti virum et liquescere fecisti ut tineam desiderium ejus.* Gregorius dolores ac morbos vocat *sagittas hominem molestantes et viam ad ipsam mortem sternentes. 2. Senectus*, quae est mortis prodromus, quemadmodum enim senectus adolescentiam sequitur, sic mors senectutem. *Alia genera mortis spei mixta sunt; desinit morbus, incendium exstinguitur, ruinam, quae aliquem videbatur oppressura, quispiam evadit, deposuit mare, quos hauserat, eadem in qua sorbebat hora, projecit incolumes, gladium miles ab ipsa cervice peritura revocabit, nihil autem habet, quod speret, quem senectus ducit ad mortem.* Seneca epist. 30. In senectute oculi caligant, aures graviter audiunt, capilli fluunt, facies in pallorem mutatur, dentes lapsi numero minuuntur, cutis arescit, flatus non suaviter olet, pectus suffocatur, tussis cachinnat, genua trepidant, talos et pedes humor inflat, haec omnia ruituram corporis domum praenuntiant.

Descriptio senectutis Eccl. 12. tradita.

71. Cumprimis vero senectutem graphice depingit Salomon Eccl. 12, v. 1: *Memento creatoris tui in diebus juventutis tuae, antequam veniant dies mali et attingant anni* (senectutis), *de quibus dicas, non mihi voluntas in eis;* v. 2. *antequam obtenebrescat sol et lux, et luna et stellae* (antequam oculi, qui sunt luminaria microcosmi, sicut sol, luna et stellae macrocosmi, incipiant caligare. Gen. 27, v. 1: *Senuit Isaac et caligaverant oculi ejus et videre non poterant.* 1. Reg. 14, v. 4: *Ahia non poterat videre, quia caligaverant oculi ejus prae senectute.* Quidam metaphoram transferunt ad res adversas, ut sit sensus, priusquam veniant tempora tristia et XVII. 73.
adversa, ut videantur tibi nec luminaria, nec stellae lucere, quia Scriptura prosperitatem cum luce, adversitatem cum tenebris conferre solet, sed prior interpretatio sequentibus magis congruit) *ac antequam revertantur nubes post pluviam* (hoc accipi potest de exhalationibus ac vaporibus ex imbecillitate ventriculi et vitio concoctionis in senili aetate crebrioribus ac fere continuis, quae materiam suppeditant destillationibus cerebri, ex quibus porro sequuntur catharri, tussis, difficultas respirationis etc. Sed et coelum senibus propter visus imbecillitatem perpetuo videtur nebulis ac pluviis obductum. Quidam metaphorice accipiunt de vicissitudine gaudii ac tristitiae senibus denegata. Juvenes, ubi calamitas aliqua praeterierit, iterum exsultant et ostendit se illis post pluviam serenitas; senes vero, etiamsi tristis aliquis casus abierit, tamen residet in animo aegritudo, quae instar densae nubis omnem laetitiae serenitatem in illis abscondit, etiamsi pluvia cesset, tamen coelum manet nubibus obductum ac triste. Hanc interpretationem si quis amplecti velit, statuere poterit, in hoc versiculo incommoda ac molestias senectutis describi γενικῶς, quae in sequentibus explicentur εἰδικῶς); v. 3. *in die illa commovebunt se custodes domus* (manus et brachia, quae universam corporis compagem instar cujusdam domus affabre exaedificatam custodiunt, tum salutaria adhibendo, tum noxia propulsando; sed hi custodes in senectute sese commovent atque agitant, id est tremuli fiunt) *et incurvabunt se viri robusti* (Hebr. הִתְעַוְּתוּ *pervertentur, curvabuntur*, a rad. עָוַת *curvatus, perversus fuit.* Viri fortes sunt crura, quae in senectute curvantur ac pervertuntur, id est incipiunt nutare ac vacillare. Quidam in genere accipiunt de ossibus hominis, quia statura hominis siccitate contrahitur, ut ossa videantur incurvata) *et cessabunt molares, quia diminuerunt se sive defecerunt* (per *molentes* intelliguntur dentes, qui non solum ratione numeri diminuuntur, sed etiam respectu efficaciae in mandendo cessant ac intermittunt, quia senes ob dolores subinde recurrentes coguntur aegre et lente mandere. Alii reddunt *molares reddentur inutiles ac diminuent*, scilicet molitionem, id est non poterunt cibum contundere et comminuere, qui sensus eodem redit) *et obtenebrescent videntes per fenestras* (Vatablus subintelligit facultates per oculorum fenestras officium suum exercentes, illae obtenebrescunt, quia in senectute non oculi solum fiunt caliginosi, de quo incommodo dixerat v. 2. sed etiam quasi retracti, non prominentes, ac male prospiciunt per fenestras seu foramina, quae sunt in calvaria); v. 4. *et claudentur ostia in platea* (Hebr. בַּשּׁוּק *extrinsecus* vel *foris.* Ostia illa sunt

labia, cordis ostia, quae in senibus clauduntur, id est senes ea non libenter aperiunt, taedet eos loqui, sunt morosi in loquendo. Quidam sic vertunt, *occludentur valvae foro*, id est abstinebis a foro et negotiis publicis, non delectaberis hominum frequentia et conversatione, ex qua juvenes voluptatem capiunt, eris aliis ingratus ac molestus, ut nec foris, nec domi delectationem capere possis, aut rebus jucundis recreari); *in humilitate vocis molae* (per vocem molentis humiliatam intelligunt *vim digestionis* debilitatam ac imminutam; quidam accommodant ad *vocem*, quae per dentes et linguam ita formatur, ut fiat articulata, illa in senibus humiliatur ac remittitur, id est exilis redditur, nec amplius tam clara est et alta ut in juvenibus; quidam ad masticationem applicant, *humiliatur vox molentis*, id est dentes senum non amplius sono quodam cibum molunt ac comminuunt, sicut robusti juvenes faciunt, sed hoc incommodum jam ante v. 3. attigerat, praestat igitur vel de digestionis imminutione, vel vocis remissione accipere); *et consurget ad vocem volucris* (subintellige *senex*; sensus est, quod somnus reddatur deterior, quando enim cibus ad stomachum non trajicitur, vel non bene concoquitur, tollitur somni causa, sicque etiam ad aviculae cantum senex suscitatur, accedit insuper corporis siccitas somno inimica et adversa) *et incurvabuntur omnes filiae cantici* (Hebr. יִשַּׁחוּ *humiliabuntur*,
XVII. 74. *deprimentur*, *submissae erunt;* quidam per *filias cantici* sive vocis intelligunt arterias ac fibras vocales, praesertim gutturis, quae multum valent ad vocem eliciendam, ut sit sensus, vox gutturis, quae prius erat sonora ac cantare poterat, erit submissa, adeo ut non audiatur. Sed quia de vocis remissione jam ante dictum fuerat, ideo alii per *filias cantici* intelligunt cantores ac cantatrices, quae erunt humiles, id est non audientur a senibus, nec illi eis delectabuntur, sicut Barsillai senex ad Davidem dicebat 2. Sam. 19, v. 35: *Num audiam ultra vocem cantorum et cantatricum?* Quidam per *filias cantici* intelligunt aures canticis audiendis destinatas, illae *incurvantur*, id est fiunt flaccidae ac pendulae, nec ulterius suo recte funguntur officio); v. 5. *etiam ab excelso timebunt et pavebunt in via* (Hebr. מִגָּבֹהַ *a re alta*, id est ambulantes in vita timebunt, ne in lapidem paulo editiorem impingant, nullum erit tam aequabile solum, in quo sibi non metuant et caveant ab offensione et attritione pedis. Piscator sic accommodat, *timebunt senes a loco alto, quem scandere debent;* Vatablus: timere solent senes a re alta, quia non possunt attollere crura, et confractiones, id est offendicula ipsis parata in via, ita ut vel in festucam impingant. Venient eis in via contritiones ac pavores, ut prae lassitudine nequeant ambulare. Quidam sic exponunt, caput et humeri, quae in juvenili aetate erant erecta, in senibus ita se incurvant et contrahuntur, ut incedant non aliter atque illi, qui sunt admodum timidi ac meticulosi; tales enim obstipo capite et demissis humeris incedunt); *florebit amygdalus* (Hebr. וְיָנֵאץ הַשָּׁקֵד, quorum verborum tot ferme occurrunt interpretationes, quot in hunc locum commentati sunt scriptores. Hieronymus, Arias, Schindlerus, Lutherus et Vulg. vertunt *florebit amygdalus*. Verbum יָנֵאץ deducunt a rad. נוּץ posita in hiphil, ut א sit epentheticum. Cant. 6, v. 11. הֵנֵצוּ *floruerunt malogranata*. שָׁקֵד est *amygdalus* a rad. שָׁקַד *vigilavit*, quia ista arbor prima omnium profert flores. Exponunt autem hoc modo, *florebit amygdalus*, id est apparebit canicies in capite, quae est alba sicut flos amygdali. Tremellius ab iisdem radicibus has voces deducit, sed refert ad sequens verbum. תָּפֵר vertit in accusativo, *irritam faciet efflorescentem amygdalum*, id est ne vere quidem ipso, quo arbores et animalia omnia laetari et gestire videntur, fastidium senis avertetur, sed omnia verni temporis beneficia nihili faciet, ut *συνεκδοχικῶς* veris jucunditas descripta intelligatur ab unius arboris flore; sed haec versio est coacta, cum יִסְתַּבֵּל et יָנֵאץ in futuro ponantur, ac הֶחָגָב et הַשָּׁקֵד per accentum zakephkathon a verbo תָּפֵר distinguantur. Santes Pagninus vertit *et reprobabitur coitus*, sicut Genes. 18, v. 12. Sara inquit: *Postquam senui, num erit mihi voluptas, et postquam dominus meus senuit?* Deducit ergo verbum יָנֵאץ a radice נאץ, quod significat *reprobare*, *contemnere*, *spernere*, ac הַשָּׁקֵד per metathesin literarum accipit positum pro דשקה quod membrum coitus interpretantur; sed et hoc coactum est, ut quilibet animadvertit. Alii exponunt et *crescent palpebrae*, prae attenuatione scilicet et macie faciei; sed שקד pro palpebris usurpatum vix occurret); *et oneri erit locusta* (Hebr. יִסְתַּבֵּל הֶחָגָב a radice סָבַל *portavit*, *bajulavit*. In hitphaël *oneri fuit*. חָגָב est genus locustae. Hebraei hoc sensu exponunt, totum corpus ita debilitabitur, ut nec insultum locustae animalculi exigui Num. 13, v. 34. ferre possit. Alii sic intelligunt, incedet incurvo dorso instar cicadae, vel gracilibus cruribus et depresso corpore ingredietur, quasi videas locustam grave onus ferentem, sub quo incurvetur. Tremellius conjungit cum verbo תָּפֵר ac verbum יִסְתַּבֵּל participaliter exponit, *irritam faciet pinguefacientem se locustam*, sicut et LXX interpr. verterunt *παχυνθῇ* *pinguescet*, sensum dicit esse eum, quod veris amoenitas, in quo omnia animalia laetari et gestire videntur, non possit fastidium aetatis in senibus tollere; sed
quid de hac interpretatione statuendum sit, paulo XVII. 75.
ante vidimus. Pagninus vertit *et onerabitur dorsum sive spina dorsi*, onerabuntur lumbi, ut dorsum incurvatum figurae saltantis et incurvatae cicadae *μεταφορικῶς* conferatur, vel ut eliso ח legatur הָגָב); *dissipabitur cupiditas* (Hebr. וְתָפֵר הָאֲבִיּוֹנָה, *abibit desiderium*, a rad. אבה *desideravit*, *concupivit*, hoc est non amplius vigebit appetitus cibi et potus, succedet *ἀνορεξία*, dejicietur omnis appetentia. Quidam referunt ad libidinem, quae in senibus exstinguitur propter virium debilitatem et spirituum defectum. Quidam legunt בִּינָה *intelligentia*, quia decrepiti senes ut corpore, ita quoque animo defi-

ciunt, sicque א esset heaemanthicum. R. David Kimchi per אֲבִיּוֹנָה intelligit *animae et corporis confoederationem*, quae in senibus brevi dissolvitur. LXX interpr. et Hieronymus verterunt *ἡ κάππαρις, dissipabitur capparis*, legerunt substitutis aliis punctis אֲבִיּוֹנָה, cujus plurale אֲבִיּוֹנֹת *baccas capparis* rabinis significat, quae juxta Avicennam Venerem proritant. Vatablus reddit *et franget foedus concupiscentiae*, id est pars illa concupiscibilis animae, cui desiderium tribui solet, rumpet foedera, quae pepigit cum corpore); *quoniam vadit homo ad domum seculi sui, et circumibunt in platea plangentes.* (Tremellius etiam haec verba ad descriptionem senectutis accommodat, ut sit sensus, *cum homo jam versatur in aetate decrepita, propediem moriturus et a propinquis efferendus funere;* sed rectius de morte intelliguntur, unde a Luthero parenthesi ea recte includuntur, sensus enim est, Deum per morbos et senectutem ejusque incommoda multiplicia hominem ad mortem praeparare ac deducere. Per בֵּית עֹלָמוֹ *domum seculi* sive aeternitatis intelligi potest *sepulcrum*, vel quia seculum praesens, id est omnes homines hujus seculi, in hanc domum tandem deveniunt, vel quia homini in hac domo permanendum usque ad diem novissimum, in quo futurum seculum inchoabitur. Commodius per *domum aeternitatis* intelligitur animae post mortem receptaculum, in quo in omnem aeternitatem ei permanendum, durch den Tod kommen wir aus der Zeit in die Ewigkeit. Per *plangentes in platea circumeuntes* intelliguntur amici deducentes funus per plateam cum planctu et lacrymis, quae tamen plerunque solent citissime arescere.) Sequentia verba a quibusdam ad descriptionem senectutis, a quibusdam ad descriptionem mortis referuntur, ut videbimus. v. 6: *Antequam elongetur funis argenteus* (quidam legunt יֵרָתֵק, antequam *colligetur* sive *constringatur*, id est brevior fiat, funis argenteus, quam ut aquam putei attingere possit, a rad. רָתַק *ligatus, constitutus, constrictus fuit;* sed pleraque exemplaria legunt יִרְחַק, *antequam elongetur sive prolongetur funis*, a rad. רָחַק *elongatus, amotus, remotus fuit.* Vulgata reddidit, *antequam rumpatur*, alii *antequam removeatur*, quando enim funes elongantur, tandem rumpuntur ac removentur. Per *funiculum argenteum* plerique omnes intelligunt medullam in spina dorsi, quae ob albedinem vocatur argentea, illa in senibus prolongatur, quia incedunt incurvi, ob quam curvitatem medullam spinalem extendi oportet. Piscator vertit *antequam dissolvatur funis*, legit enim et ipse יֵרָתֵק ab usitata rad. רָתַק, unde nomen רָתוּק *catena*, a quo nomine verbum niphal significationem accipit, eamque privativam, qua dicitur decatenari, id est dissolvi, quod proprie competit funi. Sic ergo ad descriptionem mortis potius quam senectutis hoc pertineret, in morte enim funis ille argenteus dissolvitur ac rumpitur. Vatablus ad senectutem accommodat et ab eadem radice deducto verbo vertit *antequam brevietur*, solent enim, inquit, senes breviari, eo quod medulla brevietur. Sed verbum רָחַק contrariam potius significationem obtinet, ac spinalis medulla in senibus potius flaccescit ac dissolvitur, quam ut brevietur et contrahatur. Quidam *funis argentei* nomine intelligunt alimoniam per cibum ac potum, quae est quasi funiculus animam et corpus connectens, illa in senibus tandem cessat, XVII. 76. sicque funiculus ille dissolvitur. Quidam arterias sive venas pulsatiles argenti instar albicantes. Tremellius propriam significationem retinet hoc sensu, *antequam Deus tibi adimat ornamenta, videlicet instrumenta argentea, ut sunt catenae, lora, cingula et similia*, sed hoc nimis dilutum) *et decurrat scaturigo aurea* (qui ad mortis descriptionem accommodant, vertunt *antequam confringatur lenticula aurea.* Hebraeum וְתָרֻץ גֻּלַּת הַזָּהָב. Nomen גֻּלַּת in regimine ponitur, in statu absoluto גֻּלָּה per metaphoram significat phialam, lenticulam, ex qua velut e scatebra quid effunditur, 1. Sam 17, v. 41. Zach. 4, v. 3. proprie autem significat scaturiginem sive scatebram, ex qua aqua provolvitur ac promanat, Jos. 13, v. 2. Jud. 1, v. 15. a radice גָּלָה *volvit, revolvit etc.* תָּרֻץ quidam deducunt a רָצַץ *quassavit, concussit, contrivit, confregit*, 1. Sam. 12, v. 3. 2. Regum 23. v. 11. etc. ut schurec ponatur loco cholem; quidam vero a רוּץ *decurrit.* Per phialam ergo auream quidam intelligunt membranam, quae cerebrum continet, ac a medicis *μῆνιγξ* dicitur, ac vocatur *aurea*, quia est flava, auri colorem habens, ut sit sensus, antequam illa membrana cerebrum cingens frangatur sive conteratur, id est antequam homo moriatur, quia membrana illa fracta hominem interire necesse est. Tossanus per *phialam auream* intelligit splenem, qui bilem instar auri flavescentem attrahit; at splen non est bilis flavae, sed sanguinis melancholici receptaculum. Quidam propriam significationem nominis גֻּלָּה acceptant ac vertunt *antequam decurrat fons aureus*, id est cerebrum, non quod colorem aureum habeat, sed quia includitur pelliculae aurei coloris. Tremellius vertit *antequam excurrit orbis aureus*, ut גֻּלָּה ponatur pro גַּלְגַּל orbis, sphaera et quidquid in circulum convolvitur, ut sit sensus, antequam Deus tibi adimat ornamenta aurea, ut sunt annuli, bullae, monilia et hujus generis alia. Qui ad senectutis descriptionem accommodant, sic vertunt, *antequam decurrat scaturigo aurea*, id est antequam humidum radicale, quo vita hominis conservatur, consumatur ac senilis marasmus succedat. Schindlerus accommodat nomen scaturiginis ad *verba legis*, quae quomodo in senibus quassata dici possint, non video, nisi forte eo respexit, quod in morte hominis ministerium legis sive verbi cesset) *et conteratur hydria super fontem* (Hebr. תִּשָּׁבֵר est futur. niph. a radice שָׁבַר *fregit, disrupit.* כַּד *hydriam, cadum, vasculum* aquis hauriendis commodum designat Genes. 24, v. 14. מַבּוּעַ significat *scaturiginem, fontem*, a radice נָבַע *scaturivit, ebullivit* Prov. 18, v. 4. Per *hydriam* intelligunt Hebraei conceptacula illa sanguinis, quae a jecore recipiunt sanguinem,

id est venas, per *fontem* ipsum jecur, officinam *αἱματώσεως* sive sanguificationis, unde a jecore velut ex fonte sanguis oritur ac per tubulos venarum in totum corpus distribuitur. Quidam per *hydriam* intelligunt vesiculam vellis, receptaculum flavi bilis; quidam *ventriculum*, ut sit sensus, stomachum non facere officium in senibus in cibo concoquendo ac in morte tandem membra illa nutritioni inservientia penitus confringi. Piscator per *hydriam* intelligit venas mesaraicas, juxta hepar sitas, ex quo tanquam e scatebra hauriunt succum sanguineum eumque in sanguinem perfectum commutant. Duo enim sunt venarum mesaraicarum officia, videlicet chylum in jecur transportare et ex hoc in intestina sanguinem refundere, ut ex Galeno lib. 3. de facult. nat. docet Laurentius lib. 4. anatom. c. 7. quaest. 5. Schindlerus in verb. כדר exponit *antequam venter in sepulcro frangatur*, sed in verbo נָבַע per hydriam cistulam fellis intelligit. Tremellius sic explicat, *antequam abrumpantur commoditates tuae ad hanc vitam pertinentes*, quod synecdochice more Hebraeorum exemplo uno figurari asserit) *et confringatur* sive *conteratur rota super cisternam sive puteum.* (Per *rotam super cisternam* Hebraei intelligunt cranium capitis, quod in sepulcro dicunt confringi. At cranium illud ob duritiem ossis diutissime integrum perseverat. Vatablus per *rotam* intelligit caput, per *puteum*
XVII. 77. cor, a quo trahuntur vires vitales. Ut enim ministerio rotae haurimus aquam, sic in capite omnes sensus constituuntur unde a corde vitales vires attrahit. Piscator accommodat ad *pulmonem*, qui continuo motu halitum nunc attrahit, nunc repellit, sicut rota ad cisternam, vel puteum, hydriam nunc demittit, nunc attrahit, eum in morte disrumpi dicunt. Quid si per *rotam* intelligatur jecur? ut enim rotae opera aqua e puteo extrahitur, ita jecur chylum ad se trahit eumque in sanguinem commutat ac toti corpori distribuit, sed in senibus hepar in sanguine conficiendo ac distribuendo suum non satisfacit officium. Tremellius insistit literali sensui, *rota*, *qua vertente haustrum in cisternam profundiorem inducitur, confringetur*, id est neque propinquis bonis, neque remotis utendi facultatem habiturus es.) v. 7. *et revertatur pulvis ad terram, quemadmodum fuit, et spiritus revertatur ad Deum, qui dedit illum* (id est miseri senes tantisper cum multiplicibus illis incommodis ac molestiis conflictantur, donec animae et corporis vinculo per mortem soluto corpus hominis e pulvere terrae initio formatum Gen. 2, v. 7. sepulcro inferatur inque eo in pulverem et cinerem redigatur, anima vero, quae spiritus est, ad Deum creatorem revertatur ejusque judicio sistatur atque ab eo vel tradatur angelis sanctis in sinum Abrahae deportanda, vel malis spiritibus in gehennam detrudenda. Quidam in specie ad animas piorum accommodant, cum Salomon sermonem dirigat ad populum Dei, illae igitur dicuntur reverti ad Deum, quia in coelum a sanctis angelis deferuntur). Atque haec est allegorica illa senectutis descriptio verbis obscurioribus, sed perquam emphaticis ac ex intimis naturae penetralibus petitis, a Salomone sapientissimo tradita. Confer Vallesium de sacra philosoph. cap. 66. p. 375.

72. 3. Ad mortis *antecedentia* referenda sunt non tantum *morbi ac senectus*, quae per se morbus est, ut ait Comicus, sed etiam *omnes hujus vitae calamitates atque adversitates.* Ut enim mors, ita quoque omnes hujus vitae calamitates ac miseriae sunt poenae peccati originalis, Gen. 3, v. 16. et seqq. Ambrosius vel Prosper in lib. 2. de voc. gent. c. 3: *Omnes naturae nostrae incolumitatem primi hominis praevaricatione perdidimus, inde tracta mortalitas indeque multiplex corporis atque animi corruptio.* Augustinus lib. 13. de civ. Dei cap. 14: *A liberi arbitrii malo usu series hujus calamitatis exorta est, quae humanum genus origine depravata velut radice corrupta usque ad secundae mortis exitium, quae non habet finem, solis illis exceptis, qui per gratiam liberantur, miseriarum connexione perducit.* 4. Quinimo tota haec mortalis vita nihil aliud est quam continua ad mortem via. Augustinus libr. 13. de civ. Dei c. 10: *Quidquid temporis vivitur, de spatio vivendi detrahitur, et quotidie fit minus, minusque quod restat, ut omnino nihil aliud sit tempus hujus vitae quam cursus ad mortem, in quo nemo stare permittitur, sed semper diaetam unam quolibet die quisque nostrum facit.* Bernhardus de dom. inter col. 1743: *Vita hominis singulis diebus expenditur; vita haec fragilis et caduca quanto magis crescit, tanto magis ad mortem accedit; vitae hujus principium mortis est exordium, neque incipit aetas prius augeri quam minui.* Manilius:

3. Calamitates hujus vitae.

*Nascentes morimur finisque ab origine pendet.*

Seneca in Herc. furente:

*Tibi mors paramur,*
*Sis licet segnis, properamus ipsi,*
*Prima, quae vitam dedit, hora carpsit.*

Vita haec nostra naviganti similis, qui enim navigat, sive stet, sive sedeat, sive jaceat, semper eo propius abit, quo impulsu navis ducitur; sic et nos, sive dormientes, sive vigilantes, sive jacentes, sive ambulantes, sive nolentes, sive volentes per momenta temporum semper ad finem ducimur. Seneca
epist. 24: *Quotidie morimur, quotidie enim demitur* XVII. 7
*aliqua pars vitae, et tunc quoque, cum crescimus, vita decrescit. Infantiam amisimus, deinde pueritiam, deinde adolescentiam; usque ad hesternum quidquid transiit temporis, perit; hunc ipsum, quem agimus diem, cum morte dividimus.* Idem: *Ultima hora, qua esse desinimus, non sola mortem facit, sed sola consummat; tunc ad illam pervenimus, sed diu venimus. In mortem non repente incidimus, sed minutatim procedimus.* Thomas Morus:

*Scilicet ex illa, qua primum nascimur, hora*
*Prorepunt juncto vitaque morsque pede.*

Antecedentia propinquiora. 1. Interna.

73. Propinquiora mortis *antecedentia* sunt vel *interna*, vel *externa*. *Interna*, quae in *corpore* vel in *anima* homini obtingunt; *externa*, quae eidem exterius obversantur. Ad priorem classem pertinent 1. *sensuum interiorum et exteriorum, adeoque omnium animae virium et omnium corporis membrorum labefactatio.* Morte enim appropinquante oculi contabescunt, aures obsurdescunt, gustus pervertitur, memoria diminuitur, brachia et manus prae languore concidunt, pedes corporis molem ferre nequeunt, nasus redditur acutus, facies lurida ac totum corpus ad putredinem et corruptionem vergit. Bernhardus in serm.: *Cogita te jam mortuum, quem scis necessario moriturum. Distingue, qualiter oculi vertentur in capite, venae rumpentur in corpore et cor scindetur dolore.* 2. *Conscientiae morsus et accusatio.* Morituro omnia totius vitae delicta occurrunt cum omnibus speciebus ac circumstantiis, quae animum ipsius graviter angunt et excruciant. Ephremius de beatitud. anim. cap. 1. sub fin.: *Ea hora, cum anima dividitur a corpore, videns universa opera sua dicit illis: Date mihi unius horae spatium, donec egrediar. Et respondent simul omnia opera ejus et dicunt ei: Tu nos egisti, tua opera sumus, tecum semper imus, tecum pergimus ad Deum.* Moriturus videt, se momento illi appropinquare, a quo pendet aeternitas, tempus bene operandi jam esse amissum, tempus ad poenitentiam concessum esse fere totum praeterlapsum ac post mortem imminere judicium, in quo de actionibus, verbis et cogitationibus reddenda sit ratio. *Si non benefeceris*, inquit Deus ad Cainum, *peccatum cubat ad ostium* Gen. 4, v. 7. In hac vita peccatum videtur quasi cubare et quiescere cessante adhuc conscientiae morsu, sed cubat *ad ostium*, id est quando per portam mortis ex hac vita egrediendum, tunc peccatum evigilat et conscientiam graviter angit. 3. *Dolorum et angorum multiplicatio.* Quemadmodum cum dolore et angore in hunc mundum nascimur; ita quoque cum dolore et angore ex eo egredimur Sub vitae igitur finem et ex hoc mundo abitum poenas et molestias pendimus, quas in primo ad hanc vitam et in hunc mundum ingressu matribus nostris procreavimus, iisdem doloribus tempore discessus subjacemus, quibus matrem tempore partus fatigavimus, ut similis sit ingressui vitae exitus. Fingunt poëtae Prometheum lutum, ex quo hominem finxit, non aqua, sed lacrymis macerasse, quia scilicet

*Nascimur in lacrymis, lacrymis quoque vita madescit,*
*Et vitam rursus linquimus in lacrymis.*

Cui tristi querimoniae fides Christiana merito illud subnectit:

*O multas hominum lacrymas, absterget at omnes*
*Omnibus electis ipse Deus lacrymas.*

2. Externa.

74. *Externa* sunt *1. uxoris, liberorum et cognatorum ejulatus ac molestatio; 2. multiplex ac varia diaboli insultatio, infestatio ac tentatio.* Quodsi namque per totum vitae cursum homini insidiatur, multo magis sub vitae finem omnem suam calliditatem ac potentiam adversus ipsum exserit sciens, in hoc ultimo duello cum praesentissimo salutis discrimine homini aut vincendum aut succumbendum, unde quidam ex veteribus per *calcaneum*, cui serpens infernalis *insidiaturus* dicitur Gen. 3, v. 15. vitae finem, circa quem gravius hominem oppugnat, XVII. 79.
intelligunt. Cassianus libr. 4. inst. coenob. cap. 37. Quemadmodum Johannes Apoc. 12, v. 12. diabolum dicit *habere iram magnam, cum sciat, quod modicum tempus ad seducendum in fine seculi eidem supersit;* ita quoque circa finem vitae quemlibet hominem magnis viribus et efferata ira aggreditur, itidem sciens, exiguum adhuc temporis spatium ad seducendum sibi esse relictum. Utque in vita reliqua non uno duntaxat tentationum genere, sed *multiformi nocendi astutia*, ut Augustinus lib. 19. de civ. Dei c. 23. loquitur, hominem solet aggredi. *Aliis enim cupiditatem insatiabilem immittit, ut opibus suis tanquam compedibus illigatos a via veritatis abducat; alios inflammat irae stimulis, ut ad nocendum potius intentos a Dei contemplatione detorqueat; alios immoderatis libidinibus immergit, ut voluptati et corpori servientes ad virtutem respicere non possint; aliis vero inspirat invidiam, ut suis ipsi tormentis occupati nihil cogitent aliud nisi eorum, quos oderint, felicitatem; alios inflammat ambitionibus; quos pios viderit, vanis implicat religionibus, ut impios faciat,* Lactantius lib. 6. de vero cultu c. 4. p. 323. Ac ut verbo dicam, *acrius tentat hominem ex illa parte, qua eum videt per excrescentem humorem facile inclinari ad vitia, ut secundum humoris conspersionem adhibeat etiam tentationem,* Bernhardus serm. 67. de mod. bene viv. col. 1741. ita quoque circa finem vitae pro diversitate objectorum diversa ejaculatur tela, eruditos solicitat ad verae fidei abnegationem, bonos ad praesumtionem, malos ad desperationem, infirmos ad impatientiam, divites ad nimiam circa terrena curam, pauperes ad diffidentiam.

4. Consequentia mortis. 1. Respectu totius compositi.

75. 4. *Consequentia* mortis referri possunt ad duas classes. Quaedam enim mortem consequuntur *ratione totius compositi*, quaedam respectu *singularum partium.* Ad priorem classem pertinent 1. *nuda ex hoc mundo egressio.* Job. 1, v. 21: *Nudus egressus sum ex utero matris meae et nudus revertar illuc*, non in matris uterum, sed in terram, sive *in sepulcrum*, ut Chaldaeus paraphrastes adjecit, *in domum sepulcri*, est enim terra omnium nostrum mater ac velut uterus maternus, in quem mortui recipiuntur, prodituri suo tempore ex eo iterum in vitam Sirac. 40, v. 1. Salomon insistens Jobi vestigiis Eccl. 5, v. 14: *Quemadmodum homo egressus est ex utero matris suae nudus, sic revertetur, ut vadat, secundum quod venit, nec quidquam portabit de labore suo, quod ducat in manu sua.* 1. Tim. 6, v. 7: *Nihil intulimus in mundum, manifestum, quod nec quidquam auferre possumus.* 2. *Omnium mundanorum gaudiorum, omnium*

*corporis et fortunae bonorum, quin et temporis ad poenitendum ac bene operandum concessi amissio.* Psalm. 49, v. 18: *Non cum mortuus fuerit* (dives), *accipiet omnia, neque descendet post ipsum gloria domus ejus.* Post mortem homo privatur bonis omnibus ad hanc vitam pertinentibus, corpus exuitur pulchritudine ac robore, perit nobilitas, auferuntur divitiae, neque quidquam nisi linteolum corpus tegens ex omni divitiarum cumulo secum ex mundo homo aufert. *Ubi nunc caesaris praeclarum corpus?* ait auctor serm. ad fratr. in erem. Augustino attributi, *ubi divitiarum ejus magnitudo? ubi caterva baronum et nobilium? ubi acies militum? ubi apparatus deliciarum? ubi canes venatici? ubi veloces equi? ubi cantantes aves? ubi thalamus pictus? ubi lectus eburneus? ubi regalis thronus? ubi mutatoria vestimentorum? ubi capilli solares? ubi decora facies? Te dudum verebantur homines, te timebant principes, te colebant urbes, te metuebant omnes, ubi nunc quaeso sunt omnia? quo abiit tua magnificentia? pariter defecerunt haec omnia, quando defecit spiritus ejus, et eum in sepulcro trium brachiorum reliquerunt cum foetore et putredine.* Baptista Campofulgosus lib. 7. cap. 2. de *Saladino* Aegyptio sultano commemorat, quod in processione obsoletam tunicam sibi praeferri curaverit ac per praeconem exclamari jusserit: *Saladinus Asiae domitor tantum ex hoc mundo secum referet.*

XVII. 80. *3. Novorum confinium egressio.* Post mortem *pulvis revertitur in terram et spiritus ad Deum, qui dedit eum*, Eccl. 12, v. 7. utraque igitur pars hominis novas ingreditur sedes easdemque sibi penitus ignotas.

2. Ratione singularum partium. 1. Corporis.

76. Posterioris classis ἑπόμενα quaedam spectant *corpus*, quaedam vero *animam* hominis. Nititur haec distributio illa hypothesi, quod sint duae duntaxat hominis partes, corpus et anima, ut ostendit primaeva hominis creatio. **Esse enim tantum duas hominis partes, probant 1. hominis creatio Gen. 2, v. 7. 2. hominis redemtio, nam Christus eum totum anima duntaxat et corpore constantem redemit, Gal. 3, v. 13. c. 4, v. 5. Luc. 19, v. 10. 3. hominis renovatio et sanctificatio; 4. Filii incarnatio, assumsit animam et corpus; 5. hominis mors Eccl. 12, v. 7. Act. 7, v. 59. 6. mortuorum resuscitatio 1. Reg. 17, v. 21. 7. ipsius Christi mors; 8. gravissima Christi admonitio Matth. 10, v. 28.** *Heracleonitae* referente Hieronymo in c. 20. Ezech. tres partes hominis essentiales faciebant, *corpus, animam et spiritum.* Eadem est sententia *Rabinorum.* Quidam *Theophrastistae* nostro tempore idem statuunt, ac spiritum post mortem corporis aliquandiu adhuc superesse, tandem vero etiam exstingui, animam vero simpliciter immortalem esse disputant. Nonnulli ex *Svencfeldianis et Enthusiastis* tertiam partem essentialem, spiritum scilicet, homini in regeneratione accedere somniant. Illi omnes urgent dicta Scripturae, in quibus spiritus ab anima distinguitur Luc. 1, v. 46. 1. Thess. 5, v. 23. Hebr. 4, v. 12. sed respondemus, nomen spiritus, cum de homine dicitur, quandoque tamen ἐξηγητικῶς poni pro ipsa *anima*, cum anima sit spiritus, Genes. 2, v. 7. c. 46, v. 27. Augustinus in exposit. Cant.: *Unus et idem spiritus ad se ipsum dicitur spiritus et ad corpus anima. Anima dicitur, in quantum est vita corporis; spiritus vero in quantum est substantia spiritualis*; quandoque non ipsam animae essentiam, sed ejus *qualitates, motus et affectus* significare, secundum quos modo lata, modo tristis, modo fortis, modo imbecillis dicitur. Gen. 45, v. 27: *Revixit spiritus ejus.* Exod. 6, v. 9: *Propter angustiam spiritus* etc. Quandoque usurpari pro *dono sanctificationis* et charismasi spiritualibus, quae a Spiritu sancto in credentes conferuntur, ut sint ad spirituales actiones idonei. Irenaeus lib. 5. ad haer. c. 8. p. 322: *Anima et spiritus pars hominis esse possunt, homo autem nequaquam, perfectus autem homo commixtio et adunitio est animae assumentis spiritum patris et admixtae in carne, quae est plasmata secundum imaginem Dei.* Et postea: *Cum spiritus commixtus animae unitur plasmati propter effusionem spiritus spiritualis, et perfectus factus est homo, et hic est, qui secundum imaginem et similitudinem factus est Dei, si autem defuerit animae spiritus, animalis est vere, qui est talis* etc. (quae omnia commode sunt explicanda, non de tertia aliqua parte essentiali, quae homini in regeneratione accedit, sed de charismasi spiritualibus, quae piis hominibus conferuntur, ut ibidem se ipsum Irenaeus explicat.) Didymus
libr. 3. de Spiritu sancto apud Hieronymum tom. 9. XVII. 81.
operum in dicto apostolico 1. Thess. 5, v. 23. per spiritum *intelligit* superiorem animae portionem, quae animam informat, ut divina intelligat, sapiat et diligat, qua expositione etiam utitur Nyssenus de creat. hom. c. 8. At haec expositio favet Pelagianis, tribuit enim spiritui vim et facultatem illuminandi animam in rebus divinis, quod unice competit Spiritui sancto qui animam lucis suae radiis illuminat, ut divina cognoscat, capiat et intelligat. Quidam per *spiritum* mentem et intellectum, per animam voluntatem et affectus intelligunt, Gallas. in notis ad Iren. p. 398. Hae sunt duae partes praecipuae animae nostrae, quas Deo subjici et in dies renovari oportet, ut nihil mente cogitemus, nihil animo cupiamus, nihil corpore efficiamus, quod ipsius verbo consentaneum non sit. Non est igitur spiritus apud Paulum aliquid diversum ab anima, sed ipsius animae facultas, ut apud Hebraeos רוּחַ distinguitur a נֶפֶשׁ cum illi aut conjungitur aut opponitur, utramque tamen facultatem comprehendit nomen נֶפֶשׁ, cum nulla fit distinctio, ut nunc pro tota anima, nunc pro ejus parte accipiatur. Socinus in explic. aliquot. locor. Script. p. 106: *Spiritus est id, quod alio nomine vocari potest mens seu ratio superior, quatenus scilicet est illustrata a Dei patefactione illa, quae continetur in evangelio, ita ut cum Paulus optat, spiritum esse sine ullo vitio, ac perfectum aliud nihil optet, quam ut nullus error, nulla ignorantia divinae patefactae*

*voluntatis in iis sit, ad quos scribit, et simul ad reformationem mentis et rationis superioris per patefactionem istam nihil illis desit, ut cognoscant et probent ea, quae Deo placent. Per animam desideria, cogitationes et denique voluntatem in omni actione intelligit, quam vult esse integram et plane virtute conformatam, ita ut isti nihil cupiant, nihil cogitent, nihil denique velint, quod virtuti et rectae rationi adversetur, quae anima in homine alio nomine appetitus et ratio inferior vocari potest. Corporis in nomine nihil aliud intelligere videtur quam externas actiones nostras, quas ejusmodi esse vult, ut nullo pacto ab eo absint aut dissentiant, quod Deus nobis praescripsit.* Hunnius in comm. epist. ad Thess. p. 125. et alii per *spiritum* intelligunt nobilissimam *animae humanae potentiam, qua homines a brutis distinguuntur, videlicet mentem et voluntatem,* per animam vero *reliquas animae facultates.* Simplicissimum videtur, per spiritum in illis dictis, in quibus spiritus ab anima distinguitur, intelligere superiorem animae regeneratae et renovatae facultatem, per quam homo Deo adhaeret et Spiritus sancti ductum sequitur Rom. 8, v. 16: *Spiritus reddit testimonium spiritui nostro* etc. cum quo fere congruit eorum expositio, qui animam dupliciter apud apostolum notari dicunt, primo, *ut secundum suam substantiam informat corpus, idque voce animae,* secundo, *ut est a Spiritu sancto renovata, idque voce spiritus.* Confer Flacium in gloss. compend. p. 1023. ** Quando Lutherus tom. 1. Jenensi p. 439. et alii nonnulli scriptores ecclesiastici dicunt, *quod tres sint hominis partes, corpus, anima, spiritus,* tum nequaquam intelligunt tres partes essentialiter a se ipsis differentes, quia diserte docent, animam quoad οὐσίαν esse spiritum illum et hunc quoad substantiam et naturam esse illam, sed partes adjunctivas. Nec enim insuetum est, etiam divisionem subjecti in accidentia vocare distributionem totius in partes. Et philosophi potentias animae solent vocare partes. Aristoteles lib. 6. ethicor. capit. 1.**

77. Ratione prioris partis, *corporis* scilicet, mortem consequuntur: *1. omnimoda corporis mutatio*, illud enim post animae discessum redditur statim rigidum ac frigidum, sensus ac motus expers, horridum, ponderosum ac terreum. *2. Horribilis ejusdem putrefactio.* Nullius animalis corpus post mortem tam cito putrescere incipit, nullius animalis corpus tam tetrum foetorem emittit quam hominis, cujus rei quae possit esse causa alia quam peccati labes, qua corpus hominis veluti veneno quodam est in-
IVII. ꝝ. fectum ac contaminatum? Peccatum est asa illa foetida, quae coram Deo et angelis tam graviter olet ac tantum foetorem in corpore mortui hominis excitat.

*Quid nisi foetor homo est? foetores inter in alvo*
*Gignitur et latitat, tener e foetente favissa*
*Eruitur foetens, totius tempore vitae*
*Sese intra foetet, foetores ejicit ex se,*
*Corpus inane animae tandem foetore maligno*
*A se abigit cunctos et cum foetore sepulcro*
*Foetenti infertur,*

ut Chytraeus recte canit. Ut in principio ortus sui homo fuit *sperma foetidum*, ita in fine exitus sui fit *cadaver putridum.* Auctor sermon. ad fratres, qui Augustino tribuuntur et tom. 10. operum ejus annexi sunt, *Semel*, inquit, *Romae ductus sum a Pontiano praefecto cum multis aliis, ut viderem Caesaris cadaver in sepulcro, vidi omnino, quod esset livido colore praeditum, putredine circumdatum, prospexi ventrem ejus disruptum et vermium catervas per ipsum transeuntes. Duo quoque famelici bufones in foveis oculorum ejus pascebantur, crines ejus non ultra adhaerebant capiti, dentes ejus apparebant labiis consumtis et revelatum erat narium fundamentum* etc. Ingressus coemeterium confer caesarum, regum ac ducum ossa cum ossibus calceariorum ac pauperum, an discrimen aliquod inter ea reperire possis? nullum profecto reperies praeter hoc solum, quod divitum cadavera, utpote delicatius et cibis variis nutrita, foetore forte superant pauperum corpora, qui pane cibario et lutulenta aqua usi fuerunt. Misenae in templo Afrano monumentum cujusdam nobilis adolescentis ex Schleiniziorum familia (nisi fallor) oriundi etiamnum hodie videre licet. Perhibebatur adolescens ille omnium suae aetatis fuisse pulcherrimus, sed cum in ipso aetatis flore in morbum letalem incidisset, a propinquis suis exorari non potuit, ut suam effigiem vel depictam, vel sculptam posteritati relinqueret, tantum hoc precibus illorum concessit, ut postquam terrae mandatus esset, paucos post dies sepulchrum aperirent, et qua forma cadaver suum invenirent, eadem depingi curarent. Hoc cum esset factum, invenerunt faciem ejus semiconsumtam a vermibus et plures serpentes circa diaphragma et spinam dorsi exstantes. Jusserunt igitur ejus effigiem, sicut invenerant, lapidi incidi, quod monumentum adhuc in sacello gentilitio illius templi inter armatas majorum et gentilium statuas conspicitur. *3. Corporis sepultura ac funeratio.* Apoc. 6, v. 8. introducitur talis figura mortis, quod *sedeat super equum pallidum,* (quia corpora defunctorum reddit pallida ac lurida) *quodque infernus eum sequatur*, vel quia in impiis mors corporalis est initium aeternae mortis, vel quia Graecum ᾅδης, ut Hebr. שְׁאוֹל significat etiam *sepulcrum*, cui mortui inferuntur. Reliquorum animalium corpora saepius projiciuntur insepulta, sed corpus hominis mox, ut eum mors occupavit, tam tetram exhalat mephitim, ut nec proximi cognati et amici illud in domo secum ferre possint, sed protinus exportari et terrae mandari curent. Sara in vivis Abrahamo erat cara et grata, sed cum mortua esset, dicit ad filios Heth Gen. 23, v. 4: *Date mihi possessionem sepulcri, ut sepeliam mortuum a facie mea.* *4. Corporis cinefactio ac in pulverem redactio.* Homo est putredo in exortu, bulla in vita, esca vermium in morte. Gen. 18,

v. 27: *Ego sum cinis et pulvis.* Job. 17, v. 14: *Foveae dicam, pater meus es tu, et vermi, mater mea et soror mea es,* id est me morti et sepulcro vicinum exesuri sunt vermes, ut eos ob adhaesionem ac velut cognationem, quae mihi cum illis futura est, et artissimam conjunctionem liceat matrem et sororem et sepulcrum patrem appellare, quia scilicet gignit vermes, a quibus cadaver in eo sepultum corroditur et consumitur. cap. 20, v. 11: *Cum peccato suo super pulvere quiescet,* id est propter peccatum in pulverem redigetur. cap. 21, v. 26: *Pariter super pulverem jacebunt, et vermis operiet eos.* Esa. 51, v. 8: *Sicut vestimentum comedet eos tinea et sicut lanam devorabit eos vermis.* Sir. 10, v. 13: *Cum moritur homo, hereditabit serpentes et bestias et vermes.* Ut enim canit Ovidius:

XVII. 83. *Sunt, qui, cum clauso putrefacta est spina sepulcro,*
*Mutari credant humanas angue medullas.*

*Peregre affertur terra in usum medicinae et vasorum elegantium, sed de terra illa, in quam post mortem redactus es, nemo vel pulvisculum unum sciens gustaret, neque ex vase illo comederet vel biberet, quod ex sepulcri tui pulvere compactum nosset,* Hutterus in homil. passion. pag. 20.

De sepultura. 78. Antequam vero ad ἑπόμενα mortis animam concernentia progrediamur, de *sepultura.* per quam corpus demortui hominis terrae infertur, quaedam paulo uberius dicenda. Apud gentiles mortuorum corpora variis modis fuere tractata. *Scythis, Massagetis et Derbicis* mos fuit parentes senio confectos imbellem turbam mactare, coquere et carnibus ipsorum vesci, liberis, proximis et cognatis tanquam ad solenne convivium congressis, Herodotus lib. 4. *Colchi* defunctos suos de arboribus suspendebant, Apollonius lib. 3. argonaut. hist. *Lotophagi et quidam Aethiopum* suos in mare defunctos abjiciebant, ut a piscibus absumerentur, parum interesse asseverantes, humone, an aqua, an igne dissolverentur. *Sabaei* sive *Nabathaei* corpora defunctorum aeque ac stercus ducebant, quin et reges in sterquilinia abjiciebant. *Troglodytae* mortui cervicem pedibus alligabant et raptim cum risu et jocis efferebant nullaque loci ratione habita terrae inferebant ac ad caput cornu cervinum affigebant. *Hyrcani,* referente Strabone, canes nutriebant, quos vocabant sepulcrales, quibus vita functos devorandos abjiciebant. Idem faciebant *Bactriani. Persae,* Deum esse ignem arbitrantes non cremabant cadavera defunctorum, quia nefas esse putabant, Deo depasci cadaver hominis, ideo cera circumlita condiebant, ut quam maxime diuturna permanerent cadavera. *Aegyptiis* contra persuasum erat, ignem esse beluam animatam et omnia, quae nascuntur, devorare, et postquam devorando fuerit expleta, una cum ipsa re devorata emori, ideo apud eos non fuit consuetudo mortuum igni vel beluis tradendi, sed condiendi inque domo servandi, ne humatus devoraretur a vermibus, Herodotus in Thal. Idem apparet ex Genes. 50, v. 2. *Sylla,* qui mortuorum ossa e sepulcris canino more eruta in fluvium mergi jusserat, moriens se cremari testamento cavit, ne idem ab hoste ludibrium ejus cadaver pateretur, ex quo apud Romanos inolevit mos cremandi cadavera mortuorum. Camerarius p. 1. succis. histor. c. 3. In *insulis Americis* hominum corpora non putrescere, ideoque non humari, sed dio exponi et incorrupta permanere tradit ex Gyraldo Ortelius in theatro orbis tab. 10. de Hibern. unde avos, atavos, tritavos longamque stirpis suae seriem magna admiratione viventes cognoscere. *Magorum* mos erat non humare corpora suorum, nisi a feris antea fuissent laniata. Coelius Rhodig. lib. 9. antiq. lect. c. 43. *Tibareni,* quos dilexissent, senes suspendebant a patibulis. *Taxili* mortuos vulturibus non secus projiciebant atque *Caspii* ceteris bestiis. *Parthorum* sepultura aut avium, aut canum laniatus erat, *Issedonum,* Asiaticae Scythiae populorum, mos erat parentum funera cantibus prosequi et proximorum congregatis coetibus cadavera ipsa dentibus laniare pecudumque carnibus mista comedere ac capitibus auro incinctis pro poculo uti, quae ultima erant pietatis officia. *Hyperborei* hoc sepulturae genus optimum arbitrabantur, ut si quos satietas teneret vitae, epulati delibutique de rupe nota praecipitarent se in mare profundum, Polydorus Virgil. lib. 3. de rer. invent. cap. 10. *Chii* combustis cadaveribus et ossibus collectis in mortario ea contundunt, deinde navigio imponentes in altum navigant eaque per cribrum ad ventorum flatus dispergunt, donec omnino dissipentur et aboleantur.
*Tauri,* gens Scythica, cum regibus exstinctis gratis- XVII. 84.
simos eorum amicos una sepeliunt. *Indi,* cum moriuntur, carissimam ex uxoribus una concremant. Fit autem inter uxores maximum certamen, dum singulas ut vincant, acri studio amici promovent. *Diogenes* dicebat, si canes cadaver suum lacerarent, Hyrcanam sepulturam fore, sin vultures, Iberam; at si nullum animal accederet, pulcherrimam sibi fore sepulturam corpore a preciosissimis rebus, sole scilicet et imbribus, absumto, Stobaeus serm. 122.

79. Profani illi ac gentiles corpora defunctorum tractandi ritus ostendunt vere ab apostolo de gentilibus dictum esse Eph. 2, v. 12. 1. Thess. 4, v. 13. *quod spem non habuerint,* resurrectionis scilicet corporum ad vitam aeternam. Sed in ecclesia Christiana corpora defunctorum, praesertim piorum, merito honorificentius tractantur, 1. quia fuerunt *membra Christi,* precioso ejus sanguine redemta Eph. 5, v. 30. ac *templa* et habitacula *Spiritus sancti* 1. Cor. 3, v. 16. c. 6, v. 19. Deus non animam tantum, verum etiam corpus hominis creavit; Filius Dei non animam tantum, verum etiam corpus humanum assumsit ac redemit; Spiritus sanctus non animam tantum, sed et corpus lavacro regenerationis et renovationis abluit. Nec anima tantum, sed et *corpora nostra percipiunt eucharistiam, quae constat duabus rebus, terrena et coelesti, corpore scilicet et sanguine Christi,* Irenaeus lib. 4. adv.

haeres. c. 34. 2. Quia fuerunt *salutaria organa*, per quae piorum animae bonum operatae fuerunt in hac vita, 2. Cor. 5, v. 10. *arma justitiae* Rom. 6, v. 19. per quae et in quibus Deus fuit *glorificatus* 1. Cor. 6, v. 20. Origenes lib. 5. contr. Cels.: *Humana cadavera ut animae domicilia et sanctioris praecipue haudquaquam sunt rejicienda, quippe quae ex optimarum legum honoribus, qui haberi his possunt et sepultura dignantur.* lib. 8. contra eund.: *Rationalem animam honorare didicimus et hujus organa sepulcro honorifice demandare.* 3. Quia illa ipsa corpora ad vitam aeternam *resuscitabuntur ac corpori Christi glorioso conformia reddentur*, Phil. 3, v. 21. 4. Quia exempla sanctorum testantur, defunctorum corpora ab ipsis honorifice fuisse habita. Augustinus lib. 1. de civ. Dei c. 13: *Antiquorum justorum funera officiosa pietate curata sunt et exsequiae celebratae et sepulcra provisa, ipsique dum viverent, de sepeliendis vel etiam transferendis suis corporibus filiis mandaverunt.* Et *Tobias sepeliendo mortuos Deum promeruisse teste angelo commendatur. Ipse quoque Dominus die tertio resurrecturus religiosae mulieris bonum opus praedicat praedicandumque commendat, quod unguentum pretiosum super membra ejus effuderit atque hoc ad eum sepeliendum fecerit. Et laudabiliter commemorantur in evangelio, qui corpus ejus de cruce acceptum diligenter atque honorifice tegendum sepeliendumque curaverunt.* Eusebius lib. 7. histor. eccles. c. 16. de *Asturio Romano* commemorat, quod non sine periculo corpus Marini martyris humero impositum splendidissimae sepulturae tradiderit. 5. Quia honesta sepultura beneficii ac praemii, denegatio vero ejusdem poenae loco in Scripturis sacris habetur. Gen. 15, v. 15. Deut. 34, v. 6. 1. Regum 14, v. 11. et 13. 2. Reg. 9, v. 33. Psalm. 79, v. 3. Jerem. 8, v. 1. cap. 22, v. 18. etc. 6. Quanti officium sepulturae coram Deo fiat, ex eo colligitur, quod Spiritus sanctus illud vocat *misericordiam* Ruth. 1, v. 8. 2. Sam. 2, v. 5. et *angelos* ejus inspectores esse patet ex Tob. 12, v. 12. Christus Matth. 26, v. 10. factum mulieris ad sepeliendum corpus ipsius unguentis vocat *opus bonum.* 7. Augustinus lib. de cura pro mort. cap. 3. addit argumentum a minori ad majus: *Si parentum vestes solicite reponimus, multo magis ipsorum corpora honorifice sepeliamus.* lib. 1. de civ. Dei cap. 13. in princ.: *Si paterna vestis et annulus, ac si quid hujusmodi tanto carius est posteris, quanto erga parentes major affectus nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quae utique multo familiarius atque conjunctius quam quaelibet indumenta gestamus, haec enim non ad ornamentum vel adjutorium, quod*
II 85. *adhibetur extrinsecus, sed ad ipsam naturam hominis pertinent.* 8. Quidam ex sanioribus gentilibus agnoverunt, corpora defunctorum honeste tractanda esse. Apud *Athenienses* sepulcrorum tanta fuit cura, ut etiam peremtos bello, si quis dux honestare sepulcro neglexisset, capite plecteretur, unde de *Nicia* Atheniensium duce commemoratur, quod omnem exercitum subsistere jusserit, ut duos tantum peremtos milites sepulturae traderet. *Cimon* Miltiadis filius se captivum sistere non dubitavit, ut pater sepulturae traderetur.

80 Terrae autem inferri ac humari, id est humo superingesta sepeliri, curamus defunctorum corpora 1. *ob divini oraculi promulgationem.* Genes. 3, v. 19: *Terra es et in terram reverteris.* Dan. 12, v. 2: *Qui dormiunt in terrae pulvere.* Eccles. 12, v. 7: *Pulvis revertitur in terram, quemadmodum fuit.* *2. Ob terrae appellationem*, vocatur illa *mater omnium nostrum* Sirac. 40, v. 1. quia mortuos sinu suo nos excipit et ossa nostra usque ad diem judicii, qui erit dies *παλιγγενεσίας* Matth. 19, v. 28. complexu suo custodit (Job. 17, v. 14. fovea sive sepulcrum vocatur *pater* ac vermis *mater);* sicut vice versa uterus maternus vocatur תַּחְתִּיּוֹת אָרֶץ, *inferiores partes terrae* Psalm. 139, v. 15. quo sensu etiam quidam accipiunt dictum apostolicum Eph. 4, v. 9. unde Nazianzenus homines appellat *διςταφέας*, *bis sepultos*, quod primum in alvo matris tecti et quasi sepulti jaceant, antequam in hanc vitam nascantur; deinde in alvo terrae lateant, donec ad vitam aeternam resuscitentur. *3. Ob Christi et apostoli Pauli comparationem*, qua granis in terram projectis corpora pie defunctorum ad confirmandam resurrectionis spem conferunt. Johan. 12, v. 24. 1. Cor. 15, v. 37. et 38. inde in lingua nostra vernacula coemeteria pulcherrime vocantur *agri Dominici*, in quibus scilicet corpora piorum velut quaedam grana in spem futurae messis seminantur. *4. Ob exempli in sanctis Dei viris propositi imitationem.* Antiquissimo et perpetuo ecclesiae usu receptum fuit defunctorum corpora terrae inferre Gen. 23, v. 19. cap. 50, v. 13. etc. quinimo Deus ipse hunc morem sepeliendi defunctos confirmavit Deut. 34, v. 6. *5. Ob sepulcrorum nostrorum per Christum factam consecrationem.* Sicut Christus propter nos mortem in cruce sustinuit, ita quoque propter nos sepeliri voluit, ut contactu sanctissimae suae carnis nostra sepulcra sanctificaret eademque בָּתֵּי־חַיִּים, *domus viventium*, ac *κοιμητήρια* sive *dormitoria* efficeret. Quemadmodum igitur spiritualiter *cum Christo consepulti sumus per baptismum in mortem* Rom. 6, v. 4. ita quoque aequum est, ut in sepultura corporali ipsi conformemur. *6. Ob disertam jussionem.* Sirac. 7, v. 37: *A mortuo ne prohibueris gratiam.* cap. 38, v. 16: *Contege corpus mortui et ne despicias sepulturam ejus.* 7. Huc referenda dicta patrum. Tatianus in orat. ad Graecos *corpora piorum post mortem* dicit *esse ἐν ταμείοις ἐναποκείμενα, in conclavi seu penu divitis Domini reposita.* Lactantius lib. 6. inst. cap. 12: *Non patiemur figuram et figmentum Dei feris ac volucribus in praedam jacere, sed reddamus id terrae, unde ortum est.* Ecclesia Smyrnensis apud Eusebium lib. 4. histor. eccles. cap. 16: *Nos tandem ossa illius* (Polycarpi martyris) *pretiosis lapidibus pretiosiora et auro proba-*

Causae sepulturae.

*tiora nacti condidimus, ubi id fieri decebat.* Prudentius in hymn.:

*Nunc suscipe terra fovendum*
*Gremioque hunc suscipe molli,*
*Hominis tibi membra sequestro,*
*Generosa et fragmina credo.*

8. Quin et saniores gentiles agnoverunt, ritum humandi corpora defunctorum esse antiquissimum et probatissimum. Apud Xenophontem lib. 8. de
XVII. 86. paedia Cyrus sic alloquitur filios: *Meum corpus, cum moriar, neque in auro condite, neque in argento, neque in alia re prorsus ulla, sed illud terrae reddite quamprimum, quid enim hac re beatius quam terrae misceri, quae pulchra omnia bona gignit et nutrit?* Antiquissimum sepulturae genus statuit Tullius lib. 2. de legg. p. 418. quo apud Xenophontem utitur Cyrus, *quo redditur terrae corpus et quasi matris operimento obducitur, quo ritu sepultus sit Numa rex, sepulta et gens Cornelia, donec e patriciis Cornelius primus Sylla cremari voluit.* Plinius lib. 7. nat hist. c. 54: *Vetustissimus mos fuit apud Romanus mortuos in terra abscondere.* Stobaeus serm. 122. recitat versus Moschionis:

*ἐάσατ' ἤδη γῇ καλυφθῆναι νεκρούς,*
*ὅθεν δ' ἕκαστον εἰς τὸ σῶμ' ἀφίκετο,*
*ἐνταῦθ' ἀπελθεῖν πνεῦμα μὲν πρὸς αἰθέρα,*
*τὸ σῶμα δ' εἰς γῆν,*

*sinite jam terra mortuos operiri, et unumquodque unde in corpus venit, illuc redire; spiritum quidem ad aethera, corpus vero in terram.*

Improbatur circa sepulturam 1. Superstitio Pontificiorum.

81. Quamvis vero honestam et Christianam sepulturam propter spem resurrectionis adhibitam magnopere commendemus, probare tamen non possumus *1. superstitionem Pontificiorum* circa sepulcra et sepeliendi ritus variam ac multiplicem. Primo enim *coemeteria* (quae Durandus lib. 1. ration. divin. officiorum cap. 5. nu. 4. per insignem absurditatem ac ruditatem dicta putat *a cimen, quod est dulce, et sterion, quod est statio, propterea quod ibi defunctorum ossa dulciter quiescunt et Salvatoris adventum exspectant, vel quia ibi sunt cimices, id est vermes ultra modum foetentes)*, certis ritibus ac peculiaribus precum formulis *consecrant* iisdemque hoc modo consecratis singularem quandam vim et efficaciam tribuunt, quae ad defunctos in iis sepultos redundet. Durandus lib. 1. ration. cap. 8. nu. 26: *Benedicitur coemeterium, ut ulterius desinat illic immundorum spirituum*
XVII. 87. *habitatio esse et fidelium corpora ibi usque ad diem judicii requiescant in pace, nisi paganorum, vel infidelium, vel etiam excommunicatorum corpora ibi fuerint humata, donec inde fuerint ejecta.* Innocentius c. consuluisti. extr. de consecrat. eccl.: *Coemeteria, in quibus excommunicatorum corpora sepeliri contingit, reconcilianda erunt adspersionibus aquae solenniter benedictae, sicut in dedicationibus ecclesiarum fieri consuevit.* Praxis docet, suffraganeos magnis sumtibus ad consecranda coemeteria et loca sepulturae conduci et advocari. Sed fraudes illas ac figmenta de consecratorum coemeteriorum efficacia jam olim Waldenses publice taxarunt, unde ab Aenea Sylvio in histor. Boh. inter dogmata Waldensium etiam hoc refertur, *coemeterium inanem usum, quaestus causa repertam, quacunque tangantur tellure humana corpora, nihil distare.* Superfluos sumtus, qui in coemeteriorum consecratione adhibentur, proceres Romani imperii in gravaminibus anno 1522. taxarunt, sic enim loquuntur gravam. 50: *Si forte sine armis, pugnis tantum et capillis in coemeterio duo pluresve manus conserant aut rixam habeant ad sanguinis usque quantumvis modici effusionem, tum ad interdictorum severitatem recurrunt ecclesiastici, nec prius publica Christianorum redintegrant officia, quam civium universitas coemeterium denuo magna pompa gravibusque nec profecto minoribus impensis consecrari curaverit, quam primum ex profano redditus sit sepulturae is locus sacer, quae omnia tandem redundant in caput laicorum.* Inde etiam jus sepulturae in consecratis illis coemeteriis quibusdam magno aere redimendum, quod pugnat cum constitutionibus canonum c. Questa est 13. q. 2. c. Postquam. c. in ecclesiastico c. Praecipiendum caus. et quaest. iisd. c. abolendae extr. de sepulturis. Qua de re proceres imperii grav. 89. sic loquuntur: *Papalibus statutum est canonibus, ut his duntaxat publici juris ecclesiastica denegetur sepultura, quos in manifestis et plane notoriis mortalibus peccatis ex communi hac mortalium sorte absque Dominici corporis sanguinisve participatione migrasse compertum sit. Verum ecclesiastici non animadversis talibus pontificum decretis forte fortuna aqua suffocatos, gladio, ruina vel incendio occisos, jugulatos atque vita functos, etiamsi non pateat, peccatis mortalibus obnoxii decesserint necne, in ecclesiasticam tumulare sepulturam non permittunt, quousque tam iniquo fato mortuorum uxores, liberi amicive ab ipsis coemeterium non modico aere comparaverint.* In jure canonico caus. 13. q. 2. adducitur fabula Judaica ex Hieronymo, *quasi nomen Ephronis* Gen. 23, v. 16. *ideo scriptum sit absque litera vau, quam alioquin vocabulum habet penultimam, ut scriptura significaret, cum non fuisse consummatae virtutis, quod sepulcrorum loca vendere fuerit ausus.* Quamvis vero haec sit fabula, cum versu mox sequente nomen Ephronis cum vau scribatur et alioquin ו vel exprimi, vel omitti possit, tamen ex ea colligitur, rabinos a venditione sepulcrorum itidem abhorrere. 2. Quando corpus defuncti e domo ad locum sepulturae portatur, *tres in via stationes faciendas esse* statuunt propter tres causas. Primo ad significandum, quod ipse in hac vita exsistens, ut posset digne Domino praesentari, in tribus specialiter se ipsum exercuerit, videlicet *in Dei dilectione, in caritate proximi* et *in custodia sui*, vel quod *in fide Trinitatis vitam finierit.* Secundo ad repraesentandum, quod Dominus triduo

in ventre terrae quievit. Tertio, ut per tres diaetas psalmodiae, quae tunc dicitur, trina ei fiat absolutio a delictis tribus modis, scilicet *cogitatione, verbo et opere*, commissis. 3. Campanas consecratas in exsequiis pulsandas esse dicunt, ut populus hoc audiens pro defuncto oret utque procul pellantur
XVII. 88. hostiles exercitus et omnes insidiae inimici. 4. Sepulturam statuunt esse *opus meritorium.* Bellarminus lib. 2. de purg. cap. 19: *Quod sepultura sit res meritoria, probatur* 2. Regum 2. Tob. 12. Matth. 26. Atqui inter opera bona sepulturae officium connumerari ibidem legimus, sed meritorium illud esse nuspiam invenimus. *5. Aquam benedictam* in sepulcrum ponendam esse vel certe sepulcrum eadem adspergendum, ne daemones, qui multum eam timent, ad corpus accedant. 6. In quocunque loco extra coemeterium Christianus sepelitur, crucem capiti illius apponi debere, *quia hoc signum diabolus valde veretur et timet accedere ad locum crucis signaculo insignitum,* Durandus lib. 7. ration. c. 36. 7. Pro defunctis *sacrificium missaticum, vigilias, anniversaria suffragia* instituunt, quibus plurimum eos juvari et expurgatorii poenis liberari arbitrantur, ut postea videbimus.

2. Luxus nostrorum.

82. 2. *Luxum immoderatum* ac inutilem, qui vel in corporibus defunctorum splendide ornandis vel in exsequiis sumtuose apparandis a quibusdam adhibetur. Gregorius Turonensis lib. 8. hist. cap. 21. refert, *propinquam uxoris Gunthramni in Metensi ecclesia cum plurimis ornamentis et auro tumulatam esse, quae postea fures conati sunt surripere.* Apud Italos adhuc hodie usitatum, cadavera defunctorum pretiosissimis vestibus induta et lectis splendide exornatis imposita palam publice efferre, ita ut unusquisque defuncti faciem et ex vestibus et ornatu sexum noscere possit. Solent quoque faciem puellarum fucare, *ut mortuae interdum venustiores appareant quam vivae.* Camerarius lib. 1. med. hist. c. 69. Ecquis vero non videt, praeposterum et absurdum hoc esse, ut corpora a vermibus consumenda pretiose exornentur, ac quod pauperibus viventibus debetur, defunctis, earum rerum nec indigis, nec appetentibus sine fruge insumatur? Moderatus sumtus pro ratione status, conditionis, religionis, facultatum ac temporum eam in rem facere Siracides permittit cap. 38, v. 16. et exempla sanctorum probant Gen. 50, v. 1. Matth. 27, v. 59. Johan. 19, v. 39. Sed luctum convertere in luxum ac miseriam humanam, cujus per mortem nostrorum admonemur, eodem obtegere velle, merito praeposterum ac stolidum censetur. Agnoverunt hoc ipsimet gentiles ex naturae lumine. Plato lib. 12. de legg. *sepulcrum exstrui* vetat *altius, quam viri quinque totidem diebus excitare possint, lapides non majores, quam ut possint defuncti laudes quatuor solum heroicis versibus editas comprehendere.* Solon apud Athenienses sanxit, *ne quis sepulcrum faceret operosius, quam quod decem homines efficerent triduo.* Euripides in Polydor.:

> ἀνθρώπων δὲ μαίνονται φρένες,
> δαπάνας ὅταν θανοῦσι πέμπωσιν κενάς,

*mentes hominum insaniunt, cum sumtus inutiles pro mortuis expendunt.* Menander in Perinthia:

> οὐ πώποτ' ἐζήλωσα πολυτελῆ νεκρόν,
> εἰς τὸν ἴσον ὄγκον τῷ σφόδρ' ἔρχετ' εὐτελεῖ,

*nunquam aemulatus sum cadaver sumtuosum, nam spatii non amplius occupat quam valde pauper.* Socrates cicutam bibiturus, a quibusdam interrogatus, quomodo sepeliri vellet, respondet, *eo modo, quo vobis facillimum fuerit.* Saladinus moriens humanae conditionis ac miseriae memor condito testamento omnem funeris pompam abdicavit jussitque tantum in lancea praeferri atri coloris obsoletam tunicam, praecinente quodam ad populum hujus sententiae carmen:

> *Vixi divitiis, regno tumidusque tropaeis,*
> *Sed pannum heu nigrum nil nisi morte tuli.*
> Jov. in Salad.

In legibus civilibus idem luxus circa sepulturas adhiberi solitus prohibetur. Sic enim Ulpianus l. Etsi quis. §. non oportet. de relig. et sumtib. funer.: *Non oportet ornamenta cum corporibus condi nec quid aliud hujusmodi, quod homines simpliciores faciunt,* ex quo infertur, *quod quis pretiosioribus rebus sepeliri non debeat, licet ipse hoc mandasset,* sicut in l. fin. §. fin. de auro et argent. legat. videre licet.

83. Detestamur etiam papalem illam tyrannidem, XVII. 89.
qua corpora eorum, qui a Romana synagoga secessionem fecerunt, vel sepulcris inferri prohibent, vel illata ex eisdem erui et igne absumi curant, ut ex historia Buceri et Fagii a Balaeo descripta constat, quibus merito occinimus illud Lactantii lib. 5. instit. cap. 11: *In cineres furiunt, ne quis exstet sepulturae locus. Quasi vero id affectent, qui Deum confitentur, ut ad eorum sepulcra veniatur, ac non ut ipsi ad Deum perveniant. Quaenam illa feritas, quae rabies, quae insania est lucem vivis, terram mortuis denegare?* Quamvis vero pio cuilibet honesta sepultura exoptanda sit, nemo tamen papali illa immanitate, qua sinceris et constantibus evangelii confessoribus coemeterium et honesta sepultura denegatur, a confessione evangelii sese deterreri patiatur, 1. quia si vita ipsa pro Christi nomine laeto animo profundenda, quanto magis sepulturae honor veritatis confessioni et gloriae divinae postponendus, Matth. 10, v. 39. Act. 10, v. 24. *2. Custodit Deus omnia ossa piorum, unum ex eis non est confractum* Psalm. 34, v. 21. quamvis tyranni eadem igne absumi et pulverem in aquas dispergi curent, sicut Johanni Husso martyri contigit. 3. Non solum terra, sed etiam *mare et mors aliquando reddent mortuos suos*, Apocal. 20, v. 13. 4. Sicut impiis non prodest sepultura honorata, sic piis nihil quidquam nocet ignominiosa. Augustinus lib. 1. de civ. Dei

Sepulturae denegatio moderate ferenda.

c. 12. et lib. de cura mort. cap. 2: *Ista omnia, id est curatio funeris, conditio sepulturae, pompae exsequiarum, magis sunt vivorum solatia quam mortuorum subsidia. Si aliquid prodest impio sepultura pretiosa, oberit pio vilis aut nulla. Praeclaras exsequias in conspectu hominum exhibuit purpurato illi diviti turba famulorum, sed multo clariores in conspectu Domini ulceroso illi pauperi ministerium exhibuit angelorum, qui eum non extulerunt in marmoreum tumulum, sed in Abrahae gremium sustulerunt*, (quae verba allegantur in jure canonico cap. Animae 13. quaestion. 2. et a Lombardo 4. sentent. distinct. 45. litera C.) ac libro ejusdem de civ. Dei cap. 13: *Si ea, quae sustentandis viventibus sunt necessaria, sicut victus et amictus, quamvis cum gravi afflictione desint, non frangunt in bonis perferendi tolerandique virtutem, nec eradicant ex animo pietatem, sed exercitatam faciunt fecundiorem, quanto magis cum desunt ea, quae curandis funeribus condendisque corporibus defunctorum adhiberi solent, non efficiunt miseros in occultis piorum sedibus jam quietos?* 5. Et animae, et corpora piorum sunt *in manu Domini*, ubicunque tandem sepeliantur, imo etiamsi insepulti projiciantur. Augustinus libr. 1. de civ. Dei cap. 12: *Multa corpora Christianorum terra non texit, sed nullum eorum quisquam a coelo et terra separavit, quam totam implet praesentia sui qui novit, unde resuscitet, quod creavit.* Idem lib. 9. confess. cap. 11. de matre sua Monica refert, quod in Italia aegrotans dixerit: *Nihil longe est a Deo, neque timendum est, ne me ille non agnoscat in fine seculi, unde me resuscitat.* Scite quidam ex veteribus: *Nulla splendidiore quam coeli convexi camera concludi possunt piorum corpora.* Chrysostomus in epistol. ad Hebraeos, et citatur cap. ubicunque 13. quaest. 2: *Ubicunque sepeliamur, Domini est terra et plenitudo ejus, secundum quod oportet fieri, efficiatur. 6. Nullo modo diceret Veritas* Matth. 10, v. 28. *nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere, si quidquam obesset futurae vitae, quidquid inimici de corporibus occisorum facere consueverunt, nisi forte quispiam sic absurdus est, ut contendat, eos, qui corpus occidunt, non debere timeri ante mortem, ne corpus occidant, et timeri debere post mortem, ne corpus occisum sepeliri non sinant*, Augustinus dicto loco. 7. *Sanctorum mors* semper in *conspectu Domini pretiosa* Psalm. 116, v. 15. quamvis eorum sepultura quandoque ignominiosa. Dicitur quidem in Psalm. 79, v. 2: *Posuerunt cadavera servorum tuorum escam volatilibus coeli, carnem sanctorum tuorum bestiis terrae;* v. 3. *effuderunt sanguinem*
XVII. 90. *eorum tanquam aquam, et non erat, qui sepeliret*, sed magis ad exaggerandam crudelitatem istorum, qui ea fecerunt, quam ad eorum infelicitatem, qui ista perpessi sunt. Quamvis enim haec in conspectu hominum dura et dira videantur, tamen pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus. 8. Sepulturae curam etiam quidam ex ipsis gentilibus philosophis cotemserunt. Augustinus dicto loco: *Saepe universi exercitus dum pro terrena patria morerentur, ubi postea jacerent, vel quibus bestiis esca fierent, non curarunt.* Theodorus Cyrenaeus referente Cicerone lib. 1. Tusculan. c. 43. Lysimacho crucem minitanti respondit: *Terribilis sit haec purpuratis tuis, mea nihil interest, humine an sublime putrescam.* Θεοδώρῳ οὐδὲν μέλει, πότερον ὑπὲρ ἢ ὑπὸ γῆς σήπεται. Maroni *facilis jactura sepulcri* verbis Anchisae dicitur. Maecenatis versiculus:

*Nec tumulum curo, sepelit natura relictos,*

a veteribus saepius laudatur. Lucanus lib. 7. de occisis in pugna Pharsalica, quos Caesar humari vetuit, inter cetera sic loquitur:

*Nil agis hac ira; tabesne cadavera solvat,*
*An rogus, haud refert; placido natura receptat*
*Cuncta sinu.*

Et postea:

*Capit omnia tellus,*
*Quae genuit; coelo tegitur, qui non habet urnam.*

84. *Ritus sepulturae* apud diversos populos diversi ac dissimiles fuerunt. De Aegyptiorum, Ritus sepulturae. 1. Ex V. T
Graecorum, Romanorum et aliorum populorum ritibus prolixius agere nostri non est instituti. Ex Veteris Testamenti historia colliguntur hi ritus. *Abraham* conjugem suam Saram cum lacrymis ac planctu sepelit in spelunca agri a filiis Chet coëmta, Gen. 23, v. 19. *Jacobus* cippum sive statuam ponit super sepulcrum Rachelis prope Bethlehemam humatae, Genes. 35, v. 20. *Josephus* praecipit servis suis medicis, ut (more Aegyptiorum) *condirent aromatibus patrem suum Jacobum in Aegypto defunctum*, indicit provinciae luctum publicum per dies septuaginta ac demortui corpus in terram Canaan honorifice delatum sepulcris majorum infert, parentis voluntati hac in re obsecutus, Gen. 50, v. 2. *Moysen* filii Israël triginta diebus deflent Deuter. 34, v. 8. *David* in obitum Saulis et Jonathae epicedion scribit 2. Samuel. 1, v. 17. De funere regis *Asae* dicitur 2. Paralip. 16, v. 14. quod *posuerint eum super lectum suum plenum aromatibus et materialibus aliis, quae erant pigmentariorum arte confecta, et combusserunt super eum combustione nimia. Josiam* regem luget universus populus Juda et Jerusalem, Jeremias maxime, et omnes cantores atque cantatrices lamentationibus ac funebribus elegiis ejus obitum deplorarunt 2. Paral. 35, v. 25. Sunt qui existimant, in verbis propheticis Esaiae 57, v. 1: *Justus perit, et non est, qui recogitet* etc. describi concionem funebrem, quam Esaias regi Ezechiae pie defuncto habuerit, cum in Hebraeo habeatur ה demonstrativum. Ecce הַצַּדִּיק, *ille justus, perit*, cumque de viris חֶסֶד εὐεργέταις ac beneficis sermo sit, quod elogium magistratui solet tribui, Lucae 22, v. 25. denique cum circumstantiae temporis congruant, vixit enim

**Esaias** temporibus Ezechiae, cujus obitum sub imperio Manassis mala plurima sunt insecuta. Ex Jerem. 9, v. 17. colligitur, in funeribus adhiberi fuisse solitas mulieres מְקֹנְנוֹת, *lamentatrices*, quae planctum excitarent et aliorum lacrymas simulato luctu elicerent, unde vocantur הַחֲכָמוֹת, *sapientes in lamento*, quales apud Romanos erant praeficae, quae ad funus deplorandum et mortuum laudandum mercede conducebantur. Lucilius:

*Mercede quae conductae flent alieno in funere*
*praeficae,*
XVII. 91. *Multo et capillos scindunt et clamant magis.*

Ex Matth. 9, v. 23. apparet, *tibicines* in exsequiis adhiberi consuevisse, qui *μοναυλίᾳ*, unius tibiae tristi concentu, ad commiserationem et luctum alios permoverent. Apud Josephum lib. 3. de bello Judaico nuntiata morte Josephi, *πλείσιους μισθοῦσθαι τοὺς αὐλητὰς, οἳ θρήνων ἐξῆρχον αὐτοῖς.* Thalmudistae eos vocant חֲלִילִין, *auloedos*, Thalmud. Hierosolym. tractat. de benedict. cap. 3. in tractat. de sabbath. cap. 23. in Baba Mezia cap. 6. Rab. Salomon in cap. 25. Ezechiel. *Sunt, quae adhiberi consueverunt ad luctum et laetitiam, sed non est in eis par ratio, cujusmodi sunt auloedi pro sponsa et mortuo.* Syrus eos appellat זָמָרֵי a radice זְמַר *tibia cecinit*, cujus ritus apud Graecos et Romanos vestigia exstant. Lucianus in lib. *περὶ πένθους* tradit *αὐλόν* fuisse *θρηνητικὸν ὄργανον*, Homerus cadavere Hectoris allato dicit *adfuisse ἀοιδοὺς θρήνων ἐξάρχους*, quos interpres dicit fuisse *tibicines.* In legibus XII tabularum itidem fit mentio *tibicinum sepulcralium*, de quibus late Hotomannus in comment. illarum legum pag. 38. et apud Ovid. libr. 6. Fastorum: *Cantabat moestis tibia funeribus.* In historia sepulturae Christi commemoratur, quod Josephus et Nicodemus *obvinxerint illud linteis cum aromatibus.* et additur, *sicut mos est Judaeis sepelire*, Johan. 19, v. 40. ex quo intelligitur, morem condiendi defunctorum corpora aromaticis unguentis eademque sindone involvendi usitatum apud Judaeos fuisse, cadavera ipsa linteamine obvoluta *manibus ac pedibus ligarunt*, ut colligitur ex Johan. 11, v. 44. Modum ac morem illum sepeliendi apud Judaeos receptum ex Rab. Moyse filio Maimonis descripsimus in harmon. de passion. cap. 19. p. 914. Formulas precationum et benedictionum in sepultura Judaeorum usitatas ex libro Mazor describunt Antonius Margarita et Christianus Gerson in libro de Judaeis cap. de sepultura, Chytraeus in libr. de vita et morte pag. 101. Monumenta ditiorum fuerunt in lapidem excisa ac potuerunt lapidibus super impositis claudi. Matth. 27, v. 60. Joh. 11, v. 38. Sepulcrali lapidi Judaei inscribere solent: *Sit anima ejus in paradiso Eden, Amen;* vel: *Sit anima ejus colligata in fasciculo viventium, Amen.*

2. Ex historia primitivae ecclesiae. 85. In historia ecclesiae N. T. occurrunt hi ritus. Corpora defunctorum prius *laverunt* Actor. 9, v. 37. postea honorifice ea sepelierunt et *planctum in exsequiis fecerunt*, Act. 8, v. 2. interim in hoc luctu spe resurrectionis sese *invicem sunt consolati* 1. Thess. 4, v. 18. In *primitiva ecclesia* progressu temporis varii ritus in sepulturis adhiberi coeperunt. Eusebius lib. 7. histor. eccles. cap. 22. ex Dionysio de Christianis commemorat, quod *in pestilentia Alexandrina sanctorum corpora supinis manibus ac sinu exceperint, oculos depresserint, ora clauserint, unanimes et pariter affecti strictim complexi sint, laverint et ad sepulturam ornarint.* Origenes libr. 1. in Job. meminit *pretiosi vestitus*, *quo mortui ornati in terram sint reconditi*, *quem si quis pro consuetudine amico mortuo mitteret*, *prius conscindebat*, *ne eo a flagitiosis surrepto funus irreverenter abjiceretur.* Tertullianus libr. de anim. mortuos etiam *oratione a presbyteris componi consuevisse* indicat. Cyprianus in sermon. de mort. meminit *atri* seu *lugubris vestitus*, quem in funere cognatorum superstites induebant. Ritum ungendi XVII. 92.
ac vestiendi defunctorum corpora Prudentius in hymno in exsequias defunctorum sic describit:

*Candore nitentia claro praetendere lintea mos est,*
*Aspersaque myrrha Sabaeo corpus medicamine*
*servat* etc.

Nazianzenus in orat. de funere Basilii et Epiphanius lib. 3. tom. 1. haeres. 71. *mortuos in lecticis vel lectulis ad locum sepulturae manibus sanctorum exportatos ac inter efferendum psalmos luctu permixtos decantatos fuisse* referunt. *Cereos* ac *luminaria* in exsequiis praeferri solita, colligitur ex Nazianzeno orat. in Julian. de funere Constantii, Nysseno in epist. ad Olympiam de obitu sororis, Hieronymo in epitaph. Paulae etc. *Dic mihi*, inquit Chrysostomus in epist. ad Hebr. cap. 2. homil. 4. mor. *quid sibi volunt lampades istae in funere tam splendidae? nonne sicut athletas mortuos comitamur? quin etiam hymni? nonne ut Deum glorificemus et ei gratias agamus*, *quod jam coronavit discedentem, quod a laboribus liberavit, quod a timore liberatum apud se habet*, *nonne propter hoc hymni? nonne propter hoc psalmodia? omnia ista gaudentium sunt.* Eusebius lib. 4. de vita Constant. funebres exsequias pientissimi illius imperatoris sic describit: *Cadaver in capsulam collocatum et purpurato operculo obtectum Constantinopolin deportatum et in basilica sub altissimis gradibus depositum est, luminibus super candelabris aureis circumcirca accensis, inde deductum in aliud templum*, *ubi conditum est*, *turba frequens omnis generis hominum secuta est ac preces cum fletu pro anima imperatoris fudit.* Cum honore et multitudine comitantium corpora pie defunctorum ad sepulchrum delata fuisse, colligitur ex Nazianzeno orat. 2. in Julianum, Sulpitio in vita Martini, Hieronymo in vita Fabiolae etc. Hieronymo in epist. ad Eustochium de obitu Paulae: *Translata est episcoporum manibus et cervicem feretro subjicentibus*, *cum alii pontifices lampades cereosque praeferrent*, *alii choros psallentium ducerent*, *tota ad*

*funus ejus Palaestinarum urbium turba convenit, Hebraeo, Graeco, Latino Syroque sermone psalmi in ordine personabant.* Orationes sive *conciones funebres* habitas fuisse, colligitur ex Socrate lib. 5. hist. cap. 9. ubi Gregorius in funere Meletii Antiocheni orationem habuisse dicitur. Super tumbas spargebant *violas* et *flores*. Prudentius in hymno exseq.:

*Nos tecta fovebimus ossa*
*Violis et fronte sequenti,*
*Titulumque et frigida saxa*
*Liquido spargemus odore.*

Post curatum funus dabant *eleemosynas* teste Chrysostomo homil. 32. in Matth. quem morem in Occidentalibus ecclesiis viguisse refert Hieronymus ad Pammachium. In defuncti memoriam aliis *dies*
XVII. 93. *septimus*, aliis *tertius et trigesimus*, aliis *quadragesimus* celebratur. Ambrosius in orat. de fid. resurrect.: *Nunc die septimo ad sepulcrum redimus, qui dies symbolum futurae quietis est.* in orat. de exitu Theodos.: *Ejus principis et proxime conclamavimus obitum et nunc quadragesimam celebramus, sicut sanctus Joseph patri suo Jacob quadraginta diebus humationis officia detulit.* Accesserunt tandem varii abusus ac superstitiones. Augustinus lib. 1. de moribus eccles. Cath. cap. 34. graviter taxat, *quod quidam super mortuos luxuriose biberint, imo et ipsis cadaveribus epulas exhibuerint easque voracitates et ebrietates pro religione insuper habuerint.* lib. 8. de civ. Dei cap. 27. refert, *allatas ad martyrum loca a quibusdam Christianis epulas, quas ubi apposuissent, orarint et rursum abstulerint, ut vel ipsi vescerentur, vel etiam indigentibus inde aliquid largirentur persuasi, quod martyrum meritis illi cibi sanctificati fuerint,* sed addit, *hoc non fieri ab iis, qui in Christiana pietate melius instituti, nec ubique locorum illud usu receptum esse.* Chrysostomus hom. 61. in Johan. reprehendit eos, *qui nimios sumtus in exsequias profundebant. Perditus,* inquit, *si in funere universam habuerit civitatem, nihil lucrabitur.* homil. 4. in epist. ad Hebr. morem gentilium adhibendi *praeficas* in ecclesia Antiochena usitatum graviter taxat. In Antisiodorensi concilio can. 12. decernitur, *ne in posterum mortuis eucharistia aut osculum detur, nec velo aut palliis corpora eorum involvantur.* Synodus Triburiensis cap. 15. *sepulturas vendi et laicos intra templa sepeliri* vetat, rationem addit Hincmarus in epist. ad eccles. Tornac. *quia terra sit concessa putredini et non deceat de alieno luctu facere compendium.* Gregorius lib. 7. epist. 55. severe prohibet, *ne quid pro sepulturae*
XVII. 94. *loco exigatur, ne venalis dicatur ecclesia, aut vobis de humanis videamini mortibus gratulari, si ex eorum cadaveribus studeatis quaerere quolibet modo compendium.*

2. In nostris ecclesiis. 86. Ritus *in nostris ecclesiis* usitatos Chytraeus de vit. et morte pag. 106. sic describit: *Convocatis nolarum sonitu funera comitaturis corpora defunctorum imposita feretro, quod pullo velamine vel serico tectum est, praeeuntibus ac pia carmina de morte et beneficiis Filii Dei praecinentibus scholasticis (alicubi et crucifixi imago nigra pompaé praefertur) et sequentibus funus cognatis et contribulibus aliisque amicis et concivibus, in coemeterium vel templum, in quo doctrinam evangelii de Christo victore mortis et datore vitae aeternae vivi audiverunt, deducuntur ac in aditu templi vel coemeterii eleēmosynas pro pauperibus singuli funus comitantes in pelvim offerunt. Interea corpus defuncti sandapilae inclusum inter cantiones et preces terrae mandatur, alicubi imposita feretro sandapila in medio aut choro in conspectu populi relinquitur et post finem concionis primum humatur. Interea dum funus terra obruitur et responsoria funebria cantantur, feminae etiam ex intervallo viros sequuntur, quibus congregatis sacerdos, cum id ab amicis defuncti petitur, concionem funebrem de morte et consolationibus morti opponendis pronuntiat et defuncti pietatem ac virtutem celebrat. Postea recitatis precibus et rursus decantato carmine pio, quo singuli omnibus momentis mortem imminentem exspectare et se ad eam vera poenitentia et fide ac vitae emendatione praeparare jubentur, singuli domum revertuntur.* Haec Chytraeus. Sic ergo in nostris ecclesiis potior habetur ratio piarum psalmodiarum in deductione funeris decantandarum et funebris concionis ex Dei verbo instituendae, quam ludicrarum ac superstitiosarum ceremoniarum in Pontificiis ecclesiis usitatarum. Conciones enim illae inserviunt 1. viventium informationi, 2. lugentium cognatorum consolationi, 3. honestae defuncti commendationi, ubi tamen cavendum, ne illa defunctorum encomia sint mercenaria praeconia.

87. Quaeritur hoc loco, *1. An quando in oratione funebri pro beata defunctorum ad Dominum emigratione gratiae aguntur, liceat clausulam illam εὐχτιχὴν subjungere: Deus det ei pacatam quietem et beatam ad vitam resurrectionem?* Negat Calvinus epist. 366. sed Augustanae confessionis apologia illud concedit. Notandum vero, ejusmodi votum 1. non esse *indicium dubitationis* de statu pie defuncti, an ipsius anima ad beatam vitam translata sit, nec ne; 2. nec praesupponere *ignem quendam purgatorium,* in quo defunctus torqueatur; 3. nec fine eo adhiberi, ut peccatorum remissionem mortuo impetret, sed esse 1. *publicum testimonium* de requie ac salute pie defuncti, cui de hac felicitate gratulamur; 2. adhiberi *in consolationem lugentium; 3. ac declarationem pii affectus erga defunctum.* Sic Dionysius in eccles. hierarch. cap. ult. dicit, ecclesiam voluisse illis precibus *fidem et exspectationem beatae resurrectionis* profiteri et fidelibus confirmare. Ambrosius in orationibus funebribus, quas in obitum Valentiniani, Theodosii et fratris sui habuit, orat Deum, *ut det illis beatam requiem,* interim diserte addit, *non esse dubitandum, qui cum Christo in coelis vivant, seque illis*

Qu. 1. An liceat in funebribus concionibus subjungere clausulam εὐχτιχήν.

*gratulari, quod cum Christo in coelesti vita regnent*, qua de re in quaestione de purgatorio pluribus dicetur.

Qu. 2. An extra urbem coemeteria erigenda.

88. Quaeritur 2. *An praestet extra vel intra urbem, adeoque intra ipsos templorum ambitus coemeteria ac sepulcrorum loca statui?* Affirmatur prius. 1. Pii in V. T. sepulturae locum sibi elegerunt *in libero campo*. Abrahamus speluncam agri in sepulcretum emit Gen. 23, v. 20. Debora
XVII. 95. sepelitur subter quercum Gen. 35, v. 8. Rachel in via, quae ducit Ephratam v. 19. Joseph in Sichem in parte agri possessionis loco a patre sibi dati Jos. 24, v. 32. Historiae de sepultura Christi Matth. 27, v. 60. Joh. 19, v. 41. Lazari Joh. 11, v. 31. filii viduae in Nain Luc. 7, v. 12. de obsessis in sepulcris habitantibus Matth. 8, v. 28. ostendunt, pios veteres extra urbes sepulcra sua habuisse. 2. Idem in ecclesia primitiva diu obtinuisse constat. Chrysostomus serm. de fid. et lege: *Omnis civitas, omne castellum ante ingressum habet sepulcra.* In Bracarensi concilio seculo 7. habito cap. 36. decretum fuit, *ne corpora defunctorum intra basilicas sanctorum tumulentur, sed ut omnes sepulturae fiant extra civitates.* Prosper Aquitanicus episcopus *extra urbem* elatus et humatus est. Armenium, Justini in episcopatu Lucanico successorem, *extra urbem* sepultum esse refert Gregorius Turonicus lib. 2. cap. 1. Conradus Constantiensis episcopus *sub dio* juxta Mauritii templum sepeliri petiit, ut Bruschius de eo commemorat. 3. Superstitione papali invalescere incipiente intra templa ac mona-
XVII. 96. steria sepeliri voluerunt, ex vigiliis, missis, anniversariis levamentum quoddam sperantes. 4. Ritus defunctorum corpora extra portas ad locum sepulturae efferendi admonet nos, quod aliam politiam ex hac terrena et transitoria civitate fuerint ingressi Hebr. 13, v. 14. 5. Metuendum, ne aër, in templis praesertim, conclusus vaporibus e sepulcris exhalantibus vitietur. 6. Idem sanioribus gentilibus probatum. Leges XII tabularum *corpora mortuorum in civitate, ne inde contaminarentur*, sepeliri severe vetuerunt, quae prohibitio etiam postea aliquot principum rescriptis fuit confirmata. Veterum sepulcra in agris fuisse cum multa comprobarint, tum id quod Ulpianus scriptum reliquit, *Divum Adrianum poenam statuisse aureorum quadraginta in eos, qui in civitate sepulcrum fecissent, quam fisco inferri jussit, et in magistratus eandem statuit poenam*, qui id passi forent. Interim si absit superstitio, cujusque regionis consuetudo hac in re servari potest. David sepulturae locum habuit *in civitate* 1. Reg. 2, v. 10. cujus sepulcrum in Jerusalem duravit usque ad tempus Christi Act. 2, v. 29. et postea ibidem plerique reges Juda habuerunt sua monumenta, in quae etiam Jojadas pontifex illatus est, 2. Paral. 24, v. 16. Samuel sepultus est *in domo sua* in Ramatha 1. Sam. 25, v. 1. Tempore Ambrosii quidam *in templo* sepulti fuere Ambrosius lib. 1. de Abrahamo cap. 3. Hieronymus in vit. Paulae et Fabiolae etc. Justinianus Constantinopoli templum sanctorum apostolorum exstruxit, in quo reges ac sacerdotes locum sepulturae haberent, referente Evagrio lib. 4. cap. 31.

Qu. 3. An corpora facinorosorum in patibulo relinquenda.

89. Quaeritur 3. *An probari possit, quod corpora facinorosorum in patibulo vel rota relinquantur insepulta?* Quibusdam hoc videtur pugnare non solum *cum moderatione Christiana, cum certa resurrectionis fiducia et humani corporis dignitate*, sed etiam *cum expressa Dei constitutione*, Deut 21, v. 22. et 23: *Quando peccaverit homo, quod morte plectendum est, et adjudicatus morti suspensus fuerit in ligno, non pernoctabit cadaver ejus in ligno, sed in eadem die sepelietur*, et cum divino oraculo Genes. 3, v. 19. *Terra es et in terram reverteris.* Zepperus lib. 5. de legib. Mosaic. cap. 7. Contra vero urgeri potest 1. *generalis regula*, quod evangelium non aboleat politicas constitutiones, quae legi naturae congruunt ac probabili ratione nituntur. Jam vero in legibus civilibus facinorosorum corpora in patibulo relinquenda esse decernitur. l. Capitalium 28. §. famosos 15. ff. de poenis. et l. Corpora 1. ff. de cadaveribus punitorum. 2. Tale genus supplicii a posteris Saulis sumtum legitur 2. Sam. 21, v. 9. et quidem *coram Domino*, hoc est, ut quidam exponunt, non sine ipsius approbatione. 3. Reipublicae utile est, horrendis ejusmodi spectaculis alios a similibus delictis deterreri, (quam rationem tamen quidam invertunt. Si enim cadaver e patibulo depositum terra occulitur, eo ipso ostenditur, illud tam maledictum et contaminatum censeri, ut non sit dignum, quod in aëre maneat, ne eum polluat, sicut Deut. 21, v. 23. haec ratio additur. Fagius in illum locum: *Horror supplicii major est, si eodem quoque die occulitur facinorosi corpus, consuetudine enim adspiciendi in crucem suffixum minus tetrum supplicium vulgo habetur.)* 4. Deus minatur impiis *sepulturam asini*, Jerem. 22, v. 19. ergo magistratus, qui est judiciorum divinorum executor, talem poenam facinorosis infligere potest. 5. Ambrosius serm. 20. in Psalm. 118. veterem illum morem non videtur improbare. *Qui enim*, inquit, *turpi vel scelesto reatu beluinae obscoenitatis illuviem vel bestialis immanitatis horrorem commisisse detecti sunt, tanquam ii, qui proposito humanae moderationis exciderint, formam quoque humanae conditionis jubentur exuere, reciso enim capite reliqui corporis truncus bestiarum corpori comparatur, et sapientiae arce fraudatur, qui sapientiae non potuit tenere rationem.* Quod legem Deuteronomii attinet, illa judicialis est ac Judaicum duntaxat populum obligat. Rabini fabulantur, rationem legis esse eam, *quod ante sepulturam* XVII. 97.
*cadaveris anima ad quietem suam pervenire non possit nec ab angelis duci in thalamum Dei, sed interim cogatur affligi et vexari a turmis daemonum.*

Qu. 4. An haereticis vel impiis denegenda sepultura.

90. Quaeritur 4. *An pertinacibus haereticis ac impiis in impoenitentia vel desperatione mortuis consueti honestae ac Christianae sepulturae ritus recte denegentur.* Circa statum quaestionis notan-

dum 1. quod in subjecto ζητήματος propositi non agatur de illis, qui in uno vel altero Christianae religionis articulo errant, interim parati sunt informationem ex verbo Dei suscipere, sed de *pertinacibus haereticis*, hoc est qui in fundamentalibus fidei articulis errant atque errorem suum pertinaciter defendunt, ac proinde nec in verbi auditu, nec in sacramentorum communione cum vera ecclesia participant. 2. Quod non sit quaestio de haereticis ac impiis *occultis*, qui vel solius Dei judicio, vel ex paucorum duntaxat Christianorum notitia haeresin ac impietatem fovent, sed de *notoriis haereticis ac manifestis impiis*, qui gradibus admonitionum posthabitis in haeresi vel impietate perseverantes maximo cum ecclesiae scandalo verbi et sacramentorum communione se ipsos privarunt. 3. Quod non sit quaestio de illis, qui ante finem vitae erroribus vel delictis suis agnitis veram poenitentiam egerunt ac cum ecclesia in gratiam redierunt, sed de illis, qui in notoriis erroribus ac flagitiis *sine poenitentia* ad finem usque vitae haeserunt. 4. Quod non solum de illis haereticis ac impiis quaeratur, qui κατ' ὄνομα, nominatim, ac in specie sunt excommunicati, de quibus constitutionibus eccles. electoris Augusti in articul. generalibus cap. 11. fol. 327. sic loquitur: Im Fall, daß die excommunicirte Person ohne Besserung aus diesem Leben abschiede, so soll das Pfarrvolk nicht bei dem Begräbniß sein, sondern sie ohne gebührliche Ceremonien durch die bestellten Todtengräber, doch außerhalb des Kirchhofs, als ein abgeschnittenes Glied der heiligen christlichen Kirche vergraben lassen; sed in genere de omnibus proprie dictis haereticis ac notorie impiis, qui coram Dei judicio pro excommunicatis ac damnatis habentur, etiamsi in judicio ecclesiae externo non sint nominatim et in specie excommunicati. 5. Quod non solum de illis, qui in notoriis flagitiis sine poenitentia moriuntur, sed etiam de illis, qui ex desperatione violentas manus sibi ipsis inferunt, quaestio instituatur, ubi tamen inter αὐτόχειρας quaedam distinctio adhibenda, ut monuimus superius. 6. Quod illi, qui morte repentina obeunt, vel aedium ruina oppressi, vel in aquis suffocati, non sint statim pro impoenitentibus habendi, sed quod vita anteacta hic sit respicienda. 7. Quod in pradicato quaestionis per consuetos honestae ac Christianae sepulturae ritus intelligatur non ipsa humatio vel funeratio, de qua accipienda quibusdam videtur constitutio Marciani. l. Humanum 9. C. de haeret. et Manich.: *Humanum et pium esse putantes, haereticos permittimus sepeliri legitimis sepulcris*, et l. Haeretici eod.: *Haeretici legitimo modo ut ceteri sepeliuntor.* Apud Hebraeos lege cautum erat, *ne hostem insepultum quidem relinquerent.* Sed Christiana et honorifica illa funeris ad coemeterium deductio, quae fit cum psalmodiis sacris, ad viventium informationem ac consolationem, defuncti vero commendationem accommodata, adeoque omnes illi ritus, qui in honorifica et Christiana pie defunctorum sepultura adhiberi consueverunt.

91. Hisce de statu quaestionis praemissis, negative ad propositum ζήτημα respondendum esse ducimus, argumentis petitis 1. *a divino mandato.* Deus, cujus voluntas omnium actionum nostrarum regula esse debet, prohibuit notoriis haereticis ac manifeste impiis honestam et Christianam sepulturam conferre. Ergo vere pii tanquam obsequentes Dei filii cavere debent, ne contra divinam illam prohibitionem agant. Antecedens probatur 1. *ex secundo decalogi praecepto*, in quo abusum nominis sui divini Deus graviter prohibet Exod. 20, v. 7. XVII. 98.
Levit. 19, v. 12. Deut. 5, v. 11. jam vero cum abusu nominis divini conjunctum est, si verbum Dei in cantilenis ac concionibus funebribus comprehensum ad sepulturam eorum cohonestandam adhibetur, qui fuerunt verbi contemtores, manifesti hostes et Epicurei illusores, qui velut porci ac canes magaritas verbi et sanctum doctrinae coelestis thesaurum pedibus conculcarunt Matth. 7, v. 6. *2. Ex generalibus illis mandatis*, in quibus ab impiorum consortio pii cavere et abstinere jubentur. Esa. 52, v. 11: *Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere, exite de medio ejus, mundamini, qui fertis vasa Domini.* 2. Cor. 6, v. 14: *Nolite jugum ducere cum infidelibus, quae enim participatio justitiae cum iniquitate, aut quae societas luci cum tenebris?* 2. Thess. 3, v. 6: *Denuntiamus vobis in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate et non secundum traditionem, quam accepit.* v. 14. *Si quis non obedit verbo, non commisceamini cum illo.* 2. Joh. 1, v. 10: *Si quis venit ad vos et hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere in domum, nec ave ei dixeritis.* v. 11. *Qui enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malignis.* Quodsi ergo pii in vita se debent ab impiorum consortio segregare, utique etiam post mortem non debent illis communicare honorifica sepultura eos cohonestando, sed facto ipso demonstrare, quod perfecto odio eos prosequantur Christianam et honestam sepulturam eis denegando. *3. Ex speciali praecepto*, quo Deus blasphemos jussit lapidari et ignominiosa morte affici Levit. 24, v. 14. jam vero in numero blasphemorum merito censentur, qui notoria impietate et publicis flagitiis sine ulla poenitentia admissis *nomen Dei faciunt blasphemari* Rom. 2, v. 24. Tit. 2, v. 5. qui verbum et sacramenta praefracte contemnunt, qui omnes ministrorum verbi admonitiones ac redargutiones pertinaciter aspernantur. *4. Ex dicto Christi* Matth. 8, v. 22. Luc. 9, v. 60: *Sine, mortui sepeliant suos mortuos.* Qui ergo in peccatis suis sine ullo verae poenitentiae indicio mortui sunt, illorum exsequiis Christus interesse eos prohibet, quos ad regni sui consortium vocat, etiamsi parentum ac proximorum cognatorum loco constituti sint. *5. Ex apostoli praescripto* 1. Cor. 14, v. 40. quod in ecclesia *omnia fieri debeant κατὰ τάξιν καὶ εὐσχημόνως*, jam vero ecclesiasticae illi τάξει καὶ εὐσχημοσύνῃ extreme adversatur, si pertinaces haeretici ac notorie impii in impoeni-

tentia, ac proinde etiam sub pondere irae divinae mortui et infernalibus flammis addicti in eodem cum piis censu ac numero habeantur, si membra Christi ac Satanae eodem modo tractentur, si eodem honore afficiantur, quos Christus ut agnos et haedos sequestrabit, Matth. 25, v. 32. Jacobus graviter taxat illam προσωποληψίαν καὶ ἀταξίαν, qua in conventibus ecclesiasticis dives pauperi praefertur cap. 2, v. 2. et seqq. an ergo existimabimus, Deo gratam ac probatam fore pejorem illam ἀταξίαν, qua manifeste impius homini pio exaequatur? *6. Ex ipso Dei facto.* Deus non solum verbis, sed ipso etiam facto et exemplo ostendit, quod notorie impios nolit honesta sepultura cohonestari. Antediluvianos homines propter extremam malitiam in mari submersit, Sodomitas igne coelitus demisso absumsit, et quod proprie hujus loci est, domui Jeroboam propter idololatriam honestam sepulturam denegavit. 1. Reg. 14, v. 11: *Qui mortui fuerint de Jeroboam in civitate, comedent eos canes; qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aves coeli, quia Dominus locutus est.* 1. Reg. 21, v. 23. Jesabelem propter persecutiones, caedes et impietatem canibus dilaniandam objecit. 2. Reg. 9, v. 35. Jerem. 22, v. 19. Joakimo Josiae filio propter effusionem sanguinis innocentis et alia flagitia *sepulturam asini* destinavit. Nisi ergo haec judicia Dei justissima velimus taxare, non possumus manifeste impios in impoenitentia mortuos honorifica sepultura afficere.

92. *2. A piorum exemplo.* Vere pius a Spiritu sancto sic describitur, quod *non stet in via peccatorum, nec sedeat in cathedra irrisorum* Psalm. 1,
XVII. 99. v. 1. quod *contemtus sit in oculis ejus reprobus* Psalm. 15, v. 4. quod *non sedeat cum concilio vanitatis et cum iniqua gerentibus non introëat* Psalm. 26, v. 4. quod *odio prosequatur ecclesiam malignantium et cum impiis non sedeat* v. 5. quod *facientes praevaricationes oderit nec adhaereat manifeste impiis* Psalm. 101, v. 4. quod *eos, qui Dominum oderunt, perfecto odio aversetur* Psalm. 139, v. 22. At quomodo convenit, ut in morte illos honorent, quos in vivis odio fuere prosecuti? qua fronte illis adhaerebunt, quos Deus propter finalem impoenitentiam a facie sua projecit? *3. A comparato.* Quemadmodum iniquum ac praeposterum foret, si in republica terrena scelerati ac virtutis studiosi eodem loco haberentur ac utrisque eadem distribuerentur praemia, iidem honores, et quidem in publico omnium conspectu; ita quoque in ecclesiastica republica praeposterum merito censendum est uno eodemque Christianae sepulturae honore vere pios et notorie impios, Christi membra et Satanae organa afficere. *4. A consequente multiplici incommodo.* Si contemtores verbi ac sacramentorum, pertinaces haeretici ac manifeste impii in impoenitentia vel desperatione defuncti Christiana ac honesta sepultura cohonestantur, 1. praeceptum Dei de cavendo nominis divini abusu ac piorum ab impiis separatione violatur; 2. infirmioribus scandalum praebetur contra Christi et Pauli interminationem Matth. 18, v. 6. Rom. 14, v. 21. 1. Thess. 5, v. 22. 3. impietas et securitas in animis hominum confirmatur, existimant enim, perinde esse, sive quis verae pietati in vita studeat, sive in impietate ac sceleribus secure pergat; 4. ministerium verbi, disciplina ecclesiastica ac ipsum sanctissimum Dei nomen ab hostibus blasphematur Rom. 14, v. 16. quando scilicet vident, impium eodem loco haberi cum pio; 5. illi qui per excommunicationem ab ecclesiae corpore penitus abscindi *ac Satanae in interitum carnis tradi promeruerant* 1. Cor. 5, v. 5. qui in vita ac morte sunt coram Deo abominatio Psalm. 5, v. 5. Prov. 15, v. 9. pari cum piis honore afficiuntur. *5. A veteris ecclesiae praxi.* Beda lib. 5. histor. cap. 15. de quodam fabro in desperatione mortuo refert, *quod monachi eum in ultimis monasterii sui, in quo obierat, locis humarint nec psalmos pro eo cantare voluerint.* Innocentius c. Sacris ext. de sepulturis: *Sacris est canonibus constitutum, ut quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis, et ut careant ecclesiastica sepultura, qui prius erant ab ecclesiastica unitate praecisi, nec in articulo mortis ecclesiae conciliati fuerint.* Quae in contrarium afferantur, ex dictis facile explicari possunt. Confer Lutherum in exhortatione ad preces contra Turcam tom. 7. Jen. Germ. fol. 448. et in praefat. postill. part. aestiv. Aepinum in tractatu de sepultura impiorum, qui exstat dec. 8. concil. Bidenb. consil. 6. p. 64. Mehlfurerum in vindic. evang. decad. 6. disp. 1. thes. 76. et seqq. Conrad. Portam in pastor. c. 19. q. 3. p. 357.

93. Quaeritur 5. *An pie defuncti sint lugendi?* Qu. 5. An pie defuncti sint lugendi.
Videtur id pugnare 1. *cum Christi prohibitione,* qui Luc. 7, v 13. ad viduam filii obitum lugentem dicit: *Noli flere. 2. Cum Christiana moderatione.* Illa enim voluntati divinae reverenter se submittit ac cum Jobo dicit: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum,* c. 1, v. 21. *3. Cum certa fiducia de beata pie defunctorum conditione.* Quodsi enim certo credimus, pios per mortem ad veram in coelis vitam esse ingressos, eccur ipsorum nomine luctui indulgere velimus? *4. Cum sanctorum exemplo.* 2. Sam. 12, v. 22. inquit David ad suos purpuratos: *Dum adhuc viveret infans, jejunavi et flevi, dicebam enim: Quis scit, miserebitur mei Dominus et vivat infans;* v. 23. *nunc autem, quia mortuus, quare jejuno? numquid potero revocare eum amplius? ego vadam ad eum, ille vero non revertetur ad me.* Addi potest 5. argumentum *a majori.* Ne in nostra quidem morte tristari debemus, vere enim *pii est patienter vivere et delectabiliter mori,* quanto igitur minus in morte
nostrorum contristari ac lugere convenit. *6. A si-* XVII. 100.
*mili.* Mortuorum sepultura confertur cum granorum semente, 1. Cor. 15, v. 36. Jam vero agricola non plorat, quando seminat, alias de messe videretur desperare. Morientes abeunt in coelestem patriam; jam vero amicos in patriam proficiscentes cum desiderio sequendi deducimus. Huc referenda sunt

dicta veterum. Tertullianus lib. de patientia cap. 7. fol. 7: *Credentes resurrectionem Christi nostram quoque credimus, propter quos ille et obiit et resurrexit. Ergo cum constet de resurrectione mortuorum, vacat dolor mortis, vacat et impatientia doloris. Cur ergo doleas, si periisse non credis? cur impatienter feras subductum interim, quem credas reversurum? Profectio est, quam mortem putas. Non est lugendus, qui antecedit, sed plane desiderandus. Id quoque desiderium patientia temperandum. Cur enim immoderate feras abiisse, quem mox subsequeris? Ceterum impatientia in hujusmodi et spei nostrae male ominatur et fidem praevaricatur. Christum laedimus, cum evocatos quoque ab illo quasi miserandos non aequanimiter accipimus. Cupio, inquit apostolus, recipi jam et esse cum Domino. Quanto melius ostendit votum Christianorum. Ergo votum, si alios consecutos impatienter dolemus, ipsi consequi nolumus.* Cyprianus serm. 4. de mortal. p. 213: *Nobis minimis et externis quoties revelatum est, quam frequenter atque manifeste de Dei dignatione praeceptum est, ut contestarer assidue et publice praedicarem, fratres nostros non esse lugendos accersione Dominica de seculo liberatos, cum sciam, non eos amitti, sed praemitti, recedentes praecedere, ut proficiscentes et navigantes desiderari eos debere, non plangi, nec accipiendas esse hic atras vestes, quando illi ibi indumenta alba jam sumserint, occasionem dandam non esse gentilibus, ut nos merito ac jure reprehendant, quod quos vivere apud Deum dicimus, ut exstinctos et perditos lugeamus et fidem, quam sermone et voce depromimus, cordis et pectoris testimonio reprobemus. Spei nostrae ac fidei praevaricatores sumus, simulata, ficta, fucata videntur esse, quae dicimus etc. Qui spe vivimus et in Deum credimus et Christum passum esse pro nobis et resurrexisse confidimus, in Christo manentes et per ipsum atque in ipso resurgentes, quid aut ipsi recedere istinc de seculo nolumus, aut nostros recedentes quasi perditos plangimus ac dolemus, ipso Christo Domino ac Deo nostro monente et dicente, ego sum resurrectio etc.* pag. 215: *Hoc nos ostendamus esse, quod credimus, ut neque carorum lugeamus excessum, et cum accersitionis propriae dies venerit, incunctanter et libenter ad Dominum ipso vocante veniamus.* Chrysostomus homil. 61. in Johan. circa fin.: *Cum aliis malis etiam hic muliebris morbus* (plangentium defunctos) *jam praevaluit, ostentant planctus et dolores suos, cruentant brachia, scindunt capillos, laniant genas, partim ob dolorem, partim ad ostentationem etc. Quaenam haec insania? nonne ridebunt gentiles? nonne fabulam nostram putabunt religionem? dicent enim, nullam esse resurrectionem, illusiones omnia Christianorum dogmata et fallacias putabunt. Haud enim aliter, quam si nihil post mortem remaneat, mulieres lamentantur, non attendunt Scripturis, omnia illa esse figmenta ipsae credere videntur, siquidem si crederent, mortuum non esse mortuum, sed ad meliorem vitam translatum, non utique ipsum tanquam nihil esse deplorarent, non adeo indignarentur, non tantas efferrent voces incredulitatis indices, nunquam te amplius videbo. Omnia apud illos fabulae, nam si principali bono ita diffidunt, multo magis aliis, quae asserunt.* Et postea: *Si peccator et qui saepenumero Deum offenderit, moritur, is deflendus est, vel potius minime, cum illi nihil afferat utilitatis, in hoc laetandum, quod malitia ejus abscissa est. Quodsi justus, rursus laetandum, quod in tuto collocatur, quod liberatus est futura formidine; si juvenis, quod ex medio malorum ereptus est; si senex, quod eo diutius usus, quod maxime desiderabile videbatur, vitae satietate migravit etc. Honor* XVII. 101.
*mortuo non fletus est, non ejulatus, sed hymni et psalmi et vita optima.* Et postea: *Si intelligeremus, Deum illum abstulisse, quem mortalem virum ac filium habebamus, mox consolaremur. Indignari enim majus quiddam supra naturam quaerentis est. Homo natus et mortalis quid doles, quod secundum naturam contigit? numquid doles, quod edendo nutriris? num quaeris sine cibo vivere? ita et in morte numquid quaeris immortalitatem? mortalis natus es, semel hoc definitum. Noli dolere, noli te affligere, sed ama, quae communiter omnibus statuta sunt. Doleant tibi peccata tua, hic optimus fletus, haec maxima sapientia.* Idem homil. 4. in epist. ad Hebr. in morali: *Cum video luctus in plateis et lamentationes super eos, qui ex hac vita migrarunt, et ululationes et ineptias alias, credite mihi, erubesco, et paganos et Judaeos et haereticos ista videntes et omnes, qui nos irrident, quia non quae a me dicuntur, attendunt Graeci, sed illa, quae fiunt a vobis etc. Cogita, quid psallas in illo tempore. Revertere, inquis, anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Et iterum: Non timebo mala, quia tu mecum es. Dicis, Dominum benefecisse tibi, et lacrymaris? Nonne scena sunt ista? nonne hypocrisis? Si autem ludis et fingis et fabulas esse putas, quare psallis? quare suscipis ad te venientes? quare non repellis psallentes?* Hieronymus ad Paulam epist. 25: *Lugeatur mortuus, sed ille, quem gehenna suscipit, quem tartarus devorat, in cujus poenam aeternus ignis aestuat. Nos, quorum exitum angelorum turba comitatur, quibus obviam Christus occurrit, gravamur magis, si diutius in tabernaculo isto mortis habitemus.* Isidorus lib. 3. de summ. bon.: *Illi deplorandi sunt in morte, quos miseros infernus ex hac vita recipit, non quos coelestis aula laetificandos inclusit. Etsi pietas pro defunctis fidelibus flere jubeat, fides tamen pro eis lugere vetat.* Anastasius epist. 2. ad Nerianum, et citatur c. Habent 13. q. 2: *Habent forsan illi justam longi doloris excusationem, qui vitam alteram nesciunt, qui de hoc saeculo ad melius esse transitum non confidunt; nos autem qui hoc credimus et docemus, tristari nimium de obeuntibus non debemus, ne quod apud alios pietatis tenet speciem, hoc magis nobis in*

*culpa sit.* c. Ubicunque caus. et quaest. iisd. ex Chrysost. in epist. ad Hebr.: *Lugere et deplorare et lamentari eos, qui ab hac vita decedunt, ex pusillanimitate contingit, hoc autem ex desperatione futurae resurrectionis intelligitur.* Ex quibus omnibus *quidam nostra tempestate dogmatizarunt, non esse licitum fletu mortuos prosequi*, teste Salmerone disp. 4. in 1. Thess. 4.

94. Sed haec omnia accipienda sunt *de luctu immoderato*, qui vel ex impatientia, vel diffidentia oritur ac debitum excedit modum, cui opponenda est lex divina Lev. 19, v. 28: *Super mortuo non incidetis carnes vestras neque figuras aliquas aut stigmata facietis vobis, ego Dominus.* Deut. 14, v. 1: *Non incidetis vos nec facietis calvitiem inter oculos vestros super mortuo*, hoc est non imitemini mores idololatricarum et superstitiosarum gentium in funeribus cognatorum corpus suum incidentium ac vulnerantium; vers. 2: *quoniam populus sanctus es Domino tuo et te elegit, ut sis ei in populum peculiarem;* ac regula apostolica 1. Thess. 4, v. 13: *De dormientibus non contristemini, sicut ceteri, qui spem non habent,* hoc est sicut gentiles promissione ac spe beatae ad vitam resurrectionis destituti. Moderatus interim luctus Christianis vitio verti nequit, congruit enim 1. *praecepto Siracidis* c. 38, v. 16: *Fili, super mortuum produc lacrymas, et quasi dira passus es, incipe luctus, secundum autem judicium illius contege corpus illius* etc. v. 17. *acerbum fac fletum et accende planctum et fac luctum secundum dignitatem ejus*, v. 18. *diem unum et duo gratia detractionis et consolare te tristitiae causa etc.* c. 22, v. 10: *Super mortuum plora, defecit enim lux;* v. 11. *dulcius plora*
XVII. 102. *super mortuum, quia requievit;* v. 13. *luctus mortui septem dies.* 2. *Oraculo Salomonis* Eccles. 3, v. 1: *Tempus flendi et tempus plangendi.* 3. *Sanctorum exemplis. Abraham* luget conjugem Saram defunctam Genes. 23, v. 2. *Jacobus* filium suum Josephum, quem putabat mortuum, Gen. 37, v. 34. *Israëlitae* Moysen Deut. 34, v. 8. etc. Stephanum sepelierunt *viri religiosi* et fecerunt planctum magnum super eum Actor. 8, v. 2. 4. *Naturalibus storgis*, quas Spiritus sanctus per se non damnat nec humanitatem ex homine exuit. 5. *Regulae caritatis.* Rom. 12, v. 15: *Flete cum flentibus.* 6. *Ipsius Christi facto.* Is enim Lazari sepulcrum intuitus *lacrymatur* Joh. 11, v. 35. ex quo Judaei colligunt, *ecce quomodo amabat eum.* Frivolum, imo absurdum est, quod in concilio Toletano III. c. 22. dicitur, *quod Dominus non fleverit Lazarum mortuum, sed ad hujus vitae aerumnas ploraverit resuscitandum.* Eccur enim divina sua omnipotentia illum resuscitasset, si resuscitationis opus lacrymis potius quam congratulatione prosequendum esse censuisset? Nequaquam igitur moderatus ac decens luctus a Deo in Scripturis improbatur, sed Stoica potius ἀπάθεια et ἀναισθησία damnatur ac projectae securitatis argumentum statuitur, *si quando justus perit, et nemo considerat*, Esa. 57, v. 1. contra vero *melius* pronuntiatur, *ire in domum luctus quam ire ad domum convivii*, Eccl. 7, v. 3. Quo referenda sunt dicta piorum veterum. Chrysostomus homil. 61. in Johan. circa fin.: *Minime lugere, sed* ἀμέτρως, *sine debita moderatione, lugere veto; non sum immanis atque crudelis. Video, naturam dolere et quotidianam requirere consuetudinem. Non licet nullo affectu moveri, quod et Christus ostendit, lacrymatus est super Lazaro, ejus sequere exemplum. Lacrymare, sed leniter et prudenter et cum Dei timore. Si hac ratione lacrymas fundes, non resurrectionis diffidentiae argueris, sed aegre ferre carissimi sejunctionem videberis. Nam et peregre proficiscentes lacrymis prosequimur, non tamen ut mortuos, ita et tu lugeas, tanquam praemiseris peregrinum.* Cyrillus lib. 7. in Johannem cap. 20: *Erudiit nos Dominus suis lacrymis, quoniam modo caros nostros vita functos moderatis et lege rationis temperatis lacrymis flere debeamus. Nam ex toto nec compati, nec maerere ferinum est et durum, horum vero exuberantia muliebre.* Ambrosius acerbo luctu prosequebatur sanctos de medio sublatos, non quod de eorum felicitate dubitaret, sed considerans, *quam esset difficile invenire eos, qui in defunctorum locum succederent.* Augustinus lib. 19. de civit. Dei c. 8: *Quorum nos vita propter amicitiae solatia delectabat, unde fieri potest, ut eorum mors nullam nobis ingerat maestitudinem? quam qui prohibet, prohibeat, si potest, amica colloquia, interdicat amicabilem societatem vel intercidat affectum omnium humanarum necessitudinum, vincula mentis immiti stupore disrumpat, aut sic eis utendum esse censeat, ut nulla ex eis animum dulcedo perfundat. Quodsi fieri nullo modo potest, etiam hoc quo pacto futurum est, ut ejus nobis amara mors non sit, cujus dulcis vita fuit? hinc est enim et luctus quidam, quasi vulnus in humano corde, aut ulcus, cui sanando adhibentur officiosae consolationes.* Bernhardus serm. 26. in Cant.: *Non culpamus affectum, nisi cum excedit modum.* Paulinus in panegyrico ad Pneumatium suavissimis versiculis exprimit alternationem piorum affectuum in corde pie lugentium:

*Gratuler, an doleam? dignus utroque puer,*
*Cujus amor lacrymas et amor mihi gaudia suadet,*
*Sed gaudere fides, flere jubet pietas.*
*Tam modicum patribus, tam dulci e pignore fructum*
*Defleo in exiguo temporis esse datum.*
*Rursus ut aeternae bona volvo perennia vitae,*
*Quae Deus in coelo praeparat innocuis,*
*Laetor obisse, brevi functum mortalia seclo,*
*Ut cito divinas perfrueretur opes.*
*Ne terrena diu contagia, mixtus iniquis,*
*Duceret in fragili corporis hospitio.*
*Sed nullo istius temeratus crimine mundi,* XVII. 103.
*Dignius aeternum tenderet ad Dominum.*

Eandem luctus moderationem praescribunt hi senarii:

*Sunt mortui flendi, sed temperantius,*
*Nam mortui non sunt, eandem sed viam,*
*Quam cogit omnes ingredi necessitas,*
*Praemuniere nobis, nos in posterum*
*Idem sequemur ipsos in consortium,*
*Communis et vita fruemur patriae.*

Lugendum igitur in obitu amicorum, sed cum decore modestiae, ne indignari videamur Domino, qui postquam non abstulit, nisi quod dedit, sua recepit, nostra non abstulit; lugendum, sed cum certa spe restitutionis ad gaudia vitae aeternae. Augustinus epist. 6. ad vid.: *Veracissima promissione speramus, nos de hac vita unde migraturi quosdam nostros non amisimus, sed praemisimus, ad eam vitam esse venturos, ubi nobis erunt quanto notiores, tanto cariores et sine timore ullius dissensionis amabiles.* Quae in contrarium allata sunt, ex his, quae de moderatione luctus dicta, facile explicari possunt. Christus ad viduam dicens, *noli flere*, non simpliciter luctum et lacrymas prohibet, sed partim moderari vult maerentis luctum, partim pollicetur mox secuturae resuscitationis miraculosum beneficium. Praeposterum igitur est, quod episcopi in concilio Toletano III. *omnibus Christianis prohibuerunt defunctos flere*, part. 2. decret. caus. 13. q. 2. c. 28.

Qu. 6. Quid de λειψανολατρείᾳ statuendum.

95. Quaeritur 6. *Quid de σχελετολατρείᾳ ac λειψανολαιρείᾳ Pontificia, hoc est de religioso, quas ita vocant, reliquiarum cultu in regno Pontificio passim vigente sit statuendum?* Quando contra cultum reliquiarum, hoc est contra honorem, qui corporibus, ossibus et reliquiis sanctorum demortuorum in papatu defertur, disputamus, nequaquam docemus, corpora vel ossa sanctorum esse contemtim habenda, irreverenter tractanda, in sterquilinium projicienda; neque approbamus Calvinistarum quorundam intemperiem, qua in Galliis ossa sanctorum *Irenaei*, *Hilarii et Martini* effossa cremarunt et pulverem in profluentem projecerunt, si vera sunt, quae Surius in hist. ann. 1562. et ex eo Bellarminus lib. 2. de reliq. sanct. c. 1. referunt; sed negamus, corpora vel ossa sanctorum more papistico esse religioso illo cultu, qui in papatu viget, veneranda. Consistit autem ille cultus in his potissimum capitibus, 1. quod ossa illa populo religiose veneranda monstrant; 2. quod eadem osculanda spectantibus offerunt; 3. quod coram illis genua flectenda et procidendum esse docent; 4. quod peregrinationes ad eorum loca instituunt; 5. quod preces citius ibi exaudiri arbitrantur; 6. quod cultum illum ad gratiam et peccatorum indulgentiam apud Deum impetrandam aliquid facere sibi persuadent; 7. quod candelis accensis, serico, corollis aliisque ornamentis cultus gratia reliquias decorant; 8. quod ad majorem juramentorum religionem eas adhibent; 9. quod pontifex per suam canonisationem sanctos invocandos et reliquias eorum religiose venerandas decernere possit ac debeat, ext. de reliq. et venerat. sanct. 10. quod portari eas posse dicant in collo, ex devotione et fiducia ad Deum et ad sanctos, quorum sunt reliquiae, ut Thomas loquitur; 11. quod reliquias imponant languentibus et defunctis opis impetrandae causa; 12. quod ad sacramenti eucharistiae dignitatem ac sanctitatem aliquid conferre arbitrantur, si in altari reliquiae sanctorum habeantur. Taxamus et hoc 13. quod reliquiis dubiis ac incertis religiosum ejusmodi cultum deferunt. Haec enim omnia in papatu fieri, viva praxis ostendit. In chronico Cassenensi translatio reliquiarum S. Mauri hoc processu facta describitur: *Cum Hugo Cluniacensis ob preces Theobaldi abbatis os integrum brachii S. Mauri capsulae argenteae, instar turrium artificiose erectae, decenter inclusum per sex tui monasterii fratres mitteret Cassinum, ex tota provincia populi concursus factus est quam maximus* XVII. *devotione praecipua, totus etiam monasterii conventus inaestimabili jucunditate laetatus est, omnesque solennibus induti sacrisque vestibus cum cereis ac thymiamatibus plurimis ad portam veterem aliquanto extra monasterii ambitum procedentes obviam cum devotione summa hospiti tanto iverunt, et quasi viventem in carne conspicerent, omnes in terram pariter procidentes adoraverunt surgentesque secundum illum locum devotissime ac reverenter mixtis gaudio lacrymis osculati sunt et cum hymnis ac laudibus honorifice nimis prosequentes in monasterium introduxerunt et super magistri sui Benedicti venerabile altare posuerunt.* Similem pompam in translatione crinium S. Petri apostoli describit chronic. Hirsaugiense. Concilium Tridentinum in decret. de reliq. statuit, *corpora sanctorum a fidelibus esse veneranda, cum per ea multa beneficia a Deo hominibus praestentur*, et addit, *damnandos esse, qui affirmant, sanctorum reliquiis venerationem atque honorem non deberi, vel eas aliaque sacra monumenta a fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opis impetrandae causa sanctorum memorias frustra frequentari.* Philip. Melanthon in responso adv. Colon. de sacrificulo quodam memorat, quod *in viciniam Tubingae divorum reliquias secum deferens, hoc praeconio eas populo commendaverit, ut nihil a pestilentia periculi fore toto anno his, qui eas osculati fuissent, diceret.* Historiam integram recitabimus inferius. Costerus in enchirid. c. 15: *Ossa sanctorum habent vim contactu suo sanctificandi, ac qui martyris ossa attigerit, illius justitiae sanctitatisque quodammodo particeps ob gratiam ex eorum corporibus procedentem efficitur.* Idem part. 1. conc. 23. post Pentec. *Omnes sanctos, honores eorum reliquias, nec dubites de auxilio eorum, et de defensione tui adversus daemonem, qui timet illorum magnam virtutem etc.* Bellarminus in lib. 2. de imagin. c. 30: *Sanctificari aliquo modo eos, qui tangunt reliquias sanctorum, constanter docent patres.* lib. 2. de beat. sanct. c. 2: *Nos reliquias honoramus et osculamur ut sacra pignora patronorum nostrorum.* Gregorius de Valent. in apol. cont. Heerbrand. fol. 57: *Reliquias custodiri, ut coram*

*ipsis patrocinium sanctorum singulari devotione imploretur.* Timpius in rituali Germ. c. 12. p. 200: *Honor cruci Christi, clavis, lanceae oblatus in ipsum Christum refertur, cujus sanguine ista conspersa sunt.* Stapletonus in prompt. cathol. part. 1. pag. 292: *Pia ac Deo grata est illa devotio, qua non tantum Deum ipsum, sed et sanctos ejus, nec tantum personas ipsas sanctas, sed et quidquid ipsorum est atque ad eos pertinet, cum fide et pietate ordinata complectimur, veneramur atque ad beneficia consequenda assumimus.* Ibid.: *Eodem sane cultu, eadem veneratione reliquias relative consideratas prosequimur, qua ipsos sanctos, idem beneficium, eandem virtutem mediantibus reliquiis assequimur, quam per ipsos sanctos.*

Improbatur 1. a defectu divini mandati. 96. Contra Pontificiam illam sceletolatriam ac lipsanolatriam producimus haec argumenta, *1. a defectu mandati.* Quicunque cultus destituitur divino mandato, non est verus et Deo gratus cultus, sed est *ἐθελοθρησκεία*, cultus falsus et Deo adversus, adeoque idololatria. Cultus reliquiarum, qui in papatu viget, destituitur divino mandato. Ergo. Major confirmatur tum ex omnibus illis Scripturae dictis, quae ut *fidei*, ita quoque *divini cultus* normam ac formam ex sacris literis unice petendam esse docent, Deut. 4, v. 2. c. 12. v. 32. Es. 8, v. 19. Ezech. 20, v. 19. Rom. 12, v. 2. conjuncto cum c. 13, v. 9. 2. Tim. 3, v. 17. etc. quaeque *electitios cultus repudiant,* Deuter. 12, v. 8. et 32. Num. 15, v. 39. et 40. Psalm. 106, v. 36. Esa. 1, v. 12. c. 29, v. 13. Jer. 7, v. 31. Amos 5, v. 25. Zach. 7, v. 5. et 9. Matth. 15, v. 9. Coloss. 2, v. 20. tum *ex variis exemplis* eorum, qui ob suas *ἐθελοθρησκείας* divinitus reprehensi ac puniti fuerunt. Confer tract. de bonis operibus §. 16. Minor est manifestae veritatis. Nuspiam enim Scriptura docet, ossa sanctorum esse religiose veneranda, coram illis procidendum, pere-
XVII. 105. grinationes ad ea suscipiendas et quidem eo fine, ut cultum Deo praestemus, ut peccatorum remissionem et Dei gratiam hac ratione promereamur, contra vero docet, in solum Deum omnem cordis fiduciam esse collocandam, juxta normam in verbo praescriptam Deum esse colendum, ac media, per quae Dei gratia et peccatorum remissio pretioso Christi sanguine parta nobis offertur, donatur et applicatur, non esse sanctorum reliquias et reliquiarum illarum religiosum contactum ac cultum, sed ex parte Dei verbum et sacramenta, ex parte nostra veram in Christum fidem. Item invocationem in N. T. non esse ad certum locum alligatam, sed si ex vera poenitentia et fide proficiscatur, quovis in loco Deo aeque gratam et acceptam esse, Joh. 4, v. 21. 1. Tim. 2, v. 8. etc.

97. Excipit Bellarminus lib. 2. de reliq. sanct. c. 2. *1. in papatu reliquias non adorari nec divino honore affici. Quis Catholicorum,* inquit, *unquam reliquias invocavit, quis unquam auditus est in precibus aut litaniis dixisse, sanctae reliquiae, orate pro me? et quis easdem tanquam divino honore affecit, vel Christi loco adoravit? nos enim reliquias quidem honoramus et osculamur, ut sacra pignora nostrorum patronorum, sed nec adoramus ut Deum, nec invocamus ut sanctos, sed minore cultu veneramur, quam sanctorum spiritus, nedum quam Deum ipsum.* Et c. 4. §. dicens: *Nunquam est auditum apud Christianos, ut aliqui sanctorum reliquiis divinos honores detulerint.* Eodem modo Gregorius de Valent. in apolog. cont. Heerbrand. c. 8. perpetuum hunc suum coccysmum repetit, *reliquiis non deferri honores divinos ut Deo, proinde in illarum cultu non committi idololatriam.* Respondemus: quis sit minor ille cultus, Bellarminus non explicat, nos igitur sic progredimur. 1. Aut cultus ille, qui defertur reliquiis, est *religiosus* ad primam decalogi tabulam reducendus, aut *civilis* ad secundam decalogi tabulam pertinens. Posterius negant Pontificii, manet igitur prius. Atqui si ex hypothesi Pontificiorum hic cultus reliquiarum est religiosus ad primam decalogi tabulam reducendus, utique per hunc ipsum cultum divinus honor reliquiis defertur. 2. Quamvis externo verborum sono Pontificii sic non orent, *sanctae reliquiae orate pro me*, tamen fiduciam impetrandae gratiae ac remissionis peccatorum in hunc reliquiarum cultum collocant, sicque partem fiduciae soli Deo debitae ad eum transferunt, quo ipso divinum honorem reliquiis deferunt et interiore cordis voto ac desiderio eas adorant. Bellarminus ipse c. 4. §. quod autem etc. Augustini sententiae *de adoratoribus sepulcrorum* opponit Chrysostomi dictum serm. in sanctos Juventium et Maximum: *Tumulos martyrum adoremus;* ac Hieronymi ad Marcellam, *sepulcra et cineres Johannis Baptistae, Elisaei et Abdiae merito adorari a fidelibus in Palaestina.* Utique ergo adorationem reliquiarum approbat. 3. Omnis *ἐθελοθρησκεία* est idololatria, ut ostendimus in tractat. de lege §. 87. jam vero cultus reliquiarum est *ἐθελοθρησκεία*, quod tamdiu immotum stabit, donec ex Scripturis pro hoc cultu stabiliendo manifesta dicta proferantur. Ergo. 4. Quando Israëlitae osculabantur Baal, divino honore eum affecisse eumque *adorasse* dicuntur, 1. Reg. 19, v. 18. quamvis externo verborum sono non dicerent, *Baal ora pro nobis;* ac propter illud religiosum osculum idololatriae rei peraguntur, quantumvis per cultum Baalis verum Deum colere voluerint, Oseae 2, v. 16. 5. Qui reliquias honorant et osculantur ut *sacra pignora patronorum suorum*, illi divino honore reliquias afficiunt. Pontificii illud faciunt fatente Bellarmino. Ergo. Ratio connexionis haec est, qui sanctos defunctos constituunt suos apud Deum patronos, divino honore eosdem afficiunt, ut in quaestione de invocatione sanctorum demonstrabitur. Pontificii sanctos defunctos suos apud Deum patronos constituunt. Ergo divino honore eosdem afficiunt. Ulterius, qui reliquias honorant ut *sacra pignora suorum patronorum*, hoc est eorum, quibus cultum divinum ac soli
Deo debitum deferunt, illi etiam reliquiis divinum XVII. 106.
honorem deferunt, oportet enim esse analogiam inter

cultum reliquiarum et cultum eorum, quorum sunt reliquiae, unde in historia translationis reliquiarum Mauri refertur, quod monachi Cassinenses *coram illis, tanquam viventem in carne conspicerent, omnes in terram pariter procidentes adoraverint.* 6. Quo honore imagines sanctorum in papatu afficiuntur, eodem etiam reliquiae sanctorum honorantur. Sed honor. qui imaginibus sanctorum defertur, est divinus, ut in tract. de lege §. 82. demonstratum. Ergo etiam reliquiae divino honore in papatu afficiuntur. Major est manifesta, quia ossa ac reliquiae sanctorum arctiori propinquitate illis conjunctae sunt quam imagines, quae externa duntaxat lineamenta repraesentant. *In sepulcris sanctorum,* inquit Bellarminus lib. 2. de reliq. sanct. c. 4. §. ad secundum etc. *invenitur altera pars substantiae eorum*, hoc est *materia illa ipsa, quam spiritus sanctorum animarunt et rursum animabunt.* Inde Suarez tom. 1. disput. 55. q. 25. art 6. §. 1. *eandem doctrinam, quae de adoratione imaginum data est, servata proportione ad reliquias accommodandam esse* concludit. 7. Denique reliquiis corporis Christi honorem divinum esse deferendum, Pontificii forte non negant, quamvis ὑπερδουλείας nomine quam λατρείας eundem exprimere malint. Jam vero in papatu quaedam venditantur pro reliquiis corporis Christi, videlicet dentes et capilli Charrovii, praeputium Charrovii, Romae, Antuerpiae et Vesontione, sanguis Romae, Augiae, Cassini et aliis in locis compluribus etc. Ergo quibusdam ad minimum reliquiis honorem divinum deferunt. 8. Ne vero Bellarminus molestus nobis esse pergat quaerendo, *quis unquam sic oraverit, Sanctae reliquiae orate pro me?* opponimus illi praxin in Romanensi ecclesia receptam. Durandus recitat orationem ante *Veronicam*, hoc est ante sudarium seu linteum, in quo facies Christi expressa ac Veronicae data, recitandam, quae sic habet:

*Salve sancta facies nostri Redemtoris,*
*In qua nitet species divini splendoris*
*Impressa panniculo nivei candoris*
*Dataque Veronicae signum ob amoris.*

*Salve decus seculi, speculum sanctorum,*
*Quod videre cupiunt spiritus coelorum,*
*Nos ab omni macula purga vitiorum*
*Atque nos consortio junge beatorum.*

*Salve vultus Domini, imago beata,*
*Et aeterno munere mire decorata.*
*Lumen funde cordibus ex vi tibi data*
*Et a nostris sensibus tolle colligata.*

*Salve robur fidei nostrae Christianae*
*Destruens haereticos, qui sunt mentis vanae,*
*Horum auge meritum, qui te credunt sane*
*Illius effigie, qui rex fit ex pane.*

*Salve nostrum gaudium in hac vita dura,*
*Labili et fragili cito peritura;*
*Nos deduc ad propria, o felix figura,*
*Ad videndam faciem, quae est Christi pura.*

Hanc orationem devote recitantibus inspiciendo Veronicae faciem in antidotario animae a papa Johanne XXII. concessae dicuntur *decem millium dierum indulgentiae.* In processionali Cadurcorum, qui sunt Galliae Aquitanicae populi, sudarium Christi invocatum fuit his verbis: *Sancte sudari, ora pro nobis! Sudarium Christi liberet nos a peste et morte tristi.* Apud eosdem Cadurcos in abbatia Fontis invocata fuit mappa, super quam Christus coenam celebrasse dicitur, et a monachis cantatum: *Sanctissima Dei mappa, ora pro nobis.* Refert Polanus in syntag. lib. 9. c. 30.

98. 2. Cap. 4. ejusd. libri ad locum Coloss. 2. quem contra ἐθελοθρησκείας urgemus, excipit, *ἐθελοθρησκείαν non significare cultum quomodocunque voluntarium, id est non praeceptum a Deo, sed ab homine excogitatum; sed cultum superstitiosum, ut interpres latinus vertit, sive falsam religionem, ut exponit Hieronymus ad Algas. q. 10. at cultus reliquiarum nec superstitiosus est, nec falsus, sed a Deo inspiratus.* Respondemus: 1. θρησκεία est religio ac cultus, ergo ἐθελοθρησκεία v. 23. *est cultus electitius*, proprio voluntatis arbitrio susceptus. 2. Colligitur haec interpretatio ex v. 18. **XVII. 107.**
praecedente, θέλων ἐν ταπεινοφροσύνῃ καὶ θρησκείᾳ τῶν ἀγγέλων, quod Augustinus in epist. ad Paulinum sic exponit, *affectator humilitatis*, sicut dicimus ἐθελόδουλος. 3. Consentit etiam scopus. Taxat enim apostolus eos, qui non secundum verbi praescriptum, sed proprio arbitrio ex superstitione cultus divinos sibi eligebant ac prae se ferebant magnam humilitatem, simulantes mundi ac voluptatum contemtum ac angelicam vitam imitari volentes. 4. Cultum reliquiarum esse superstitiosum et falsum, evidenter probatur ex eo, quod nullum de eo exstet divinum mandatum, cum verbum Dei sit unica divini cultus regula. 5. Quid roboris insit Scripturae dictis, ex quibus Bellarminus demonstrare conatur, *cultum reliquiarum esse a Deo inspiratum*, apparebit suo loco. 6. Ne ipsi quidem saniores Pontificii negant, in cultu reliquiarum multas superstitiones vigere, ut postea videbimus.

99. Alterum argumentum petimus *ex contrario mandato*, Genes. 3, v. 19: *Pulvis es et in pulverem reverteris*, ex quo oraculo sancti patriarchae recte collegerunt, corpora et ossa sanctorum non esse in locum altaris sublimiorem collocanda, coram illis procidendum, religiose ea veneranda, sed terrae communi *omnium matri* Sir. 40, v. 1. demandanda. Esa. 26, v. 20: *Vade, populus meus, intra in cubicula tua.* Esa. 57, v. 2: *Requiescat in cubili suo, qui ambulavit in directione sua.* Unde etiam posteri majorum suorum corpora honorifice sepeliverunt, nequaquam vero religiosi cultus gratia asservarunt, proposuerunt aut coram illis prociderunt. **2. Ex contrario mandato.**
*3. Ex defectu divini promissi.* Nulla exstat in Scripturis Dei promissio, quod velit Deus cultum reliquiarum habere ratum et gratum, quod velit apud ejusmodi reliquias ad conferendam gratiam **3. Ex defectu divini promissi.**

et dona spiritualia esse liberalior. Ejusmodi igitur cultus ex fide promissiones divinas respiciente et amplectente proficisci nequit; jam vero *quidquid non fit ex fide, peccatum est*, Rom. 14, v. 23. ac cordibus ejusmodi ἐθελοθρησκούντων perpetuo insonat illud propheticum Esa. 1, v. 12: *Quis haec requisivit a manibus vestris?*

4. Ex defectu probati exempli. *4. Ex defectu probati exempli.* Nullum exstat in V. vel N. T. probatum exemplum, quod sancti Dei homines praedecessorum suorum corpora vel ossa religioso cultu fuerint prosecuti.

5. Ex contrariis exemplis. *5. Ex contrariis exemplis. Sara* uxor Abrahae patriarchae refertur inter sanctas mulieres 1. Pet. 3, v. 6. ac spiritualis *mater* feminarum credentium statuitur v. 7. num igitur ejus defunctae corpus et ossa religiosa veneratione fuerunt honorata? minime vero, sed terrae per sepulturam illata, Gen. 23, v. 19. *Abrahamum* patrem omnium credentium Rom. 4, v. 17. sepelierunt filii ejus Isaac et Ismaël, Gen. 25, v. 9. neque ullus ad sepulcrum ipsius vel aliorum patriarcharum religionis gratia institutus legitur excursus. *Isaacum* mortuum Esau et Jacob filii ejus sepeliisse leguntur Gen. 35, v. 29. sed ossa Isaaci religioso cultu honorata nuspiam legimus. *Jacobus* patriarcha perquam honorifice a Josepho et fratribus ejus sepelitur, Gen. 50, v. 5. sed ossa ejus iterum fuisse eruta et ad cultum in loco sublimi proposita, nuspiam legitur. Idem *de Josua*, *Davide* ac aliis esto judicium. 2. Reg. 13, v. 21. cum cadaver cujusdam mortui in *Elisaei* sepulcrum projectum ejus ossa contingeret, ad vitam ille homo revocatus fuit, nequaquam vero ibidem additur, quod ossa Elisaei e sepulcro in alium locum religionis et cultus causa fuerint translata, quod in posterum etiam vim sanandi morbos ac revocandi ad vitam defunctos illis tribuerint. *De Johanne Baptista* testatur Christus, *quod inter natos mulierum non surrexerit major ipso* Matth. 11, v. 11. illius corpus *discipuli tulerunt et sepelierunt* c. 14, v. 12. *Christus* ipse post mortem alium honorem corpori suo exhiberi noluit quam honorificam funerationem, ut constat ex historia sepulturae. Nisi ergo asserere velimus, sanctos Christo praestantiores esse, vel curatores funeris XVII. 108. suo non esse satis perfunctos officio, alium honorem demortuis sanctis exhibere non poterimus. *Stephani* protomartyris corpus honesta sepultura terrae fuit mandatum, Actor. 8, v. 2. nuspiam vero legitur, quod vel ad Johannis Baptistae, vel Stephani sepulcra religionis ergo concursus factus ac cum fiducia gratiae divinae citius impetrandae preces ibidem ad Deum fusae, vel quod illorum ossa a sanctis iterum effossa, circumgestata, ad religiosam venerationem sint proposita. Idem judicium de reliquis sanctis, quorum mors et sepultura in sacris literis describitur. Notabile cumprimis illud, quod 2. Reg. 23, v. 18. de Josia rege pientissimo commemoratur. Cum sepulcra, quae erant in excelso, Jeroboam destrueret atque ossa ex illis eruta super altare combureret, intellexit, non procul inde abesse sepulcrum viri Dei et prophetae, quid vero de ossibus illius sancti prophetae fieri voluit? num ea e terra erui et in alium digniorem ac sanctiorem locum transferri vel ad cultum proponi jussit? minime vero, sed respondit: *Sinite eum quiescere et nemo loco moveat ossa ejus*, ac textus addit, *intacta manserunt ossa illius cum ossibus prophetae, qui venerat de Samaria.* Quin imo poenae loco describitur et divinae irae signum habetur, si ossa ex sepulcris suis ejiciantur, Jerem. 8, v. 1. Baruch. 2, v. 24.

100. *6. Ex ipsius Dei facto.* Deus ipse sepelivit 6. Ex ipsius Dei facto. *Moysen* in valle terrae Moab, sed nemo Israëlitarum invenire potuit ejus sepulcrum, Deut. 34, v. 6. procul dubio fine eo Deus sepulcrum illud ignorari voluit, ne circa illud vel circa Moysis reliquias populus Israëliticus φιλείδωλος peculiarem cultum institueret. In epistolo Judae v. 9. commemoratur, *quod Michaël archangelus contenderit cum diabolo super corpore Moysis.* Oecumenius illud sic ac- XVII. 109. cipit, *quod archangelus praebuerit Deo ministerium in sepeliendo Moyse, diabolum vero id admittere noluisse ac contra Moysen accusationem attulisse propter caedem Aegyptii, quasi ob eam Moyses non sit dignus, ut honorificam consequatur sepulturam*, sed a Chrysostomo homil. 5. in Matth. rectius sic accipitur, *quod Satan voluerit sepulcrum Moysis manifestari, ut Judaei religiose illius reliquias colerent, sicut fecerant cum serpente aeneo, id vero archangelum Michaëlem ex mandato divino prohibuisse ac sepulcrum occultum manere voluisse.* Excipit Bellarminus dict. c. 4. *occultatum fuisse Moysis sepulcrum, ne a Judaeis coleretur pro Deo, idem vero periculum nunc non esse in reliquiis aliorum sanctorum. Nam populus Judaeorum eo tempore erat propensissimus ad idololatriam, ita ut etiam vitulos aureos coleret. Sed post captivitatem Babylonicam, quia populus non amplius coluit idola, Deus illustravit sepulcrum Esaiae, Ezechielis, Jeremiae, Elisaei, Abdiae et aliorum multis miraculis et gratum habuit cultum, qui ossibus eorum exhibebatur, ut Epiphanius et Hieronymus tradunt.* Respondemus: 1. Bellarminus hoc ipso in loco statuit, valde credibile esse, *quod corpus Moysis, licet mortuum, conservaverit adhuc splendorem vultus et decorem, quem antea habebat*, ex qua hypothesi sic inferimus. Si Deus occultum esse voluit Moysis corpus, quod miraculosa Dei operatione splendorem et decorem vultus etiam post mortem retinebat, consequens est, religiosum cultum corporibus et ossibus sanctorum delatum non esse Deo gratum et acceptum. Sed prius. Ergo et posterius. Connexio probatur, quia si Deus fine eo in corpore Moysis decorem et splendorem vultus miraculose conservasset, ut propterea religioso honore afficeretur, utique sepulcrum Moysis manifestasset, cujus contrarium diserte Scriptura asserit. 2. Nullum erat periculum, ne corpus Moysis pro Deo Israëlitae colerent, neque enim cassum anima cadaver pro vero et vivo Dei coeli ac terrae creatore ipsos adorare voluisse ullo modo verisimile est, cum

crassa illa, stupida ac rustica idololatria ne quidem in gentiles cadat. 3. Illud vero metuendum erat, ne religioso sepulcri Mosaici vel reliquiarum Mosaicarum cultu verum Deum se colere posse ac debere cogitarent, cum Deus per hoc electum ac salutare organum multa miracula perfecerit ac multa beneficia ipsis praestiterit, hoc igitur periculum ut anteverteretur, Deus sepulcrum Moysis absconditum esse voluit. 4. Ut enim post mortem Moysis serpenti aeneo divinos honores per sacrificium deferebant, 2. Reg. 18, v. 4. non quod ipsum serpentem esse Deum arbitrarentur, sicut perquam absurde Bellarminus hoc loco illam opinionem Israëlitis tribuit, sed quia per adspectum hujus serpentis majores ipsorum a letali serpentum ictu ac morsu sanati fuerant, ideo existimabant, Deum sua gratia et beneficiis huic imagini propius adesse et plus gratiae illic dare quam in aliis locis, ac honorem sacrificii huic serpenti delatum esse Deo gratum et acceptum, cum eo tanquam organo ad beneficiorum suorum elargitionem usus fuerit: ita quoque metuendum erat, ne reliquiis Moysis, utpote quo velut salutari organo in miraculorum operatione et variorum beneficiorum exhibitione Deus fuerat usus, divinos honores Israëlitae deferrent, atque hunc cultum sine verbo et mandato susceptum Deo gratum esse suspicarentur. 5. Illud ipsum in reliquiarum cultu non solum metuendum esse, sed etiam re ipsa accidere viva praxis testatur. Quia enim Deus per sanctos miracula olim operatus est, vel miraculis sepulcra sanctorum mortuorum honoravit, ex eo inferunt Pontificii, Deo gratum esse illum religiosum cultum, qui ossibus ipsorum exhibetur, sicque perinde faciunt, ut olim Israëlitae, qui serpenti aeneo propterea divinum honorem in sacrificando
XVII. 110. exhibebant, quia Deus olim per ipsum miraculosam sanationem fuerat operatus. 6. Post Babylonicam captivitatem populum Israëliticum non amplius idola coluisse, nec periculum idololatriae ipsis metuendum fuisse, gratis dicitur. Num enim existimabimus, cultum divinum magis ab idololatria defecatum ac minori cum idololatriae periculo conjunctum fuisse, quando post captivitatis tempora praeter Haggaeum, Zachariam ac Malachiam nullos amplius habuerunt prophetas ac a doctrinae sinceritate magis magisque quotidie discesserunt, quam quando continua serie prophetae ad repurgandum divinum cultum ad ipsos missi fuerunt? 7. Ex miraculis circa sepulcra sanctorum factis religiosus ille, de quo agimus, reliquiarum cultus probari nequit, ut paulo post apparebit.

7. Ex defectu rationis certae ac firmae.

101. 7. *Ex defectu rationis certae ac firmae.* Nulla potest ex Scripturis certa et urgens proferri ratio, quod sanctorum reliquiae sint religiose colendae, ac quod omissione illius cultus contra ullum Dei praeceptum ac contra ullam divini cultus partem peccetur. Quae enim Bellarminus, Gregorius de Valentia, Costerus et alii proferunt, sunt humani cerebri somnia. 8. *Ex cultus illius origine.* Apud *gentiles* usitatum fuit, corpora praestantium virorum

8. Ex cultus illius origine.

in loco ignobiliori condita ad nobiliora monumenta magna pompa ac solennitate transferre, ut ostendit historia de translatione cinerum *Demetrii* ex Syria in Graeciam a filio Antigono regia plane pompa instituta, quam describunt Volaterranus et Sabellicus. Plutarchus in Theseo et Cimone describit pompam, qua ossa *Thesei* post annos quadringentos ex insula Scyro Athenas fuere translata ac ab Atheniensibus ita excepta, ac si ipse Theseus in urbem rediisset. Veneratio igitur reliquiarum, ut alia complura, ἐξ ἐθνικῆς συνηθείας orta, in ecclesiam Christianam gentilium exemplo fuit recepta. De *Pharisaeis ac scribis* Christus commemorat, quod *exornaverint sepulcra sanctorum atque eo ipso professi fuerint, se esse socios eorum, qui prophetas occiderint* Matth. 23, v. 27. Luc. 11, v. 48. Pharisaicum igitur est, non propheticum nec apostolicum, in sepulcris sanctorum ornandis et reliquiis sanctorum religiose colendis partem aliquam cultus Deo debiti constituere et ex illo opere gratiam Dei et beneficiorum collationem sibi polliceri. (Excipit Bellarminus, *Dominum non reprehendere Judaeos, quod aedificarent vel ornarent monumenta prophetarum, sed quod non imitarentur eos, quorum monumenta ornabant, sed potius eos, qui illos occiderunt, atque ita se ipsos condemnarent.* Respondemus: 1. utrumque in Judaeis Christus reprehendit, quod partem cultus divini in externis ceremoniis constituerent, suo se satis perfunctos officio existimantes, si phylacteria dilatarent, mentam, anethum et cyminum decimarent, calices et paropsides mundarent, sepulcra prophetarum aedificarent ac monumenta justorum ornarent etc. vero et interiori Dei timore, vera poenitentia ac fide, vera humilitate, sincera caritate etc. in cordibus interim penitus destituti, et quod crudelitatem propheticidarum imitarentur, vitae Christi et sanctorum ejus insidias struendo, cum tamen eandem cum prophetis doctrinam et confessionem illi amplecterentur. 2. Id ipsum adhuc hodie Pontificiis jure ac merito objicimus, quod partem cultus divini non postremam in externis ceremoniis, et sic etiam in cultu reliquiarum statuunt, de interioris hominis cultura interim parum soliciti et quod crudelitatem adversus eos exerceant, qui eandem cum illis fidem, quorum reliquias colunt, profitentur.)

9. Ex suffragio primitivae ecclesiae.

102. 9. *Ex suffragio primitivae ecclesiae.* Ecclesia Smyrnensis in historica relatione martyrii Polycarpi apud Eusebium lib. 4. histor. eccles. c. 15: *Aemulus et invidus ac versutus generis justorum adversarius, cum martyrii hujus amplitudinem et conversationem ejus inde ab initio irreprehensibilem incorruptionis corona ornari ac incomparabile brabeum acquirere cerneret, hoc cura-* XVII 111.
*vit, ne corpusculum ejus a vobis acciperetur. Erant enim multi, qui hoc facere et sanctae hujus carunculae participes fieri cupiebant. Suggesserunt itaque nonnulli Nicetae patri Herodis ac fratri Dalces, ut proconsulem moneret, ne corpus illius traderet, ne Christo, inquit, relicto hunc colere in-*

*cipiant. Et hoc dixerunt Judaeis submonentibus et urgentibus, qui etiam nos observabant, ne ex igne illam eriperemus, ignorantes, nos nec Christum unquam relinquere, qui pro totius servandorum mundi salute passus est, nec alium quempiam colere posse. Ἰησοῦν μὲν γὰρ υἱὸν ὄντα τοῦ θεοῦ προσκυνοῦμεν, τοὺς δὲ μάρτυρας μαθητὰς τοῦ κυρίου καὶ μιμητάς ἀγαπῶμεν ἀξίως ἕνεκα εὐνοίας ἀνυπερβλήιου εἰς τὸν ἴδιον βασιλέα καὶ διδάσκαλον, nam Jesum quidem tanquam filium Dei adoramus, martyres vero tanquam discipulos et imitatores Domini digne propter insuperabilem in regem ipsorum ac praeceptorem benevolentiam diligimus, quorum et nos consortes et discipulos fieri optamus. Cum ergo centurio contentionem Judaeorum cerneret, positum corpus in medio, sicut mos ipsis est, combusserunt atque ita nos tandem ossa illius pretiosis lapidibus pretiosiora et auro probatiora nacti condidimus, ubi id fieri decebat, ubi etiam quoad fieri potest, congregatis cum exsultatione et gaudio Dominus natalem martyris sui diem ad memoriam eorum, qui antea certarunt et futurorum exercitationem ac praeparationem celebrare largietur.* (Excipit Bellarminus d. l. cap. 2. *reliquias Polycarpi ad cultum a Christianis collectas fuisse*, quod patere dicit tum *ex verbis citatis*, tum *ex contentione adversariorum. Judaei enim atque ethnici resistebant, ne reliquiae raperentur praetextu pietatis, existimabant enim corpora a Christianis adorari.* Respondemus: 1. mirabili impudentia Bellarminus asserit, reliquias illas ad cultum fuisse a Christianis collectas, cum Smyrnenses disertis verbis protestentur, *se nec Christum unquam relinquere*, *nec alium quempiam colere posse.* 2. Judaei quidem ac gentiles per calumniam accusabant Christianos, quod corpora sanctorum adorarent et colerent, sed id ipsum Christiani expresse negant. 3. Ossa Polycarpi non in locum sublimiorem ad cultum et religiosam venerationem proposuerunt, sed terrae intulerunt, et Smyrnenses expresse addunt, *humationem illam ossium factam, sicut conveniebat et ubi id fieri decebat.* 4. Quamvis vero in loco illo, in quo Polycarpi et aliorum martyrum reliquiae humatae erant, conventus ecclesiasticos, praecipue die passionis ipsorum, quem *natalem*, ad vitam scilict aeternam, appellabant, eo tempore Christiani instituere coeperint, nequaquam tamen in iis vel defunctos martyres invocarunt, vel reliquiis ipsorum religiosum illum cultum, cujus capita superius enumerata fuerunt, exhibuerunt, illud enim Smyrnenses diserte negant, sed ut memoria martyrum per gratam praedicationem in publicis illis congressibus praedicata et coronis ac palmis, quibus a Deo summo agonotheta donati erant, exaggeratis, superstites ad certamina pro fide subeunda ac martyria pro Christo perferenda praepararentur et excitarentur, nec metu suppliciorum a fide deficerent, sicut totidem fere verbis in ecclesiae Smyrnensis epistola hic finis exponitur.) Martyres *Galliae* in epistola ad fratres in Asia et Phrygia apud eundem Eusebium lib. 5. hist. cap. 1. conqueruntur, *persecutores martyrum corpora inhumata projecisse additis canibus custodibus, ne quisquam illorum a Christianis sepeliretur, reliquias vero cumbustas et in favillam redactas in Rhodanum dispersisse.* At num eo nomine doluerunt, quod reliquias illas ad cultum proponere prohiberentur? minime vero, sed addunt: *Nos vero in magno maerore eramus constituti, quod non liceret nobis corpora sanctorum martyrum sepulturae tradere.* lib. 7. cap. 16. memoratur, *Assyrium martyris cujusdam corpus humero suo splendidoque et pretioso indumento impositum detulisse et splendidissimae sepulturae, quantum conveniebat, tradidisse.* cap. 22. in descriptione pestilentiae Alexandrinae de Christianis commemorat, *quod sanctorum mortuorum corpora complexi sinu exceperint, lave-* XVII. 112.
*rint et ad sepulturam ornarint.* Conf. §. 79. et 80. praeced. in quibus plura veterum dicta de honore sepulturae sanctis demortuis exhibendo sunt adducta. Tatianus in protrept. ad gentes: *τὸν μὲν ἄνθρωπον ἀνθρωπίνως τιμητέον, φοβητέον δὲ μόνον τὸν θεόν.* Nazianzenus in distichis *νεκύων λείψανα σέβειν* improbat. Cyrillus lib. 10. contra Julianum: *Defunctorum reliquias viderit quispiam apud nos non nudas et negligenter in terram projectas, sed bene compositas, occultatae enim quodammodo sunt in sinu matris in profundis terrae.* Ibid. addit, *ethnicorum superstitionem fuisse per mortuorum reliquias jurare.* In vita *Antonii Eremitae* sic habetur: *Mos erat Aegyptiis nobilium et praecipue beatorum martyrum corpora linteamine quidem obvolvere et studium funeri solitum non negare, terra vero non abscondere, sed super lectulos domi posita reservare; hunc honorem quiescentibus reddi inveteratae consuetudinis vanitas tradidit, de hoc Antonius saepe et episcopos deprecatus est, ut populos ecclesiastica contestatione corrigerent, ac laicos viros et mulieres rigidius ipse convenit dicens, nec legitimum hoc esse, nec Deo placitum, quippe cum patriarcharum et prophetarum sepulcra, quae ad nos usque perdurant, haec facta convincerent. Dominici quoque corporis exemplum intueri jubebat, quod in sepulcro positum lapide usque ad resurrectionis diem tertium clausum fuerit, atque his etiam modis vitium circa defunctos Aegypti, etiamsi sancta essent corpora, coarguebat dicens: Quid majus aut sanctius esse potest corpore Dominico, quod juxta consuetudinem gentium ceterarum humo conditum esse scimus? Haec justa persuasio multorum insitum evulsit errorem et repositis in terra cadaveribus Domino gratias pro bono magisterio retulerunt.* Ipse Antonius moriturus discipulis suis ejusmodi mandatum dedit: *Nullus ad Aegyptum proferat meas reliquias, ne vano corpus honore servetur, ne vituperati ritus a me, ut nostis, etiam circa me serventur obsequia, hujus enim rei gratia maxime huc sum regressus, ut nemo praeter vos locum tumuli mei noverit* etc. *Disciputi ergo invotutum, ut praeceperat, corpus humo operuerunt, et nemo interim usque ad hanc diem praeter eos,*

*ubi conditum sit, novit,* inquit Athanasius. In concilio Elibertino tempore Constantini Magni celebrato can. 34. cereorum accensio in coemeteriis prohibetur: *Cereos per diem placuit in coemeterio non incendi, inquietandi enim sanctorum spiritus non sunt, qui haec non observaverint, arceantur ab ecclesiae communione.* can. 35. prohibentur vigiliae: *Placuit prohibere, ne feminae in coemeterio pervigilent, eo quod saepe sub obtentu orationis scelera latenter committantur.* (Excipit Bellarminus, *concilium id prohibuisse, quia fiebat more gentilium, inter quos tunc Christiani versabantur.* Respondemus: id ipsum et nos dicimus, accensionem cereorum eorumque oblationem in honorem martyrum factam esse partem cultus gentilitii, ut multis ostendit Polydorus Virgilius lib. de rer. invent.) Inter *Vigilantium*, quem Hieronymus epist. 1. ad Paulinum tom. 1. fol. 106. *sanctum presbyterum* vocat, et inter Hieronymum de cultu reliquiarum controversia fuit exorta. Verba Vigilantii recenset Hieronymus in epist. adv. Vigilant. f. 123: *Quid necesse est, te tanto honore non solum honorare, sed etiam adorare, illud nescio quid, quod in modico vasculo transferendo colis?* Et postea: *Quid pulverem linteamine circumdatum adorando oscularis?* Item: *Prope ritum gentilium videmus sub praetextu religionis introductum in ecclesiis sole adhuc fulgente, moles cereorum accendi et ubicunque pulvisculum nescio, quod in modico vasculo pretioso linteamine circumdatum osculantes adorant. Magnum honorem praebent hujusmodi homines beatissimis martyribus, quos putant de vilissimis cereolis illustrandos, quos Agnus, qui est in medio throni, cum omni fulgore majestatis suae illustrat.* Ad haec Vigilantii verba respondens Hieronymus non dicit, reliquias esse adorandas ac religiose colendas, sed conqueritur, per calumniam a Vigilantio hoc tribui Christianis. *Quis* (inquit), *o insanum caput, ali-*
XVII. 113. *quando martyres adoravit? Nos non dico martyrum reliquias, sed ne solem quidem et lunam, non angelos, non archangelos, non Cherubim, non Seraphim et omne nomen, quod nominatur et in praesenti seculo et in futuro, colimus et adoramus, ne serviamus creaturae potius quam creatori.* De cereis respondet, *id facere solum mulierculas, quae zelum habent, sed non secundum scientiam.* (Excipit Bellarminus, *Hieronymum de illis duntaxat loqui, qui accendunt cereos, existimantes, inde martyres illustrari, cum in ecclesia usitatum fuerit accendere cereos, cum legitur evangelium et cum mortui deferuntur ad sepulcrum, quod Hieronymus non improbet.* Respondemus: 1. nec nos absolute et simpliciter cereorum accensionem damnamus, cum in quibusdam ecclesiis apud nos ea adhuc recepta sit, tum in eucharistiae administratione, tum in funerum curatione, tum in novorum conjugum ad templum deductione *Ignis*, ait hoc loco Bellarminus, *accendi solet ad laetitiam significandam etiam in rebus profanis. Ignis etiam signum est gloriae, unde imperatoribus Romanis et imperatricibus ubique ignis praeferebatur; sancti autem vera gloria nunc fruuntur et cum Christo regnant, ut memoriae illorum ignis accendi possit. Denique ignis signum est vitae, proinde cereis protestamur, vivere sanctorum animas et ipsa corpora suo tempore victura.* Has significationes accensorum cereorum non improbamus, sed illud est, quod in Pontificiis corruptelis damnamus, quod cereorum illorum accensionem non habent pro ceremonia libera, utilis cujusdam significationis causa adhibita, sed partem cultus divini in ea statuunt ac sanctorum ut patronorum suorum reliquias eadem religiose coli posse et debere existimant. 2. Si Vigilantius in alteram partem nimis deflectendo id, quod Hieronymus ipsi tribuit, sensit, *reliquias scilicet martyrum immundas esse cilicio colligandas et in sterquilinium projiciendas ac earum contactu homines pollui*, nihil nobis cum illius sententia est commercii. Vicissim si Hieronymus adversarium suum acrius oppugnando in partem contrariam prolapsus est statuendo, quod religiosus cultus sanctorum reliquiis deferri debeat, opponimus illi praeclarum effatum, quod ipsemet urget in comment. c. 23. Matth.: *Quod de Scripturis non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua asseritur.* 3. Hieronymus Vigilantium ita oppugnat, ut in eo *plusculum modestiae* desideret Erasmus, sic enim scribit in argum. illius epistolae: *In Vigilantium ita debacchatur Hieronymus, ut plusculum modestiae cogar desiderare. Utinam argumentis duntaxat egisset et a conviciis abstinuisset. Nam vigilias nocturnas non placuisse viris ecclesiasticis vel illud satis probat, quod hominum auctoritate sublatae sint, nomine tantum superstites.)* Augustinus lib. 1. de civ. Dei cap. 13: *Antiquorum justorum funera officiosa pietate curata sunt, et exsequiae celebratae et sepultura provisa, ipsique dum viverent, de sepeliendis vel etiam transferendis suis corporibus filiis mandaverunt* etc. *verum istae auctoritates non hoc admonent, quod insit ullus cadaveribus sensus, sed ad Dei providentiam, cui placent etiam talia pietatis officia, corpora quoque mortuorum pertinere significant propter fidem resurrectionis adstruendam. Ubi et illud salubriter discitur, quanta possit esse remuneratio pro eleemosynis, quas viventibus et sentientibus exhibemus, si neque hoc apud Deum perit, quod exanimis hominum membris officii diligentiaeque persolvitur.* lib. 8. cap. 27: *Nos martyribus non templa, nec sacerdotia, nec sacra et sacrificia constituimus, quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. Honoramus sane memorias eorum tanquam sanctorum Dei hominum, qui usque ad mortem suorum corporum pro veritate certarunt, ut innotesceret vera religio falsis religionibus fictisque convictis; quis autem audivit aliquando fidelium stantem sacerdotem ad altare etiam super sanctum corpus martyris ad Dei honorem cultumque constructum dicere in precibus: Offero tibi sacrificium Petre vel Paule vel Cypriane, cum apud eorum memorias*

*offeratur Deo, qui eos et homines et martyres fecit, et sanctis suis angelis coelesti honore socia-*
XVII. 114. *vit, ut ea celebritate et Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, et nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum eodem invocato in auxilium ex eorum memoriae renovatione adhortemur? Quaecunque igitur adhibentur obsequia religiosorum in martyrum locis, ornamenta sunt memoriarum, non sacra vel sacrificia mortuorum tanquam deorum. Quicunque etiam epulas suas eo deferunt, quod quidem a Christianis melioribus non fit, et in plerisque terrarum nulla, talis est consuetudo* (invaluerat hic mos praecipue in Africae quibusdam locis, sed in aliis provinciis episcopi eum taxabant, unde cum Monica Augustini mater referente eodem lib. 6. confess. cap. 2. ad memorias sanctorum Mediolani pultes et panem et merum attulisset ac ostiario dedisset, Ambrosius id fieri vetuit, ne ulla occasio daretur ebriosis se ingurgitandi, et quia illa quasi parentalia superstitioni gentilium essent simillima), *tamen quicunque id faciunt, quas cum apposuerint, orant et auferunt, ut vescantur vel ex eis etiam indigentibus largiantur, sanctificari ibi eas volunt per merita martyrum in nomine Domini martyrum. Non autem ista esse sacrificia martyrum novit, qui novit unum, quod Deo illic offertur, sacrificium Christianorum. Nos itaque martyres divinis honoribus non colimus* etc. *nec constituimus sacerdotes, nec offerimus sacrificia, quia incongruum, indebitum, illicitum est atque uni Deo tantummodo debitum.* lib. de morib. eccles. cathol. c. 34: *Nolite consectari turbas imperitorum, qui in ipsa vera religione superstitiosi sunt. Novi, multos esse sepulcrorum et picturarum adoratores, novi multos, qui cum luxuriosissime super mortuos bibant et epulas cadaveribus exhibentes super sepultos se ipsos sepeliant.* (Excipit Bellarminus *Augustinum haec scripsisse initio conversionis suae, postmodum autem reprehendisse quidem illam consuetudinem, qui sacrificium panis et vini aliarumque epularum manibus defunctorum offerebant, sed non tanquam idololatriam.* Respondemus: sufficit nobis, quod et Ambrosius et Augustinus superstitionem illam ex gentilismo ortam manifeste improbant, quodque Bellarminus concedit, *nimium cultum reliquiarum jure reprehensum esse*, quid vero hac in re sit nimium et reprehendendum, quid legitimum et concedendum, omnium optime ex Scripturae definitione peti potest.) lib. de opere monach. c. 28. conqueritur de monachis otiosis ac vagis martyrum reliquias vendentibus: *O servi Dei, milites Christi, itane dissimulatis callidissimi hostis insidias, qui bonam famam vestram, tam bonum Christi odorem omni modo cupiens obscurare, putoribus suis tam multos hypocritas sub habitu monachorum usquequaquam dispersit, circumeuntes provincias, nusquam missos, nusquam fixos, nusquam stantes, nusquam sedentes, alii membra martyrum, si tamen martyrum, venditant et omnes petunt, omnes exigunt aut sumtus lucrosae egestatis, aut simulatae pretium sanctitatis.* Honorius etiam ac Theodosius imperatores l. 3. C. de sacros. eccles. prohibent martyrum reliquias vendere: *Nemo martyres distrahat, nemo mercetur.*

103. *10. Ex fraudibus et imposturis, quae circa reliquias committuntur.* Illae vero propter varieta- 10. Ex fraudibus et imposturis, quae circa reliquias committuntur.
tem non possunt omnes enumerari, propter calliditatem hominum eas committentium vix possunt indagari. Ecquis enim brevi oratione complecti potest fabulosa illa figmenta, quae de reliquiis simplici plebeculae fuere inculcata? Ecquis contradictiones et imposturas istorum mangonum satis digne exaggerare potest? Augustinus d. l. de monachis reliquiarum nundinatoribus conquerens per quandam ἐπανόρθωσιν subjungit, *si modo sunt martyrum* reliquiae, ut significet, jamdum suo tempore invaluisse abusus et imposturas circa reliquias. Persuadetur stolidus populus, sanguinem Christi, qui de ejus latere in cruce profluxit, adhuc in terris conservari, nec solum *Romae* in ecclesia Lateranensi contineri dicitur et die paschatos populo adorandus ostenditur, teste Biele lect. 50. in can missae, sed etiam aliis in locis quam plurimis.
Tres guttulae in circumcisione effusae ostensae XVII. 115.
olim fuerunt Argentinae, aliae de cruce per Nicodemi chirothecam exceptae ostenduntur Rupellae Pictonum, plenae phialae Mantuae, liquidus in vase crystallino demonstratur Bilioni in Avernia, coagulatus in vico proximo, plenis pateris effusus Romae ad Eustachii; sanguis ex corpore exanimi, priusquam sepeliretur, extersus Brugis in Flandria ad Basilii, aquae admixtus ut ex latere fluxit, Romae ad Johannis Lateranensis etc. sed Thomas part. 3. q. 54. art. 2. *totum Christi sanguinem in cruce effusum rediisse in corpus* asserit, *ac sanguinem, qui in quibusdam ecclesiis pro reliquiis conservatur, non fluxisse de Christi latere, sed miraculose dici effluxisse de quadam imagine Christi percussa.* Innocentius papa de hac quaestione dubius est, ut videre licet lib. 4. cap. 30. et 31. Forchemii in Franconia ostenduntur reliquiae cum inscriptione *sanctuarii ignoti.* Johannes Bocatius, qui floruit ann. 1313. in suo Decamero inducit monachum, qui mire exagitat reliquias, ait enim, *se attulisse ex Oriente non nihil ex sono campanarum, quae erant in templo Salomonis,* deinde ut ementita Francisci stigmata perstringeret, inducit eundem monachum pro concione dicentem, *angelo Seraphino excidisse aliquot capillos, cum Francisco apparuisset stigmata impressurus, quare se illos capillos inter alias reliquias adhuc habere. Quis non videt,* ait Vergerius in annotat. ad catalog. haeretic. tom. 1. oper. p. 256. *quorsum componat sonum campanarum cum stigmatibus Francisci et cum cappillis angeli? nimirum quia ut nullus fuit in templo Salomonis campanarum usus, qui admodum recens est, ita fabulosa quoque sint, quae de angelo Seraphino, quod scilicet Francisco Christi vulnera impresserit, in Romana ecclesia creduntur.* Negari nulla veritatis specie potest, unius sancti ossa vel membra vel laceras vestium

particulas in diversis locis monstrari, ut necessarium sit, in locis compluribus pro reliquiis hominum sanctorum canis aut vituli dentes aut ossa ostentari, et quod scelestissimum est, ad religiosam venerationem prostitui. Chemnicius part. 4. examin. cap. de reliq. pag. 20. memorat, Andream abbatem Amelunxbornensem virum eruditum ac gravem narrare solitum, quid Eduardo Anglorum regi ex dentibus laboranti olim acciderit. Cum enim ille mandasset, *Apolloniae* dentes, quae ubique in regni sui templis inter reliquias servabantur, ad se mitti, tot ex unius regni reliquiis Apolloniae dentes coacervati fuerunt, quot aliquot tonnae capere non potuerunt. *Veronicae facies* (hoc est imago faciei a Christo ipso ad passionis locum abducto sudario impressa ac Veronicae data) asservatur Romae in aede Petri et populo adoranda ibidem monstratur. Sed Lucius Marineus Siculus historiographus imperatoris Caroli V. lib. 5. de reb. Hispan. illam in Hispania esse asserit. In lectionibus memorabilib. Wolffii cent. 16. p. 233. exstat liber *de spoliis, exuviis et reliquiis sanctorum* editus circa annum 1525. in quo inter cetera sic habetur: *Charrovienses monachi dentes, crines ac praeputium Christi hominibus, ut revereantur, ostendunt, praeputium idem Romae in templo Lateranensi asservatur* etc. De sanguine Christi paulo superius diximus. *Praesepe ejus Romae in aede Mariae Majoris venerantur; in Pauli aede ibidem et ut in Hispania in Salvatoris templo lodices Christi habentur, item cunabula et indusia ejus. Romae ad Jacobi colitur altare, in quo sistebatur Christus, cum in templo offerretur, columnaque, qua disputans in templo nitebatur. Hydriae illae sex habentur, aliquae Ravennae, Pisis, Cluniaci, Andegavi et in Hispania in templo Salvatoris* (Magdeburgi et Quedelburgi in patria mea in Germania)', *Aureliae vinum ex aqua factum conservatur; calcei Christi in Sancto sanctorum Romae habentur; mensae, super qua Christus coenam administravit, in templo Lateranensi Romae honor impenditur; panis particula, quem distribuit apostolis, in Hispania in templo Salvatoris ceu Deus adoratur. Treviris cultrum, quo agnus paschalis dissecabatur, asser-*
XVII. 116. *vant. Prope Lugdunum in templo Mariae insulanae, item in Helvetia in Augustinianorum aliquo monasterio calix ille Christi discipulis cum sanguine porrectus, qui unicus tantum erat, ostenditur; Romae et Genuae et Arelatae patinam agni paschalis unicam se habere credunt*; *supparum Christi sive linteum, quo discipulorum pedes post lotionem abstersit, Romae templum Lateranense sibi vendicat, idem etiam Achi sive Aquis ad Cornelii in Germania asservatur, cum impresso vestigio pedis Judae. Frustum quinque panum Romae in nova Mariae aede, aliud frustum in Hispania in Salvatoris aede monstratur, ut et palma, quam Hierosolymas adveniens gestasse dicitur; terra, cui institit Lazarum resuscitans, passim sacra habetur. Crux Christi ab Helena Constantini imperatoris matre inventa antiquitus credebatur et adhuc hodie crux eadem Hierosolymis esse creditur, quam tamen Helena divisit etc. ejus tam innumerabiles portiones et frusta passim in universo orbe in omnibus templis et monasteriis ostenduntur, ut ex iis propemodum sexcentae cruces effici possint. Clunium Christi forma Remis in lapide expressa monstratur, quam cum Christus lapidicida factus esset, sculptam nugantur. Tolosae inscriptio crucis Christi retineri putatur, Romae in S. Crucis aede eandem reperiri tradunt. Clavi tres, quibus Christus crucifixus est, plurimis in locis asservari dicuntur. Mediolanenses et Carpentoractenses unum ex illis sibi vendicant, duo praeterea Romae, in templo Helenae alter, alter ad S. Crucem inveniuntur, item unus Senis, alius Venetiis; etiam alii duo in Germania, alter Coloniae, alter Treviris esse, ut et Parisiis in sacello sanctorum unus creditur; Carmelitae quoque unum habent, in S. Dionysii templo Galliae itidem unus, alius unus Draguinianae, item alius in abbatia, quae a forpice aurifabri nomen habet cum veneratione asservatur; Bituriges se quoque unum habere autumant. Cuspis sarissae, qua latus Christi transfossum, quatuor in locis Romae, Parisiis in monasterio forpicis aurifabri, apud Xantones et Selvae prope Burdegalin adhuc conservatur. Spinea corona Christi in omnes regiones dispertita est, Parisiis tertia ejus pars, Romae magna pars custoditur, Senis, Vincentiae, apud Bituriges, Vesontii, in Monteregio, in Hispania Compostellae et in templo Salvatoris, in Helvetia, Tolosae, Mantisconae, Charrovii, Cleriaci, Sanfloridi, Samaxini in Provincia, Sallae, Novioduno*, (Coloniae Agrippinae) *et alibi rami de ea aut toti fasciculi potius nidum ciconiarum quam coronam efficientes tanquam res sacra et divina coluntur. Purpura Christi respersa sanguinis guttulis alibi adhuc remanet; tunica ejus inconsutilis in pago Argentoliae prope Lutetiam Parisiorum, item Treviris, item in Turcia a Mahometistis custoditur. Tesserarum militum altera Treviris, altera in Hispania in templo Salvatoris velut sacrosancta res asservatur. Sudarium Christi Nicaeae, Aquis in Germania, Trajecti et Vesontii, Cadonii, Lemovici in Lotharingia et Romae in Vestalium aliquo monasterio devote a plebe honoratur. Arundo, quae Christo pro sceptro dabatur, Romae in Lateranensi templo et spongia in aede S. Crucis superest. Triginta Judae argentei* (et funis, quo se ipsum strangulavit) *religiose adhuc asservantur. Caudam asini, quem inequitavit Christus, Genuae ostendunt. Piscis particulam Christo a Petro oblati, item vestigia Christi aliquot, item lacrymas Christi et sanguinem aut ex hostiis, aut ex imaginibus profluxum divino prorsus cultu afficiunt.* Neque vero reliquiis Christi contenti sunt, sed ut merito Christi merita Mariae virginis ac sanctorum, ita quoque Christi reliquiis Mariae et sanctorum reliquias laciniae instar assuunt. *Mariae lactis tanta copia passim colitur, ut multa mulctralia eo com-*

*mode impleri possent. Crines ejus, pecten, indusia, vestes, pepla, Josephi crepidas et caligas venerantur. Michaelis archangeli pugio et clypeus, quibus usus est in monomachia cum Satana, a Turonensibus ostentantur. Johannis Baptistae sinciput*
XVII. 117. *Ambiani, id ipsum incolae Johannis Angelici etiam se habere jactant, occiput Melitae, illud ipsum etiam Nemorosae, maxillae ejus Vesontii, alia pars Parisiis, auricula Arveniae, frons cum capillitio in Hispania, Novioduni etiam pars quaedam magnis ceremoniis ubique commonstratur, nihilominus Romae integrum caput in Sylvestri coenobio reperitur, brachium ejus Senenses habent, digitus, quo Christum commonstravit, Vesontii unus, Tolosae item unus, Lugduni quoque unus, apud Bituriges unus, Florentiae unus et prope Mascum in aede Johannis Fortuiti; calcei ejus Parisiis adhuc residui sunt. Romae vestis ejus de pilis camelorum visitur, ut et altare, super quo eum in eremo orasse tradunt. Avinione gladius, quo plexus erat, Achi in Germania storea ei substrata, aliaque multa de Johanne Baptista passim exstare finguntur. Petri malam cum barba, cerebrum* (quod opertum Genevae adorabatur, sed cum scrutarentur homines, pumicem invenerunt), *sellam et vestem episcopalem, altare, gladium, baculum, calceos, catenam et columnam, quibus alligatus erat, omnia haec et alia se habere gloriantur, et tamen corpus ejus una cum Pauli Romae sepultum est. Tolosatenses sex apostolorum corpora, videlicet utriusque Jacobi, Andreae, Simonis, Philippi et Judae, secum esse gloriantur. Matthiae corpus Patavii aliud, aliud Romae, aliud Treviris, membraque aliqua alibi jacent. Matthaei corpus Salernae positum est, caput, brachium et ossa quaedam Treviris inveniuntur. Thomae corpus Orthonnae esse ferunt. Bartholomaei corpus Neapoli, item Romae in templo ei sacrato et cutem Pisis asservari dicunt. Andreas etiam aliud corpus Melphis, ut et Philippus et Jacobus minor habent, Romae alia corpora praeter superiora. Item Simon et Judas ad Petrum etiam jacere dicuntur. Johannis Evangelistae calix et Romae et Bononiae, ut etiam tunica et catenae ejus ostenduntur. De Stephano, Lazaro, magis, Anna, Mariae virginis θεοτόκου matre, Magdalena Lazari sorore, pueris innocentibus et aliis posteriorum aetatum sanctis plaustra reliquiarum se habere fingunt. Neve quidquam desideres, etiam ossa patriarcharum, Abrahami, Isaaci et Jacobi Romae ad Mariae super Minervam asservari perhibent, arcam foederis et virgam Aaronis in Johannis Lateranensis fano, item in Hispania in aede Salvatoris, item Parisiis adhuc superesse nugantur. Ossa septem martyrum Maccabaeorum Coloniae ostendunt.* Confer sacrarium Coloniense, librum Gallicum de reliquiis sanctorum, quem in Latinum sermonem convertit Nicolaus Gallasius quique integer habetur in centenario 16. lect. memorab. Wolffii pag. 784. stupenda templi Jesuitici ab Ursino congesta part. 3. pag. 353. et alia hujus generis scripta. Johan. Tetzelius indulgentiarum scrutarius et aeruscator Pontificius, cum XVII. 118.
devectis in Misniam et expositis suis mercibus quodam in oppidulo concionaretur, quo magis sese hominibus commendaret, promisit, allaturum se ad meridianam concionem egregium quiddam de reliquiis ac imprimis *pulcherrimam pennam archangeli Michaëlis, quam illi diabolus in duello ex alis evulserit*, esse monstraturum. Aderant quidam, quibus fraus subolebat, quapropter cibum capiente cum sacerdote Tetzelio, cum is a tergo vasculum cum penna in periclinio positum haberet, illi eandem inde suffurantur et pro ea carbones ingerunt. Minime hoc Tetzelius advertebat, sed arrepto vasculo doli nescius ac probe potus in templum properabat, pecunia senes emuncturus. Ibi ergo unum mendacium ex alio consuens et de penna Michaëlis mira praedicans magnam apud omnes inauditae rei exspectationem incredibileque desiderium concitavit, ac jam decurso tempore et prehenso vasculo, *hem*, inquit, *infelix ego, quid egi? cupiebam vobis, auditores, pennam Michaëlis conspiciendam praebere, at erravi et pro illa carbones arripui, quibus S. Laurentius est crematus.* Wolff. cent. 16. p. 95. Cum ecclesiasticae disciplinae ratio a Pomerano descripta et a senatu populoque Brunsuicensi approbata et recepta esset, convellebantur mox senatu populoque auctore ex praecipuis templis altaria, quae ad privatas missas celebrandas in omnibus passim angulis fuerant erecta. Ea re cum superstitiosiores plerique ex omnibus ordinibus vehementer offenderentur, nec deessent, qui odio novae, ut vocabant, doctrinae frigidam suffunderent, fiunt concursus hominum ineptorum et superstitionibus addictorum ad templa et coemeteria, et parum aberat, quominus ad tumultum res progrederetur. Eo animadverso suffraganeus Matthias natione Danus, qui patria relicta Brunsuigam elegerat, in qua reliquum vitae exigeret, inque Aegidiani templi area post obitum humatus, is inquam cognita populi indignatione, quam conceperat ex altarium dissipatione, accurrit ad templum Martinianum et Ludolphum Petersinum jamjam concionaturum compellat, indicat, se animadvertere populi offensionem ex destructione altarium facta et inprimis ex reliquiarum sanctarum profanatione, ad eam offensionem sanandam peropus esse, ut quaenam et quales illae reliquiae sint, unicuique bene constet, quod ex se ipso optime cognosci possit. Sibi enim a pontifice Romano esse factam potestatem, quidquid ossiculorum forte nactus esset, quod quidem huic rei idoneum videretur, id pro cujusvis vellet sancti reliquiis consecraret. Ea potestate se usum plurimis in locis porcina, vervecina aliave ossa carnibus pridie consumtis, postridie pro reliquiis sanctorum vendidisse et in altaribus recondidisse, idem alios sui loci atque ordinis homines facere consuevisse, seque ipsum pleraque ex altaribus iis consecrasse et reliquiis ejusmodi ditasse. Has fraudes praeterquam quod ex animo doleret a se ad-

missas, veniamque hujus culpae a Deo et ecclesia peteret, cupere etiam populo deinceps esse notas, ne diutius illis tam misere decipiatur. Empsychovius in confutat. Braunii Colon. p. 275. Fuit ante
XVII. 119. annos circiter nonaginta (scribit Herbrand. part. 2. disp. theol. disp. 67. de multiplici papatus idolomania p. 1471.) Rotenburgi ad Nicrum sacrificulus quidam vulgo et ex cognomine Pfaff Isele dictus, homo ingeniosus, qui cum Romam sive religionis, sive alia de causa sese contulisset, factus est pontificis Romani indulgentiarius. Rediit itaque in patriam reliquiis instructus, penna ex archangeli Michaëlis ala, cujus virtutes, ut fuit disertus, mirifice commendavit, ut merces suas extruderet quaestumque inde faceret maximum. Accidit autem, ut quodam sabbato vesperi diverteret Altingae, qui est pagus non procul Tubinga dissitus, ubi cum genio indulgeret liberius, negligentius reliquias suas custodire coepit, vino magis deditus quam sacro. Factum est itaque, ut ex theca reliquiae illae sacrae surriperentur. Mane postquam surrexisset sacrificulus, requirens suas reliquias, quo merces suas exponere et populo ostentare posset, sublatas esse videt. Nihil igitur cunctatus nec dissimulans, quod hospitam esse consciam judicaret, recta in stabulum descendit eque proximo praesepi pauxillum foeni arripuit suaeque inclusit thecae. *Hae meae*, inquit, *sunt reliquiae!* Quod cum hospita vidisset, ridere reliquias istas coepit. *Atqui*, inquit ille, *jam in templo sacris modo intersis, eas osculaberis.* Quod cum se facturam pernegaret, indulgentiarius pactus est symbolum. Finita concione impostor pro more reliquiarum suarum virtutes divinas propemodum coram populo nimis credulo depraedicare coepit, *esse scilicet foenum illud, super quod Christus recens natus in praesepi Bethlehemitico recubuerit, tantasque habere virtutes inter reliquias, ut qui eas exoscularetur, eodem anno a peste, quae tum passim in illo ducatu grassabatur, esset immunis. Praeterea etiam arcere omnes adulteros et adulteras, ut accedere non possint, nec illas exosculari.* Hospita imposturarum conscia et quod de lucello aliquid decederet, diu cunctata, tandem de sumtu maluit quam de fama, quod de pudicitia esset alias suspecta, periclitari. Accessit itaque postremo loco reliquias sui stabuli exosculans, cui sacerdos submissa voce, *en advenis?* dixit. Cum vero fama de reliquiarum istarum virtutibus percrebuisset et homines miseri, qui eas exosculati fuerant, a peste immunes non essent, sed illa correpti misere perirent, ad ducem Wirtenbergicum Eberhardum rumor pervenit. Is nundinationum illarum imposturas intelligens theologis Tubingensibus in mandatis dedit, ut impudenti homini ad se accersito vanitatem exprobrarent ejusque petulantiam contunderent, quod et factum est. Verum ille artis suae memor audacter respondit, *se neminem fefellisse nec mentitum esse.* Cum vero illi contra objicerent, certum esse, multos eo morbo obiisse, qui reliquias ipsius essent exosculati et venerati, rursus negavit subjiciens, *vitrum tantummodo, non ipsas reliquias exosculatos esse*, sicque joco et risu actionem seriam impostor elusit. Albert. Crantzius, qui floruit circa ann. 1500. in Saxonia, scribit: *Reliquiarum Romanarum copia eas vilescere facit. Fabulis enim non inhaerendum. Nemo gloriari debet de veterum auctoritate*, indocti enim erant, *non habebant, unde falsitatem coarguerent, sed aetate nostra crebrescentibus literarum monumentis inexcusabilis torpor est, in fabulis scientes prudentesque permanere.* Et quid multis? tam palpabiles fraudes et imposturas sacrificuli per reliquias exercent, ut eae proverbio locum dederint: *Roma tria tecum non auferes: lapides, quia nimis grandes; pietatem, quia ibi nulla; reliquiae, quia incertae.*

104. Excipit Bellarminus cap. 4. *reliquias, quae publice in templis venerandae exponuntur, non esse supposititias, cum ecclesia semper diligenter caverit, ne fraudes fierent, et praecipue post decretum concilii Lateranensis, ut nullae reliquiae publice recipiantur sine auctoritate Romani pontificis; Augustinum dubitasse de reliquiis, quas quidam privati homines circumferebant, non de illis, quae publice in templis conservantur, in variis locis esse partes eorundem corporum, sed denominari a* XVII. 120.
*parte totum.* Respondemus: haec vero perizomata ex foliis ficus contexta strictiora sunt, quam ut turpitudinem imposturarum ac fraudum, quae in reliquiis committuntur, tegere possint. 1. Quae enim pro reliquiis Christi, Mariae et apostolorum publice venditantur, de illis per aliquot secula nullus primitivae ecclesiae scriptorum mentionem facit. In historia evangelica de illis rebus altum silentium, tempore apostolorum nihil de illis auditum. Quinquaginta circiter annos post Christi mortem Hierosolyma eversa atque expilata fuit, ubi interim reliquiae illae asservatae fuerunt? 2. Pontifici vero Romano mandes, si quid in ecclesia recte curatum velis, is scilicet semper diligenter curavit, ne fraudes fierent in reliquiis, in indulgentiis etc. 3. Partes illae corporum, quae in diversis locis pro reliquiis unius sancti monstrantur, in tantum excreverunt numerum, ut unius corporis ossa illis non sufficiant, nec tantum partes corporum, sed integra sanctorum corpora in diversis locis monstrantur. Trium magorum corpora et Mediolani et Coloniae ostenduntur. *Petri* corpus reconditum est integrum Romae in Vaticano, ut auctor est Baronius tom. 1. annal. ann. 69. dimidiatum habetur in alio loco Romae in via Ostiensi, Onuphrius de sept. urbis ecclesiis cap. de basilic. S. Pauli. Et aliquae particulae reliquiarum Petri sunt in loco tertio, videlicet Constantinopoli, ut ex Chrysostomo hoc loco memorat Bellarminus. Caput ejus asservatur in quarto loco, Romae scilicet in basilica Lateranensi, Onuphrius de sept. urbis eccles. Pars capitis in quinto loco, Romae nimirum in ecclesia S. Praxedis, Onuphrius ibid. In sexto loco, videlicet Pictavii in Gallia, mandibula cum barba, Nicol. Gallasius de reliq. In septimo loco vel potius in pluribus locis dentes alibi plures, alibi sin-

guli, ut Romae in ecclesiis SS. Vincentii et Anastasii, S. Crucis, S. Salvatoris Lateranensis, S. Laurentii extra muros, S. Sebastiani, S. Praxedis, ut recitat Onuphrius de sept. urbis eccl. Octavo loco erat cerebrum, nempe Genevae, sed deprehensum fuit, pumicem pro cerebro fuisse populo ostentatum, Gallasius l. d. Ossa Petri multa ostenduntur Romae in templo Mariae populo, ut testatur liber inscriptus Mirabilia Romae excusus permissu superiorum, cum privilegio Sixti V. Item in templo S. Laurentii extra muros, Onuphrius de sept. urbis eccl. Pars lacerti asservatur Romae in basilica S. Crucis, Onuphrius d. l. Pars costae et digitus manus Romae in ecclesia S. Sebastiani, Onuphrius d. l. digitus pedis Romae in ecclesia S. Praxedis, Onuphrius d. l. articulus digiti gigantei in Anglia ad S. Parathalassiae, Erasmus de peregr. relig. Reliquiae absque nomine in diversis ecclesiis Romae etc. *S. Dionysii* corpus ostendunt monachi in monasterio S. Emerani Ratisbonae una cum bulla pontificis attestante verum corpus Ratisbonae haberi. Sed ejusdem Dionysii caput apud S. Dionysium in Gallia monstratur. Et quis singulas imposturas enumerare posset? 4. Ne ipsi quidem saniores Pontificii diffitentur, circa illas etiam reliquias, quae publice in templis asservantur, multas imposturas ac fraudes concurrere, id quod ipsa praxis ἀναντιῤῥήτως comprobat. *5. Si fragmentula crucis*, inquit Erasmus, *in acervum redigantur*, *vix una navis oneraria vehat.* Respondent quidem, quantumcunque inde abscindatur, nunquam tamen imminui, sed miraculi illius veritas nondum demonstrata. 6. Nullum est altare in toto papatu, quorum tamen in tot regnis et provinciis sunt aliquot myriades, quod reliquiis careat, unde ergo illae ortae? et quis asserere ausit, esse omnes veras reliquias, quae in illis altaribus asservantur?

1. Ex superstitione in hoc cultu.

105. *11. A multiplici superstitione, quae in reliquiarum veneratione spectatur.* Christus in verbo ac sacramentis Dei gratiam, peccatorum remissionem, auxilium animae et spiritualia beneficia quaerenda esse docuit, superstitiosum igitur merito censeri debet, quod homines in vestibus, fasciis et ossibus sanctorum illam gratiam et virtutem quaerunt. Π. 121. Pulchre Chrysostomus de S. Acatio: *τιμὴ μάρτυρος ἡ φυλακὴ τῆς πίστεως. εἰ θέλεις καὶ σὺ τιμῆσαι τὸν μάρτυρα, τίμησον τὸν ὑπὸ μάρτυρος μαρτυρηθέντα.* *Non reclamo*, inquit Lutherus, *divorum ossa sancta esse*, *sed hoc detestor*, *quod plerique omnes ex superstitione majori studio ad illa exornanda rapiuntur quam ad proximi necessitatem sublevandam*, *quapropter ut abusus tollantur et dilectionis opera proferantur*, *vellem*, *terra istas sanctorum reliquias contectas esse.* Peraldus Episc. in summa virt. et vitior. tom. 1. c. de beatitudine scite sic concludit: *Si vestes*, *quae tetigerunt Salvatorem*, *pro reliquiis habemus*, *cur verba*, *quae ex ore ejus processerunt*, *pro reliquiis non habemus? cum scriptum sit: Et mirabantur omnes de verbis gratiae*, *quae procedebant ex ore ejus?* Has veras et salutares reliquias merito magni facimus, his toto corde addicti sumus, relicto interim Pontificiis superstitioso reliquiarum externarum cultu, qui idololatriae fons est largissimus. Excipit Bellarminus, *cultum reliquiarum esse potius detestationem idololatriae. Nam martyres mortui sunt*, *ut idololatriam destruerent*, *qui ergo martyris reliquias colit*, *indicat*, *se gaudere de idololatriae destructione.* Respondemus: sicut Pharisaeos *sepulcra prophetarum aedificantes* Christus accusat Matth. 23, v. 27. quod re ipsa professi ac testati fuerint, se esse socios eorum, qui prophetas occiderint, cum nihil minus ipsi cogitarent; ita Pontificios reliquias martyrum religiose colentes merito idololatriae accusamus, quamvis ipsi hunc cultum maximi faciant, quia omnis ἐθελοθρησκεία, omnis cultus religiosus extra et praeter verbum proprio cordis arbitrio susceptus est idololatria, ut suo loco plenius confirmatum fuit.

106. *12. Ex absurdis et periculis*, *quae cultum reliquiarum consequuntur.* 1. Cum enim pleraeque reliquiae sint dubiae et incertae, an non gravissimum subest periculum, ne ossibus furis, latronis, imo canis ac vituli religiosus honor deferatur? 2. Inter reliquias numerant coronam Christi spineam, scuticam, qua flagellatus est, lanceam, qua latus ejus in cruce perfossum, clavos, quibus cruci affixus est etc. iisque religiosum cultum dependent. At haec instrumenta corpori Christi laesionem et injuriam intulere, eccur igitur honorem religiosum illis deferre velimus? quo argumento illustrissimus dux Saxoniae Johannes Casimirus etc. Coloniae ann. 1610. utebatur, cum in aede Ursulae sacrificulus particulam coronae spineae exosculandam ipsi offerret. Stapletonus part. 1. promt. cath. p. 292: *Veneratio personae Christi etiam ad ipsam corrigiam calceamenti et ad ipsum terrae pulverem*, *quem calcabat*, *sese extendebat* Matth. 3. Psalm. 132. At si ex illis dictis veneratio reliquiarum probari potest, etiam ipsa terra, cui Christus in Palaestina inambulavit, religiose veneranda erit. 3. Si instrumenta illa crudelitatis Judaicae religioso cultu veneranda *ob sanctissimi corporis Christi contactum*, ut loquuntur, quidni etiam Judam, milites, crucifixores etc. veneramur, qui itidem corpus illud tetigere? 4. Si quidvis, quod Christus attigit, religioso cultu prosequendum, etiam asinus, super quo sedens Hierosolymam ingressus est, eodem modo venerandus erit. Hoc argumento utitur Claudius Hispanus, episcopus Taurinensis, qui referente Jonā Aurelianensi libr. 1. de cult. imag. et ex eo cent. Magdeb. 9. c. 5. f. 220. sic ratiocinatur: *Si omne lignum schemate crucis factum volunt adorare pro eo*, *quod Christus in cruce pependit*; *adorentur et praesepia*, *adorentur et asini*, *quia asello insidendo ad Jerusalem usque pervenit*, *adorentur agni*, *quia scriptum est*, *ecce agnus Dei* etc. 5. Denique si sancti ratum et gratum habent illum cultum, qui ipsorum reliquiis defertur, consequens fuerit, eos post mortem admittere illud, quod, cum in vivis

12. Ex absurdis et periculis, quae cultum reliquiarum consequuntur.

essent, recusarunt ac damnarunt. Confer Act. 10, v. 26. cap. 14, v. 14.

13. Ex saniorum Pontificiorum confessione.

107. *13. Ex saniorum Pontificiorum confessione.*
XVII. 122. Erasmus in annot. Matth. 23: *Damnat hoc loco Hieronymus mulierculårum quarundam superstitionem, quae quod olim in phylacteriis faciebant Pharisaei, id tum faciebant in parvis evangeliis et in crucis ligno aliisque rebus hujusmodi, quae habent, inquit, zelum Dei, sed non secundum scientiam, culicem liquentes et camelum glutientes. Si vir sanctissimus haec sentit de mulierculis, quarum infirmitati par erat nonnihil condonare, quid dicturus sit, si videat, hodie passim ad quaestum ostentari lac Mariae, quod honore propemodum exsequatur corpori Christi consecrato, prodigiosum oleum, fragmentula ligni crucis tam multa, ut si in acervum redigantur, vix una navis oneraria vehat, hic ostentari Francisci cucullam, illic intimam vestem Mariae virginis, alibi pectinem Annae, alibi caligam Josephi, alibi calceum Thomae Cantuariensis, alibi Christi praeputium, quod cum sit res incerta, religiosius adorant quam totum Christum. Neque vero haec ita proferuntur tanquam ferenda et plebeculae donanda affectibus, verum huc fere summa religionis vocatur, avaritia sacerdotum et monachorum quorundam hypocrisi, quos alit populi stultitia. Atque in hisce comoediis primas agunt episcopi quidam factitii, ne usquam valere videantur, haec suis diplomatis approbant, suis naeniis ornant, tanta gravitate, ut quoties mihi legitur istorum comprobatio, minus credam, quam antea credebam. Quibus in rebus nisi gravis inesset pietatis jactura, Christus non tam acriter in hoc hominum genus inveheretur, cum alioqui lenis sit in peccatores.* Idem in paraph. s. Novum Testamentum: *Si quis Christi tunicam exhibeat, quo non terrarum provolaturi sumus, ut eam osculari liceat. Atqui ut totam Christi supellectilem proferas, nihil erit, quod Christum expressius ac verius repraesentet quam evangelicae literae.* Georgius Cassander in consult. art. 21. p. 147: *Legimus, ad loca martyrum reliquiis insignia vota nuncupata et peregrinationes susceptas, quae omnia tum utilia erant, cum adhuc recens et certa memoria martyrum vigeret, et Deus, qui indubitatis miraculis eos, qui mortui videbantur, sibi vivere declararet, quibus fides, quam ipsi professi sunt, confirmabatur. Verum in haec paulatim abusus irrepsit, nam queritur Basilius, hanc consuetudinem suo tempore corruptam fuisse et temporibus Augustini et Ambrosii mos ferendi epulas ad martyrum memorias ab Ambrosio interdictus erat, ut patet apud Augustinum. Posterioribus etiam temporibus reliquiis et memoriis sanctorum nimis indultum et tributum fuisse constat, sic ut a bonis quoque viris pio zelo praeditis summa quasi religionis in hujusmodi conquirendis, auro et gemmis exornandis et memoriis seu templis sumtuosissimis aedificandis posita putarentur et ab improbis quoque hominibus falsa fiducia in cultu inepto et superfluo reliquiarum collocaretur. Quare in concilio Cabillonensi c. 34. reprehenduntur, qui Romam aut Turonum sub praetextu adorationis peragrant putantes, frequentatione horum locorum se a peccatis purgari et impune peccare. Accesserunt et alia mala, quod avaritiae causa ad simplicem populum illiciendum falsae reliquiae supponebantur et ficta miracula praedicabantur, iisque miraculis populi superstitio alebatur, ut magis in admirationem miraculorum raperetur, quam ad sanctorum imitationem vel vitae emendationem provocaretur. Nonnunquam autem astu et illusione daemonis hominum superstitione abutentis per insomnia et visa novae reliquiae revelabantur et ejusdem operatione miracula edi videbantur. Hinc decretum illud Lugdunensis concilii c. 62: Praelati non permittant, populum vanis figmentis aut falsis documentis decipi, sicut occasione quaestus fieri consuevit. Et in concilio Carthaginensi V. can. 14: Altaria, quae per somnia et inanes revelationes constituuntur, omnino reprobari videntur. Item: Permulti reperti sunt, qui sanctorum reliquias seu falsas, seu veras quaestui habuerunt, ita ut passim a circumforaneis et vilissimis hominibus instar sacrorum Isidis circumferrentur et multis mendaciis imperito vulgo commendarentur.* XVII.
Ibid. inter abusus numerat, *quod jam olim sanctorum corpora super altaria collocarentur,* quod ab Ambrosio reprehendi dicit, et addit: *Hodie verum cum passim omnia reliquiis sanctorum plena esse videantur, verendum est, ne si episcopi et principes in veris reliquiis inquirendis ac dijudicandis, quam deberent, operam adhiberent, ingentes et detestandae imposturae patefierent, quemadmodum in nonnullis locis factum est, et olim Martino accidit, qui cum locum quendam suae dioecesis monumento cujusdam tanquam martyris celebrem adiisset, deprehendit non martyris, sed scelesti latronis monumentum a populo cultum et frequentatum, quod everti statim et exscindi jussit, quamvis illi quoque probari non debeant, qui odio superstitionis piorum hominum monumenta violarunt et ossa sive cineres, quibus etiam barbarissimi homines pepercerant, summa cum ignominia abjecerunt et disperserunt. Cum igitur verae et compertae reliquiae, praesertim in his provinciis, perpaucae sint et multae ex iis, quae ostentantur, non temere suspectae haberi possint, atque illarum frequentatio et veneratio non multum pietati, plurimum vero superstitioni vel quaestui serviant, multo consultius videtur, ut ab omni reliquiarum ostentatione abstineatur et populus ad veras sanctorum reliquias colendas, id est exempla pietatis et virtutum, quae in scriptis vel ab ipsis, vel de ipsis exstant, imitanda provocetur.* Haec Cassander. Vasquez lib. 3. de adorat. disp. 3. c. 8. n. 112 et 124. quaerit, *an possit quis recta intentione ossa martyrum in pulverem redacta, etiam in vermes conversa colere et venerari*, ac inter cetera subjungit, *Henricum negasse, quod sancti adorandi sint in forma vermium.*

108. Atque haec pro confirmatione nostrae sen- Argu

**Pontificiorum pro cultu reliquiarum.**

tentiae dicta sufficiant. Restat, ut *Pontificiorum argumenta*, quae pro cultu reliquiarum stabiliendo formant, excutiamus. Ea vero trium sunt generum. Quaedam, sed admodum pauca, *ex Scripturis;* quaedam *ex conciliis, patribus et ecclesiastica historia;* quaedam *ex ratione naturali* proferuntur. Bellarminus lib. 2. de eccl. triumph. qui est de reliquiis sanctorum c. 3. omnia *denario numero*, perfectionis fortassis causa, complectitur. *Primum*, inquit, *argumentum sumi potest ab exemplis Scripturarum*, ubi ex mendicitate sua haec profert,

**1. Exempla Scripturae. 1. Exod. 13: Ossa Josephi a Moyse transportantur ex Aegypto.**

1. Exod. 13: *Moyses discessurus cum populo ex Aegypto in Palaestinam noluit ibi relinquere ossa S. Josephi jamdudum mortui, sed ea honorifice secum asportavit et transtulit in terram promissionis.* Miror autem, praetermissum a Bellarmino illud, quod pro confirmatione hujus argumenti ab aliis solet addi ex Sirac. 49, v. 18: *Ossa Josephi visitata sunt et post mortem prophetarunt.* Respondemus: 1. vera causa impulsiva ac finalis illius *μεταθέσεως ὀστῶν* non est erectio novi cultus, quasi Moyses ossa Josephi in Palaestina voluerit hominibus exosculanda et religiose veneranda proponere, sed mandatum ac jussum ipsius Josephi, quod de transportandis ossibus suis ex Aegypto in terram Canaan paulo ante mortem Israëlitis dederat, Gen. 50, v. 25. 2. Causa illius mandati itidem non est nec esse potest, quod Josephus voluerit ossa sua religioso cultu honorari, *id enim arrogantiae datum ipsi fuisset, ac si ipse post mortem gloriam illam quaesivisset*, ut in simili quaestione de invocatione sanctorum concludit Eccius in enchirid. cap. 15. sed quod praevidens in spiritu futuram populi Israëlitici calamitatem, eundem hoc oraculo et ossium asservatione velut certo quodam promissae liberationis signo externo, de complemento promissionis, videlicet de reductione in terram Canaan, admonere voluit, inde epistola ad Hebr. fidei Josephi hoc mandatum tribuit cap. 11, v. 21: *Fide Joseph moriens de profectione filiorum Israël memoratus est et de ossibus suis mandavit.* Rabanus ad allegoriam decurrens, *Joseph*, inquit,
XVII. 124. *incolatum terrae Aegypti detestans terram repromissionis desiderabat, ut quamdiu sumus in hac peregrinatione, veram patriam, terram viventium justis promissam, desideremus et in eam transferri post mortem velimus.* 3. Actus ipse translationis fuit publicum testimonium, impletam esse promissionem patribus factam de traditione terrae Canaan in possessionem sempiternam. 4. Ad ossa illa Josephi Israëlitae variis in deserto afflictionibus pressi opis impetrandae causa confugisse nuspiam leguntur, neque eadem in Palaestinam delata ad venerationem et cultum in sublimi loco proposuerunt, sed in Sichem terrae omnium matri honorifica sepultura demandarunt, Jos. 24, v. 32. 5. Quod in Siracide dicitur, *ossa Josephi post mortem prophetasse*, illud in Graeco textu non habetur. 6. Quod dicitur *τὰ ὀστᾶ αὐτοῦ ἐπεσκέπη* non est accipiendum *de visitatione hominum* ad reliquias illas concurrentium, sed *de visitatione Domini*, diserte enim additur, *ἐπεσκέπη ὑπὸ κυρίου* ac respectus habetur ad praedictionem Josephi Gen. 50, v. 25: *Deus visitabit vos, deportate ossa mea vobiscum de loco isto,* 7. Quaedam exemplaria legunt *ἐπεσκέπησαν*, ut significetur, Israëlitas ossa seu reliquias Josephi diligenter asservasse, ac si operimento aliquo munitae fuissent, sed de religiosa veneratione illis exhibita nihil quidquam additur. 8. Ut silentio interim praetermittamus, librum Ecclesiastici non esse in canone.

**2. Deut. 34: Deus ipse corpus Moysis honoravit.**

109. 2. *Deus ipse corpus Moysis honoravit, dum illud propriis manibus sepelivit* Deut. 34. Respondemus: 1. Philonis haec est sententia in lib. de vita Moysis circa fin. *pertinere ad gloriam Moysis*, quod ad Domino sepultus sit in sepulcro tam admirando, ut nullus hominum dignus fuerit unquam illud conspicere. Philonem sequuntur Epiphanius haeres. 9. ac Hieronymus adv. Vigilant. 2. Ex ea vero inferri nequit, Deum voluisse, ut religioso cultu Moysis sepulcrum Israëlitae venerarentur. Non enim sequitur, Deus corpus Moysis honoravit, ergo religioso honore et cultu ab hominibus illud honorari voluit. *Ἀσυλλογίστως* a genere ad speciem, a non distributo ad distributum affirmative proceditur. 3. Invertimus proinde argumentum. Quo genere honoris Deus corpus Moysis honoravit, eodem etiam corpora et ossa sanctorum a nobis sunt honoranda. Sed Deus honoravit corpus Moysis non ad religiosum cultum illud proponendo, sed sepeliendo et terrae mandando. Ergo eodem modo corpora et ossa sanctorum a nobis sunt honoranda. 4. Ex eo ipso, quod Moysis sepulcrum Deus voluerit esse occultum, colligi potest, ipsum noluisse religiosum honorem corpori Moysis deferri, ut latius ostendimus superius. Vide Theodoretum et Procopium in cap. 34. Deut. ubi eandem causam occultati sepulcri Moysis adferunt, videlicet ne Judaei corpus ejus utpote ducis ac legislatoris sui divino honore colerent. 5. De mystica sepulturae Mosaicae explicatione alibi agitur.

**3. 2. Reg. 13: Ossa Elisaei mortuum quendam hominem ad vitam revocant.**

110. 3. 2. Reg. 13. *ossa Elisaei cum tetigissent mortuum quendam hominem, continuo illum ad vitam revocarunt. Non ergo Deus contemnit ossa sanctorum, sed ea honorat et honorari cupit, dum per illa miraculum tam insigne patravit.* Respondemus: 1. *ἀνακολουθία* est manifesta. Ossa sanctorum non sunt contemnenda, sed honoranda. Ergo religioso illo cultu, qui in papatu viget, honoranda sunt. 2. Elisaeus paulo ante mortem vaticinatus fuerat de victoria Israëlitarum contra Syros v. 17. cum ergo post mortem Elisaei eodem anno copiae militares Moabitarum irruptionem facerent in terram Israël, Deus peculiari et extraordinario miraculo confirmaturus veritatem vaticinii ab Elisaeo editi per contactum ossium ipsius jam defuncti mortuum hominem ad vitam revocavit, unde Sirac. 48, v. 14. de ipso dicitur, *ἐν κοιμήσει προεφήτευσε τὸ σῶμα αὐτοῦ*, v. 15. *in vita sua fecit prodigia et in morte sua opera mirabilia*, id est Deus per Elisaei jam-
tum mortui corpus miracula edens veritatem pro- XVII. 125.

phetiae illius comprobare voluit. 3. Historia non dicit, quod ante illud miraculum religionis ergo ad sepulcrum Elisaei concursus fuerint instituti quodque mortuum illum hominem data opera ad illud deportarint, ut contactu ossium propheticorum in vitam revocaretur, sed inopinato casu mortuum illum in sepulcrum Elisaei projectum asserit, cum scilicet vellent hominem sepelire ac supervenientibus latrunculis non haberent spatium effodiendi foveam, ne ergo cadaver insepultum hostium libidini expositum relinqueretur, aperuerunt sepulcrum Elisaei, quod erat in propinquo, inque illud וַיַּשְׁלִכוּ, *repentino motu projecerunt*, mortuum suum, qui ad fundum delapsus Elisaei ossa attigit ac divino miraculo revixit. Salmeronius tom. 6. operum tractat. 15. eum, qui tactu ossium Elisaei in vitam revocatus est, putat fuisse illum prophetam, qui jussit, se eo loco sepeliri. *Objiciunt* (inquit) *haeretici, quorsum ista mortuorum ossa et cineres? Quibus respondendum est, quorsum Helisaei prophetae cadavere tacto ab alio corpore prophetae, qui jussit se juxta illud sepeliri, ad vitam revocatum est?* sed confundit ἀπαιδεύτως duas diversas historias 1. Reg. 13, v. 32. et 2. Reg. 13, v. 32. 4. Neque post editum illud miraculum Elisaei ossa e sepulcro eruta, in locum sublimem collocata, circumgestata, exosculanda, tangenda, spectanda hominibus proposita, serico exornata, candelis honorata, opis impetrandae causa adorata etc. sed in loco suo relicta sunt usque ad resurrectionis universalis diem. 5. Siracides c. 48. miracula Elisaei in vita et post mortem commemorans finem eorum statuit *confirmationem vaticiniorum Elisaei*, ut populus a peccatis per veram poenitentiam ad Deum converteretur, nihil quidquam vero addit de religioso ossium ac reliquiarum cultu. Chemnicius part. 4. exam. cap. de reliq. pag. 6.

4. 2. Reg. 23: Ossa sancti prophetae jubentur a Josia rege asservari.

111. 4. 2. Reg. 23. *cum Josias delubra idolorum everteret et omnem idololatriam delere vellet, tantum abest, ut reliquias sanctorum delendas esse existimaret, ut cum aliorum mortuorum ossa effodisset et in cineres redegisset, ossa tamen sancti prophetae ibidem reperta asservari jusserit.* Respondemus: 1. nemo nostrum dicit, veras sanctorum reliquias esse irreverenter tractandas vel igni comburendas; sed si reliquiae illae pertinent ad membra corporis, honestae sepulturae, non religiosae culturae; sin ad habitus externos et falsae fuerint, non superstitiosae admirationi, sed oblivioni et occultationi tradendas esse dicimus; sin verae fuerint, eas asservandas admittimus, non ut superstitionis fomenta, sed ut piae memoriae monumenta. 2. Invertimus argumentum. Josias ossa illius prophetae non jussit effodi ac ex loco idololatrarum sepulcris contaminato in locum digniorem transferri, multo minus ad religiosum cultum ostentari ac circumgestari, sed eadem in loco illo intacta et immota relinqui. Contrarium faciunt Romanenses, qui sanctorum ossa ex sepulcris suis eruta cultus causa alio transferunt. 3. Israëlitae non leguntur ad illas reliquias peregrinationes et cultus instituisse aut opis impetrandae causa, ut concilium Tridentinum loquitur, ad eas confugisse.

5. Esa. 11: Sepulcrum Messiae erit gloriosum.

112. 5. *De sepulcro Domini legimus* Esa. 11. *erit sepulcrum ejus gloriosum, quod non intelligi solum de sepulcro pro eo tempore, quo ibi Christus jacebat, sed etiam pro tempore futuro, ac proinde reliquias honorandas docet* Hieronymus in epistol. ad Marcellam. Respondemus: 1. in Hebr. est: et erit מְנֻחָתוֹ, *requies ejus gloria*, quomodo etiam LXX interpr. reddiderunt, quod multo latius patet quam sepulcrum, quidquid enim mortem Christi ac laborem ejus in cruce secutum est, *fuit gloria*, id est gloriosum. Gloriosa fuit ejus *mors* propter miracula eandem consecuta, tremuit enim terra, petrae sunt diffissae, monumenta aperta; gloriosa fuit ejus *sepultura*, quia a Nicodemo et Josepho corpus aromatibus conditum et sindone obvolutum, in monumentum novum, in petra excisum, honorifice fuit XVII. 126. depositum; gloriosus fuit ejus *ad inferos descensus*, gloriosa *resurrectio*, gloriosa *adscensio* et ad *dextram Dei exaltatio*, gloriosum est ejus *regnum* in omnes gentes propagatum Hebr. 2, v. 9. Vid. Cyrillus et Procopius in comment. illius loci. 2. Quidam referunt ad ecclesiam ex gentibus collectam, in qua Christus habitat et *requiescit*, Psalm. 132. v. 14. illa est gloriosa non celebritate mundana et terrestri, sed claritate spirituali ac coelesti, quae interpretatio confirmatur ex eo, quod Paulus Rom. 15, v. 12. hunc versiculum propheticum ad vocationem gentium ad ecclesiae consortium accommodet. 3. Hieronymus per *quietem* μετωνυμικῶς intelligens locum quietis sive sepulcrum fatetur, ita se reddidisse, ut sensum potius quam vocem spectaverit, quam versionem non omnino repudiamus, sed addimus, 4. quod gloria sepulcri Dominici non consistat in superstitiosa fascium sepulcralium veneratione vel in peregrinatione ad illud opinione cultus suscepta, sed in fideli mortis, sepulturae ac resurrectionis Dominicae commemoratione, qua summum Christi amorem, ex quo propter nos et nostram salutem passus, mortuus ac sepultus est, grata mente praedicamus et beneficia ipsius passione, morte, sepultura et resurrectione parta vera fide nobis applicamus. 5. Si gloria sepulcri Dominici in externo et superstitioso illo honore consisteret, apostoli ac viri apostolici eundem minime praetermisissent, nec Deus sub Turcarum potestatem locum sepulcri redigi passus fuisset. 6. Interim mirabilem Dei providentiam ac potentiam in eo agnoscimus, quod sepulcrum Christi in medio hostium ejus situm ab ipsis Turcis excolitur, et gentes illae immanitate barbarae ac truculentae ad illud accedunt, quodque coenobium Christianorum ibidem permittunt, in quo Christi laudes in medio hostium ejus personant.

6. Matth. Haemorrhousa tangit vestem Christi.

113. 6. *Si Christus hic adesset, et nos vestem ejus devote oscularemur, continuo nos Lutherus et Calvinus idololatras dicerent, at mulier haemorrhousa solam fimbriam Christi fideliter tetigit et*

*sanata est* Matth. 9. Idem argumentum urgent Costerus part. 1. concion. p. 633. Stapletonus in promt. cath. part. 1. p. 292. Jansenius in concord. evang. c. 34. p. 219. Greg. de Valentia contr. Heerbr. et reliqui omnes. Respondemus: 1. Historia evangelica non de religioso fimbriae osculo, sed de fideli ejus contactu mentionem facit, hactenus igitur in exemplo est dissimilitudo. 2. Haemorrhousa *non ex superstitione* vestem tetigit, ut Danaeus part. 4. Christian. isag. lib. 2. cap. 9. statuit, sed *ex vera fide*, ut scilicet virtutis illius, *quam ab ipso exire audiverat*, particeps redderetur, quia ut Lucas cap. 6, v. 19. testatur, *omnis turba quaerebat eum tangere, eo quod virtus ab illo exibat, et sanabat omnes.* 3. Neque tamen in ipsam fimbriam vestimenti, sed in Christum collocavit suam fiduciam. Athanasius in lib. quod duae naturae in Christo: *Mulier illa, quae Christi fimbriam tetigit, non in fimbria, sed in ejus, qui toga vestitus erat et cujus erat fimbria, invisibili potentia spem suam comperta est collocasse.* 4. Nec fimbria ipsa in se ac per se vim illam sanandi ἐνεργητικὴν habuit, sed assumta Christi caro fimbria vestita et amicta; cum non ex fimbria, sed παρὰ Χριστοῦ virtus illa dicatur exiisse Lucae 6, v. 19. cumque Christus ἐξ αὐτοῦ et ἀπ' αὐοῦ, *ex se ipso*, virtutem exiisse asserat Marc. 5, v. 30. Lucae 8, v. 46. Inde recte quis dixerit, *virtutem Domini* sanasse ἐνεργητικῶς, *fidem mulieris* ὀργανικῶς Matth. 9, v. 22. Marc. 5, v. 34. Lucae 8, v. 48. *fimbriam* seu contactum fimbriae συμβολικῶς. 5. Extraordinarium ac plane speciale fuit, quod Christus per fimbriae contactum velut per *externum quoddam symbolum* virtutem sanandi exserere voluit, quemadmodum virga Moysis in miraculis edendis Deus olim usus fuit, Exod. 4, v. 3. unde etiam contactus fide destitutus non obtinuit a Christo sanitatem vel aliud beneficium, Marc. 5, v. 31. Luc. 8, v. 45. Personale autem factum non potest exhibere generale fiduciae fundamentum. 6. Sic
f. 127. ergo concludimus. Symbolum miraculosae sanationis externum non debet religioso honore coli, alias peccassent Israëlitae, quod virgae Mosaicae, et Elisaeus, quod pallio Eliae cultum illum minime detulissent. Jam vero fimbria Christi et ejus contactus fuit duntaxat externum miraculosae sanationis symbolum. Cum enim mulier illa fide heroica peculiari Spiritus sancti instinctu et impulsu statueret, tantam esse Christi potentiam, ut per quodvis etiam minimum efficacissime agere et sanitatem conferre queat, ideo in confirmationem illius fidei Christus fimbria sua velut symbolo quodam ad miraculosam sanationem uti voluit, unde postmodum non dicit, *fimbria mea te salvam fecit*, sed *fides tua*, qua in me ac potentiam et bonitatem meam omnem cordis fiduciam collocasti. 7. Id ipsum probat praxis apostolorum. Audiverant apostoli ac reliqui testes hujus miraculi, per contactum fimbriae Christi haemorrhousam miraculose fuisse sanatam, num vero propterea fimbriam ipsam religioso cultu prosecuti fuere? Minime vero, sed Christum miraculi auctorem unice celebrarunt ac divinum honorem ei detulerunt. 8. Sed nec eadem omnino ratio vestimenti, quo Christus velut symbolo ad hoc miraculum usus est, cum reliquiis sanctorum, illo enim Christus erat indutus ac vestitus, ideo ad demonstrationem divinae suae potentiae eodem in miraculosa sanatione uti voluit. Sed de reliquiis sanctorum dici nequit, quod sint vestimenta Christi, ac si vel maxime ex vestimentis Christi quaedam reliquiae adhuc superessent, eae tamen non amplius Christum amicirent, ut in diebus carnis factum. Ergo si quis divinam aliquam virtutem adhuc hodie illis tribuere vellet, perinde foret, ac si quis virgae Mosaicae virtutem operandi miracula tribueret Moyse jam defuncto et non amplius eadem ut organo ad θαυματουργίαν utente. 9. Si a vestimento Christi ad reliquias sanctorum argumentari licet, poterimus etiam sanctis omnipotentiam tribuere propter beneficia, quae a reliquiis ipsorum proficiscuntur, sicut Christo recte tribuimus omnipotentiam propter miraculosam illam sanationem haemorrhousae per vestimenti contactum praestitam. 10. Patres hanc historiam evangelicam diligenter explicant, sed nullus eorum ad reliquiarum cultum eam accommodat. Athanasius serm. 4. contra Arianos pag. 244. ad vivificam carnis Christi virtutem probandam applicat. *Ea*, inquit, *opera, quae sunt propria Verbi, qualia sunt mortuos excitare, coecis visum restituere, haemorrhousam sanare, ea omnia corporis ministerio peragebantur.* Cyrillus lib. 4. in Levit. per vestem intelligit *carnem Christi* atque huc applicat legem Lev. 6, v. 18: *Nemo tangat carnes sacrificii, nisi sit sanctificatus,* et concludit, *non agamus cum nuda deitate, quae est ignis consumens, sed fide manducemus carnem Christi, quae in sacramento nobis datur.* Eodem modo applicat Ambrosius. *Vestimentum Domini,* inquit, *est Christi caro, cujus adspectum nobis subduxit, reliquit autem certitudinem praesentiae dicens, comedite.* Chrysostomus hom. 51. in Matth.: *Tangamus fimbriam vestimenti ejus, imo vero totum ipsum. Si enim volumus, non vestis solum, sed corpus ipsius propositum est nobis, non ut tangamus solummodo, sed ut comedamus et saturemur. Adeamus ergo Christum singuli aegrotantes magna cum fide. Nam si qui fimbriam vestimenti ejus tunc tetigerunt, recte omnes valuerunt, quanto magis corroborabimur, si totum in nobis habebimus.* Haec accommodatio vestium Christi ad verbum et sacramenta Scripturis sacris est congrua, quia Christus in verbo et sacramentis suam gratiam et animae nostrae medicinam nobis offert, illis sese quasi vestivit, in illis vult quaeri et inveniri, Rom. 10, v. 6. in baptismo habemus vestimentum salutis, quod non tantum attingimus, sed etiam vera fide induimus, Esa. 61, v. 10. in sacra coena carnem ipsius, quam personaliter sibi univit ac induit, non tantum tangimus, sed manducamus ad vitam aeternam, Johann. 6, v. 54. hae sunt verae et indubitatae

Christi reliquiae, in quibus tuto ac certo salutem animae nostrae quaerimus. Confer Mehlfurerum decad. 6. vindic. evang. disp. 9. thes. 90.

XVII. 128. 7. Act. 5: Umbra Petri et Act. 19. sudaria et semicinctia Pauli sanant aegrotos.

114. 7. Actor. 5, v. 15. *non sunt reprehensi populi, qui certatim ad umbram Petri eo modo, quo poterant, attingendam occurrebant, sed potius fidei suae praemium retulisse dicuntur, et tamen quae reliquiae viliores ipsa umbra excogitari possunt? Neque habiti sunt* Act. 19, v. 12. *superstitiosi, qui Pauli sudaria et semicinctia deferebant ad aegrotos, sed potius religionem illorum miraculis confirmabat Deus.* Idem argumentum urgent Salmeron. tom. 6. tract. 15. Costerus part. 1. concil. pag. 636. Respondemus: 1. umbra Petri et sudariis ac semicinctiis Pauli in miraculorum operatione Deum fuisse usum legimus, sed externis illis symbolis propterea divinum honorem ac religiosum cultum a piis exhibitum fuisse nuspiam legimus. Est ergo in argumento *fallacia consequentis.* 2. Nec Petrus, nec Paulus permittere voluerunt, ut coram ipsis homines prociderent ac majorem quam civilem reverentiam ipsis exhiberent, Actor. 10, v. 26. cap. 14, v. 14. quanto minus umbrae et semicinctiis suis religiosum cultum propterea deferri passi fuissent, quod in miraculorum operatione Deus libere his symbolis uteretur. 3. Ab umbra Petri viventis et sudariis Pauli itidem viventis, docentis ac miracula virtute Christi operantis ad incertas defunctorum sanctorum reliquias argumentum ducere, est *funiculum ex arena nectere.* Est ergo in argumento fallacia *ἑτεροζητήσεως.* 4. Quod per umbram Petri ac sudaria Pauli factum legitur, fuit prorsus singulare, personale et extraordinarium, quo Deus doctrinam evangelii, quam praedicabant, confirmare et hostes, ne violentas manus ipsis injicerent, cohibere voluit. Act. 5, v. 12: *Per manus apostolorum fiebant signa et prodigia multa in plebe,* v. 13. *ceterorum autem nemo se audebat illis conjungere.* Actor. 19, v. 11: *Virtutes non vulgares faciebat Deus per manum Pauli.* Ex eo vero generale aliquod religiosi cultus fundamentum peti nequit, cum nequaquam fine eo miracula per umbram Petri et semicinctia Pauli facta sint, ut homines ad illorum cultum invitarentur. Est igitur in argumento *fallacia finis.* 5. Miraculorum donum fuit ecclesiae apostolicae ac primitivae proprium, quod autem postremis hisce ecclesiae temporibus a reliquiis sanctorum exspectanda sint miracula, de eo ex verbo Dei nulla afferri potest promissio. Confer tract. de eccles. §. 275. 6. Si apostoli, dum viverent, non potuerunt pro suo arbitratu miracula edere, sed a liberrimo Dei beneplacito ipsis hac in re semper fuit unice pendendum, multo minus ordinaria ac perpetua quaedam vis miracula operandi ipsorum reliquiis est adscribenda. Sed verum illud, Phil. 2, v. 25. ergo et hoc.

Dicta Scripturae ab aliis Pontificis adducta. 1. Gen. Jacob voluit sepeliri in terra Canaan. XVII. 129.

115. Hisce Scripturae dictis et exemplis a Bellarmino adductis alii scriptores Pontificii etiam haec addunt, *1. quod Jacobus patriarcha non in Aegypto, sed in terra Canaan sepeliri voluerit,* Gen. 47, v. 29. ex quo colligunt, *translationem reliquiarum exemplo patriarcharum esse comprobatam.* Respondemus: non de translatione, sed religiosa veneratione reliquiarum potissimum hoc loco quaeritur. Corpora vel ossa defunctorum ex uno loco in alium transferri non improbamus, si ex causa quadam rationabili, non autem ex superstitione illud fiat. Sic David *ossa Saulis* et *Jonathae*, quae cives Jabes Gilead in nemore Jabes sepelierant, in terram Benjamin translata patrio sepulcro intulit, 2. Sam. 21, v. 14. sic adhuc hodie corpora magnatum, praesertim extra provinciae et regni sui fines mortuorum, in sepulcrum patrium deferuntur ex causa quadam politica. Quae vero causa fuerit, propter quam Jacob in Aegypto sepeliri noluerit, sed accepto a filiis juramento in terram Canaan corpus suum transferri jusserit, interpretes plurimum variant. Quidam assignant causas falsas, quidam veras, Rabb. Salomon Jarchi in c. 47. Gen. nugatur, *Jacobum ideo recusasse sepulturam in Aegypto, quod prophetico spiritu praeviderit e pulvere Aegyptiaco nascituros pediculos,* Exod. 8, v. 16. *a quibus corpus suum corrodi noluerit.* Deinde notum quoque fuisse Jacobo addit, *quod Israëlitae extra terram Canaan sepulti non resurrecturi sint a mortuis, nisi per occultos quosdam meatus terrae ingenti cum cruciatu in terram usque promissam fuerint devoluti.* Denique Jacobum cavere voluisse, *ne Aegyptii ad idololatriam proni corpus suum instar numinis colerent.* Eadem fere repetit liber, cui nomen Tanchuma, qui continet explicationem Pentateuchi, in sectione וַיְחִי יַעֲקֹב, *quare patres*, inquit, *tantopere cupiverunt in terra Canaan sepeliri? quia mortui et sepulti in terra Canaan primo resurgent in diebus Messiae. Dixit R. Hanania: Qui extra regionem Canaan moritur et sepelitur, duas mortes sustinere cogitur, quarum una est animae a corpore separatio, altera vero quod extra Canaan sepultis facit Deus subterraneos meatus et pervias scrobes, per quas in terram usque Israëlis promissam et sanctam corpora illorum magno labore et cruciatu penetrant, quo superato Deus spiraculum vitae illis inspirat, ut resurgere queant.* Sed haec somnia confutatione non sunt digna. Bellarminus lib. 1. de purgat. c. 4. putat, patriarchas ideo optasse sepeliri in terra sancta, *ut fierent participes precum ac sacrificiorum, quae ibi offerebantur.* Sed de hac hypothesi, an defuncti vivorum suffragiis juventur, dicemus postea. Verae causae, propter quas Jacob non in Aegypto, sed in terra Canaan sepeliri voluit, potissimum sunt quatuor. *1. Terrae illius promissio*, quam causam in simili mandato exprimit Josephus Gen. 50, v. 24. Theodoretus quaest. 107. in Genes.: *Quare Jacob sepeliri mandavit corpus suum in Hebron? non quod de sepultura valde solicitus esset, ut quidam putarunt, sed ut familiam suam consolaretur ac doceret, Dominum Deum traducturum illos omnes ex Aegypto et daturum illis terram promissam.* Voluit igitur Jacobus animos suorum in prosperis

ab Aegypti opibus ac vitiis avellere, ne paterentur se Aegypti dulcedine inescari, sed ad promissam terram perpetuo adspirarent; in adversis vero consolationem in promissione liberationis ipsis propositam instillare. 2. *Ecclesiae conjunctio.* Hanc causam exprimit ipse Jacobus v. 30: *Dormiam cum patribus meis;* quibus fidei unitate conjunctus fuerat in vivis, illorum etiam sepulcris post mortem corpore jungi voluit, unde Scriptura de eo notanter asserit, quod in morte *appositus fuerit ad populum suum*, Gen. 49, v. 32. 3. *Messiae exspectatio.* Augustinus q. 161. in Genes.: *Ubi sepelienda erant quaeso corpora patriarcharum depositionem peccatorum significantia, nisi in ea terra, ubi ille crucifixus est, cujus sanguine est facta remissio peccatorum? mortibus enim patriarcharum peccata hominum figurata sunt. Dicunt autem, ab eo loco, quod Abrahamium vocatur, ubi sunt illa corpora, abesse locum, ubi crucifixus est Dominus, fere triginta miliaribus, ut etiam ipse numerus significari intelligatur, quia in baptismo apparuit ferme triginta annorum etc.* 4. *Sperata cum Christo*
XVII. 130. *resuscitatio.* Lyranus existimat, Jacobum in spiritu praevidisse, Christum in terra Canaan non tantum nasciturum, passurum, moriturum ac resurrecturum, sed etiam multos ex mortuis una cum ipso resuscitandos, ac sperasse, se in illorum numero futurum. Matth. 27, v. 52. Rupertus addit causam allegoricam: *Jacob exemplum vivis dedit mortuus, ut in spe patriae coelestis pignus amarent aeternae hereditatis*, hoc est Jacobus voluit, sepulcrum suum posteris in terra Canaan habitaturis esse μνημεῖον fidei, pietatis, virtutis ad coelestem patriam, cujus typus erat Canaan, adspirantis et anhelantis.

2. 1. Reg. 13. et Dan. 6. Irrationales creaturae sanctorum corporibus pepercerunt.

116. 2. *Irrationales creaturae sanctorum corporibus pepercisse leguntur, ut prophetae inobedientis*, 1. Regum 13, v. 24. *Danielis* cap. 6, v. 22. Hoc argumento utitur Costerus in enchirid. c. 15. Respondemus: 1. nemo nostrum dicit, quod corpora sanctorum sint contumeliose ac inhoneste tractanda, vel in ea saeviendum, sed honorifice ea tractanda esse asserimus. 2. At ex honore, qui corporibus sanctorum olim praestitus vel adhuc praestari debet, inferri nequit specialis ille honor in religiosa veneratione reliquiarum consistens. 3. Miraculo divino factum, ut leo prophetam occideret, non tamen corpus ejus devoraret, interim diserte dicitur, quod *illud confregerit* v. 26. 4. Danieli adhuc vivo pepercerunt leones, nos hic quaerimus de reliquiis defunctorum, est igitur argumentum a quaestione alienum. 3. Sirac. 46, v. 14. c. 49, v. 12. de sanctis dicitur, *ossa eorum pullulent de loco suo*. Respondemus: memoriam sanctorum Siracides reverenter ibidem celebrat, nequaquam vero addit, ossa eorum esse eruenda, ad cultum in sublimi locanda, religiose adoranda, sed relinquit ea in sepulcris ac propter spem beatae resurrectionis de illis dicit, *quod pullulent seu reviresc ant de loco suo*, quae phrasis desumta est ex Esa. 66, v. 14: *Ossa vestra tanquam gramen germinabunt.*

3. Sir. 46: Ossa eorum pullulent de loco suo.

Invertimus igitur argumentum. Ossa sanctorum pullulabunt *de loco suo*. Ergo in sepulcris usque ad diem gloriosae resurrectionis sunt relinquenda. 4. *Super Stephanum fecerunt planctum magnum* Act. 8, v. 2. Hunc locum pro veneratione reliquiarum adducunt Jesuitae Moguntinenses in disp. de reliquiis anno 1605. habita. Respondemus: at quis non videt, quantum intersit inter planctum in funere ex humanae miseriae consideratione et cultum reliquiarum ex superstitione?

4. Act. 8: Super Stephanum fecerunt planctum magnum.

117. Secundum argumentum petit Bellarminus ex *conciliis* ac tertium ex *patribus*. Respondemus: 1. Scriptura sacra est cultuum Deo placentium unica norma ac regula, quae ob id etiam *canonica* appellatur. 2. In primitiva et antiquissima ecclesia apostolicis temporibus vicina cultum ejusmodi reliquiarum, qualis in papatu hodie viget, usitatum fuisse nunquam demonstrari poterit. 3. Conventus ecclesiastici in illis locis, ubi insignium martyrum reliquiae humatae erant, primitus instituti fuerunt non ob religiosum ipsarum reliquiarum cultum, sed tum *ad memoriam eorum, qui ante certarunt, tum ad futurorum exercitationem ac praeparationem*, ut loquitur ecclesia Smyrnensis ep. de martyr. Polyc. apud Eusebium lib. 4. c. 15. hoc est ut superstites exemplo martyrum ad fortiter suscipienda et constanter perferenda pro Christi nomine supplicia incitarentur. 4. *Translationes* reliquiarum tempore Constantini Magni in ecclesia primum frequentari coeptae non statim cum superstitioso illo cultu, qui Pontificiis hodie usitatus est, conjunctae fuerunt, sed susceptae sunt propter commonefactionem de spe futurae resurrectionis et glorificationis. Itemque propter excitationem ad imitandas sanctorum virtutes, fidem, patientiam, constantiam etc. Chrysostomus serm. in Babylam: *Post sermonis facultatem ipsa certe sanctorum sepulcra proximum locum* XVII. 131.
*obtinent ad animos hominum in ipsos sanctos intuentium ad virtutum earundem aemulationem excitandos.* 5. Nicephorus lib. 3. hist. c. 19. de ossibus Ignatii martyris scribit, quod *longo post ipsius obitum tempore* Roma Antiochiam sint translata, fatetur igitur, in antiquissima ecclesia translationem illam nondum fuisse receptam, multo igitur minus superstitiosam venerationem. 6. Theodor. dial. 3. recte scribit: *Non ego dogmatum et decretorum regulam ea duco, quae in ecclesia panegyrice ac declamatorie dicuntur.* 7. Nec ea, quae patres temporibus suis liberius indulserunt, regulam cultus constituere possunt. Augustinus in epist. 119. *propter vitanda nonnullarum vel sanctarum, vel turbulentarum personarum scandala se liberius quaedam non improbare* scribit. Idem lib. 2. de civ. Dei c. 8: *Quidam terram sanctam Hierosolymis allatam in cubiculo suo suspenderat, ne quid mali etiam ipse pateretur, cum maligni spiritus domum infestarent. Cumque domus ab illa infestatione purgata esset, cogitavit, quid de terra illa fieret, quam diutius in cubiculo suo reverentiae causa habere nolebat. Accersivit episcopos proximos,*

2. Ex conciliis, et 3. ex patribus.

*petivit, ut terra illa alicubi infoderetur atque ibi orationum locus fieret. Non restitimus, factum est.* 8. Concilium Nicenum II. confirmavit εἰκονολατρείαν, quid mirum, quod etiam confirmaverit σκελετολατρείαν? derogatum autem illi fuit per concilium Francofurtense. 9. Gangrense concilium non confirmat religiosum reliquiarum cultum, sed damnat eos, qui *memorias martyrum*, hoc est loca, ubi sunt martyrum reliquiae, *exsecrantur*. Sic enim habent verba canonis: *Si quis per superbiam, tanquam perfectum se existimans, conventus, qui ad memorias martyrum fiunt, abominatur et ministeria, quae in eis fiunt, simul cum eorum memoriis exsecratur, anathema sit.* Ut enim ex praefatione illius concilii intelligitur, quidam privata conventicula in aedibus celebrabant et loca sanctorum martyrum contemnebant et eos, qui illic conveniunt, reprehendebant. 10. Idem judicium esto de illis conciliorum decretis et patrum dictis, in quibus reliquiae sanctorum dicuntur *honorandae*, *non contemnendae*, *non immundae ducendae*, *non in sterquilinium projiciendae* etc. at ex his omnibus nondum inferri potest, quod religioso cultu honorandae sint, proinde sunt a proposita quaestione aliena.

4. Ex miraculis ad reliquias factis. 118. Quartum argumentum producit Bellarminus *ex miraculis ad reliquias factis, quae non fierent, si Deo cultus reliquiarum non placeret.* Quintum petit *ex miraculis, quae saepe in ipsis mortuis corporibus cernuntur, per quae Deus apertissime nos ad eorum venerationem quasi invitare videtur.*

5. Ex miraculis in corporibus sanctorum.

Respondemus: 1. miracula illa non sunt facta ad confirmandum cultum praeter et extra verbum institutum, sed ad testificandam et confirmandam illam fidem Christi, pro cujus confessione martyres sanguinem suum fuderunt. 2. 2. Reg. 13, v. 21. commemoratur, quod mortuus in sepulcrum Elisaei projectus, cum ejus ossa tangeret, divino miraculo revixerit, neque tamen ibidem additur, quod ossa illa religioso cultu fuerint honorata. 3. De miraculis illis Augustinus lib. 22. de civ. Dei c. 8. merito pronuntiat, *quod non tanta ea commendet auctoritas, ut sine difficultate vel dubitatione credantur, quamvis Christianis fidelibus a fidelibus indicentur.* 4. Ecquis enim fide prorsus indubitata amplectetur ea, quae Nicephorus et alii recentiores de miraculis in reliquiis ac per reliquias editis referunt? De translatione reliquiarum Chrysostomi scribunt, *eas primo non potuisse moveri, Theodosium vero scripsisse epistolam ad Chrysostomum, quae cum posita esset super ipsius pectus, motum fuisse tumulum, et corpus Chrysostomi ante annos 35 mortui, cum in throno episcopali collocatum fuisset, dixisse, pax vobis.* De corpore S. Andreae referunt, *quod liquor mirificus ex eo perpetuo fundatur.* De S. Agnete Bellarminus hoc loco narrat, *quod cum ad corpus ejus visendum et venerandum*
XVII. 132. *Catharina Senensis accessisset, pluvia coelestis roris instar mannae supra utramque divinitus descenderit, ac quod suavissimus liquor instar balsami ex eo corpore manare coeperit, cum Politiani de eo aromatibus condiendo cogitarent.* Baronius ad ann. 805. num. 5. memorat, *ursum ab imperatore Carolo in venatione fugatum ad lipsana sacrae virginis Morsellam in templo Salvatoris decurrisse ac refugium sibi apud ea quaesivisse.* Similia miracula referuntur in historia Lombardica, disciplo de tempore et aliis hujus furfuris scriptoribus nugivendulis.

6. Ex revelatione sanctorum corporum. 119. Sextum argumentum desumit *ex inventione et revelatione sanctorum corporum divinitus facta. Si enim cultus reliquiarum Deo non placeret, cur ipse servis suis corpora sanctorum, quae latebant, ostenderet?* Respondemus: 1. Deus ipse prohibuit, ne ex revelationibus instituerentur novi cultus in ecclesia. Deut. 13, v. 1: *Si surrexerit in medio tui propheta vel somnians somnium et dederit tibi signum vel portentum*, v. 2. *et venerit signum et portentum, quod locutus est tibi dicens: Eamus post deos alienos, quos non nosti, et serviamus eis;* v. 3. *non obedies verbis prophetae illius vel somniantis somnium* etc. Esa. 8, v. 19: *Cum dixerint ad vos: Quaerite a pythonibus et a divinis, qui garriunt et loquuntur: Itane populus hic Deum suum requiret pro vivis requirendo mortuos?* v. 20. *Ad legem et testimonium, si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux.* Luc. 16, v. 29: *Habent Moysen et prophetas, audiant illos.* Gal. 1, v. 8: *Licet nos aut angelus de coelo evangelizet vobis praeter id, quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* 2. Ex his dictis desumta est regula Gersonis: *Suspecta est omnis revelatio, quam non probat lex cum evangelio.* 3. In concilio Carthaginensi V. c. 14. conqueruntur patres, *per somnia* XVII. 133.
*et inanes quasi revelationes ubique constitui altaria tanquam memorias martyrum*, et decernunt, *evertenda esse altaria, ubi non certae martyrum reliquiae conditae fidelissima origine probantur.* 4. Ex inventione et revelatione sanctorum corporum non potest inferri religiosus eorum cultus, sed legitimus duntaxat eorundem honor. Est igitur in argumento fallacia consequentis et finis. 5. Ambrosii epistola, quae in tomis Surii refertur *de revelatione corporum Gervasii et Protasii*, est supposititia, cum in operibus Ambrosii non habeatur. Adde, quod in illis epistolis, quae in Ambrosii tom. 3. habentur, multae sint supposititiae, fatente Baronio tom. 3. annalium ann. 388. num. 7. et ipsomet Bellarmino in lib. de scriptoribus eccl. in c. de Ambros. ac lib. 2. de bon. operib. in particul. c. 15. Idem judicium esto *de epistola Luciani*, in qua significat sibi divinitus revelata corpora sanctorum Stephani, Nicodemi et aliorum, quae exstat apud Lipoman. et Surium die 3. Augusti, ut apud Baronium ann. 415. num. 6. Beda enim in lib. de sex aetatibus, Sigebertus et alii, anno Honorii septimo revelationem illam factam asserunt, Nicetas de martyrio et invent. S. Stephani eandem inventionem ad tempora Constantini, sed Lucianus ad ann. Honorii decimum eam refert. Augustini serm.

91. in quo revelationis illius mentio fit, itidem suppositius est, quod agnoscit ipse Baronius ann. 382. num. 25. ubi scribit, *totum illud corpus sermonum esse supposititium.* Certe phrasis eorum est inepta, impropria, lutulenta et a charactere Augustini plurimum discrepans. Et quid multis? ipsa epistola Luciani satis sese prodit, quod sit supposititia, sic enim in ea loqui introducitur Gamaliel: *Qui mecum in parte monumenti orientali jacet, ipse est dominus Stephanus, qui lapidatus est a Judaeis foris portam, quae est ad aquilonem, qui dicitur ad Cedar, ubi jacuit projectus die ac nocte, ut sepulturae non traderetur, secundum mandatum impiorum principum, ut a feris consumeretur. Ex Domini autem voluntate non tetigit eum ex his non fera bestia, non avis, non canis. Ego Gamaliel compatiens Christi ministro festinavi habere mercedem in Domino et partem cum sancto viro fidei, misi per noctem quantos poteram religiosos Christianos et persuasi illis ire occulte, ut portarent corpus ejus meo vehiculo in villam meam, hoc est Caphargamala, viginti millia habens a civitate, et ibi posui eum in monumento meo novo* etc. Atqui Lucas Act. 8, v. 2. nullam facit mentionem illius crudelitatis hostilis, quod noluerunt corpus Stephani sepulturae tradi, nec miraculi illius, quod corpus sub dio projectum nulla fera attingere voluerit, nec translationis illius, quod ex Hierosolyma in villam viginti millibus passuum ab urbe distantem corpus Stephani fuerit devectum, sed simpliciter dicit: *Curaverunt Stephanum viri religiosi.* De Abibo filio suo Gamaliel dicit, *quod immaculatus ex utero matris suae e mundo excesserit*, cum Scriptura testetur, neminem ex utero matris immaculatum nasci, sed peccati contagium secum afferre. Johannes ad Lucianum sic locutus introducitur: *Si haec sic se habent, ut dicis, et Dominus tibi revelavit temporibus nostris, oportet me colligere de possessione illa bovem illum maximum aratorem, qui et carro efferato aptus sit, et dimittere tibi possessionem cum omnibus ceteris.* At quis non videt, sordidam illam phraseologian indicio esse, quod in monachorum claustris haec epistola sit consuta? Apud Theodorum lectorem sub Theodosio juniore Stephani integrae reliquiae scribuntur Hierosolymis Constantinopolin translatae, et apud Augustinum lib. 21. de civ. Dei c. 8. reliquiae Stephani in aliquot locis Africae dicuntur exstitisse, quae cum epistola illa Luciani vix poterunt conciliari.

7. Ex translatione reliquiarum.

120. Septimum argumentum petit *ex translatione reliquiarum de uno loco in alium. Nec enim negari potest, quin ad honorem pertineant sacrorum ossium translationes.* Respondemus: 1. translatio reliquiarum non probat religiosum earum cultum, sed honorem legitimum ac debitum. Josephi ossa
XVII. 134. ex Aegypto in Palaestinam sunt translata, sed ad religiosam venerationem nequaquam fuere populo proposita, verum terrae ad sepulturam illata. 2. De translatione reliquiarum propter cultum instituta, nullum exstat in divinis mandatum, nullum probatum exemplum, nulla promissio, est igitur ἐθελοθρησκεία ac superstitio. 3. Nicephorus libr. 3. histor. eccles. c. 19. de Ignatio memorat, quod ossa ejus solidiora *longo tempore post ejus martyrium* Roma Antiochiam sint delata, fatetur igitur, se ignorare tempus, quo translationes illae reliquiarum ex uno loco in alium coeperint. Illud certum est, quod in ecclesia primitiva apostolicae vicina usu receptae nondum fuerint.

8. Ex repositione earundem sub altaribus.

121. Octavum argumentum desumit ex eo, *quod reliquiae sub altaribus reconduntur, quod ad ipsarum honorem pertinet.* Respondemus: 1. Si reliquiae sub altaribus sunt recondendae, ergo non sunt ad religiosam venerationem circumgestandae, ac populo Christiano ad exosculandum opis impetrandae causa proponendae. 2. Tempore Ambrosii nondum usitatum erat, reliquias martyrum *supra summum altare* collocari, sicut hodie in papatu fit, illum enim locum Christo ut hostiae pro peccatis totius mundi oblatae deberi existimabant, sed *sub altari*, ut qui *Christi redemti sint passione*, inquit Ambrosius lib. 1. epist. 85. ubi addit, *hunc ego locum praedestinaveram mihi, dignum est enim, ut ibi requiescat sacerdos, ubi offerre consuevit, sed cedo locum martyribus.* Et quia preces communes seu publicae fiebant in administratione eucharistiae, ideo Julianus apud Cyrillum dicit lib. 6. et 10. *Christianos apud sepulcra martyrum invocasse Dominum.* 3. Repositio reliquiarum sub altaribus tempore Constantini demum coepit sine Scripturae mandato et sine praecedentis antiquitatis exemplo, quae initio quidem zelo pietatis suscepta est, propter spem resurrectionis et glorificationis illarum reliquiarum, quae in vita fuerunt templa Dei et organa Spiritus sancti resuscitanda ad vitam aeternam, et propter exhortationem ad imitationem fidei, patientiae, constantiae et aliarum virtutum in martyribus. Ut enim tempore apostolorum ad significandam spem resurrectionis actio baptismi alicubi super mortuos sive *super sepulcra* administrabatur 1. Cor. 15, v. 29. sic eucharistia administrari potuit super corpora martyrum et oratio ad Deum fundi apud sepulcra martyrum in illa fide Christi, pro qua martyres mortui erant; sed progressu temporis huic translationi et repositioni reliquiarum sub altari superstitiones adhaerescere coeperunt. 4. Ridiculum est, quod Bellarminus ex Apoc. 6. probare conatur, consuetudinem illam reliquias sub altari reponendi apostolorum tempore coepisse, quia enim in coelo animae martyrum *sub altari* ostenduntur, ex eo colligit, *corpora eorum in terris sub altaribus requiescere.* Quasi vero Christiani tempore apostolorum habuerint templa, basilicas, altaria, baptisteria etc. Bellarminus lib. 3. de Roman. pontif. c. 13: *Apostoli non habuerunt tunc ulla templa, sed in privatis domibus loca quaedam destinabant orationi, concioni et sacris missarum celebrationibus.* Confer Polyd. Virgilium libro 5. de rer. invent. c. 6. At si non habuerunt templa, utique nec altaria. Ori-

genes lib. 8. contr. Cels. tom. 2. refert, ipsum Christianis objecisse, *quod aris templisque careant*, et addit, *non videns nobis pro aris esse mentem suam cuique, ex qua sursum ferantur vere ac intelligibiliter suaveolentes suffitus, preces e pura conscientia* etc. Caecilius apud Minutium exprobrat Octavio Christiano, *an nullas aras, nulla templa Christiani habeant*, cui Octavius sic respondet: *Putatis, nos occultare, quod colimus, si delubra et aras non habemus.* At si altaria tum temporis habuissent, ad objectum a gentilibus crimen per ocularem altarium suorum ostensionem facillime respondere potuissent. Plura in hanc rem ex veteribus adducta videri possunt apud Mornaeum lib. 2. de euchar. c. 1. et Hospinianum lib. 2. de templis c. 6. cum quibus confer Meisnerum part. 2. phil. sobriae c. 1. sect. 1. q. 19. Quod attinet locum
XVII. 135. Apoc. 6, v. 9. in eo non intelligitur altare aliquod terrenum, *sed coelcste ac mysticum*, sedes scilicet aeternae beatitudinis, quae in forma altaris splendidissimi oculis apostoli fuit objecta Hoë tom. 2. comment. in Apoc. p. 422. 5. Repositio reliquiarum sub altari honorem quidem probat, sed non religiosum, vel potius superstitiosum cultum.

9. Ex usu cereorum et lampadum.

122. Nonum argumentum petit *ex usu cereorum et lampadum, quibus honorantur sacrae reliquiae.* Respondemus: 1. accensio cereorum circa corpora defunctorum vel reliquias sanctorum alium potuit habere finem, quam cultum religiosum. 2. originem vero duxit ex κακοζηλίᾳ gentilium rituum, non ex Dei mandato vel apostolicae ecclesiae exemplo, unde Polydorus ex Dionysio ostendit, oblationem cereorum fuisse partem cultus gentilitii. Confer Tertullianum in apol. c. 35. Lactantium lib. 6. instit. c. 62. Nazianzenum orat. 2. in Julian. Beat. Rhenanum in lib. 5. Tertullian contr. Marcion. 3. concilium Elibertinum can. 34. huic superstitioni, qua claro die sole rutilante cereos ante martyrum tumulos mulierculae accendebant, occurrere voluit sic statuens: *Cereos per diem placuit in coemeterio non accendi, inquietandi enim sanctorum spiritus non sunt. Qui haec non observaverint, arceantur ab ecclesiae communione.* 4. Hieronymus Vigilantio illam cereorum accensionem taxanti responsurus, cum negare non posset, ex gentilium ritu eam ortam esse, sic excusat: *Cereos non clara luce accendimus, sicut frustra calumniaris; sed ut noctis tenebras hoc solatio temperemus et vigilemus ad lumen, ne coeci dormiamus in tenebris. Quodsi aliqui per imperitiam et simplicitatem secularium hominum vel certe religiosarum feminarum, de quibus vere possumus dicere, zelum Dei habent, sed non secundum scientiam, hoc pro honore martyrum faciunt, quid inde petis? Neque enim Christus indigebat unguento, neque martyres lumine cereorum, et tamen illa mulier in honorem Christi hoc fecit, devotioque mentis ejus recipitur, et quicunque accendunt cereos, secundum fidem suam habent mercedem suam, dicente apostolo: Unusquisque in sensu suo abundet.* Sed quilibet videt, magnam differentiam esse inter unctionem mulieris ἐνταφιασμοῦ ergo occulto Spiritus sancti instinctu susceptam et inter accensionem cereorum ex superstitione ortam, ac dicti apostolici sensum longe alium esse, quam quod opus quodlibet bona intentione factum suam habeat mercedem.

10. Ex ratione ducta ab utili et honesto.

123. Decimum argumentum constat *ratione ducta ab utili et honesto.* Ratio ducta *ab utili* est apud Chrysostomum in lib. de Babyla martyre: *Deus enim nihil fere utilius ad salutem nobis reliquit sanctorum reliquiis, nihil enim efficacius repraesentat et infigit in animo memoriam sanctorum quam sepulcrum eorum, statim enim atque videmus sepulcrum alicujus sancti, recordamur illius et virtutum ejus, patientiae, caritatis, castitatis, et simul cogitamus, quanta gloria fruatur in coelis* Ratio ducta ab honesto multiplex est. *Primo enim corpora sanctorum fuerunt organa animarum ad omne opus bonum; 2. fuerunt et sunt instrumenta Dei ad miracula; 3. sunt pignora patronorum; 4. sunt exuviae carissimorum; 5. sunt trophaea triumphantium; 6. designata sunt ad gloriam incredibilem.* Respondemus: 1. Haec omnia nondum probant religiosum cultum reliquiarum, sed debitum duntaxat honorem. 2. Honor corporibus sanctorum debitus non aestimandus est ex nostrae rationis praedicamentis, sed ex divinae Scripturae tabulis. 3. Dictum Chrysostomi, *quod nihil utilius ad salutem nobis relictum sit reliquiis sanctorum*, pertinet ad regulam a Sixto Senensi traditam lib. 6. Bibl. annot. 152: *Concionatorum verba non semper eo rigore accipienda sunt, quo primum ad aures auditorum perveniant, multa enim per hyperbolen crebro enuntiant et inculcant vel occasione locorum, personarum, temporum adducti, vel affectionum impetu vel orationis cursu rapti, et hoc interdum* XVII. 136.
*Chrysostomo contingere concludit.* 4. Si *nihil efficacius* repraesentat et infigit in animo memoriam sanctorum quam sepulcrum ipsorum (quod ex eo etiam μνημεῖον, quasi dicas monitorium, est dictum), utique exuviae sanctorum sepulcro inferendae et ossa eorum in sepulcro relinquenda, non autem e sepulcris eruenda et ad cultum in loco sublimi proponenda. 5. Corpora sanctorum ut *pignora patronorum* religiose honoranda esse Scriptura non solum nuspiam dicit, sed etiam contradicit.

Qu. 7. Quid de peregrinationibus ad loca sancta statuendum.

124. Quaeritur 7. *Quid de peregrinationibus ad sepulcrum Domini, sepulcra martyrum et aliorum sanctorum religionis causa institutis sentiendum sit?* Pontificii illis plurimum tribuunt. Concilium Tridentinum sess. 25. peregrinationes illas *pias et religiosas* esse docet. Stapleton. in prompt. cath. Dom. 2. advent.: *Sanctorum defunctorum monumenta, memorias, reliquias visitare, ad ea peregrinari pium ac laudabile in ecclesia Christi semper existimatum est.* Et postea: *Veteres Christiani ad loca sanctorum peregrinari, sanctorum monumenta pie ac religiose visitare soliti sunt, ut hoc genus pietatis, nec recens aliqua superstitio, nec inanis devotio, sed et antiquissimus et gravissimus Dei*

*cultus merito censeri debeat.* Bellarminus libr. 3. de cultu sanctorum c. 8. utilitates istarum peregrinationum revocat ad tria capita: *Primo cedunt in honorem Dei et sanctorum non mediocrem; est enim manifestum signum, Deum et sanctos a nobis magni fieri, cum laborem et pericula itinerum sponte suscipimus, ut sanctorum reliquias invisamus. Secundo est opus poenitentiae et satisfactionis, quia laboriosum et poenale. Tertio auget devotionem. Nam praesentia loci sancti vix dici potest, quantum incutiat horrorem, quantam excitet reverentiam, et licet ubique sint loca aliqua sancta, tamen saepe alicubi sunt aliqua loca sanctiora, ad quae utile est peregrinari, vel si non sunt sanctiora, sunt tamen alia ab his, quae in nostra patria inveniuntur, et ipsa novitas juvat ad excitandam devotionem.* Olaus Magnus archiepiscopus Upsaliensis in Suecia lib. 16. de septentrion. gentibus c. 10. refert, quod ex devotione vel voto volentibus peregre proficisci ad Jerusalem aut Compostellam vel almam urbem seu alia loca, prout multi illustrissimi reges et feminae olim profecti sint, praesul vel sacerdos super eos et sacculum ac baculum modo sequenti stans benedicere solitus fuerit: *Domine Jesu Christe, conditor mundi et redemtor, qui apostolis tuis praecepisti, ut euntes in peregrinationem virgas tantum sumerent, te supplici devotione petimus, ut digneris hos sacculos et fustes seu baculos benedicere, quatenus hi, qui illos in signum peregrinationis et sui corporis sustentationem recepturi sunt, tuae coelestis gratiae recipiant plenitudinem, ut in eis munimen tuae benedictionis percipere possint, ut quemadmodum virga Aaron in templo Domini florens a rebellium Judaeorum numero ipsius stirpem distinxit; ita et hos signaculo S. Petri ornatos ab omnibus peccatis absolvas, quod in die judicii ab impiis separati in dextra sint parte collocandi, per Dominum nostrum Jesum Christum, Amen.* Peregrinationibus *satisfactiones publicas* peccatoribus impositas fuisse redemtas seu commutatas, constat ex caus. 33. q. 1.

125. Nos nec peregrinationes *politicas* propter salutem reipublicae vel commodum oeconomiae susceptas, nec *ecclesiasticas* divinitus mandatas, qualis fuit profectio Israëlitarum ad locum cultus divinitus electum Deut. 16, v. 16. nec *spirituales*, quae in separatione a falsitate doctrinae et improbitate vitae consistunt 2. Cor. 6, v. 7. Apoc. 14, v. 4. nec *necessarias* in exsiliis tempore persecutionum patienter susceptis, nec *salutares et utiles* secessiones ad loca, in quibus purum religionis exercitium viget ac vivos sanctos audire et quippiam boni addiscere licet, improbamus, sed potius commendamus; *Pontificias* autem peregrinationes
137. opinione singularis cultus, satisfactionis ac meriti ad sepulcra ac loca sanctorum susceptas toto pectore repudiamus, quia sunt 1. *superstitiosae,* quod sic demonstramus. Quodcunque *praeter et extra verbum* opinione singularis alicujus cultus suscipitur, illud superstitiosum merito censetur. Ratio pendet ex *legis divinae perfectione*, ex *ἐθελοθρησκειῶν prohibitione et ex cultus divini ratione,* neque enim legis perfectio, nec electitiorum cultuum prohibitio, nec cultus Deo grati ratio permittit, ut ex proprio arbitrio praeter et extra verbum bona intentione novus aliquis cultus vel publice instituatur, vel privatim suscipiatur, ut alibi latius demonstratur. Atqui peregrinationes Pontificiae praeter et extra verbum opinione singularis alicujus cultus suscipiuntur. Ergo. Quod *opinione cultus* eas suscipiant, patet ex ipsis verbis Stapletoni et Bellarmini; quod hic cultus destituatur expresso Dei verbo ac mandato, patebit ex discussione eorum, quae pro stabiliendis religiosis suis peregrinationibus ex Scriptura Pontificii adducunt. Excipit Bellarminus d. l. *cultum voluntarium dici eum, qui sine ratione suscipitur, ut si quis voveat, se non iturum ad mensam, nisi bis laverit manus. At cultus, qui exhibetur Deo per actus virtutum, non dicitur voluntarius, licet non sit praeceptus, ut patet* num. 39. *ubi Dominus jubet, impleri vota rerum non praeceptarum.* Respondemus: 1. est ambiguitas in vocabulo *voluntarii*, vel enim opponitur *coacto et invito*, vel *divinitus mandato ac praescripto.* Si in priore significatione accipiatur, nihil aliud notat quam cultum spontaneum, qui ex libero spiritu et promta voluntate proficiscitur, ut interim conformis sit regulae in verbo praescriptae. Talem cultum Deus omnino a fidelibus requirit ac gratum habet. Psalm. 110, v. 3: *Populus tuus spontaneus offeret tibi a victoria tua in decore sancto.* Exod. 35, v. 5: *Omnis voluntarius et prono animo offerat eas oblationes Domino.* 1. Paral. 28, v. 9: *Servi Deo corde perfecto et animo voluntario.* Psalm. 119, v. 108: *Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine.* Eodem sensu accipitur Ezech. 46, v. 12. Amos 4, v. 5. 2. Cor. 8, v. 3. Philem. v. 15. Si in posteriore significatione accipitur, significat cultum proprio arbitrio et ausu praeter et extra verbum excogitatum. Talem cultum Deus reprobat ac damnat. 2. Quidquid opinione cultus sine expresso Dei mandato suscipitur, illud *sine ratione* suscipitur, quia norma divini cultus est solum atque unice Dei verbum, non humana ratio per peccatum corrupta, unde legis peritus *νουνεχῶς, rationabiliter*, respondisse dicitur Marc. 12, v. 34. cum ex lege Dei de norma bonorum operum ac cultus divini respondisset, ac Paulus *λογικὴν λατρείαν, rationalem cultum*, a Christianis requirens Rom. 12, v. 1. cap. 13, v. 9. ad legem unice nos revocat. 3. De spontaneis oblationibus in ipsa lege divina exstant certae ordinationes, quod fieri possint, quo modo et quo in loco fieri debeant, ut patet ex Lev. 7, v. 16. c. 22, v. 18. Num. 15, v. 3. Deut. 12, v. 11. ergo illae non fuerunt opera sine testimonio verbi divini.

126. *2. Sunt supervacuae, frustraneae et otiosae,* 2. Supervacuae et otiosae.
id quod sic demonstramus. 1. Quidquid opinione cultus susceptum destituitur divino mandato, divino promisso ac probato exemplo, illud est supervacuum,

frustraneum et otiosum. Esa. 29, v. 13. Matth. 15, v. 9: *Frustra colunt me docentes doctrinas, mandata hominum.* Esa. 1, v. 12: *Quis haec requisivit de manibus vestris?* Zach. 7, v. 5: *Cum jejunaretis et plangeretis in quinto et septimo mense per hos septuaginta annos, numquid jejunium jejunastis mihi?* etc. Jam vero peregrinationes Pontificiae opinione cultus suscipiuntur atque interim destituuntur divino mandato, divino promisso et probato Scripturae exemplo. Prius notum est ex hypothesi Pontificiorum. Posterius patebit ex sequentibus, hic notamus unicum illud, quod Egesippus lib. 4. de excid. urbis c. 23. et Josephus lib. 2. de bell. Judaic. c. 7. referunt, sexto ab urbe Hebrona stadio cerni arborem maximam terebinthum, *quae*
XVII. 138. *ab initio mundi conditi usque ad illorum scriptorum tempora duraverit.* Sed nuspiam legitur, quod patriarchae vel ad istam adeo antiquam Deique hospitio nobilem terebinthum, vel ad alia divinae patefactionis loca cultus ergo peregrinationes susceperint, aut eo proficiscentibus indulgentias peccatorum polliciti fuerint. 2. Peregrinationes illae suscipiuntur aut propter *ardentiorem in precibus attentionem*, aut propter *justitiae consecutionem.* Atqui utrumque sine sumptuosis et laboriosis illis peregrinationibus obtineri potest. Prius patet ex eo, quod Salvator noster docet, in *cubiculo* preces efficaces et Deo gratas concipi posse, Matth. 6, v. 6. Ambrosius lib. 6. de sacram. c. 3. tom. 4. p. 445: *Potes ubique orare et in cubiculo tuo semper orare. Habes ubique cubiculum tuum. Etsi inter gentes, inter Judaeos positus sis, habes tamen tuum ubique secretum. Cubiculum tuum mens tua est. In populo licet positus, tamen in interiore homine arcanum secretumque tuum conservas.* Augustinus in enarr. Psalm. 33. conc. 3: *Cum intras in cor tuum, intras in cubiculum tuum.* Ac quamvis olim in V. T. coram arca propitiatorii Israëlitae orare jussi fuerint, tamen in N. T. preces nostras quovis loco esse Deo gratas et ratas, modo *in spiritu et veritate* fiant, idem Salvator noster docet Joh. 4, v. 21. 23. cum quo consentit illud apostolicum 1. Tim. 2, v. 8: *Volo, viros orare in omni loco.* Posterius constat ex loco Paulino Rom. 10, v. 6: *Quae ex fide est justitia, sic dicit: Ne dixeris in corde tuo, quis adscendet in coelum? hoc est Christum ex alto deducere;* v. 7. *aut quis descendit in abyssum? hoc est Christum ex mortuis reducere.* v. 8. *Sed quid dicit Scriptura? prope te est verbum in ore tuo, hoc est verbum fidei, quod praedicamus.* Docet apostolus, ad justitiam, quae coram Deo valet, consequendam non esse opus adscensu in coelum, vel descensu in abyssum, cum eadem in doctrina evangelii, quae omnibus hominibus ubique praedicatur, credentibus offeratur et applicetur. 3. Si Deus ubique dilectis filiis suis gratia et auxilio suo praesto est ac Christus dilectis suis fratribus gratiosam praesentiam sine ullo alicujus loci respectu promisit, consequens est, peregrinationes impetrandae divinae gratiae et gratiosae praesentiae causa susceptas esse supervacuas et non necessarias. Sed verum prius, Esa. 43, v. 2. Jerem. 23, v. 23. Matth. 18, v. 20. c. 28. vers. 20. Ergo et posterius.

127. 3. Sunt multis modis *perniciosae*, *1. in re* 3. Perniciosae.
*familiari*, quae peregrinationibus illis non necessariis et expensis inutilibus diminuitur, cum tamen nec poenam, nec culpam pecuniae in peregrinationes illas impensae profusione redimere possimus, Psalm. 49, v. 8. 1. Petr. 1, v. 18. *2. In re existimationis ac famae.* Tales ἀπόδημοι, praesertim feminae, temere sine urgente necessitate ac causa in discrimen castitatis sese conjiciunt, jam vero *qui periculum amat, peribit in eo*, Sirac. 3, v. 27. Vincentius, qui floruit circa annum 1459. in sermon. de assumt. Beat. Virgin.: *Homines et mulieres peregrinando frangunt sibi collum et efficiuntur pejores, quia aliquando vadunt castae et redeunt meretrices, ideo spiritualiter fiat peregrinatio, sicut dicit Paulus: Spiritu vivimus et spiritu ambulemus.* Adde, quod tales ἀπόδημοι pontificis, cardinalium et episcoporum ludibrio sese exponant, si viderint illi, simplices homines fictarum indulgentiarum vel superstitiosae devotionis gratia tot itinerum devorare molestias ac tot pecuniis pro thesauro carbones redimere. *3. In re valetudinis.* Longinquae illae peregrinationes non sine valetudinis dispendio, praesertim a feminis et pueris suscipiuntur, ut experientiae testimonio constat. *4. In re vitae corporalis.* Qui peregrinationes ad sepulcrum Domini hodie suscipiunt, praesentissimo vitae periculo a latrunculis Arabiae metuendo sese exponunt. Sigebertus in chronico anno 1065: *Multi usque ad septem millia orandi voto Hierosolymam petentes ab Arabicis in parasceve in quodam castello obsessi sunt et tot occisi aut vulnerati, ut de septem et eo amplius millibus vix duo millia reversa sint.*
Ludovicus Camerarius in appendice ad tractatum XVII.
Johannis Maierii de different. schismat. memorat, circa annum Christi 1214. instinctu clericorum congregata fuisse in Germania *ad viginti millia puerorum*, qui dicerent, *se terram sanctam recuperaturos juxta hoc: Ex ore infantium et lactentium perfecisti tibi laudem,* qui cum cruce insigniti ad mare pervenissent, a praedonibus partim in mare demersi, partim Saracenis venditi sunt. *5. In re salutis.* Qui indulgentiarum gratia vel Hierosolymam ad sepulcrum Domini, vel Romam ad cineres Petri et Pauli, vel ad alia sanctorum loca proficiscuntur, non acquiescunt in Christi satisfactione ac merito, sed derelicto illo salutis fonte quaerunt sibi *cisternas, quae non continent aquas* Jerem. 2, v. 13. obtingit ergo illis, quod Deus minatur Psalm. 16, v. 4: *Qui alienum sequuntur, cordis angustias sentient.*

128. *4. In Christi meritum contumeliosae.* Peregrinationibus illis tribuitur a Pontificiis vis satisfaciendi pro peccatis et promerendi gratiam Dei et spiritualia beneficia, ut constat. Id vero in Christi meritum injurium est ac contumeliosum, ipse enim 4. In Christi meritum contumeliosae.

*torcular calcavit solus* Esa. 63, v. 3. ipse solus est *propitiatio pro peccatis totius mundi* 1. Johan. 2, v. 2. ipse *purgationem peccatorum nostrorum fecit per se ipsum* Hebr. 1, v. 3. nec est *in alio quoquam salus*, nec *aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat illos salvos fieri*, Actor. 4, v. 12. Extra Christum et sanctissimum ipsius meritum quisquis gratiam Dei et peccatorum remissionem quaerit, frustra eam quaerit, quia in solo Christi merito beneficia illa spiritualia unice quaerenda esse, verbum Dei docet. Qui fiduciam divinae gratiae et remissionis peccatorum in his peregrinationibus sine ulla promissione collocat, is peregrinum atque alienum fiduciae fundamentum, adeoque alium Christum sibi format ac fabricat. Sic ergo concludimus: Peregrinationes illae gratiam Dei et remissionem peccatorum afferre judicantur, aut ut meritum, aut ut medium. Prius dici nequit, quia meritum Christi est perfectissimum ac sufficientissimum, quod assumento nostrorum meritorum nulla ratione indiget, neque ullibi in tota Scriptura nostris operibus ac passionibus vis merendi aut satisfaciendi tribuitur. Quodsi ergo ne quidem operibus divinitus mandatis ac praescriptis vis meritoria ac satisfactoria tribui potest, quanto minus cultibus electitiis praeter et extra verbum proprio cordis arbitrio susceptis, de quibus nondum constat, quod Deo placeant, quin potius de quibus Scriptura testatur, quod Deo displiceant, quomodo ergo possunt Deum placare illa opera, quae ipsi non placent? Nec posterius, quia nullum aliud medium Scriptura nominat, per quod oblatam in verbo evangelii promissionem de Dei gratia et peccatorum remissione apprehendamus quam veram in Christum fidem.

5. Verbo Dei et naturae N. T. contrariae.

129. *5. Verbo Dei et naturae N. T. contrariae*, id quod multis demonstrari potest. 1. Scriptura testatur, cultum Dei extra et praeter verbum non esse ad certum aliquem locum alligandum. In V. quidem T. cultus Dei ad tabernaculum et postea ad templum Hierosolymitanum adstrictus fuit, sed peculiari Dei verbo, ordinatione ac mandato, Exod. 20, v. 24. cap. 23, v. 17. cap. 34, v. 23. etc. Cum vero praeter et extra verbum Jeroboamus *vitulum aureum* in Bethel erigeret et ad illum locum divini cultus formam adstringeret 1. Reg. 12, v. 30. ratiocinatione procul dubio usus ea, quod Deus Jacobo patriarchae in Luza sive Bethel apparuisset Gen. 28, v. 19. prophetae illud ipsum graviter taxarunt ac locum appellatione illa indignum judicantes pro Bethel vocarunt Bethaven, Hos. 4, v. 15. cap. 10, v. 5. 2. Cum primis vero naturae N. T. repugnat, postquam figurae et umbrae V. T. sublatae sunt, cultum Dei ad certum aliquem locum velle alligare, quasi Deus in certo quodam loco citius exaudiat ac largius beneficia conferat quam in alio. Joh. 4, v. 20. Samaritana ad Christum dicit:
XVII. 140. *Patres nostri adoraverunt in hoc monte* (puta Garizin, in quo Sanaballeta Chutaeus permissu Alexandri Macedonis post victoriam Issiacam templum exstruxerat et summum pontificem ibidem constituerat generum suum Manassen, Josephus lib. 11. antiq. cap. ult.). Sic ergo cultum Samaritanorum, quem ad templum suum Garizinum praeter et extra verbum alligabant, defendit *exemplo patriarcharum*, qui in isto monte adoraverant, sed Christus v. 23. ipsi respondet: *Venit hora et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate*, id est in N. T. cultus Dei non amplius ut in V. erit certo cuidam loco alligatus. 3. Matth. 24, v. 23. ait Christus: *Si quis dixerit vobis, ecce hic est Christus, ecce illic, nolite credere;* v. 26. *si dixerint vobis, ecce in deserto est, nolite exire, ecce in penetralibus, nolite credere.* Luc. 17, v. 21. de regno suo inquit: *Non dicent, ecce hic aut ecce illic.* Sensus est, quod Christus cum regno gratiae ac beneficiis spiritualibus non sit ad certum aliquem locum alligatus, sed per praedicationem evangelii hominibus ubique ea offerat ac credentibus applicet. Jam vero peregrinationes Pontificiae cultum Dei, beneficia Christi et peccatorum remissionem alligant ad certum aliquem locum. Ergo illud verbo Dei et naturae N. T. adversatur. 4. Quae beneficia a solo Christo petenda ac speranda esse Scriptura docet, ea Pontificii a sanctis, ad quorum sepulcra peregrinationes suscipiunt, petenda et speranda esse asserunt. 1. Tim. 2, v. 5: *Unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus.* Hebr. 7, v. 24: *Habemus sacerdotem in coelis, qui manet in aeternum ac sempiternum habet sacerdotium*, v. 25. *unde et salvare in perpetuum potest accedentes per ipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis. Neve quis excipiat, Christum et sanctos in collatione spiritualium istorum beneficiorum, divinae scilicet gratiae et remissionis peccatorum, sibi invicem subordinari*, addatur exclusiva Christi Joh. 14, v. 6: *Nemo venit ad Patrem nisi per me.* Rom. 5, v. 1: *Justificati ex fide pacem habemus erga Deum per Christum*, v. 2. *per quem et accessum habemus fide in gratiam.* Sicut fides, qua justificamur, in solum Christum, non in sanctos fertur; ita quoque per Christum et non per sanctos accessum habemus ad gratiam. 5. Scriptura docet, votum non minus ac sacrificium et juramentum esse actum religionis soli Deo debitum. At votivae illae pergrinationes, quas superstitiosi in papatu suscipiunt, plerumque fiunt ex voto certo alicui sancto nuncupato. 6. Religiosa adoratio sanctorum pugnat cum verbo Dei, ut suo loco plenius docebitur. Jam vero peregrinationes ad loca sanctorum susceptae hunc finem sibi propositum habent, ut sancti in illis locis religiose adorentur et invocentur. Ergo de peregrinationibus tanquam mediis idem judicandum, quod de sanctorum invocatione tanquam fine juxta Scripturae normam statuitur. 7. Scriptura docet, neminem debere temere suam vocationem deserere, sed in ea potius manere ac proximo, cui vel naturae vinculo, vel conjugali consortio obstrictus est, pro virili inservire. Psalm. 37, v. 3: *Fac bonitatem et in-*

*habita terram.* 1. Cor. 7, v. 17. 20. et 24: *Unumquemque sicut vocavit Deus, ita ambulet.* 1. Tim. 5, v. 4: *Filii debent ἀμοιβὰς ἀποδιδόναι τοῖς προγόνοις, hoc enim bonum et acceptum est coram Domino.* v. 8. *Si quis suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior.* Sed peregrinationes Pontificiae parentes a liberis, maritos ab uxoribus, liberos a parentibus et uxores a maritis abstrahunt ac superstitiosum cultum divinae vocationi praeferunt. Erasmus in annot. 1. Tim. 5. p. 473: *Paulus dicit, si quis suorum curam non habet, infideli est deterior, scilicet qui hoc officii non praestat suis, quibus naturae vinculo jungitur, quod ethnici quoque instinctu naturae praestant. At hodie summa habetur pietas, si quis domi relictis liberis et uxore aut etiam grandaevis parentibus vel Hierosolymas abeat, vel in monasterium sese abdat sibi victurus aut fortasse etiam ventri.*

XVI. 141. 130. 6. *Ethnicorum ac Turcarum superstitioni affines.* *Ethnici* ad oracula sua religionis ergo profecti fuere. Lonicerus in chron. Turc. lib. 2. cap. 14. de *Turcis* commemorat, quod *Mecham* ad sepulcrum Mahometi ob peccatorum remissionem impetrandam proficiscantur. Breidenbachius in historia peregrinat. suae cap. 3. *ex lege Mahometi singulos Turcas* ait *teneri ad visitandum quotannis ejus sepulcrum.* Visitare etiam solent *Sedichasi sepulcrum* in Caramania, quique horum sepulcra visitant, inde se peccatorum condonationem et aeternam beatitudinem adepturos sperant.

6. Ethnicorum ac Turcarum superstitioni affines.

131. 7. *Destituuntur primitivae ecclesiae suffragio.* *Antonius* referente Athanasio in ipsius vita dixit: *Nobis nulla proficiscendi, nulla transfretandi fluctus necessitas imminet, in omni sede terrarum constituta sunt regna coelorum.* Gregorius Nyssenus, qui circa annum 380. floruit, orationem scripsit de iis, qui adeunt Hierosolymam, quae exstat in tract. Lutet. impress. ann. 1551. apud Morell. et integra citatur ab auctoribus Magdaeb. histor. eccl. cent. 4. c. 10. col. 936. in ea contra consuetudinem peregrinandi profert haec argumenta, 1. quod destituatur divino mandato; *praeclare,* inquit, *se res habet, si ad regulam ipsam respiciamus, idque si velit praeceptorum ductus, ut opus faciamus quasi mandatum Domini; sin praeter Domini praecepta id appareat introductum, haud scio, quid sit, quod praecipiat, velle quid aliquem facere, qui se sibi legem boni fecerit ipsum.* 2. Quod nullam habeant promissionem benedictionis aut gratiae peculiaris. *Ubi ad regni coelorum hereditatem consequendam appellat Dominus benedictos, profectionem in Hierosolyma inter recte facta, quae eo dirigant, non enumeravit; ubi beatitudinem annuntiat, tale studium talemque operam non est complexus. Quod autem neque beatum efficit, neque ad regnum conducibile est, quid in eo studium et opera ponatur? Qui mentem habet, consideret. Atqui si id opus utilitatis quid habuisset, non ita, non tam praeclarum a perfectis studio dignum visum fuisset.*

7. Destituuntur primitivae ecclesiae suffragio.

3. Quod conjunctae sint cum periculis: *Sancta et gravis vitae institutio eadem omnibus et viris, et feminis proposita est etc. at tantam viam femina, nisi qui eam conservet, habeat, percurrere nequit, tum quia propter naturalem imbecillitatem jumento vehenda esset illincque reducenda, tum quia in difficultatibus tuenda ac servanda. Quidquid autem supponere possimus, sive notum habetur, qui ei praestet obsequium, sive mercenarium, qui famuletur, ex utraque parte quod fiat, reprehensionem non effugiet. Neque enim externo se committens ac in eo acquiescens, neque proprio continentiae legem conservet. Cum autem in locis illis Orientalibus diversoria et hospitia urbesque in multis licentiam et ad malum indifferentiam habeant, qui fieri poterit, ut qui per fumum ambulet, non exasperetur oculis? ubi inquinatur auris, inquinatur oculus, inquinatur et cor per oculos et auditum nefanda excipiens, qui fieri poterit, ut non afficiatar, qui affecta loca transgreditur?* 4. Quod peregrinationes illae sint inutiles. *Quid plus est habiturus, qui locos illos adit? quasi vero etiamnum Dominus corporaliter in locis illis degat ac non a nobis abierit? aut veluti sanctus Spiritus apud Hierosolymitanos abundet, ad nos autem transire non possit? At quot ubique sunt altaria, per quae nomen Domini celebratur? Deinde etiamsi in locis Hierosolymitanis plus gratiae divinae inesset, illic viventium peccatum non tam frequens et consuetum esset, jam vero nullum est immunditiae genus, quod ipsi non audeant, ac malitiae, adulteria, furta, idololatriae, veneficia, invidiae et caedes ac tantum in primis malum illic tam frequens et assiduum est, ut nusquum tanta sit* XVII. 142.
*ad trucidandum promtitudo, quanta illis locis inhabitat, ubi beluino more in sanguinem mutuo incurrunt. Ubi ergo haec fiunt, quo argumento intelligas, illis in locis ampliorem gratiam esse?* Postea respondet ad objectionem, quod ipsemet ad loca sancta profectus fuerit, et tandem concludit: *Vos, qui timetis Dominum, in quibus locis estis, eum laudate, τοπικὴ γὰρ μετάστασις τὸν τοῦ θεοῦ προσεγγισμὸν οὐ κατεργάζεται, localis enim mutatio, ut Deus propior sit, non efficit, sed ubi fueris, ad te Deus veniet, siquidem animae tuae diversorium tale inveniatur, ut in te Dominus inhabitet inambuletque; sin hominem interiorem perversis cogitationibus plenum habeas, etiamsi in monte olivarum, etiamsi in Golgotha fueris, etiamsi sub monumento resurrectionis, tantundem abes, ut Christum in te ipso suscipias, quantum qui ne initio quidem religionem professi sunt.*

132. Excipit Bellarminus, *1. forte illam orationem non esse Nysseni, cum non habeatur in ejus operibus, nec constet, quis eam in sermonem Latinum verterit, et forte etiam Graece non inveniatur.* Respondemus: arguit illud potius infidelitatem monachorum, qui multa ex monumentis patrum sustulerunt. Quot scripta Lipomanus, Canisius, Surius, Baronius patribus tribuunt, quae tamen in

ipsorum monumentis non inveniuntur? Exstat insuper haec Nysseni oratio Graeca, cujus mentionem facit Cujacius in observationibus, Guilielmus Morellius ann. 1551. Graece et Latine eam edidit, antequam Bellarminus scribere inciperet. Sed filius Morellii, qui editionem Parisiensem Nysseni operum adornavit ac nonnulla, quae Gregorii non sunt, hinc inde conquisita genuinis ejus operibus inspersit, epistolam illam consulto omisit, instinctu et consilio Frontonis Ducaei Jesuitae, qui cavere voluit, ne quid in perniciem papalium peregrinationum excuderetur. Postmodum vero eandem epistolam Graece et Latine ex sua interpretatione edidit Petrus Molinaeus cum notis et responsionibus ad objectiones Bellarmini et Richeomi Jesuitarum ac solidis argumentis demonstravit, epistolam illam vere esse Nysseni, 1. quia scribendi character redolet phrasin Gregorii elegantem et doctam; 2. mens et verba cum aliis Gregorii dictis pulchre congruunt; 3. Aloisius Lipomanus Methonensis episcopus de vitis sanctorum tom. 2. epistolam hanc recitat et Gregorio adscribit; 4. adstipulatur vetus codex manuscriptus bibliothecae regiae, in quo haec epistola legitur; 5. Gregorius ipse meminit profectionis suae in Arabiam et Hierosolymam, epistola ad Olympium super Macrinae sororis obitu scripta. Hisce argumentis Rivetus in critico sacro lib. 3. cap. 24. p. 349. addit 6. quod Baronius non eat inficias, legitimum hunc esse Nysseni partum tom. 4. ad ann. 386. n. 39. Addo 7. quod haec epistola exstet in vetusto codice Graeco manuscripto, quem in bibliotheca Joachimi Zehneri viri doctissimi anno 1612. Schleusingae vidi. Aliam igitur exceptionem Bellarminus quaerit subjiciens, *2. in ea oratione non reprehendi absolute peregrinationem in Jerusalem, sed tantum in certis personis, in monachis et monialibus.* Eodem χρησφυγέτῳ utitur Baronius dicto loco, sed et hanc larvam Molinaeus
I. 143. ipsis ademit et sane lectio epistolae perspicue ostendit, argumenta Gregorii esse generalia ad omnes cujuscunque conditionis homines spectantia. Inde 3. Bellarminus ad argumenta illa respondere conatur. Primam rationem dicit hoc solum probare, *quod peregrinatio non sit opus necessarium ad perfectionem et salutem.* Respondemus: imo vero et prima et secunda ratio generaliter concludunt, cum nullum mandatum nullave promissio de peregrinationibus illis exstet, ideo non posse illas pietatis specie commendari. Secundam rationem a periculis desumtam dicit illud duntaxat probare, *quod peregrinatio non sit omnibus accommodata, sed solum viris maturis.* Respondemus: quamvis plura ac majora feminis peregrinationes illas suscipientibus impendeant pericula, non tamen propterea nulla impendent viris. Tertiam rationem dicit hoc solum probare, *quod nihil rerum essentialium et necessariarum ad religionem sit Hierosolymis, quod non possit alibi inveniri, interim tamen esse aliquid Hierosolymis, quo devotio juvari possit, quod alibi non invenitur, nimirum sepulcrum Domini et loca illa sancta, quae toties Dominus calcavit.* Respondemus: imo vero Nyssenus diserte contrarium adstruit, in locis illis non inesse plus divinae gratiae, ac proinde spiritualiter ad Dominum proficiscendum esse, non pedibus corporeis, sed affectu mentis.

133. Hieronymus tom. 1. epist. 13. ad Paulinum p. 34: *Non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis bene vixisse laudandum est. Illa expetenda est civitas, non quae occidit prophetas et Christi sanguinem fudit* Luc. 13. *sed quam fluminis impetus laetificat* Psalm. 45. *quae in monte sita celari non potest* Matth. 5. *quam matrem sanctorum apostolus clamitat* Gal. 4. *in qua se municipatum cum justis laetatur habere* Hebr. 12. *Neque vero hoc dicens memet ipsum inconstantiae arguo damnoque, quod facio, ut frustra videar ad exemplum Abraham et meos et patriam reliquisse* Gen. 12. (ipsemet enim in Palaestinam deserta Roma profectus erat), *sed non audeo Dei omnipotentiam angusto fine concludere et coarctare parvo terrae loco, quem non capit coelum* 1. Reg. 8. *Singuli quique credentium non locorum diversitatibus, sed fidei merito ponderantur.* Et *veri adoratores neque Hierosolymis, neque in monte Garizim adorant Patrem, quia Deus spiritus est, et adoratores ejus in spiritu et veritate adorare oportet* Joh. 4. *Spiritus autem spirat, ubi vult* Johan. 3. et *Domini est terra et plenitudo ejus* Psalm. 24. *Postquam siccato Judaeae vellere universus orbis coelesti rore perfusus est* Judic. 6. *et multi de oriente et occidente venientes recubuerunt in sinu Abrahae* Matth. cap. 8. *desiit notus esse tantum in Judaea Deus et in Israël magnum nomen ejus* Psalm 75. *sed in omnem terram exivit sonus apostolorum et in fines orbis terrae verba eorum* Psalm. 18. *Salvator ad discipulos loquens cum esset in templo, surgite,* inquit, *abeamus hinc* Johan. 14. *et ad Judaeos, relinquetur vobis domus vestra deserta* Lucae 13. *Si coelum et terra transibunt, utique transibunt omnia, quae terrena sunt. Et crucis igitur et resurrectionis loca prosunt his, qui portant crucem suam et cum Christo resurgunt quotidie, qui dignos se tanto exhibent habitaculo. Ceterum qui dicunt, templum Domini, templum Domini* Jer. 7. *audiant ab apostolo, vos estis templum Domini, et Spiritus sanctus habitat in vobis* 2. Cor. 6. *Et de Hierosolymis, et de Britannia aequaliter patet aula coelestis, regnum enim Dei inter vos est* Luc. 17. *Antonius et cuncta Aegypti et Mesopotamiae, Ponti, Cappadociae et Armeniae examina monachorum non videre Hierosolymam, et patet illis absque hac urbe paradisi janua. Beatus Hilarion, cum Palaestinus esset et in Palaestina viveret, uno tantum die vidit Hierosolymam, ut nec contemnere loca sancta propter viciniam, nec rursus Deum loco claudere videretur. Ab Hadriani temporibus usque ad imperium Constantini per annos circiter centum octoginta in loco resurrectionis simulacrum Jovis, in crucis rupe statua ex marmore Veneris a gentibus posita colebatur, existimantibus persecutionis auctoribus, quod tolle-*

XVII. 144. *rent nobis fidem resurrectionis et crucis, si loca sancta per idola polluissent. Bethlehem nunc nostram et augustissimum orbis locum lucus inumbrat Thamus, id est Adonidis, et in specu, ubi quondam Christus pravulus vagiit, Veneris amasius plangebatur. Quorsum, inquies, haec tam longo repetita principio? videlicet ne quidquam fidei tuae deesse putes, quia Hierosolymam non vidisti, nec nos idcirco meliores existimes, quod hujus loci habitaculo fruimur, sed sive hic, sive alibi, aequalem te pro operibus tuis apud Dominum habere mercedem.* (Quid contra hunc συναθροισμὸν argumentorum affert Bellarminus? Regerit, *ad monachum Paulinum ea duntaxat pertinere, cujus proposito magis conveniebat quies et stabilitas monasterii.* At quilibet videt, Hieronymi argumenta esse generalia, adde quod Hieronymus de se ipso neget, quod non sit inde melior existimandus, quia loci illius habitaculo frueretur, cum tamen non esset monachus, sed presbyter, utique ergo non solum de monachis, sed etiam presbyteris et aliis dicta sua vult accipi.) Chrysostomus homil. 32. in epist. ad Rom. Romam maximopere celebrat propter Petri et Pauli corpora ibidem sepulta. *Quis*, inquit, *mihi nunc dabit circumfundi corpori Pauli, affigi sepulcro, videre pulverem corporis illius stigmata Christi gestantis, pulverem, inquam, oris illius, per quod Christus locutus est, vellem videre sepulcrum, quo recondita sunt illa arma justitiae, arma lucis* etc. et homil. 8. in epist. ad Ephes.: *Vellem nunc etiam esse in illis locis, in quibus ista dicuntur esse vincula, cuperem videre catenas illas, quas verentur et horrent daemones, venerantur vero angeli. Quodsi liberum fuisset per curas ecclesiasticas et corpus habuissem validum, nihil utique causatus fuissem, quominus tanta suscepta peregrinatione catenas duntaxat illas et carcerem, ubi ligatus fuit, vidissem.* hom. 5. ad Antiochenos memorat, *quosdam solitos in Arabiam peregrinari, ut terram illam oscularentur, in qua Job sederat.* Idem tamen homil. 1. in epist. ad Philem. peregrinationes istas ad peccatorum remissionem impetrandam susceptas dissuadet. *Via*, inquit, *solutionis seu remissionis peccatorum nec laboribus indiget, nec pecuniarum expensa, seu ulla alia aliqua re, sed simpliciter tantum bono proposito. Non opus est peregrinationem suscipere, nec ultra montana aut externa loca petere, aut pericula adire et sustinere.* hom. 3. ad Antiochenos dicit, *quod suscipere peregrinationes ad terras longe dissitas ad promerendum Deum nihil quidquam conferat.* Cyrillus Alexandr. lib. 13. in Levit. tom. 1. col. 751: *Locum sanctorum in terris ego non requiro positum, sed in corde, locus enim dicitur sanctus rationabilis anima.* Augustinus serm. 2. de verb. apostol.: *Veni ad Christum, noli longa itinera meditari, ubi credis, ibi venis, ad illum enim, qui ubique est, amando venitur, non navigando, sed quoniam etiam in tali itinere abundant fluctus et tempestates tentationum, in crucifixum crede, ut fide tua possis lignum adscendere, non mergeris, sed ligno portaberis.* Claudius Scotus Taurinensis ecclesiae episcopus circa annum Christi 815. adversus Theodomirum abbatem de peregrinationibus religionis causa Romam susceptis referente Jona Aurelianensi libr. 3. de cultu imaginum, qui exstat tom. 5. orthodoxograph. pag. 1570: *Ego enim iter illud non approbo, quia scio, quod nec omnibus prodest, nec omnibus proficit, nec omnibus officit.* p. 1573: *Te ipsum primum interrogare volo, si poenitentiam agere, Romam pergere nosti, cur tu tanto tempore tantas animas perdidisti, quas in monasterio retinuisti et poenitentiae causa in monasterio recepisti et non eas Romam misisti, sed potius tibi servire fecisti?* p. 1577: *Propter verba evangelica, tu es Petrus, non intellecta imperitum hominum genus pro acquirenda vita aeterna postposita omni spirituali intelligentia volunt pergere Romam.* (Bellarminus hunc Claudium cum Petrobrusianis et Wiclefitis dicto loco conjungit et erroris eum accusat, sed aliud est accusare, aliud convincere. Scripsit ille Claudius utiles commentarios in Matthaeum et aliquot V. T. libros ac fuit magni nominis episcopus. Sane Jonas Aurelianensis epi- XVII. 14
scopus tres libros adversus eum scripsit pro defensione imaginum et peregrinationum ad loca sancta, sed ipse Bellarminus in libr. de script. eccl. cent. 9. monet, *auctorem illum caute legendum*, cum erroribus scateat.) Bernhardus epistol. 319. ad Lelbertum abbatem S. Michaëlis, monacho cuidam peregrinationem Hierosolymitanam dissuasit addita hac ratione: *Non terrenam, sed coelestem requirere Hierosolymam monachorum propositum est, et hoc non pedibus proficiscendo, sed affectibus proficiendo.* Hildebertus Turonensis archiepiscopus Bernhardi σύγχρονος in libr. epistol. ad quendam comitem, qui voto se obstrinxerat, quod Hierosolymam religionis causa proficisci vellet, scripsit in haec verba: *In memoriam Jacobi, strenuissime comes, et praedicanda virtute sublimis, iter, ut fertur, sumsisti. Quod nos quidem bonum non negamus, sed quisquis administrationem suscipit, alligatur obedientiae. Qui enim ad majora vocatur et utiliora, si relinquit, delinquit. Unde te, fili carissime, culpa inexcusabilis exspectat, qui necessariis non necessaria, dispensationi otium, debitis indebita proponis. Inter talenta, quae servis suis paterfamilias distribuit, circuire vagum orbem terrarum nullus doctor, nulla omnino Scriptura commemorat. Hieronymi testimonio Hilarion, cum esset proximus civitati Jerusalem, semel eam vidit, ne loca sanctorum contemsisse videretur. Porro praeter solitum mentis tuae oculus caligavit, si non vides plenam periculosis casibus assumtam tibi peregrinationem.* Hisce periculis in specie expositis subjicit: *Fortassis autem dicis, votum vovi Domino; transgressionis arguar, si irritum facio votum? Agnosce, o princeps, quia tu quidem alligasti te voto, sed Dominus officio; tu viae, sed Dominus obedientiae; viae, qua sanctorum memorias videas; obedientiae, qua*

*sanctorum memoriis provideas. Appende ergo, si tantus sit fructus itineris, ut supplere possit intermissae dispendium obedientiae.* Tandem concludit: *Tu itaque pro voto rapacitatem atque exactiones tuorum compesce, quas pauperum clamor et orphanorum gemitus et lacrymae comitantur viduarum. His tibi, si nescis, thesaurizatur ira Dei in die irae et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua etc. Sicut ergo praesenti pagina commoneris, utere tuorum consilio amicorum, utere meo, domi sedens, pauperum subsidiis insistens, loca sanctorum non desiderans intueri, sed tuorum satagens; nec circumferri per memorias lapidum, sed circumferre memoriam virtutum.*

*A Pontificiis sanioribus non admodum probantur.*

134. 8. Denique *a Pontificiis sanioribus non admodum probantur.* In jure canonico c. Gloria in fin. 12. quaest. 2. citatur dictum Hieronymi: *Non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis bene vixisse laudandum est.* Henricus Tolosanus monachus circa annum 1141. referente Genebrardo peregrinationes ad loca sanctorum improbavit. Vincentius circa annum 1459. in sermon. de assumt. Virginis: *Spiritualiter fit peregrinatio, sicut dicit Paulus, si spiritu vivimus, spiritu ambulemus. Hodie et quolibet die potestis ire in Nazareth ad cameram, ubi Filius Dei fuit incarnatus, et sic de aliis locis.* Johannes Ibenhagen sacrificulus circa ann. 1480. improbavit peregrinationes ad S. Jacobum, Mariam et alios divos. Polydorus Virgilius in interpret. orat. Domin. pag. 567: *Non est, quod aliquo terrarum pergamus Dei quaerendi causa, qui ubique nobiscum est, quod nonnulli minus sentiunt, quos voluptatis, non item pietatis gratia ideo delectat peregrinatio, ut alii alio percurrant, quo alicujus divi imaginem visant, nihil interim mentem ad Deum erigentes.* Erasmus in colloq. in cap. Peregrinatio religionis ergo. p. 27: Arnold. *Ubi tamdiu peregrinatus es?* Cornel. *Ab Hierosolymis adsum tibi.* Arn. *Estne illic, quod tu putes spectatu dignum?* Cornel *Ut ingenue fatear tibi, nihil.* (XVII. 146.) *Ostenduntur quaedam monumenta vetustatis, quorum mihi nihil non videbatur commentitium et excogitatum ad alliciendos simplices et credulos, imo nec hoc arbitror illos scire, quo loco sita olim fuerit Hierosolyma.* Arn. *Quid igitur vidisti?* Cornel. *Magnam ubique barbariem.* Arnold. *Nihilo sanctior redis?* Cornel. *Imo multis partibus deterior.* Arnold. *Nummatior ergo?* Cornel. *Imo nudior Leberide.* Arnold. *An non poenitet igitur tam longinquae peregrinationis frustra susceptae?* Cornel. *Nec pudet, quia tam multos habeo stultitiae meae sodales, nec poenitet, quia frustra jam sit poenitere.* Vide ibidem plura in illam sententiam.

*Argumenta pro stabiliendis peregrinationibus. 1. Ex Scriptura.*

135. Argumenta, quibus Pontificii peregrinationes suas suffulciunt, ex statu quaestionis recte formato facilem habent explicationem. Bellarminus lib. 3. de cultu sanct. c. 8. tria argumentorum genera producit. *1. Ex Scriptura.* Deut. 16. *Deus instituit, ut omnes filii Israël ter in anno ad tabernaculum vel templum Domini peregrinarentur, quod praeceptum studiose servabat Helcana et Anna uxor ejus* 1. Reg. 1. *nec non Christus ipse cum sua matre et S. Josepho* Luc. 2. Joh. 12. *etiam gentiles veniebant adorare in Jerusalem propria regione relicta.* Act. 8. *Eunuchus Aethiops ex longinqua regione veniebat adorare in Jerusalem.* Act. 20. *Paulus ipse festinabat in itinere, ut in Jerusalem faceret pentecosten.* Idem argumentum proferunt Grodicius conc. 2. in Dom. 1. post Epiph. Bartscius tom. 2. conc. p. 93. Respondemus: Maximum omnino discrimen est inter peregrinationes illas sanctorum et Pontificiorum. 1. Illae erant a Deo ipso *mandatae*, hae vero proprio cordis arbitrio sunt excogitatae. Voluit Deus in tribus festis anniversariis omnes masculos viginti annis majores ad tabernaculum et postea ad templum convenire, tum propter publicam verae doctrinae confessionem, ut ejus puritas et consensus conservaretur; tum propter benevolentiae inter ejusdem sanguinis et religionis hominis conciliationem, tum propter majoris reverentiae in animis hominum erga divinum cultum excitationem, tum propter necessariam de rebus ad ecclesiam et rempublicam pertinentibus in publico et oecumenico illo concilio deliberationem; tum propter fidei exercitium et confirmationem, pollicitus enim erat Dominus, se feminas et pueros domi relictos interea ab omni vi et tyrannide vicinorum hostium immunes praestare velle, Exod. 34, v. 24. sed in peregrinationibus Pontificiorum causae illae cessant. 2. Illae pertinent ad V. T. in quo cultus divinus ad certum locum erat adstrictus et ecclesia angustis Judaeae limitibus terminabatur, cui omnes salvandos associari oportebat; hae vero in N. T. instituuntur, in quo illud discrimen locorum penitus est sublatum. Jerem. 3, v. 16. Johan. 4, v. 21. 1. Timoth. 2, v. 8. Quamvis vero novum testamentum jamdum fuerit inchoatum, cum eunuchus Aethiops ac Paulus Hierosolymam proficiscerentur, tamen synagoga Judaica nondum erat sepulta, eunuchus in fide Christi nondum erat instructus, Paulus ex caritate *Judaeis Judaeus factus est* 1. Cor. 9, v. 20. ac in tanta populi frequentia multos Christo lucri facere voluit. 3. Illae propositum habuerunt *finem* salutarem, videlicet ut Deo debitum praestaretur obsequium et cultus divinus conservaretur ac propagaretur; hae vero fine suscipiuntur superstitioso, satisfaciendi scilicet pro peccatis et Dei gratiam promerendi, cum tamen nulla hac de re promissio exstet.

*2. Ex patribus.*

136. *2. Ex patribus*, qui jam *olim et ipsi ad loca sancta peregrinati sunt*, ut *Alexander* apud Eusebium lib. 6. hist. cap. 9. *Helena* apud eundem lib. 3. de vita Constantini, *Gaudentius, Hieronymus, Eudoxia Theodosii junioris uxor* etc. et *in aliis illud commendarunt*, ut *Chrysostomus* homil. 66. ad Antioch. *Hieronymus* epist. 154. ad Desiderium, *Sulpitius* lib. 2. sacrae historiae etc. Respondemus: 1. in civitate Dei non vivitur hominum exemplis, sed

ipsius Dei legibus. 2. Finis distinguit actiones. XVII. 147. Patres illi Hierosolymam profecti sunt non opinione cultus, nec fiducia cujusdam meriti et satisfactionis, sed historiae et orationis causa, ut Christum, qui in illis locis natus, conversatus ac passus fuit, *in spiritu et veritate adorarent.* Sic de Alexandro scribit Eusebius, quod profectionem instituerit ad loca Hierosolymitana εὐχῆς καὶ τῶν τόπων ἱστορίας ἕνεκεν. Nyssenus propter deliberationem de statu ecclesiae et religionis cum episcopis Hierosolymitanis. *Necesse mihi fuit*, inquit, *pro sancto concilio habito emendandae Arabicae ecclesiae gratia ad loca illa proficisci, ac cum esset Arabia locis Hierosolymitanis contermina, pollicitus eram, me una cum iis, qui sanctis Hierosolymitanis praesunt ecclesiis, disceptaturum, quod rerum illis esset status perturbatus, ac quodam, qui medius intercederet, egerent.* Pontificii partem cultus non postremam in peregrinationibus illis constituunt ac fiduciam meriti et satisfactionis ex eis concipiunt. 3. Illi ipsi patres, qui Hierosolymam profecti sunt, diserte testantur, gratiam Dei in illis locis non esse ampliorem, nec pietati vel fidei quidquam decedere, si vel maxime quis Hierosolymam non viderit, ut ex Hieronymo et Nysseno apparet. 4. Inter ἀποδήμους religionis causa Hierosolymam profectos recenset Bellarminus *monachos Aegyptios* ex Cassiano lib. 4. de institut. renunc. cap. 31. et tamen paulo post §. secundo dico, asserit, *monachis, qui in claustris in silentio, precibus ac jejuniis exercentur, non convenire illas peregrinationes, quia illorum majus bonum impediretur minore bono peregrinationis.* Agnoscere igitur cogitur, exempla illa esse dissimilia. 5. Magdeburgenses centuriatores recte statuunt, tempore Constantini peregrinationes illas ad loca sancta frequentari primum coepisse, cui assertioni frustra a Bellarmino opponitur exemplum Alexandri unicum et singulare, aliud enim est loqui de *profectione*, aliud de *profectionis frequentatione.* Simeonis Metaphrastae de *Alexio* testimonium exigui ponderis est, cum ipse Bellarminus lib. de script. eccl. et Baronius tom. 10. annal. ad ann. 859. a posterioribus quasdam historias additas esse fateantur, quin et diserte addant, *Metaphrasten ex proprio ingenio multa addidisse ac vitas sanctorum descripsisse, non ut res gestae fuerunt, sed ut geri potuerint*, hoc est officiose mentitum fuisse.

3. Ex ratione. 137. 3. Ex ratione. *Peregrinationes tria bona afferunt, primo cedunt in honorem Dei et sanctorum non mediocrem, est enim manifestum signum, Deum et sanctos a nobis magni fieri, cum laborem et pericula itinerum sponte suscipimus, ut sanctorum reliquias invisamus.* Respondemus: Quemadmodum pii veteres dicunt, quidquid de Christi persona praeter et extra Scripturam praedicatur, etiamsi honor videatur, injuriam esse; ita quoque recte dicimus, quidquid opinione cultus praeter et extra verbum suscipiatur, etiamsi in honorem Dei et sanctorum cedere videatur, injuria est. Scriptura docet, cultum divinum in N. T. non esse certis locis adstrictum, sed Deum omnibus illis in locis gratiose praesentem esse, in quibus vera fide a nobis invocatur, sicut de Bethel, in quo Deus sese manifestarat, Jacobus dicit, quod ibi sit *domus Dei et porta coeli* Genes. 28, v. 17. ac *facies Dei* vocatur ille locus, in quo per verbum Deus cum hominibus loquitur et vicissim homines per preces cum ipso loquuntur, Genes. 4, v. 16. Psalm. 42, v. 3. Eadem Scriptura docet, quomodo sancti a nobis honorandi sint, non religiosa invocatione, quae soli Deo debetur, non superstitiosa ad ipsorum reliquias peregrinatione, quae mandato, promisso et exemplo probato destituitur, sed *Dei in sanctis glorificatione*, qui tanta dona in ipsos contulit ac salutaria opera in ecclesia per ipsorum ministerium perfecit Gal. 1, v. 23. 24. ac *virtutum*, quae in eis nobis proponuntur, *imitatione* Hebr. 13, v. 7. Secundo, *peregrinationes illas suscipere est opus poenitentiae et satisfactionis, quia laboriosum et poenale.* Respondemus: Hoc falsa nititur hypothesi, quasi opera laboriosa sponte suscipi possint intentione ea, ut per illa pro peccatis satisfiat. Tertio, *auget devotionem, quia praesentia loci sancti vix dici potest, in quantum incutiat horrorem, quantam excitet reverentiam, et licet ubique sint aliqua loca sancta, tamen saepe alibi sunt loca sanctiora, ad quae utile est peregrinari, vel si non sunt sanctiora, sunt tamen alia ab his, quae in nostra patria inveniuntur, et ipsa novitas juvat ad excitandam devotionem, saepe etiam peculiari amore ferimur erga alicujus sancti memoriam, quae procul abest a nobis, et eo accedere non parum juvat, licet domi habeamus memorias celebriores.* Respondemus: Distinguendum inter verum ac salutarem Dei timorem, et inter δεισιδαιμονίαν ac superstitionem, ad priorem nihil conferunt istae peregrinationes, sed duntaxat ad posteriorem, quinimo Nyssenus probat, peregrinationes illas verae pietatis ac timoris Domini esse exterminatrices. Quod ad sanctitatem locorum attinet, de ea sic habendum. Ratione creationis universa terra coram Domino fuit sancta Genes. 1, v. 31. ratione gubernationis ac praesentiae divinae tota et omnis terra est *scabellum pedum Domini* Esa. 66, v. 1. ac tota est *Domini cum omni sua plenitudine* Psalm. 24, v. 1. 1. Cor. 10, v. 26. propter peccatum primorum parentum et fratricidium Caini tota fuit maledicta, ut nullus in ea detur locus per se aliis sanctior, Gen. 3, v. 17. cap. 4, v. 11. quod autem certa quaedam loca ac partes terrae dicuntur sanctae, sicut Jerusalem dicitur *civitas sancta*, Matth. 4, v. 5. illud fit propter cultus divini exercitium et verbi praedicationem, sicut causa, propter quam Jerusalem dicitur civitas sancta, exponitur Esa. 31, v. 9. quia in ea fuit *Jehovae ignis ac focus*, hoc est quia ignitiones et sacrificia ex Dei mandato ibi fuere oblata, sed quam primum verbum Dei in aliquo loco non praedicatur, statim quoque sanctitas illius loci desinit, ut exemplo Bethelis superius comprobatum fuit.

Argumenta aliorum 1. Gen. 21. Jacobus confert se in Bersabee.

138. Atque haec sunt, quae pro stabiliendis peregrinationibus Bellarminus adducit. 1. Pererius in comm. Genes. hoc urget, *quod Jacobus patriarcha contulerit se in Bersabee ibidemque divinum oraculum consuluerit, ubi Abraham altare exstruxerat ac Isaacus Dominum religiose coluerat, id ergo esse factum propter loci sanctitatem*, Gen. 21, v. 33. c. 26, v. 23. c. 28, v. 10. Respondemus: est fallacia finis. Deflexit ex itinere Jacobus et ibi potissimum substitit, ut intuitu loci promissiones in eo divinitus editas altius memoriae inprimeret, non quod peculiarem aliquam sanctitatem loco inesse putaret, ob quam preces et sacrificia essent Deo acceptiora, unde posterorum superstitionem, qui ea opinione atque intentione Bersabeam, Bethelem et Gilgalam frequentabant Deus per prophetam taxat Hoseae 4,

2. Sancti peculiari cura ea loca fovent, in quibus sacra illorum ossa asservantur.

v. 15. Amos 5, v. 5. cap. 8, v. 14. 2. Costerus in enchir. cap. 14. p. 481. hoc affert, *quod sancti peculiari ratione et cura ea loca foveant, in quibus sacra illorum ossa asservantur.* Sed de illa regnorum, provinciarum et civitatum in curam ac tutelam sanctorum distributione praeter, imo contra verbum facta in quaestione de invocatione sanctorum latius dicetur, hic repetimus illud propheticum Jerem. 2, v. 28: *Secundum numerum civitatum*

3. Matth. 11. Quid existis videre.

*tuarum erant dii tui Juda.* 3. Stapletonus in prompt. cathol. Dom. 2. adv. urget verba Salvatoris Matth. 11, v. 7: *Quid existis in desertum videre? quibus peregrinationem Judaeorum ad Johannem videndum in desertum susceptam laudari existimat.* Respondemus: quae vero haec consequentia? Judaei ad Johannem viventem ac docentem in desertum egressi sunt; ergo ad reliquias sanctorum defunctorum opinione cultus ac meriti peregrinationes sunt suscipiendae? Christus interrogat Judaeos, cur ad Johannem exiverint in desertum et quid in eo quaesiverint. Ergo laudat peregrinationem ad loca sanctorum susceptam? Num interogare est laudare et exire in desertum est peregrinari ad loca sanctorum defunctorum? Scopus Christi est non peregrinationem Judaeorum, sed constantiam Johannis Baptistae laudare.

XVII. 149.

Qu. 8. An infantes ante perceptum baptismum mortui extra coemeterium sepeliendi.

139. Quaeritur 8. *Rectene fiat, quod in quibusdam locis infantes ante susceptum baptismum mortui extra coemeterium, vel in peculiari coemeterii angulo absque Christianis ritibus et cantionibus sepeliuntur?* Respondemus: originem illud ducit ex papatu, in quo fide Catholica docetur, *parvulos sine baptismo decedentes absolute esse damnatos et non solum coelesti, sed etiam naturali beatitudine carituros*, Bellarminus lib. 6. de amiss. grat. et statu peccati cap. 1. *esse mortis aeternae reos*, Lindanus lib. 4. panopl. cap. 15. *esse condemnandos ac ad sinistram cum hircis fore statuendos*, Maldonatus in Matth. 25, v. 23. *statim ac moriuntur mox in infernum descendere*, Canus in relect. de sacram. part. 2. §. Afferent etc. *animas ipsorum una cum corporibus resumtis in tenebras esse detrudendas*, Azorius lib. 9. moral. c. 33. §. tertio etc. Sed huic sanguinario et Rhadamantheo Pontificiorum decreto in tract. de bapt. §. 238. et 239. opposuimus 1. *regulam theologicam*, quod non privatio, sed contemtus sacramentorum sit damnabilis; 2. *promissionem divinam*, quod Deus etiam velit esse *seminis nostri Deus*, Gen. 17, v. 7. quod parvulos sibi *afferri* jubeat Marc. 10, v. 14. quod *venientem ad se recipere velit* Joh. 6, v. 37. hanc promissionem pii parentes fide amplectuntur ac per preces infantes suos adhuc utero conclusos Deo offerunt; 3. *bonitatem divinam*, quod non sit voluntas Patris coelestis, ut pereat unus de parvulis istis, Matth. 18, v. 14. 4. *potentiam divinam*, quod extraordinaria actione in illis infantibus fidem ad salutem accendere possit, nec mediis in nostrum commodum institutis absolute sit adstrictus; 5. *universalitatem meriti* per Christum praestiti, qui etiam propter infantes infans nasci voluit; 6. *exempla infantum Israëliticorum* ante susceptam circumcisionem mortuorum, neque tamen a salute simpliciter exclusorum. Confer Lutherum tom. 2. Jen. Lat. p. 133. tom. 8. Jen. Germ. p. 51. tom. 12. Witeb. p. 184. in Genes. c. 17. p. 81. Bugenhagium in explicatione Psalm. 29. quae exstat in decade 4. consil. Bidenb. consil. 3. epistolam consolatoriam Mörlini, quae exstat decad. ead. consil. 4. responsum Theodorici Schnepffii decad. ead. consil. 5. scriptum Salomonis Codomanni decad. ead. consil. 6. informationem Joachimi Zehneri decad. ead. consil. 7. judicium Michaëlis Coelii decad. 9. consil. 7. Ex hisce igitur fundamentis Pontificius mos infantes non baptizatos extra coemeterium vel in peculiari coemeterii angulo sine Christianis ritibus sepeliendi merito abrogatur et constit. ecclesiast. Augusti in articulis generalibus cap. 15. p. 335. ordinatione rectius hac in parte statur.

2. Consequentia mortis respectu animae.

140. Diximus hactenus de ἑπομένοις sive *consequentibus mortis* ratione *corporis*, restat ut de ἑπομένοις mortis respectu *animae*, hoc est *de animae post mortem conditione ac statu* in posterum agamus. *Pulvis in terram revertetur, sicut quod fuit*, vel quemadmodum antea fuit, *et spiritus revertetur ad Deum, qui dedit illum*, ait rex sapiens Eccles. 12, v. 7. eo ipso nos docens, quod maximum sit discrimen inter statum corporis et animae post dissolutionem eorundem in morte factam. In vita arctissimo vinculo invicem sunt connexa, unde affectiones ac passiones corporis redundant in animam, et vicissim affectiones ac passiones animae redundant in corpus, anima nihil quidquam agit extra XVII. 150.
corpus, nec corpus quidquam agit extra animam, sed in morte anima a corpore separatur ac redit ad Deum, cujus judicio sistitur, a quo vel sanctis angelis deferenda in coelum, vel malis spiritibus detrudenda in infernum traditur, corpus revertitur in pulverem terrae, ex quo prima et antiquissima ejus origo prodiit, ac per putrefactionem et cinefactionem in pristina principia redigitur. Post illam dissolutionem ac separationem affectiones ac passiones animae non redundant amplius ad corpus, et vicissim affectiones ac passiones corporis non redun-

dant ad animam, nec anima agit per corporis instrumentum, sed separata vivit ac subsistit, nec dissolvitur aut fatiscit, sicut corpus in sua principia resolutum, sed extra corpus subsistens immortalem agit vitam atque ab omni corporis commercio semota in certo *πού* asservatur, donec constituto universalis resurrectionis die corpus divina virtute excitatum eidem iterum conjungatur, ac postmodum homo justam judicis sententiam experiatur.

Animae immortalitas confirmatur.

141. Anima ergo nobilissima illa hominis pars in morte non interit, sed immortalis perseverat, id quod sequentibus comprobatum damus fundamentis, *1. ex diserta Salvatoris nostri assertione.* Matth. 10, v. 28: *Animam occidere non possunt.* Quod sic vivit, ut occidi nequeat, illud est immortale. Occisionis negatio est ἀθανασίας καὶ ἀνωλεθρίας assertio. Jam vero anima ita vivit, ut occidi nequeat. Ergo est immortalis. Augustinus tract. 47. in Joh.: *Quomodo securus sum, quia non moritur anima? ipsum Dominum audi dantem servo securitatem: Nolite timere eos, qui corpus occidunt, et postea non habent, quid faciant. Certe ergo immortalis est anima.* Non est quod cum Schmaltzio cont. Frantz. p. 413. quispiam objiciat, in sequentibus statim addi: *Timete eum, qui potest animam et corpus perdere in gehenna;* ibi enim agitur de morte secunda, quae non fit trucidando et annihilando, sed infernalibus poenis cruciando. Tertullianus de resurr. carnis cap. 34. p. 330: *Recipimus animae immortalitatem, ut perdita non in interitum credatur, sed in supplicium, id est in gehennam.* Augustinus lib. 13. de civit. Dei cap. 12: *Mortem totius hominis sequitur illa, quam secundam mortem divinorum eloquiorum appellat auctoritas, hanc Salvator significavit, ubi ait, eum timete etc. illa poena ultima ac sempiterna recte mors animae dicitur, quia non vivit ex Deo, nec vivere corpus dicendum est, in quo anima non vivendi causa est, sed dolendi* etc. Adde quod anima non sit eo modo immortalis, quo Deus, *οὐσιωδῶς* scilicet et independenter, eo enim sensu *solus Deus* dicitur *habere immortalitatem* 1. Tim. 6, v. 16. sed per creationis gratiam, quia sic a Deo condita est, ut non habeat in se internum corruptionis principium, sed sit natura incorporea, invisibilis et immortalis, posset tamen Deus, si vellet, animam in nihilum redigere et penitus exstinguere, sed quia immortalem eam esse voluit, ideo per et propter illam creatoris voluntatem immortalis perseverat. Immortale est, vel quod *absolute et simpliciter* nulla potestate, etiam divina, aboleri nequit, hoc modo solus Deus est immortalis; vel quod *ita a Deo conditum, ut non intereat*, licet per absolutam Dei potentiam aboleri possit, hoc modo animae hominum et angeli immortales sunt.

142. *2. Ex animae et corporis oppositione.* In quo anima et corpus *ἀντιθετικῶς* sibi invicem opponuntur, illud non potest de utroque ex aequo praedicari. Sed in mortalitate anima et corpus sibi invicem opponuntur, ita ut de corpore mortalitas affirmetur, de anima vero negetur. Ergo mortalitas non potest de utroque ex aequo praedicari. Assumtum probatur ex illo ipso Salvatoris dicto: *Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem occidere non possunt*, ubi manifestum est, occisionem de corpore praedicari affirmate, de anima vero negate. Conjungimus locum Eccles. 12, v. 7: *Pulvis revertitur in terram, quemadmodum antea fuit, sed* XVII. 151.
*spiritus redit ad Deum, qui dedit eum.* Si spiritus, hoc est anima, eodem modo interitui esset obnoxia, quo corpus, utique non posset inter corporis et animae statum, quem utraque pars post mortem consequitur, oppositio institui. *3. Ex primaeva animae creatione.* Brutorum animae ex eadem materia, qua ipsorum corpora, productae fuerunt, unde corporibus intereuntibus etiam ipsae intereunt. Genes. 1, v. 20: *Dixit Deus, producant aquae reptile animae viventis et volatile volitet super terram.* v. 24. *Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta et reptilia et bestias terrae secundum species suas.* Homini vero animam inspiravit. Genes. 2, v. 7: *Formavit Dominus Deus hominem de limo terrae et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem.* Unde sic inferimus. Cujus origo a
brutorum animabus diversa, ejus quoque non est idem XVII. 152.
cum brutorum animabus interitus. Jam vero animae humanae primaeva origo a brutorum animabus est diversa, quia non ex materia elementari, sicut brutorum animae, est facta, sed divinitus corpori ex terra formato inspirata. Ergo corpori tribuitur *πλάσις* ex terrae pulvere, animae vero immediata Dei *ἔμπνευσις*. Hebraei notant in verbo וַיִּיצֶר poni duplex jod, cum regulariter deberet esse unum jod et duplex zere, ad innuendam duplicem hominis creationem, terrenam corporis et coelestem animae. Bernhardus sermon. 2. de nativ. Dom.: *Spiritus non communem, sed propriam habet conditionem, nec in massa creatur, sed singulari quadam excellentia inspiratur.* Augustinus lib. 2. de Genes. ad literam cap. 9. huc accommodat dictum Esaiae cap. 57, v. 16: *Animas ego feci.* Convenientius huc refertur locus Eccl. 12, v. 7: *Spiritus redit ad Deum, qui dedit eum*, hoc est Deus ex terrae pulvere corpus hominis formavit, sed animam ei inspiravit, ideo pulvis sive corpus ex pulvere formatum in terram revertitur, sed spiritus ad Deum, qui dedit eum. Addendum autem huic argumento, quod homo *ad imaginem et similitudinem Dei fuerit creatus* Genes. 1, v. 27. ac proinde etiam ad immortalitatem Sap. 2, v. 23. quam enim Deus homini inspiravit animam, ea luce divinae sapientiae, justitiae ac laetitiae fuit collustrata et ad vitam aeternam condita.

143. *4. Ex ipsa appellatione.* Animam primo homini inspiratam Moyses vocat נִשְׁמַת חַיִּים *spiraculum vitarum*, ubi notant *numerum pluralem*, quo innuitur gemina hominis vita, temporalis et aeterna, quam immortalis animae beneficio homo obtinere debuit, sed quia vox חַיִּים est plurale tantum, ideo argumentum illud non est adeo firmum.

Quidam argumentum petunt ex appellatione *spiritus*. Ut enim angeli, quia sunt spiritus ἄϋλοι et immateriales, recte creduntur immortales; ita quoque anima humana, quia vocatur spiritus Eccles. 3, v. 21. Act. 7, v. 58. Hebr. 12, v. 23. etc. ideo immortalis merito statuitur. Sed cum etiam brutorum animae dicantur spiritus Gen. 6, v. 17. Eccl. 3, v. 21. ideo ex sola et nuda illa denominatione argumentum apodicticum peti nequit, sed reliquis est conjungendum et addendum, quod anima sit talis spiritus, qui ad Deum redeat, qui in manus Dei commendari possit ac debeat etc. *5. Ex vitae post hominis mortem continuatione.* Quicunque corpore in cinerem redacto adhuc vivunt, illorum anima vivit.
XVII. 153. Ratio est, quia non sunt plures hominis partes quam duae, corpus et anima; utique ergo vel respectu corporis, vel animae vita ipsi tribuitur, de corpore post mortem ante resuscitationem et unionem cum anima dici nequit, quod vivat, ergo de anima hoc intelligendum. Jam subsumo. Sancti patriarchae corporibus suis in cinerem redactis adhuc vivunt, Matth. 22, v. 32. Marc. 12, v. 26. Luc. 20, v. 37. ubi Christus tali argumento utitur: Quos Deus eo loco habet, ut se eorum Deum esse pronuntiet, illi vivunt, *quia Deus non est Deus mortuorum, sed viventium.* Atqui Deus sanctos patriarchas Abrahamum, Isaacum et Jacobum eo loco habet, ut se eorum Deum etiam post mortem pronuntiet, Exod. 3, v. 6. Ergo sancti illi patriarchae Abrahamus, Isaacus et Jacobus etiam post mortem adhuc vivunt. Nondum autem vivunt ratione corporum suorum. Ergo respectu animarum. Quod autem de sanctis patriarchis dicitur, idem de reliquis piis statuendum, quia Deus etiam se ipsorum Deum esse asserit, ubi nota, Christum hoc argumentum petiisse videri ex Habac. 1, v. 12: *Quoniam tu es Deus noster ab initio, non moriemur*, scilicet in aeternum.

144. Excipiunt Photiniani, *1. Salvatori de resurrectione corporum ibi agere propositum esse.* Respondemus: ex eo inferri nequit, quod non etiam animarum immortalitatem eadem opera stabiliat, quia ex animae immortalitate ejusdem unionem cum corpore contra Sadducaeos concludit, et valde emphaticum est, quod non in futuro, sed in praesenti loquitur apud Luc. cap. 20, v. 38: *Omnes ei vivunt.* Sadducaei non solum negabant resurrectionem corporum, sed etiam animarum immortalitatem Act. 23, v. 8. utrumque igitur Christus contra eos ex Moyse, cujus solius libros recipiebant, demonstrat. Hieronymus in comm. Matth 22: *Ad aeternitatem animarum probandam de Moyse ponit exemplum, ut cum probaverit, animas permanere post mortem, neque enim poterat fieri, ut eorum esset Deus, qui nequaquam subsisterent, consequenter introduceretur et corporum resurrectio, quae cum animabus bona malave gesserunt. 2. Non patres ipsos, sed animas eorum vivere Christus dicere debuisset.* Respondemus: ex subordinatis non sunt facienda opposita. Patres ideo atque inde dicuntur vivere, quia animae eorum vivunt. Usitata est in Scripturis synecdoche, qua toti tribuitur quod est partis. Sic apostolus dicit, *cupio esse cum Christo,* Philipp. 1, v. 23. animae scilicet ratione et respectu. Latro conversus eo ipso die erat futurus cum Christo, Luc. 23, v. 43. *3. Deus dicitur patriarcharum Deus, quia olim ipsis benefecerat.* Respondemus: sic Christo fuisset dicendum, non ego sum, sed *fui* Deus ipsorum. Quamvis vero Moyses in Hebraeo verbum substantivum non addat, Christus tamen dictum Mosaicum allegans recte illud expressit, cum implicite in eo contineatur. *4. Dicitur ipsorum Deus, quia benefacit posteritati.* Respondemus: Scriptura utrumque conjungit, quod sit Deus patrum et seminis sive posteritatis eorum, Gen. 17, v. 7. utrisque ergo benefacit, non solum in vita, sed etiam post mortem, si scilicet in vera fide ad finem usque vitae perseverent. 5. *Christus* Rom. 14, v. 9. *etiam mortuorum Dominus appellatur.* Respondemus: quidam distinguunt inter has phrases, *esse Deum mortuorum et Dominum mortuorum*, sed simplicius respondetur, Christum ac commodare responsum suum ad opinionem Sadducaeorum, qui existimabant, hominem anima et corpore exstingui, neque unquam ad vitam resurgere; in hoc sensu recte negat Christus, Deum esse Deum mortuorum, hoc est eorum, qui nec animae, nec corporis respectu vivunt, qui plane in nihilum redacti; apostolum vero asserere, quod Christus sit dominus viventium ac mortuorum, hoc est eorum, qui non amplius in his terris quidem vivunt, interim tamen respectu animae beatam in coelo vitam agunt. Breviter, Deus est tantum Deus vivorum, hoc est illi, quorum se Deum vocat coelestis ille Dominus, vivunt, sed vivi illi sunt in duplici differentia, quidam vivunt in corpore et cum corpore, quidam vero extra corpus et a corpore soluti, omnes tamen vivunt. Ex illo igitur divino oraculo Salvator
noster et animae immortalitatem et corporum resur- XVII. 154.
rectionem recte omnino contra Sadducaeos probavit. Idem agnoscunt pii veteres. Origenes tractat. 22. in Matth. circa fin.: *Deus qui est, dicit: Ipse ego sum qui sum etc. Cum posset mille exempla proferre ostendentia resurrectionem futuram, hoc non fecit ex prophetis, sed tantum ex lege, quoniam Sadducaei tantum Mosaicam legem legebant, ex qua volens eos placare, protulit inde exemplum. Si impossibile est, ut dicatur eorum Deus esse, qui non sunt, et si hoc impossibile est, ergo eorum est Deus, qui sunt et qui vivunt et sentiunt beneficium ejus.* Hilarius in Psalm. 51: *Omnis fidelis in Domino, licet mortuus sit, Deo tamen vivit, ut dictum est: Ego sum Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Jacob. Non est Deus mortuorum, sed vivorum.* Et postea: *Deus jus vivificandi sibi non ademit, legem nobis decernendo moriendi etc. vivunt itaque quique sancti fideles Deo. Nam cum se Deum eorum, qui mortui fuerant, id est Abrahae et Isaac et Jacob dicat, et continuo testetur, non mortuorum se, sed vivorum Deum esse, docet*

*per id, eos, qui judicio humanae opinionis mortui existimantur, sibi legem decernenti non mortuos esse.* Idem can. 23. in Matth. circa med.: *Sermo hic, ego sum Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob, ad Moysen sanctis istis patriarchis jam pridem quiescentibus exstiterat. Ergo quorum erat Deus, hi Deum habebant. Nihil autem poterant habere, si non erant. Quia in natura rei est, ut esse id necesse sit, cujus est alterum. Atque ita Deum habere viventium est, cum Deus aeternitas sit et non sit eorum, quae mortua sunt, habere id, quod aeternum est. Et quomodo esse illi futurique semper negabuntur, quorum se esse profiteatur aeternitas?* Damascenus lib. 4. orth. fid. c. 28: *οὐκ ἔστιν ὁ θεὸς νεκρῶν θεὸς τῶν ἀποθανόντων καὶ οὐκ ἔτι ἐσομένων, ἀλλὰ ζώντων, ὧν αἱ ψυχαὶ μὲν ἐν χειρὶ αὐτοῦ ζῶσι, τὰ δὲ σώματα πάλιν διὰ τῆς ἀναστάσεως ζήσεται.* Lutherus in comm. Genes. tom. 2. p. 195: *In primo praecepto est doctrina fidei et resurrectionis mortuorum. Ego creator omnipotens coeli et terrae sum Deus tuus, hoc est tu debes vivere ea vita, qua ego. Si cum bobus loqueretur haec, in aeternum viverent, nobis autem, nobis, inquam, haec dicuntur, non illud, tu debes comedere paleam, triticum, gramen, sed sum Deus tuus etc.* Observari *ὡς ἐν παρόδῳ* potest, quod Bellarminus lib. 1. de purg. c. 3. resp. ad 2. monet, *apud Judaeos olim fuisse usitatissimum, habere pro eadem quaestione illam de resurrectione et illam de animae immortalitate, etsi re vera distinctae sint. Nam apud Judaeos, qui negabant unum, negabant alterum, ut Sadducaei, et qui unum fatebantur, etiam alterum fatebantur, ut Pharisaei, ut patet* Actor. 23. *Nec immerito, nam cum anima rationalis sit vera forma corporis et proinde vera pars hominis, non est verisimile, Deum voluisse, animam perpetuo vivere sine corpore. Hinc Dominus Matth. 22. probaturus Sadducaeis resurrectionem, utitur illo testimonio Scripturae: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, et subjungit, non est Deus mortuorum sed viventium, ex quibus inferre intendit, ergo mortui resurgunt. At hoc argumentum nihil concludit, nisi praesupponatur, quaestionem de immortalitate animarum et de resurrectione corporum accipi pro una et eadem, posset enim alioqui negari consequentia. Nam Deus erit Deus viventium, etiamsi mortui non resurgant, quandoquidem animi ipsi vivunt. Pari ratione apostolus cum ait* 1. Cor. 15: *Quid mihi prodest? si mortui non resurgunt, comedamus et bibamus, cras enim moriemur; nisi praesupponat, animas esse mortales, si corpora non resurgunt, nihil probat. Nam si animus est immortalis, etiamsi corpora non resurgant, multum proderit jejunare et bene vivere, quia proderit ad gloriam animae acquirendam.* Aben Ezra in cap. 18. Lev. v. 3. ideo dicit, ego ero Dominus Deus vester, ut ostendat, ipsos victuros in utroque seculo. Flacius in clav. Script. part. 1. in verbo Resurrectio. Matth. 22. et 1. Cor. 15. quaestio de animae immortalitate cum corporum resurrectione conjungitur atque una ex altera probatur. Istius conjunctionis XVII. 155.
duarum quaestionum, nempe immortalitatis animae et resurrectionis corporis, seu contra mortalitatis animae et corporis perpetui interitus aut abolitionis aeternae est ipsarum duarum hominis partium summa conjunctio. Non enim ita est condita a Deo anima, ut perpetuo sola vivere sine corpore debeat, sicut angeli, sed cum sit tantum altera pars hominis, necessario requirit etiam alterius reparationem, ut fieret homo integer, et qui totus peccavit, totus puniatur, vel contra qui totus est Christo insertus ac per eum justificatus et filius Dei factus, totus etiam in perpetuum vivat. Si igitur corpus nunquam debet per resurrectionem reparari, necessario etiam altera hominis pars, nempe anima erit manca et veluti nihil. Quodsi illa vivit et in perpetuum vivere ac vel bene vel male habere debet, necessario et alteram ad se omnino pertinentem partem aliquando recipere debet, ut in perpetuum homo integer exsistat. Sic igitur ex immortalitate animae etiam corporis immortalitas per resurrectionis instaurationem facta solide deducitur, et contra ex plena perpetuaque abolitione corporis etiam animae tanquam mancae et mutilae partis (ut ita dicam) nullitas interitusque consequitur.

145. *6. Ex mortis descriptione.* Patriarcharum mors a Spiritu s. sic describitur, *quod congregati fuerint ad populum suum* Gen. 25, v. 8. cap. 35, v. 29. cap. 49, v. 32. ex qua phrasi immortalitatem animae evidenter colligi posse, ostendimus superius. De Abrahamo primo omnium haec phrasis usurpatur, de quo dici nequit, quod corpus ejus majorum sepulcris sit illatum, ergo ratione corporis illa collectio ad populum facta intelligi nequit. Danieli morituro dicitur Dan. 12, v. 13.: *Vade ad finem, et requiesces et stabis* (resurges tempore divinitus statuto atque interim quoad animam constitueris) *in sorte tua,* hoc est tibi assignata, *in sorte* scilicet *sanctorum in lumine* Act. 26, v. 18. Col. 1, v. 12. Theodotion vertit *in ordine tuo.* Ergo Danielis anima non interiit in morte, sed in sorte sanctorum superstes permansit. Contra de Juda proditore Petrus dicit Act. 1, v. 25. quod post mortem abierit *in locum suum,* hoc est in locum tormentorum, justo scilicet Dei judicio sibi et omnibus incredulis paratum, Matth. 25, v. 41. Ut enim parabolice Salomon Eccl. 11, v. 3. docet: *Si ceciderit arbor,* hoc est si in morte anima hominis a corpore soluta emigraverit, *ad austrum vel ad aquilonem,* in loco gaudiorum vel cruciatuum, in luce vel in tenebris, in beatitudine vel damnatione, *in quemcunque locum inciderit, ibi erit ac manebit.* 2. Cor. 5, v. 1. et 2. Pet. 1, v. 14. mors vocatur *depositio tabernaculi,* jam vero quando tabernaculum deponitur, is qui in tabernaculo habitavit, non statim interit, sed fortunarum suarum sedem alibi figit. 2. Cor. 5, v. 4. in morte dicimur *exui,* corporis scilicet vestimento, jam vero qui vestibus exuitur, non statim esse desinit. v. 8. *ex corpore ad Dominum peregrinari* dicimur,

jam vero qui peregrinatur, locum duntaxat mutat, non autem vitam amittit. Idem ergo de anima hominis in morte statuendum. *7. Ex animarum post mortem statu et conditione.* De animabus *omnium hominum* in genere dicitur Eccl. 12, v. 5. *quod abeant in domum aeternitatis suae*, hoc est ad locum, in quo manebunt in perpetuum, id quod de corporibus intelligi nequit, quippe quae ex sepulcro excitabuntur; Luc. 12, v. 20. quod in morte eas Deus *repetat*. De animabus piorum in specie dicitur, *quod in manum Dei* velut praeclarum aliquod depositum ac κειμήλιον commendentur, Psalm. 31, v. 6. Luc. 23, v. 46. Act. 7, v. 58. unde Christus non in vita solum, sed etiam in morte earum *pastor et episcopus* nominatur, 1. Petr. 2, v. 25. quod *ab angelis in sinum Abrahae deportentur* Luc. 16, v. 22. quod sint *in manu Dei*, *et non tangat illas tormentum* Sap. 3, v. 1. quod *sint cum Christo* Phil. 1, v. 23. quod *sint praesentes apud Dominum* 2. Cor. 5, v. 8. quod *sint cum Christo in paradiso*, statim ut e corporibus fuerint solutae Luc. 23, v. 43. (Schmaltzius disput. 7. post. cont. Frantz. p. 410.
XVII. 156. textum sic divellit, ut legendum esse statuat, *ego dico tibi hodie*, *mecum eris in paradiso*. Sed hanc nefariam separationem conjungendorum refutabimus inferius); quod *redeant ad Deum* (in coelestem beatitudinem, sic enim a quibusdam specialiter de piorum animabus hoc dictum accipitur, quamvis etiam generaliter sensu antea exposito accipi possit) Eccles. 12, v. 7. quod sint *ante thronum Dei et serviant ei die ac nocte* Apoc. 7, v. 15. quod *expetant a Deo vindictam sanguinis* Apoc. 6, v. 10. id quod peculiariter de animabus martyrum interfectorum propter verbum Dei accipiendum, v. 9. Contra vero de animabus damnatorum dicitur, quod detrudantur statim a morte *in infernum*, *in locum tormentorum*, ibidemque crucientur, Luc. 16, v. 23. 24. 25. 28. quam diversam, imo adversam prorsus ac contrariam animarum piarum et impiarum post mortem conditionem emphaticis verbis describit Abigail in colloquio cum Davide 1. Sam. 25, v. 29: *Anima domini mei erit illigata seu involuta in fasciculo viventium*, *sed anima inimicorum tuorum funda rotabitur*. Illud enim non tantum de conservatione vitae adversus violentiam hostium, sed etiam de remuneratione pietatis et clementiae post hanc vitam accipiendum esse ex aliis Scripturae dictis colligi potest. Ex quibus omnibus sic concludimus: Quidquid statim post mortem praemia vel poenas accipit, illud post mortem superstes manet; sed anima hominis statim post mortem praemia vel poenas accipit; ergo. *8. Ex Moysis apparitione.* In transfiguratione Christi Matth. 17, v. 3. Marc. 9, v. 4. Luc. 9, v. 30. comparet ac cum Christo loquitur non solum Elias, qui vivus curru igneo in coelum erat evectus, quem Tertullianus de resurr. carnis cap. 8. vocat aeternitatis candidatum, sed etiam Moyses, qui ante aliquot secula erat mortuus, et corpus ejus terrae illatum Deut. 34, v. 5. et 6. ergo ipsius anima non interiit simul cum corpore, sed ad coelestem beatitudinem evecta gaudio fruitur sempiterno. Idem de animabus reliquorum piorum statuendum. *9. Ex carnis resurrectione.* Credimus in symbolo *carnis resurrectionem*. At quomodo resurget corpus sine anima, quove modo erit anima, si non erit?

An immortalitas animae ex lumine naturae XVII. 157. cognosci possit.

146. Haec sunt potiora argumenta, quae pro animae ἀθανασίᾳ καὶ ἀφθαρσίᾳ ex Scripturis afferuntur. Quidam statuunt, eandem *ex lumine naturae* efficaciter demonstrari posse, quam ad rem has potissimum rationes proferunt. 1. Anima rationalis est substantia *per se subsistens* et spiritualis, ut patet ex operatione, quia actus cognoscendi nonnulli spirituales sunt in nobis, hoc est neque ex materia constantes, neque a materia subjectove dependentes, sed inorganici in immaterialibus universalibus et aeternis cognoscendis. Ergo etiam est immortalis. Hoc argumentum late deducunt Conimbricenses in tract. de anim. separat. disp. 1. artic. 3. col. 568. 2. Anima humana est essentia simplex, invisibilis, immaterialis, Deo simillima, independens a materia; 3. est essentia sese primo movens; 4. desiderat naturae appetitu aeterna, quod desiderium frustra illi ingenitum esse, non est verisimile; 5. contemplatur aeternas essentias, cum tamen nihil assurgere possit ad contemplationem ejus, a quo toto genere essendi discrepat; 6. in abstractione a rebus sensibilibus magis magisque perficitur, ergo quando a corpore separabitur, perfectissima evadet; 7. non est ex elementis orta, quia habet notitias naturaliter insitas, quas nulla materia elementaris imbibere potest; 8. habet insitum discrimen honestorum et turpium, ex quo colligit hanc justitiae regulam, quod bonis debeat esse bene, malis male. Jam vero in hac vita boni saepius non accipiunt sua praemia, nec mali promeritas poenas, ergo restat vita alia, ad quam immortalis anima adspirat, alias discrimen illud frustra esset menti insitum; 9. hominibus male sibi propter scelera consciis metum injicit, ergo de secuturo post mortem statu naturaliter est sollicita et suae immortalitatis sibi probe conscia, nisi enim anima post mortem superstes esset, nihil causae haberent homines male sibi conscii, cur de futuris poenis formidarent; 10. ecstasin quandam, hoc est intentam partis rationalis ad res sublimes absque ullo sensuum usu applicationem, naturaliter quandoque patitur, ergo etiam naturaliter per se subsistere potest, quia unumquodque sicut ab altero in operando per se non pendet, ita nec in essendo. Zabarella lib. de accret. et nutrit. cap. 15. pag. 811. 11. Denique urgent consensum saniorum philosophorum, qui animae immortalitatem arguit esse ex numero eorum, quae sunt προλήψεις, anticipatae quaedam notiones, ab omnibus concessae. Tertullianus de resurr. carn. cap. 3: *Quaedam et natura nota sunt, ut immortalitas animae penes plures.* Phocylidis versiculus e Sibyllarum oraculis descriptus de immortalitate animae sic loquitur:

XVII. 158. ψυχαὶ γὰρ μίμνουσιν ἀκήριοι ἐν φθιμένοισιν.

Item:

ψυχὴ δ' ἀθάνατος καὶ ἀγήρως ζῇ διὰ παντός.

Lactantius lib. 7. instit. cap. 13. etiam hosce Sibyllinos adducit:

αἰὲν ἀγήραος οὖσα μένει δ' εις πάμπαν ἀτειρής,
ἀθάνατος δὲ μένει, καὶ ζωῆς δεσπότις ἐστί.
πρωτογόνος γὰρ τοῦτο θεοῦ διέταξε πρόνοια.

Ovidius canit: *Morte carent animae.* Confer Platonem in Gorgia, Phaedone, Epinomide ac lib. 10. πολιτειῶν, Ciceronem lib. 1. Tusculan. et in Catone majore sive de senectute, Thomam lib. 2. contra gentes cap. 79. Antoninum Florentin. part. 1. summ. tit. 1. cap. 5. §. 2. Pererium lib. 6. physic. c. 20. Valerium in phys. cap. 50. Scaligerum exerc. 307. sect. 20. Andream Cesalpinum lib. 2. quaest. Peripatet. q. 8. Lemnium lib. 1. de occult. nat. mirac. cap. 14. Camerarium lib. 1. subcisiv. oper. c. 97. et alios complures. Ludov. Vives lib. 2. de anima c. de imm. anim.: *Quocunque nos convertimus, sursum, deorsum, circumcirca, omnia docent, testantur, clamant,*
XVII. 159. *immortalem esse animam. Natura et necessitas causarum, proportio et similitudo, vita et congruentia, dignitas hominis, Dei bonitas, utilitas nostra ex illius beneficentia.*

147. Contra vero Scotus 4. sent. dist. 43. q. 2. Cajetanus in. c. 9. Romanos et in c. 3. Eccl. et qui eos hac in quaestione sequitur Scaliger exerc. 307. sect. 33. statuunt, non posse naturali lumine animae immortalitatem firmiter et apodictice demonstrari, quibus hoc nomine graviter succensent Conimbricenses loco dicto, sed praeter meritum. Distinguimus enim primo inter *rationes praecedentes et sequentes.* Thomas part. 1. q. 32. art. 1: *Ad aliquam rem dupliciter inducitur ratio, primo ad probandam sufficienter aliquam radicem, secundo quae radici jam positae ostendit congruere consequentes effectus.* Hoc posteriori modo immortalitas animae ex lumine naturali demonstrari potest, postquam ex Scripturis sacris immota consequentia eadem prius fuerit demonstrata. Deinde *inter rationes cogentes et verisimiles.* Argumenta quae ex lumine naturae proferuntur, quandam verisimilitudinis persuasionem de animae immortalitate inducere possunt, sed firmum immotum ac ἀμετάπτωτον fidei fundamentum nequaquam exhibent. *Quis enim novit*, inquit sapiens Eccles. 3, v. 21. ex naturalibus scilicet principiis ac rationibus, *an spiritus hominis descendat sursum et spiritus jumentorum descendat deorsum?* Philip. Melanthon in explicat. evang hom. de die paschat. fol. 519. edit. Hannov. an. 1549: *Philosophia aliquid auguratur et habet conjecturam aliquam de immortalitate quantulamcunque et qualemcunque.* Peter Martyr class. 3. locor. c. 15. n. 16: *Animam esse immortalem naturae lumini perquam obscurum est, quia nobiles philosophi non pauci longe diversum fuere opinati. Quin et ipsi Aristoteli a Tertulliano et Nazianzeno asscribitur, quod animam hominis mortalem esse censuerit. Et Alexander Aphrodisaeus Peripateticus non obscurus hoc sensit* etc. Patet etiam illud ipsum ex loco Ciceronis lib. 1. Tuscul. quaest. non longe a prin- XVII. 160.
cip. Ibi enim Atticus sic loquens introducitur: *Delectat me illa sententia, posse animos, cum e corporibus excesserint, in coelum quasi in domicilium suum pervenire, idque primum ita esse, deinde etiam si non sit, mihi persuaderi velim.* Respondet Marcus: *Quid tibi ergo opera nostra usus est? num eloquentia Platonem superare possumus? evolve diligenter ejus librum, qui est de animo; amplius quod desideres, nihil erit.* Subjicit Atticus: *Feci me hercule, et quidem saepius; sed nescio quo modo, dum lego, assentior, cum posui librum et mecum ipse de immortalitate animorum coepi cogitare, assensio omnis illa elabitur.* Eadem dubitatio proponitur in Catone apud Ciceronem in dial. de senectute. Philosophorum ergo de animae immortalitate sententiae multis dubitationibus sunt obnoxiae, nec dissimiles ventorum et fluctuum procellis, quibus navis χειμαζομένη in mari concutitur atque hinc inde circumagitatur.

148 Ex *patribus* pro adstruenda animae immortalitate multa adduci possunt, cum unanimi piae et eruditae antiquitatis consensu hoc dogma propugnetur. (Dicta patrum de animae immortalitate.) Clemens lib. 3. recognitionum testatur, Petrum hac argumentatione usum fuisse: *Si Deus justus est, anima immortalis est.* Irenaeus lib. 2. cap. 62. pag. 163: *Plenissime Dominus docuit, non solum perseverare animas non de corpore in corpus transgredientes, sed et characterem corporis, in quo etiam adaptantur, custodire eundem et meminisse eas operum, quae egerunt hic et a quibus cessaverunt, in enarratione, quae scribitur de divite et Lazaro.* lib. 5. cap. 10. p. 324: *Incorruptibiles sunt animae quantum ad comparationem mortalium corporum. Insufflavit enim in faciem hominis Deus flatum vitae, et factus est in animam viventem, status autem vitae incorporalis est. Caro est, quae moritur et solvitur, sed non anima neque spiritus. Mori enim est vitalem amittere habilitatem et sine spiramine in posterum et inanimalem et immobilem fieri et deperire in illa, ex quibus et initium substantiae habuit. Hoc autem neque animae evenit, flatus est enim vitae, neque spiritui, incompositus est enim et simplex spiritus, qui resolvi non potest, et ipse vita est eorum, qui percipiunt illum.* Auctor quaest. ad Antiochum, quae Athanasio tribuuntur q. 17: *Verbum Christi clarissime nos docet, quod corpus nostrum mortale et quod immortalis sit anima nostra. Inquit enim Christus: Ne metuatis ab istis, qui corpus occidunt, animam vero non possunt occidere.* Chrysostomus homil. 4. de provid. *eos qui de animae immortalitate dubitant, dubitare etiam posse* dicit, *an in meridie dies sit.* Ambrosius lib. de bono mortis cap. 9. tom. 4. pag. 239: *Non mori animam cum corpore manifestum est, quia non est de corpore, non esse autem eam de corpore, Scriptura multis modis edocet. Nam et Adam a Domino Deo*

*nostro accepit Spiritum vitae et factus est homo in animam viventem; et David ait: Convertere anima in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Et in quo benefecerit audi, quia liberavit, inquit, pedes meos a lapsu. Vides, gratulari eum mortis hujus remedio, quia finis factus est erroris, quia culpa, non natura deficit. Denique quasi exutus et liber dicit: Placebo Domino in regione viventium, illa enim est vivorum regio. Denique illam animarum requiem dicit terram esse viventium, quo peccata non penetrant, ubi virtutum vivit gloria.* Et postea: *Anima quae peccat, moritur, non utique aliqua sui dissolutione, sed merito moritur Deo, quia vivit in peccato. Nam quomodo substantia ejus interire potest, cum utique anima sit, quae vitam infudit? et cui anima infunditur, vita infunditur, a quo anima discedit, vita discedit; anima ergo vita est. Quomodo enim potest mortem recipere, cum sit contraria? sicut enim nix calorem non recipit, nam statim solvitur, et lux non recipit*
XVII. 161. *tenebras, nam statim discutit, infuso enim lumine tenebrarum horror aufertur; sicut admoto igne nivium rigor desinit, ita et anima, quae vitam creat, mortem non recipit nec moritur.* cap. 10: *Habes ergo rationem, sed haec humana, illud divinum, quod ait Dominus: Potestatem habeo ponendi animam meam et potestatem habeo iterum sumendi eam. Vides igitur, quia non moritur cum corpore, quae et ponitur et resumitur, et in manus Dei patris commendatur. Sed ne forte dicas, speciale esse, quod Christi est, audi dicentem: Quid scis, an nocte hac tua anima reposcatur? numquid dixit, moriatur in te anima tua? non, sed reposcatur a te. Quae data est, reposcitur vel repetunt a te. Repetitur enim anima, non interimitur. Quod repetitur, manet, quod interimitur, non manet* etc. Lactantius lib. 7. instit. cap. 9. 10. et 11. multis argumentis immortalitatem animarum probat. *Si* (inquit) *Deus est et incorporalis et invisibilis et aeternus, ergo non idcirco animam interire credibile est, quia non videtur, postquam recessit a corpore, constat enim, esse aliquid sentiens ac vigens, quod non veniat sub adspectum. Ex eo quoque animae immortalitas cognoscitur, quia nullum sit aliud animal, quod habeat notitiam aliquam Dei, religioque sit paene sola, quae hominem a brutis discernat; quae cum in hominem solum cadat, profecto testatur, id affectare nos, id desiderare, id colere, quid nobis familiare, quid proximum sit futurum* etc. *Virtus quoque soli homini data magno argumento est, immortales esse animas, quod nec erit secundum naturam, si anima exstinguitur, huic enim praesenti vitae nocet.* cap. 13. dicit, *illos qui animarum immortalitatem negaverunt, habuisse incolumes oculos, sed cor coecum.* Gregorius Nyssenus in lib. de resurr. et anim. itidem multis argumentis animae immortalitatem confirmat. Augustinus in Psalm. 88: *De animi immortalitate multi etiam philosophi gentium multa disputaverunt et immortalem esse animam humanam pluribus et multiplicibus libris conscriptum memoriae reliquerunt.* lib. 1. de orig. anim. ad Hieron. c. 2. inter ea, quae de anima firmissime se tenere asserit, numerat *ejusdem immortalitatem. Anima hominis*, inquit, *immortalis est secundum quendam modum suum, non enim omnino sicut Deus. Nam de animae mortibus sacra Scriptura multa commemorat, sed quod ita moritur alienata a vita Dei, ut tamen id natura sua vivere non omnino desistat, ita mortalis ex aliqua causa invenitur, ut etiam immortalis non sine ratione dicatur.* Epist. 3 ad Volus.: *Quis nunc extremus idiota vel quae abjecta muliercula non credit animae immortalitatem?* Sidonius in epitaph. Claud. Mamert.: *Mens et gloria non queunt humari.* Gregorius in dialog.: *Tres vitales spiritus creavit omnipotens Deus, unum qui carne regitur; alium qui carne tegitur, sed non cum carne moritur; tertium qui carne tegitur et cum carne moritur. Primus angelorum, secundus hominum, tertius brutorum*, sed in re manifesta pluribus opus non est.

149. Immortalitatem animae negant *1. Epicurei*, quorum impias cogitationes ac voces μιμητικῶς Scriptura exprimit: Esa. 22, v. 13. 1. Cor. 15, v. 32: *Comedamus et bibamus, cras enim moriemur.* Sap. 2, v. 2: *Fortuito nati sumus et posthac erimus, quasi nunquam fuissemus*, v. 3. *quia corpus nostrum erit cinis exstinctus et spiritus diffundetur tanquam mollis aër.* v. 21: *Haec cogitaverunt et erraverunt, excoecavit enim illos malitia eorum*, v. 22. *et non cognoverunt mysteria Dei neque mercedem speraverunt justitiae, neque judicaverunt honorem animarum immaculatarum*, v. 23. *quod Deus creavit hominem ἐπ' ἀφθαρσίᾳ* etc. Augustinus lib. confess. cap. ult.: *Si animus mortalis est, Epicurus in animo meo palmam habet.* Conf. Plutarchus lib. 4. de placit. philos. c. 7. Galenus lib. de phil. hist. c. 17. ubi Epicuro hanc opinionem tribuunt. Utinam vero ea cum Epicuro fuisset exstincta! sed res ipsa testatur, non esse de nihilo querelam Brentii homil. 35. in c. 2. Luc. *Etsi* (inquit) *inter nos nulla sit publica professio, quod anima simul cum corpore intereat et quod non sit resurrectio mortuorum, tamen impurissima et profanissima illa vita, quam maxima pars hominum sectatur, perspicue indicat, quod non sentiant, esse vitam post hanc* etc. *2. Sadducaei*, de quibus Act. 23, v. 8. *dicunt, non esse resurrectionem, nec angelum, nec spiritum.* Quidam *per spiritum* intelligunt angelum, existimant igitur, verba illa μηδὲ ἄγγελον tanquam glossema in textum irrepsisse vel certe posterius esse ἐξηγητικὸν prioris sicut v. 9. εἰ πνεῦμα ἐλάλησεν αὐτῷ ἢ ἄγγελος, cui expositioni favere putant, quod additur, *Pharisaei credunt τὰ ἀμφότερα*, scilicet et carnis resurrectionem futuram et angelos esse. Sed praestat literali sensui inhaerere, quod Sadducaei negaverint non solum angelos, sed etiam animas, hoc est quod statuerint, animam hominis nihil aliud esse quam naturale temperamentum elementorum, quod cum corpore intereat, non essentiam

Antithesis eorum, qui negant animae immortalitatem. XVII. 162.

spiritualem, quae a corpore separata post mortem exsistat. Josephus lib. 18. antiquit. Judaic. c. 2: *Sadducaeorum opinio cum corpore simul exstinguit et animas.* lib. 2. de bell. Judaic. c. 7: *Sadducaei generaliter animarum vel supplicia denegant, vel honores.* vid. Tertullianus lib. de resurr. carn. *3. Arabes quidam*, de quibus Eusebius lib. 6. hist. eccles. c. 37: *Exorti sunt et alii quidam tum temporis* (tertio post Christum seculo) *in Arabia dogmatis a veritate alieni introductores, qui animas in hoc praesenti tempore una cum corporibus mori ac corrumpi et in futura resurrectione simul cum illis vitae denuo restituendas dixerunt. Convocata igitur etiam hanc ob causam haud mediocri synodo rursus vocatus Origenes, de quaestione hac ita publice disputavit, ut mentes eorum, qui antea seducti fuerant, ab errore averterentur.* Quem locum ex Eusebio totidem verbis adducit Augustinus lib. de haeres. ad Quodvultd. c. 83. idem habetur in jure canonico c. Quidam. 24. q. 3. 4. Affine est huic errori, quod de *Origene* Hieronymus in epist. ad Avitum commemorat, eum sensisse, *animas post-*
XVII. 163 *quam salutem consecutae fuerint, amplius non futuras animas. Sicut enim, inquit, venit Dominus atque Salvator quaerere et salvum facere, quod perierat, ut perditum esse desistat; sic anima, quae perierat et ob cujus salutem venit Dominus, cum salva facta fuerit, anima esse cessabit.* 5. Damascenus lib. de haeres. p. 585. mentionem facit quorundam haereticorum, quos vocat *Thnetopsychitas, qui hominum animos pecudum animis similes induxerint atque eos una cum corporibus interire dixerint.* 6. Multi *ex philosophis gentilibus* animae immortalitatem negarunt. Augustinus lib. de spir. et anim. c. 48: *Anima non moritur cum corpore, ut Aratus asserit, neque postmodum interit, sicut Zenon dixit, quia substantialiter vivit.* Plinius lib. 7. nat. hist. cap. 55. de anima brutorum, de quibus tam multa scripsit, optime meritus, de humana pessime, cujus immortalitatem acerba mordacitate insectatur. Galenus in libro, *quod animi mores temperamentum corporis sequantur*, Platonem exagitat, quod animae immortalitatem defendat. Justinus in paraenes. ad gent. Gregor. Nyssenus in lib. de anim. Nazianzenus cont. Eunom. Plutarchus in lib. de placit. philos. c. 1. Cajetanus lib. 3. de anim. cap. 2. Pomponatius in lib. de immortal. anim. et alii complures Aristoteli tribuunt, quod animam hominis mortalem esse statuerit, sed Eugubin. lib. 3. de perenn. philos. cap. 21. et Conimbricenses de anim. separ. disp. 1. art. 2. ab hac macula eum liberare conantur. lib. 3. de anim. cap. 5. ait, *νοῦς χωριστός ἐστι μόνον καὶ τοῦτο μόνον ἀθάνατον καὶ ἀΐδιον.* Scotus 4. sent. dist. 43. q. 2. art. 2. Niphus in opusc. de immort. anim. cap. 1. putant, *Aristotelem in hac quaestione omnino dubium fuisse ac modo in hanc, modo in illam sententiam inclinasse.* Lucretius lib. 3. triginta amplius argumentis animae mortalitatem probare nititur. 7. De Johanne XXIII. concilium Basileense sess. 11. sub finem tom. 4. concil. edit. Venet. p. 294. sic loquitur: *Saepe et saepius coram diversis praelatis et aliis honestis ac probis viris pertinaciter diabolo suadente dixit, asseruit, dogmatizavit, vitam aeternam non esse neque aliam post hanc, quinimo dixit et pertinaciter credidit, animam hominis cum corpore exstingui et mori instar brutorum animalium* etc. Paulus III. pontifex moriturus dixisse fertur, *se jam experturum veritatem trium quaestionum, de quibus in tota vita dubitasset, 1. an animae sint immortales, 2. an infernus sit, 3. an sit Deus.* Petrus Pomponatius Mantuanus Bononiae publice de animae mortalitate ejusque interitu docuit. Georgius Sabinus literis commendatitiis Philippi instructus ad Bembi cardinalis colloquium et mensam admissus est, a quo inter alia de tribus potissimum quaesivit Bembus, *1. quodnam esset annuum* XVII. 164
*stipendium Philippi; 2. quot auditores haberet; 3. quidnam sentiret Philippus de animae immortalitate, mortuorum resurrectione et vita aeterna?* Cumque ad tertium ζήτημα respondisset Sabinus, *exstare multas ejus paginas et praesertim librum locorum communium, in quibus videre sit certam ejus fidei de his articulis πληροφορίαν*, respondit Bembus: *Ego Philippum haberem virum prudentiorem, si haec non crederet*, Osw. Gotwaldus in meditat. practic. praesent. in coena. In concilio Lateranensi ann. 1512. peculiari decreto animae immortalitas asserenda erat, ex quo intelligitur, multos in regno papali de ea dubitasse. M. Antonius Zimara in problematibus probl. 50. quaerit, *propter quam causam clerici ac monachi in papatu mortem prae aliis aegre ferant ac perhorrescant?* ac respondet, *utrum quia natura sunt frigidi cordis et melancholici, an quia prorsus funditusque se interire statuunt, quandoquidem nec in propria, nec in posterum natura consistunt, ubi ex vita migraverint?* quo ipso innuere voluit, resurrectionem carnis et animae immortalitatem a multis eorum in dubium vocari. *8. De Anabaptistis* sic scribit Feuardentius in annotat. ad Irenaeum cap. 63: *Anabaptistae anno Domini 1568. theses Cracoviae impressas per Poloniam divulgarunt, quarum decima est: Negamus, aliquam animam post mortem manere. Sed illud dicimus excogitatum ab Antichristo ad stabiliendam suam culinam per fictum purgatorium et invocationem sanctorum. Quorum quoque unus minister Domonowski publica cum patribus societatis Poloniae habita disputatione ann. 1589. mense Octobri publice asseruit, animam cum corpore interire. Alter Budnaeus nomine hac de re interrogatus, quid sentiret, respondit, rem esse dubiam et sub judice adhuc litem pendere. Haec de Polonia sua refert Andreas Jurgievicius vir aeque diligens ac eruditus in libello, cui nomen dedit Bellum quinti evangelii cap 10.* Hactenus Feuardentius. *9. De Libertinis* scribit Calvinus in lib. contra Libertinos edito, quod auctore quodam Quintino Piccardo doceant, *animas hominum non esse immortales. 10. Servetus* animae mortalitatem

una cum aliis errorum portentis introduxit, teste Beza in epistola ad Dudithium pag. 190. 11. *Photiniani* de animarum immortalitate obscure et lubrice loquuntur, cujus consilii sui rationem exponunt in actis manuscriptis colloquii Racoviensis. *Caute* (inquiunt) *hac de re agendum est, quemadmodum et ipse Christus et apostoli sese ad captum populi accommodarunt, ut parabola de Lazaro et divite docet, non erat tunc tempus conturbandi Judaeos, ut et nunc non est. Sic et interdum possunt quaedam dici, quae hanc sententiam hominibus indicent, donec tandem maturescat aetas et homines hisce loquendi modis adsuescant.* Videntur autem sentire, *animam hominis una cum corpore exstingui, vocari vero immortalem, quia piorum animae una cum corporibus iterum resuscitandae sunt ad vitam; de impiis statuunt, eos vel nunquam resuscitandos, vel post resuscitationem ac judicium statim in nihilum redigendos.* Quod revera ita sentiant, facile apparet ex ipsorum hypothesibus. Statuunt enim, *quod mors hominis sit ejusdem annihilatio* sive in nihilum redactio, quodque resurrectio et resurgere nihil aliud sit, *quam ex non exsistente iterum existere*, ut vidimus superius. Negant, animas hominum post mortem praemia vel poenas accipere, qua de re concilium Racoviense sic loquitur: *Animadvertendum est, Christum et apostolos coactos fuisse quodammodo hominum opinionibus, quae tunc plerumque vigebant, se accommodare, quemadmodum satis aperte docet parabola divitis et Lazari. Nam aliquem in inferno fuisse et ibi torqueri, in sinu Abrahae decumbere, sunt plane fictitia et similia illis, quae poëtae de Ixione, Sisypho, Tantalo scribunt; hac etiam prudentia hodie apud vulgus Christianorum in hac materia utendum illis, qui gloriae Dei consultum cupiunt. Non me latet*, inquit, *te etiam negare immortalitatem animarum nisi Christianorum in resurrectione.* Id quidem ipse negat pag. 56. et pag. 77. sed ex
XVII. 165. illa hypothesi, quod mori sit *penitus exstingui* et resurgere *ex non ente iterum exsistere*, efficaciter infertur, unde etiam pag. 79. locum Ecclesiastae, *spiritus redit ad Deum, qui dedit eum*, quem pro animae immortalitate adstruenda Puccius produxerat, misere enervat. Schmaltzius disp. 7. cont. Frantz. pag. 409. falso sibi suisque asseclis affingi conqueritur, quod statuant, *hominem mori quoad animam*, ibidem tamen addit, *an spiritus ille, qui ad Deum redit et a corpore separatus est, sensu aliquo praeditus sit* etc. *valde dubitamus, imo aliter rem se habere credimus.* pag. 410: *Credimus, animas vel spiritus post mortem redire ad Deum, qui eas dedit, et ita suo modo* (nota) *superstites esse.* Ibidem refellit argumenta, quae pro adstruenda animae immortalitate Frantzius ex Luca 23, v. 43. Philip. 1, v. 23. Apocal. 6, v. 9. etc. adduxerat, ac pag. 413. subjungit, *locum Eccles. 12, v. 7. solum fere esse, qui aperte confirmet, hominis animam post mortem superstitem esse,* sed illum ipsum Socinus in peregrinum sensum detorquere conatur, quodnam igitur in Scripturis praesidium vel fundamentum hujus sententiae manebit reliquum? 12. *Luthero* nostro objiciunt Jesuitae, quod animarum immortalitatem negaverit, propterea quod tom. 7. Witteberg. in assert. articulorum per bullam papalem damnatorum pag. 127. sic scribat: Es ist neulich in Rom fürwahr meisterlich beschlossen der heilige Artikel, daß die Seele des Menschen unsterblich sei, denn es war vergessen in dem gemeinen Glauben, da wir alle sagen, ich glaube ein ewiges Leben. Item es ist auch beschlossen durch Hülfe Aristotelis, daß die Seele sei eine wesentliche Form des Leibes, und derselben feiner Artikel viel mehr, die aufs allerziemlichste wohl anstehen der päpstlichen Kirchen, auf daß sie Menschenträume und Teufelslehren behalten, dieweil sie Christi Lehre und den Glauben mit Füßen tritt. Eundem locum nobis objicit Mart. Borrichius Calvinianus. Pistorius in hodeg. cap. 12. p. 536. Lutherus animam hominis dicit interire cum corpore et esse mortalem. Respondemus: 1. Lutherus sexcentis in locis suam de animae immortalitate doctrinam proponit, quam his verbis abnegare noluit. 2. Gretserus et alii ex Jesuitis Luthero ψυχοπαννυχίαν tribuunt, ut inferius apparebit, ergo non negavit animae immortalitatem, aliud enim est *dormire*, aliud non *exsistere.* 3. Contextus manifeste ostendit, Lutherum non negare animae immortalitatem, sed illudere pontifici, qui novos fidei articulos in suis conciliis promittat et cum ad rem ventum, proferat vel eos, qui jam ante in Scripturis et symbolis fidei satis firmati, qualis est de immortalitate, quam non ita pridem definierat concilium Lateranense sub Leone X. sess. 8. vel eos, qui ex scholis philosophorum petiti et ad salutis doctrinam nihil quidquam pertineant, qualis est de essentiali forma corporis; vel etiam falsos, antichristianos et impios, quales sunt de purgatorio, de transsubstantiatione, de sacrificio missae, de potestate papae, de ciborum delectu etc. quos ex apostolo vocat doctrinas daemoniorum. Hanc esse genuinam Lutheri mentem, apparet ex eo, quod articulo de immortalitate animae a papa stabilito εἰρωνικῶς subjicit, *oblitus scilicet erat Spiritus s. hujus articuli in symbolo, in quo omnes confitemur vitam aeternam.* Eodem sensu accipienda sunt verba Lutheri in assert. omnium articul. art. 27. tom. 2. Jen. Lat. f. 307: *Permitto tamen, quod papa condat articulos fidei sibi et suis fidelibus, quales sunt, panem et vinum transsubstantiari in sacramento, essentiam Dei nec generare, nec generari, animam esse formam substantialem corporis humani, se esse imperatorem mundi et regem coeli et deum terrenum, animam esse immortalem.* Simili plane impudentia Pistorius in suis mille viginti falsis omnibus Lutheranis hanc affricat haeresin, *quod cum Sadducaeis non credant animarum immortalitatem*, propterea quod sanctos cum Christo in coelis viventes appellent *mortuos.* Atqui 1. sequimur hac in parte ductum Scripturae Rom. 14, v. 8. 1. Thess. 4, v. 10. Apoc. 14, v. 13. et symboli apostolici, in quo Christus dicitur judex vivorum et mortuorum.

XVII. 166. 2. Sanctos illos vocamus mortuos non sensu Photiniano, quod non amplius sint et vivant, sed orthodoxo, videlicet tum διακριτικῶς, ut discernantur a sanctis in his terris adhuc viventibus, tum σχετικῶς, respectu vitae animalis, a qua ad coelestem et spiritualem sunt translati.

Argumenta contra animae immortalitatem, 1. ex Scripturis. 1. Job. 14, v. 10: Homo cum mortuus fuerit, ubi est?

150. Contra animae immortalitatem pro ψυχοφθαρσίᾳ adstruenda proferuntur, 1. quaedam *Scripturae dicta, 2. rationes.* Dicta Scripturae potiora haec sunt: 1. Job. 14, v. 7: *Lignum habet spem, si praecisum fuerit, rursum virescit et surculi ejus pullulant;* v. 10. *homo vero cum mortuus fuerit et infirmitate correptus, ubi quaeso est?* v. 11. *Quomodo si recedant aquae de mari et fluvius vacuefactus arescat;* v. 12. *sic homo cum dormierit, non resurget.* v. 14. *Putasne mortuus homo rursum vivet?* Respondemus: 1. Si haec omnia absolute ac simpliciter accipiantur, non solum animae immortalitas, sed etiam mortuorum resurrectio negabitur. 2. Jam vero constat ex cap. 19, v. 25. Jobum de resurrectione mortuorum egregiam confessionem edidisse. 3. Quidam ergo respondent, Jobum magnitudine doloris oppressum ad praesens duntaxat malum et statum respicere, non cogitare nunc mortuorum resurrectionem, neque eo animum attollere vi mali urgente, quamvis eam non neget, ut ostendit ejus spes in Dominum, quam passim profitetur, Job. 13, v. 15: *Etiamsi me occiderit Dominus, in eum sperabo;* v. 16. *ipse erit mihi in salutem.* At haec spes certa esse non posset, nisi resurrectionem putaret. 4. Ruffinus in expos. symb. p. 387. Lyranus in comm. et alii hunc esse eorum verborum sensum putant, quod non sit deteriori conditione homo futurus, quam sit arbor, quae excisa aut paene emortua renascitur ac repullulat, ideoque quod in apodosi similitudinis additur, *et homo morietur?* legunt cum interrogatione, ac illud, *ubi quaeso est?* exponunt *ubinam tandem, an vero nusquam erit* (cum admiratione) *nec ultra comparebit?* imo vero odore divini spiritus instaurabitur, ut arbor aquarum odore et afflatu. *Non sibi videtur* (inquit Ruffinus) *in his verbis cum pudore quodam homines arguere ac dicere, itane stultum est hominum genus, ut cum videant, excisae arboris truncum rursum pullulare de terra et lignum emortuum iterum vitam recipere, ipsis ne lignis quidem aliquid simile de semet ipsis nec arboribus opinetur? Ut autem scias, quod velut interrogantis modo legendum sit, quod dixit, mortalis autem cum ceciderit, non resurget, de consequentibus probat. Subjungit namque statim, si enim mortuus fuerit homo, vivet. Et paulo post dicit: Exspectabo, usque quo iterum fiam. Et iterum dicit: Qui resuscitaturus est super terram pellem meam, quae nunc haec haurit.* 5. Quidam respondent, Jobum loqui de conditione hominis post mortem *juxta naturam*, quod scilicet non possit revocari in vitam naturaliter, jam vero resurrectio non est opus naturae, sed Dei per Christum. 6. Quidam statuunt, Jobum haec non ex sua, sed ex sociorum sententia loqui ac sententiam eorum confutare, qui bona tantum et mala hujus vitae spectarent de futura nihil cogitantes, quos Jobus hoc nomine arguat, quod hoc pacto homo sit miserrimus omnium, utpote cui et vita sit calamitosa et interitus aeternus ac irreparabilis. 7. Simplicissime et ad textum accommodatissime respondetur, Jobum hic agere de revocatione ac reditu hominis *in hanc vitam*, ut ostendit tum *protasis similitudinis*, quia arbor praecisa adhuc pullulat ac revirescit ad hanc vitam, sed homo semel mortuus non nisi extraordinario et peculiari divino miraculo in hanc vitam revocatur; tum *collatio similis loci* cap. 7, v. 7: *Memento, quod sicut ventus vita mea, et quod non revertetur oculus meus, ut videat bonum,* hoc est quod non sim rediturus in hanc vitam, ut rursum felicitate aut bono ullo in ea perfruar. v. 9: *Ut deficit nubes et abit, sic descendens ad sepulcrum non adscendet.* v. 10 *Non revertetur ultra ad domum*
*suam nec agnoscet eum ultra locus*, in quo scilicet XVII. 1[illegible]
antea fuerat, dum viveret; tum expressa *limitatio* addita v. 14: *Cunctis diebus, quibus nunc milito, exspecto, donec veniat immutatio mea.* v. 15: *Vocabis me* (in die scilicet novissimo, quando mortui audient vocem filii hominis Joh. 5, v. 29.) *et ego respondebo tibi* (audiam vocem tuam et prodibo vivus ex sepulcro), *operi manuum tuarum favebis.* 8. Tantum vero abest, ut Jobus resurrectionem mortuorum hisce verbis neget, ut eam potius stabiliat. Non enim absolute ac simpliciter dicit, *homo cum dormierit, non resurget*, sed addit, *donec praetereant* vel non fuerint, *cur non evigilabit?* Mercerus quidem haec accipit tanquam simplicem negationem, ut sit sensus, *quamdiu erunt*, seu *donec non erunt coeli*, quod nunquam fiet, hoc est nunquam homo juxta naturam reparandus. Sed ipsa Jobi confessio et alia Scripturae dicta Esa. 65, v. 18. cap. 66, v. 24. Luc. 21, v. 33. etc. ostendunt, rectius haec accipi velut quandam limitationem ac temporis determinationem, quo post coeptam coeli ac terrae destructionem homo sit ex somno mortis divina virtute resuscitandus. Epiphanius in ancor.: *Dicit Job, homo ubi dormierit, non amplius resurget neque agnoscet locum suum. Etenim re vera quotidie non fit resurrectio, sed in unam decreta est diem. Verum ostendens, quod novit, in quale tempus praefinitum respiciat, statim solvit quaestionem. Donec coelum et terra auferatur, sunt corpora in terra; cum vero venerit, qui vertit coelum veluti librum et concutiet terram, tunc resurgent, qui sunt in terra.* 9. Quam ex arbore dissimilitudinem Jobus attulit ad infirmandam hominis in hanc vitam revocationem, eandem velut similitudinem Spiritus sanctus alibi applicat ad probandam mortuorum resurrectionem, Joh. 12, v. 24. 1. Cor. 15, v. 36. Quemadmodum arbores sub hiemem prope emortuae et herbae ac germina, quae in frigore brumali nobis plane interiisse videntur, verno tempore repullulant ac grana putrefacta in terra post aliquod tempus revirescunt; sic *ossa nostra* in resurrectione instar graminis *germinabunt*, Es. 66, v. 14. Qui

in arboribus, herbis et granis frumenti juxta ordinarium naturae cursum illud quotannis facit, cur non idem in corpore hominis supra naturam facere posset?

2. Psalm. 115, v. 17: Non mortui laudabunt te.

151. 2. Psalm. 115, v. 17: *Non mortui laudabunt te, neque quisquam eorum, qui descendunt in silentium*, cum quo congruit illud Psalm. 6, v. 6: *Non est in morte, qui memor sit tui.* Psalm. 30, v. 10: *Numquid confitebitur tibi pulvis aut annuntiabit veritatem tuam?* Respondemus: 1. loquitur psaltes de illis laudum divinarum praeconiis, quae in hac vita in ecclesiae militantis consortio Deo a piis voce corporea offeruntur, loquitur de praedicatione ac propagatione verae doctrinae et celebratione beneficiorum ac laudum divinarum, quae aliis hominibus in hac vita servit eosque exemplo ad imitationem allicit, sicut statim additur Psalm. 115, v. 18: *Sed nos qui vivimus, benedicimus Domino ex hoc nunc et usque in seculum*, hoc est in omnem aeternitatem. Quamvis enim piorum animae a corporibus solutae cum Deo in coelesti beatitudine ac gloria vivant et cum spiritibus coelestibus suo modo Deum laudent, tamen celebratio illa divini nominis non amplius auditur ab hominibus in carne adhuc viventibus, ut per eam ad fidem in Dei misericordiam concipiendam et gratias Deo agendas excitari possint, quem fructum hominum in terris adhuc superstitum laudationes et gratiarum actiones in ecclesia obtinent. Confer Sirac. 17, v. 25: *A mortuo tanquam non exsistente perit confessio.* v. 26. *Vivens et sanus corde laudabit Dominum.* Augustinus in enarr. Psalm. 39: *Si non statim surrexero, corruptumque fuerit meum corpus, numquid confitebitur tibi pulvis, id est turba impiorum, quam mea resurrectione justificabo, aut annuntiabit ad salutem ceterorum veritatem tuam?* 2. Quidam accipiunt de illis, qui morte secunda sive aeterna intereunt, ac שְׁאֹל exponunt pro *inferno*, ut sit sensus, nisi me Spiritu
XVII. 168. consolationis erexeris atque auxilio tuo praesto fueris, facile in desperationis et consequenter in damnationis barathrum prolabi possum. Basilius in Psalm. 113: *Mortuos hic non eos dicit, qui simpliciter vita functi, sed qui in impietate mortui sunt, illi namque ad infernum descendunt.* Sed prior expositio est textui convenientior. 3. Quod psaltes nequaquam absolute et simpliciter neget, mortuos Dominum laudare, patet tum ex hoc ipso loco, quia addit, *nos qui vivimus benedicimus Domino ex hoc nunc et usque in seculum*, tum ex aliis psalmorum dictis. Psalm. 116, v. 7: *Revertere anima mea in requiem, quia Dominus benefecit tibi.* v. 9. *Ambulabo coram Domino in regione viventium.* Psalm. 118, v. 17: *Non moriar, sed vivam, et recensebo opera Domini.*

3. Eccl. 3, v. 19: Eventus filiorum hominum et eventus jumentorum unus est.

152. 3. Eccles. 3, v. 19: *Eventus filiorum hominum et eventus jumentorum unus est, sicut moritur istud, sic moritur ille, et spiritus unus omnibus, praestantia hominis prae animali nulla, quia omnia vanitas.* v. 20. *Omnia pergunt ad locum unum, omnia fuerunt ex pulvere et omnia revertuntur in pulverem.* v. 21. *Quis scit, an spiritus filiorum hominum adscendat sursum et spiritus jumenti descendat subtus terram?* Respondemus: 1. Gregorius lib. 4. dialog. c. 4. existimat, verba illa μιμητικῶς in persona impiorum proferri, velut illa, quae habentur Sap. 2, v. 1. et seqq. qua in parte sequitur Gregorium Neo-Caesariensem, qui ad Salomonem voluptatibus secure adhuc indulgentem hoc accommodat, hoc sensu: *Cum me darem voluptatibus, sensi animum meum quodammodo brutescere atque iis cogitationibus agitari, quod esset unus exitus hominum ac jumentorum, ac quod post hanc vitam nulla supersit alia.* 2. Simplicius respondetur, Salomonem conferre hominem cum bestiis quoad *moriendi necessitatem*, non autem quoad statum et conditionem post mortem. 3. Quod per prolepsin additur, *quis novit, an spiritus hominis adscendat sursum et spiritus jumentorum deorsum?* non est latius extendendum quam comparationis tertium permittit. Loquitur Salomon de notitia naturali et experimentali, quam consequitur homo ex consideratione eventuum, qui hominibus et bestiis ex aequo eveniunt, quod enim externos illos eventus in oculos incurrentes attinet, illorum respectu homo a bestiis non videtur differre. Ut enim bestia cadit, dolet, aegrotat, alget, sitit, moritur etc. ita eadem homini obveniunt. 4. Sed ex revelatione verbi per spiritu-
alem notitiam cognoscimus, in morte hominis et XVII. 169.
brutorum maximum esse discrimen, cum anima hominis sit immortalis et corpus ejus ex pulvere terrae suo tempore suscitandum, quorum neutrum bestiis competit. Hanc spiritualem de immortalitate animae notitiam Salomonem non negare nec homini adimere, patet ex Eccl. 12, v. 7: *Spiritus redit ad Deum, qui dedit eum.* 5. Hieronymus in comm. hoc loco solutionem quaerit in phrasi מִי יוֹדֵעַ. *Non inter pecudes* (inquit) *et hominem secundum animae dignitatem nihil interesse contendit, sed adjiciendo quis difficultatem rei voluit demonstrare. Pronomen enim quis in Scripturis sanctis non pro impossibili, sed pro difficili semper accipitur. Inter homines igitur et bestias haec sola est differentia, quod spiritus hominis adscendit in coelum, et spiritus jumenti descendit in terram et cum carne dissolvitur, si tamen hujus rei vir aliquis ecclesiasticus et disciplinis coelestibus eruditus et quasi dubiae rei assertor certus sit.* Postea annectit mysticam explicationem: *Quis scit, utrum sanctus, qui hominis appellatione dignus est, adscendat in coelum et utrum peccator, qui jumentum vocatur, descendat in terram? Fieri enim potest utrumque pro incerto vitae hujus et lubrico statu, ut et justus concidat et peccator resurgat, et nonnunquam evenit, ut rationabilior et eruditus in Scripturis, hoc est homo non circumspecte et ut scientia sua dignum est, vivat et deducatur ad inferos et simplicior quisque atque rusticior, qui jumentum hominis comparatione dicatur, melius vivat et martyrio coronetur et paradisi sit colonus* Sed hoc a literae simplicitate nimis procul discedit.

6. Idem postea confugit ad limbum. *Non haec dicuntur*, inquit, *quasi putet Salomon, animam hominis ita dissolvi ut animam pecoris, nec quasi ad eundem locum proficiscantur, sed quod ante Christi adventum omnes deferebantur ad inferos* etc. *Et quamvis non idem est dissolvi et conservari, attamen parum interest dissolvi ut anima peccatoris et in tenebris detineri.* At paulo post ostendemus, hypothesin de limbo adversari Scripturis.

2. Ex rationibus. 1. Ab animae productione.

153. *2. Rationes*, quae contra animae immortalitatem formantur, solvit Lactantius lib. 7. inst. c. 12. Potiores hae sunt: *1. Anima educitur ex potentia materiae ac per generationem propagatur. Ergo in morte etiam interit.* Respondemus: proprie loquendo anima non generatur, sed propagatur, generatio enim est totius compositi. Non autem sequitur, anima propagatur, ergo etiam corrumpitur, quia animae natura non est aestimanda ex propagatione, sed ex propria ejus essentia, quae haec est, quod sit spiritus incorporeus, invisibilis et immortalis, talis enim quaelibet res est, qualem eam Deus in creatione esse voluit et quale esse ei dedit. Si per eductionem e potentia materiae hoc intelligitur, quod anima ex semine corporeo qua tali oriatur, negamus, animam ex potentia materiae educi; sin vero hoc modo phrasis illa explicetur, quod homo vi benedictionis divinae sibi simile secundum speciem generet ac proinde animam propaget, *concedimus*, *animam e potentia materiae educi*, hoc est non immediate a Deo creari, sed a parentibus in sobolem divino beneficio et ordinatione propagari; sed ex eo inferri nequit, animam non posse extra corpus subsistere, quia utrumque, videlicet tum propagatio animae, tum ejus extra corpus subsistentia, in solidum et unice pendet a Dei ordinatione ac voluntate. Irenaeus lib. 2. adv. haeres. c. 64. p. 164: *Si qui hoc in loco dicant, non posse animas eas, quae paulo ante esse coeperunt, in multum temporis perseverare, sed oportere eas aut innascibiles esse, ut sint immortales, vel si generationis* (in generatione hominis) *initium acceperint, cum ipso corpore mori, discant, quoniam sine initio et sine fine vere et semper idem eodem modo se habent, solus est Deus, qui est omnium Dominus, quae autem sunt ab illo, omnia quaecunque sunt facta*
XVII. 170. *et fiunt, initium quidem suum accipiunt generationis et per hoc inferiora sunt ab eo, qui ea fecit, quoniam non sunt ingenita, perseverant autem et extenduntur in longitudinem secundum voluntatem factoris Dei, ita ut sic initio fierent, et postea ut sint, eis donat.* Lactantius d. l.: *Non quia cum corpore anima nascitur, cum corpore etiam intereat necesse est, non enim est par utriusque ratio. Solidum enim et comprehensibile corpus est, et oculis et manu videtur et tangitur, anima vero tenuis et visum tactumque fugiens. Corpus e terra fictum atque solidatum est, anima in se nihil concreti, nihil terreni ponderis habet* etc. *Quamvis ergo inter se conjuncta ac sociata nascantur, et alterum, quod est de terrena concretione formatum, quasi vasculum sit alterius, quod est a coelesti subtilitate deductum, cum vis aliqua utrumque discreverit, quae discretio mors vocatur, tum utrumque in naturam suam redit, quod ex terra fuit, in terram solvitur, quod ex coelesti spiritu, id constat ac viget semper, quoniam divinus spiritus sempiternus est.* *2. Anima rationalis habere nequit operationem a corpore omnino independentem, qui enim contemplatur, eum una cum phantasmate contemplari oportet*, Aristoteles libr. 3. de anim. text. 39. *Ergo etiam non poterit habere exsistentiam extra corpus.* Respondemus: negamus antecedens, si generaliter accipiatur, ut statum animae a corpore separatae etiam includat. Testatur enim Scriptura, animas a corpore separatas non destitui suis operationibus, ut paulo post apparebit. Adde quod quidam ex ipsis philosophis statuant, intellectum esse inorganicum, nec indigere ad propriam suam operationem corporeis phantasmatis. Species intelligibiles, quae ad intellectionem requiruntur, eodem modo in anima separata esse possunt, quo sunt in angelis, quos constat esse spiritus incorporeos. *3. Quod pati potest naturaliter, etiam potest corrumpi, quia passio est inchoata quaedam corruptio, sed anima, vivente homine, tristitiam et dolorem patitur.* Ergo. Respondemus: tristitia in anima non oritur ex violenta primarum qualitatum impressione, quae naturalis corruptionis est causa, sed ex rerum naturae hominis adversantium cogitatione. Dolendi actus arguit arctissimam animae cum corpore unionem, quae efficit, ut sit principium materialium operationum in ipso corpore, nequaquam vero infert, quod in se ac sua natura sit materialis et corruptibilis. Lactantius d. l. respondet, *propterea virtutem et sapientiam esse necessariam, ut et moeror fortitudine repellatur, et voluptas abstinentia superetur. Nam si careat virtute, si voluptatibus dedita molliatur, morti fiet obnoxia, quoniam et virtus immortalitatis est fabricatrix, et voluptas mortis, mors autem non funditus perimit ac delet, sed aeternis afficit cruciatibus, nam interire prorsus anima non potest.* *4. Quia crescit sensus in pueris et in juvenibus viget et in senibus diminuitur, inde apparet, animam esse mortalem.* Respondemus: illud incrementum ac decrementum non attingit ipsam animae essentiam, sed duntaxat operationem, quae pro diversitate organorum, spirituum scilicet ac humorum, variatur. Lactantius d. l.: *Non est idem mens et anima. Aliud est enim, quo vivimus, aliud, quo cogitamus. Nam dormientium mens, non anima sopitur, et in furiosis mens exstinguitur, anima manet, et ideo non exanimes, sed dementes vocantur. Mens ergo, id est intelligentia, vel augetur, vel minuitur pro aetate. Anima in suo statu semper est, et ex quo tempore spirandi accepit facultatem, eadem usque ad ultimum durat, donec emissa corporis claustro ad sedem suam revolet.* Et postea: *Non est animae vitium, si visus evanuit, si lingua torpuit, si auditus obsurduit, sed corporis.* *5. Sicut oculus evulsus a*

[Right margin notes: 2. Ab animae operatione. — 3. Ab animae passione. — 4. Ab animae alteratione. — 5. A comparatione.]

*corpore ac separatus nihil potest videre, ita et anima separata nihil sentire, quia et ipsa pars corporis.* Respondemus: anima non est pars cor-
XVII. 171. poris, sed ejus *ἐντελέχεια*, nec oculo competit *τὸ* videre sive videndi facultas per se, sed *κατ' ἄλλο*, videlicet propter animam, ipsi vero animae potentia intelligendi ac sentiendi per se competit. Distinguendum etiam inter partes integrales et essentiales. Oculus est pars corporis integralis, anima est pars hominis essentialis. Lactantius d. l. respondet, *falsum esse illud comparatum ac dissimile, anima enim non pars corporis, sed in corpore est, sicut id quod vase continetur, vasis pars non est, nec ea, quae in domo sunt, partes domus esse dicuntur; ita nec anima pars est corporis, quia corpus vel vas animae est, vel receptaculum.*

2. De animarum ex corpore in corpus migratione.

154. Postquam igitur demonstratum est, animam hominis non exstingui in morte, sed ex corporis domicilio egredi, restat, ut de statu et conditione animarum separatarum disseramus. Revocari autem potest tota isthaec tractatio ad duo principalia capita. Prius aget *περὶ τοῦ ποῦ*, de domicilio illo, in quod animae post hominis mortem recipiuntur, quod *ψυχοδοχεῖον* appellare possumus; posterius *περὶ τοῦ ποιεῖν καὶ πάσχειν*, quid agant vel non agant animae illae separatae; an Epimenideo quodam somno oppressae *ἀναίσθητοι* prorsus, *ἄεργοι καὶ ἄπρακτοι* usque ad diem extremi judicii otientur, an vero pro distinctorum domiciliorum conditione ac statu diversa agant et patiantur. Antequam vero *περὶ τοῦ ποῦ* sive de *ψυχοδοχείῳ* agamus, ante omnia removenda est absurda et bruta illa opinio, quae statuit, *migrare animas de corporibus vetustate ac morte confectis et insinuare se novis ac recens natis, et easdem semper renasci modo in homine, modo in pecude, modo in bestia, modo in volucre et hac ratione immortales esse, quod saepe variorum ac dissimilium corporum domicilia commutent*, quibus verbis animarum illam transmigrationem, sive transanimationem *μετεμψύχωσιν καὶ μετενσωμάτωσιν* a Graecis appellatam describit Lactantius lib. 7. div. inst. c. 12. circa fin. Haec opinio 1. nata fuit teste Herodoto *in Aegypto* omnis idololatriae matre; *2. a Pythagora* et aliis philosophis gentilibus ratiunculis quibusdam est comprobata et palliata. De Pythagora illud referunt
XVII. 172. Lactantius d. l. Laërtius in vit. Pythag. Plato eandem opinionem amplexus (Irenaeus lib. 2. c. 59. ipsi tribuit, *quod primus eam introduxerit)* lib. 10. polit. narrat, *Orpheum odio mulierum transiisse in cygnum, Thamyram in lusciniam, cygnum iterum in hominem, Ajacem in leonem, Agamemnonem in aquilam, Atalantam in pugilem, Epeum in mulierem formosam, Thersiten in simiam, Ulyssem in virum plebejum. In Timaeo asserit, viros injustos transire in mulieres, θεωρητικοὺς, qui in contemplatione haerent, mutari in aves, contemtores philosophiae in pecudes, homines terrenis deditos in pisces. In Phaedone disputat, animas sordidas de coelo cadere et subinde post mortem redire de corpore in corpus, post decem millia annorum absolvi totum cursum et tum bonas animas redire ad coelos, malas autem ad poenas infernales.* Platonis tamen sectatores concinna quadam interpretatione haec omnia mollire conantur et *ἀλληγορικῶς* ea accipienda esse contendunt. Ovid libr. 15. metamorph.

*Morte carent animae semperque priore relicta*
*Sede novis domibus vivunt habitantque receptae.*
*Ipse ego, nam memini, Trojani tempore belli*
*Pantoïdes Euphorbus eram, cui pectore quondam*
*Haesit in adverso gravis hasta minoris Atridae.*

Assertores μετεμψυχώσεως.

etc. Julianus Apostata animam Alexandri in se immigrasse nugabatur. *Stoicis* non minus quam Pythagoreis opinionem illam tribuit Lactantius lib. 3. inst. c. 18. in princ. *De gentilibus* in genere scribit Ambrosius de bono mortis c. 10. in med.: *Summum praemium existimarunt, si magnorum philosophorum animae in apes aut luscinias demigrarent, ut, qui ante hominum genus sermone pavissent, postea mellis dulcedine aut cantus suavitate mulcerent. 3. De Pharisaeis* refert Josephus lib. 2. de bello Judaic c. 7. *quod bonorum animas dixerint transire in alia corpora, improborum autem interminabili supplicio cruciari*, cui opinioni etiam addictus fuisse videtur Herodes Matth. 14, v. 2. Marc. 6, v. 14. Elias Levita in Thisbi commemorat, Judaicos praesules Pythagoricum somnium de
גִּלְגּוּל נְפָשׁוֹת hoc est de *μετεμψυχώσει* tempore XVII. 173.
Christi fuisse amplexos. **Drusius part. 2. annot. in N. T. Matth. 16, v. 14: *Judaei putant, animam Adami volutatam esse per corpus Davidis et inde reversam in corpus Messiae, quod innui existimant tribus literis* אדם *ut per rascha theboth prima* א *significet Adamum,* ד *Davidem,* מ *Messiam.*** 4. In ecclesiam Christianam introducta est *a Carpocratitis, Gnosticis, Marcionitis ac Manichaeis.* De *Carpocratitis* vide Epiphanium tom. 2. lib. 1. haeres. 27. De *Gnosticis, Marcionitis ac Manichaeis* idem tom. 3. lib. 2. haeres. 42. sic scribit: *Putat miser ille Marcion una cum aliis idem sentientibus, quod eadem anima et in hominibus et in brutis est. Hoc ipsum multae erroneae haereses frustra sentiunt. Nam et Valentinus et Colorbasius Gnosticique omnes ac Manichaei transitus animarum de corporibus ad corpora esse pronuntiant in hominibus cognitionem non habentibus, velut ipsi ex fabulamento quodam confingunt. Has enim dicunt pervagari et singulorum animantium corpora pertransire, donec cognitionem assecutae fuerint, atque sic purgatae et resolutae ad coelestia transmigraverint.* De *Manichaeis* idem tom. 2. libr. 2. haeres. 66. memorat, *quod transitus animarum e corporibus in corpora introduxerint, quos fortassis* (inquit) *aut a Platone, aut a Zenone Stoico, aut ab aliquo fanatico collegerunt.* Confer Theodoretum lib. 1. hist. eccl. c. 17. De iisdem Augustinus in libro de haeres. ad Quodvultd haeres. 46: *Animas auditorum suorum in electos revolvi arbitrantur, aut feliciore compendio in escas electorum suorum, ut jam inde purgatas in nulla corpora revertantur.*

*Ceteras autem animas et in pecora redire putant, et in omnia, quae radicibus fixa sunt atque aluntur in terra.* Idem haeres. 78. ex Philastrio haer. 120. mentionem facit cujusdam haereseos, *quae sceleratorum animas converti in daemonas dicit, et in quaeque animalia suis meritis congrua. 5. Origeni* eandem opinionem quidam tribuunt, sed errores Origenis opinioni illi fuere quidem affines, non tamen prorsus iidem. Hieronymus in epistol. ad Pamm. de ipso refert, *quod de animarum e coelo ruina* impia scripserit in apol. adv. Ruffin. quod animas dixerit *fuisse ante corpora et egisse aliquid, quò promeruerint crassis corporibus alligari*, quem errorem Origeni etiam tribuunt Augustinus lib. 11. de civ. Dei c. 23. et Nicephorus lib. 5. hist. eccles. c. 33. Idem de *Priscillianistis* statuendum, quos itidem μετεμψυχώσεως patronos aliqui constituunt. Eorum haeresin Augustinus sic describit de haeres. c. 70: *Animas dicunt ejusdem naturae atque substantiae, cujus est Deus, ad agonem quendam spontaneum in terris exercendum per septem coelos et per quosdam gradatim descendere principatus et in malignum principem incurrere, a quo istum mundum factum volunt atque ab hoc principe per diversa carnis corpora seminari. 6. Legendae papisticae* purgatorii confirmandi causa excogitatae μετεμψύχωσιν oblique stabiliunt. In Aurea legenda in vita Conradi et Udalrici commemoratur, *quosdam in avibus, quae in aquarum vortice quodam crebro immergebantur, animas duas conclusas esse intellexisse et eas missis liberasse.* Matthaeus Paris auctor est, *rusticum cognomento Turcillum per insomnium vidisse animas in equi formam transformatas et varia earum tormenta.*

Refutatio XVII. 174. μετεμψυχώσεως.

155. Quamvis vero Lactantius d. l. recte scribat, *Pythagoricam illam opinionem ridiculam et mimo quam schola digniorem, nec refelli quidem serio debuisse, cum qui id faciat, videatur vereri, ne quis id credat,* unde etiam facete et salse deridetur a Luciano in dialogo Galli et Micylli, tamen cum nullus sit tam prodigiosus error, qui non aliquos inveniat applausores, ideo vestigiis veterum ecclesiae doctorum insistentes breviter monstrabimus fontes refutationis. Pugnat μετεμψύχωσις 1. *cum articulo creationis.* Ut Deus cuilibet homini proprium dedit corpus, ita quoque propria anima ipsum instruxit, per quam non solum a brutis, sed etiam ab aliis hominibus distingueretur. 1. Cor. 6, v. 18: *Qui scortatur, peccat* εἰς τὸ ἴδιον σῶμα. c. 7, v. 4: *Mulier non habet potestatem* τοῦ ἰδίου σώματος. 1. Timoth. 4, v. 2. pseudodoctoribus tribuitur ἰδία συνείδησις. Homo a brutis differt specie, ab aliis hominibus numero. At si daretur μετεμψύχωσις, nec homo a brutis specie, nec ab aliis hominibus numero differret. 1. Cor. 15, v. 39: *Non omnis caro eadem caro, sed alia quidem hominum, alia vero pecorum, alia vero volucrium, alia piscium.* Irenaeus lib. 2. c. 62. p. 163: *Quemadmodum unusquisque nostrum suum corpus per artem Dei sumit, sic et suam habet animam. Neque enim sic pauper, neque indigens Deus, ut non unicuique corpori propriam donaret animam, quemadmodum et proprium characterem.* Methodius apud Epiphanium lib. 2. tom. 1. p. 182. *ex ornatissimo et absolutissimo opificio et systemate totius mundi pulcherrimaque creaturarum omnis generis ad se invicem subordinatione* probat, *quod transfiguratio unius naturae in alteram et providentiae et sapientiae divinae repugnet.* Idem Epiphanius lib. 2. tom. 2. haeres. 66: *Quomodo possibile est, animam e corpore in corpus incerni? siquidem enim corpora formata ac parata essent et sic animas susciperent, probabilis esset haec tragica fabula; si vero quod seminatur, ex modica gutta est, quomodo anima in tam exiguo corpore talem reperit amplitudinem? sic enim formantur ea, quae formantur, et non amplius consistet ipsius* (Manetis) *sermo. Neque enim a corpore in corpus transeunt animae. Nam citra mixtionem feminae ad marem et maris ad feminam in singulis animalibus nihil formatur. 2. Cum articulo redemtionis,* Christus enim non brutorum, sed hominum animas a potestate Satanae et mortis redemit, quando *animam suam* in ἀντίλυτρον dedit Matth. 20, v. 28. aut ergo neganda est μετεμψύχωσις, aut neganda animarum humanarum per Christum facta redemtio, aut statuendum, Christum etiam brutorum animas redemisse. *3. Cum articulo sanctificationis.* Spiritus sanctus non brutorum, sed hominum animas per verbum et sacramenta sanctificat. *4. Cum articulo resurrectionis et extremi judicii.* Cum corporibus ex pulvere terrae suscitatis utpote humanis non brutorum, sed hominum animae conjungentur et judicio Dei sistentur accepturae praemia vel poenas eorum, quae *per proprium corpus* gesserunt 2. Cor. 5, v. 10. Iren. d. l.: *Adimpleto numero, quem Deus ipse apud se antea definivit, omnes quicunque sunt descripti in vitam, resurgent, sua corpora et suas habentes animas et suos spiritus, in quibus placuerunt Deo. Qui autem poena sunt digni, abibunt in eam et ipsi suas habentes animas et sua corpora, in quibus abstiterunt a Dei bonitate. 5. Cum articulo salutis et damnationis aeternae.* Non enim brutorum, sed hominum animae ad imaginem Dei in primo Adamo conditae et ad eandem per Christum reformatae in gloriam coelestem assumentur, nec brutorum, sed hominum impiorum animae inferno adjudicabuntur. Philastrius haeres. 120: *Si quis hoc ita putaverit fieri* (quod anima sceleratorum transeat in daemonas ac pecudes), *paganitatis et vanitatis philosophorum magis quam Christianitatis videtur habere consortium, cum dicat apostolus: Omnes nos manifestabimur ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque ea, quae gessit in hoc corpore. Animae itaque natura non vertitur in naturam alteram, sed cum voluntate contemnit ac negligit Dei praeceptum futuro judicio poenarum se dedicans, non alia nisi* XVII. 175.
*morum causa pecudibus cognoscitur comparanda, non natura, sed moribus* etc. *6. Cum omnibus illis Scripturae dictis*, quae de statu, conditione ac do-

micilio animarum post hanc vitam loquuntur, quae paulo post enumerabuntur. 7. Denique *μετεμψύχωσις* illa multis *absurdis* tum *theologicis*, tum *philosophicis* laborat. Irenaeus lib. 2. c. 58. p. 161: *Animarum e corpore in corpus transmigratio evertitur ex eo, quod nihil omnino eorum, quae antea fuerunt, meminerint. Si enim ob hoc emittebantur, uti in omni erunt operatione, oportebat eas meminisse eorum, quae ante facta sunt, ut in ea, quae deerant, adimplerent et non circa eadem semper volutantes continuatim miserabiliter laborent. Non enim poterat corporis admixtio in totum universam ipsorum, quae ante habita erant, exstinguere memoriam et contemplationem et maxime ad hoc venientes. Quomodo enim nunc soporato et requiescente corpore quaecunque anima ipsa apud se videt et in phantasmate agit et horum plura, reminiscens communicat cum corpore, et est quando et post plurimum temporis quaecunque per somnium quis vidit, vigilans annuntiat; sic utique se reminisceretur et illorum, quae antequam in hoc corpus veniret, egit* etc. Justinus in confut. Graecar. quaest. p. 163: *Quid est magis ridiculum, quam μετεμψύχωσιν, cum subsistere nequeat, fide complecti et decreto firmare, qua fit, ut qui olim Athenis docuerit philosophus Plato, postea formicae pertulerit laborem?* Tertullianus in apolog. c. 48: *Si qui philosophus affirmet, ut ait Laberius, de sententia Pythagorae, hominem fieri ex mulo, colubrum ex muliere, et in eam opinionem omnia argumenta eloquii virtute distorserit, nonne consensum movebit et fidem infringet etiam ab animalibus abstinendi? propterea persuasum quis hoc habeat, ne forte bubulam de aliquo proavo suo obsonet.* Sed in errore, qui palpabiliter absurdus est, confutando pluribus opus non est. Confer Justinum in dial. cum Tryphone, Tertullianum lib. de anima c. 31. et seqq. Epiphanium contra Marcionem, Nyssenum in lib. de homine, Ambrosium lib. de bono mortis cap. 7. Hieronymum in epist. 32. Augustinum lib. 3. de Trinit. c. 8. lib. 18. de civit. Dei c. 17. et 18. etc.

Argumenta pro μετεμψυχώσει 1. a Nebucadnezaris transformatione.

156. Pro *μετεμψυχώσει* adstruenda ex Scripturis duo proferuntur exempla, *1. Nebucadnezaris* in bestiam degenerantis, Dan. 4, v. 30: *Ex hominibus abjectus est et herbam ut bos comedit, et rore coeli corpus ejus conspersum est, donec capilli ejus in similitudinem aquilarum crescerent et ungues ejus quasi ungues avium.* Respondemus: Epiphanius in vita Danielis, Cedrenus et alii respondent, non describi hoc loco quandam *μετεμψύχωσιν* seu transanimationem, sed corporis *μεταμόρφωσιν* ac *transformationem*, existimant enim, regem humanam corporis formam amisisse ac priore parte cum capite in bovem, posteriore cum pedibus in leonem esse mutatum, unde operose disputant, an haec transmutatio *ratione essentiae* fuerit vera, an duntaxat apparens, et an *ratione causae* fuerit physica, magica vel divina. Priorem responsionis partem approbamus, posteriorem non item, nam nec *μετεμψυχώσεως*, nec *μεταμορφώσεως* essentialis exemplum hic agnoscimus, 1. quia textus propheticus Nebucadnezaris e regno et ab hominibus expulsionem ejusdem inter feras et bestias divagationem, victus regii in pabulum silvestre mutationem, roris, pluviarum ac frigoris perpessionem recenset v. 25. sed essentialis transformationis nullam mentionem facit. 2. *Pili ejus* ut aquilarum plumae crevisse dicuntur, et *ungues ejus* ut avium v. 33. utique ergo capillos et ungues cutemque hirsutam, sed levem habuit, nec ipsa humani corporis forma *essentialiter* fuit mutata, sed tantum *accidentaliter*, dum capillorum et unguium quantitas integro illo septennio per insolitam accretionem est mutata, ac cutis imbribus XVII. 176.
atque aestu obduruit, fuit mutatio *οὐ κατὰ σῶμα ἀλλὰ κατὰ εἶδος*. 3. Exacto septennio divinitus huic poenae praestituto dicitur *reversus ejus sensus* v. 34. et 36. in Chald. est מַנְדְּעִי, *cognitio mens mea* a rad. יְדַע *scivit, cognovit, intellexit*, ergo non anima humana nec corpore humano, sed rationis duntaxat usu ad tempus spoliatus fuit. Hieronymus in comm.: *Quando dicit, sensum sibi redditum, non formam se amisisse, sed mentem ostendit.* Voluit enim Deus in hoc rege horrendum punitae superbiae exemplum hominibus proponere, ideoque in furorem et rabiem a diabolo eum agi permisit, cumque nullis vinculis aut catenis cohiberi posset, in solitudinem ad immanissimas feras profugit ac beluino pabulo victitans horridam illam corporis figuram contraxit. 4. Eusebius libr. 9. praepar. evang. cap. ult. adducit locum ex Megasthene, *quod Nebucadnezar divinitus furore fuerit corruptus, cum in palatium adscendisset.* 5. Quod ergo v. 16. dicitur de Nebucadnezare, *cor ejus ab humano mutabitur et cor bestiae dabitur ei*, id intelligendum phrasi Hebraica de amisso rationis usu et mutatione cordis accidentali ratione motuum ac qualitatum, non autem ratione substantiae, ut sit sensus, nihilo plus intelligentiae in eo remanebit quam in fera aliqua bestia. Nullum ergo *μετεμψυχώσει* in hoc loco paratum praesidium. Neque tamen fuit *nuda ac mera imaginatio* ex copia atrae bilis orta, quod volunt Mercurialis lib. 1. practicae c. 12. et Pomponatius de incantat. c. 12. fol. 290. sed miraculosa figurae corporis pristinae in horridam, non quidem ratione substantiae, sed ratione accidentium mutatio.

157. 2. De *Johanne Baptista* dicitur Mal. 4, v. 5: *Mittam vobis prophetam Eliam.* Matth. 11, v. 4: *Ipse est Elias, qui venturus est.* Matth. 17, v. 12. Marc. 9, v. 13: *Elias quidem venturus est, dico autem vobis, quia Elias jam venit.* Respondemus: Johannes vocatur Elias, non quod anima Eliae in ipsum transmigraverit, quod Judaicum somnium ipse refellit, quando Hierosolymitanis legatis quaerentibus, *an sit Elias*, negative respondet, *non sum*, Joh. 1, v. 21. sed quia *in spiritu et virtute Eliae* venit, ut exponit angelus conceptionem ejus nuntians Luc. 1, v. 17. quod Johannes negat de persona, id Christus et angelus affirmant de officio. Spiritus enim nomen non accipitur *essentialiter* pro anima, sed *accidentaliter* pro donis spiri-

2. A Joh. Baptistae denominatione.

tus, sicut Elisaeus duplicem Eliae spiritum sibi dari exoptabat. Ac testatur res ipsa, Johannem in multis Eliam expressisse, uterque in eremo vixit, uterque zona pellicea cinctus fuit, uterque magno zelo reges peccantes objurgavit, uterque pseudoprophetis acriter se opposuit, uterque a regibus divexatus fuit etc.

**3. Ab historiarum testificatione.** 158. 3. *Exemplis Scripturae* addunt *historias profanas* de *lycanthropis* ex Olao Magno. Augustinus lib. 18. de civ. Dei c. 16: *Diomedis socios in volucres fuisse conversos non fabuloso poeticoque mendacio, sed historica attestatione confirmant.* c. 17: *Hoc Varro ut adstruat, commemorat alia non minus incredibilia de maga illa famosissima Circe, quae socios Ulyssis mutavit in bestias, et de Arcadibus, qui sorte ducti transnatabant quoddam stagnum atque ibi convertebantur in lupos et cum similibus feris per illius regionis deserta vivebant. Si vero carne non vescerentur humana, rursus post novem annos eodem renatato stagno reformabantur in homines. Nominatim etiam expressit quendam Demaenetum, cum gustasset de sacrificio, quod Arcades immolato puero deo suo Lycaeo facere solerent, in lupum fuisse mutatum et anno decimo in figuram propriam restitutum ad pugilatum se exercuisse et Olympiaco vicisse certamine.* cap. 18: *Cum essemus in Italia, audiebamus talia de quadam regione illarum partium, ubi stabularias mulieres imbutas his malis artibus in caseo dare solere dice-*
XVII. 177. *bant, quibus vellent seu possent viatoribus, unde in jumenta ilico verterentur et necessaria quaeque portarent, postque perfuncta opera iterum ad se redirent* etc. Vide Ludovicum Vivem in comm. illius loci. Job. Fincel. libro 2. de mirab. In vita Hilarionis *virgo in equum conversa memoratur,* in *vita Macarii virgo in vaccam transformata perhibetur.* Pomponius Mela refert, *in Neurorum regione homines frequenter converti in lupos.* Idem placet Bodino in daemonomania magorum. Respondemus: haec omnia esse *meras daemonis praestigias,* quibus sensus humanos ludificatur. Cum enim homo specie differat a brutis, ideo realis transmutatio hominum in lupos vel alias bestias vi daemonis aut artibus magicis multo minus vi naturae fieri nequit. Producere enim substantiam completam ex eo, quod nullam ad rem producendam naturalem δύναμιν obtinet, nec naturae est, nec virtutis finitae, sed infinitae ac proinde solius Dei. Augustinus d. l.: *Haec vel falsa sunt, vel tam inusitata, ut merito non credantur* etc. *Nec sane daemones naturas creant, si aliquid tale faciunt, de qualibus factis ista vertitur quaestio, sed specietenus, quae a vero Deo creata sunt, commutant, ut videantur esse quod non sunt. Non itaque solum animum, sed nec corpus quidem ulla ratione crediderim daemonum arte vel potestate in membra vel lineamenta bestialia veraciter posse converti, sed phantasticum hominis sopitis aut oppressis corporeis hominis sensibus, ad aliorum sensuum nescio quo ineffabili modo figura corporea posse perduci, ita ut corpora ipsa hominum alicubi jaceant, viventia quidem, sed multo gravius atque vehementius quam somno suis sensibus obseratis. Phantasticum autem illud veluti corporatum in alicujus animalis effigie appareat sensibus alienis, talisque etiam sibi homo esse videatur, sicut talis sibi videri posset in somnis, et portare onera, quae onera si vera sunt corpora, portantur a daemonibus, ut illudatur hominibus, partim vera onerum corpora, partim jumentorum falsa cernentibus.* De volucribus Diomedeis dicit, *eas non mutatis hominibus factas, sed subtractis fuisse suppositas, sicut cerva pro Iphigenia regis Agamemnonis filia, neque enim daemonibus judicio Dei permissis hujusmodi praestigias difficiles esse potuisse.* Isidorus lib. 8. etymol. c. 9: *Haec omnia magicis praestigiis potius fingebantur, quam rerum veritate complerentur.* Concilium Ancyranum c. 1. et habetur c. Episcopi etc. 26. q. 5: *Satanas cum mentem cujuscunque mulieris (sagae) ceperit et hanc per infidelitatem sibi subjugaverit, illico transformat se in diversarum species personarum atque similitudines et mentem, quam captivam tenet, in somnis deludens, modo laeta, modo tristia, modo cognitas, modo incognitas personas ostendens, per quaeque devia deducit et cum solus spiritus hoc patitur, infidelis hoc non in animo, sed in corpore evenire opinatur* etc. *Quisquis ergo credit, posse fieri aliquam creaturam aut in melius, aut in deterius immutari, aut transformari in aliam speciem vel similitudinem, nisi ab ipso creatore, qui omnia fecit et per quem omnia facta sunt, procul dubio infidelis est et pagano deterior.* Sabinus in interp. lib. 7. metam. refert, *quod rustici in Borussia quendam hominem ad ducem provinciae captivum perduxerint, propterea quod mutatus in lupum jumenta dilaniasse credebatur. Is confitebatur, se quotannis in lupum mutari ac maximo dolore se dicebat affici, antequam pili erumperent et forma mutaretur; sed postquam ad explorandam rei veritatem diutissime captivus fuisset detentus, animadversum est, eum semper eandem retinuisse figuram et nunquam fuisse in lupum mutatum.* Confer Grilland. jurisconsultum Italum in lib. de sortilegio c. 8. Wierum de praestig daemon. lib. 3. c. 10. Langium lib. 1. epist. medic. c. 70. Scribonium in
physiol. sagar. p. 76. Danaeum de sortiariis c. 3. XVII. 178.
Goedelmannum lib. 2. de lamiis c. 3. Camerarium cent. 1. medit. hist. c. 72. Libav. part. 1. sing. in strigioportio. Nicol. Remigium lib. 2. daemonolatr. c. 5. Peucerum de divinat. cap. de θεομαντείᾳ. Heerbrandum in disp. de magicis th. 60. f. 172. Biermannum in disp. de magicis actionibus th. 41. Horatium medicum Gissensem lib. 2. de nat. hum. exerc. 10. q. 9. qui omnes statuunt, mutationem illam non esse veram, sed praestigiosam.

**3. De ψυχοδοχείοις sive receptaculis animarum separatarum.** 159. Remoto igitur μετεμψυχώσεως ac transmigrationis animarum e corpore in corpus somnio de ψυχοδοχείοις, *receptaculis ac domiciliis animarum* porro agendum erit. Scriptura generali appellatione vocat *locum.* Joh. 14, v. 2: *Vado parare vobis*

*locum*. Luc. 16, v. 28: *Ne veniant in hunc locum tormentorum*. Act. 1, v. 25: *Abiit Judas in locum suum*, non quod sit corporeus aliquis ac physicus locus proprie sic dictus, sed quia est certum quoddam *ποῦ*, in quod animae a corpore segregatae congregantur. Irenaeus lib. 5. adv. haeres. cap. ult. vocat *locum invisibilem*. *Manifestum est* (inquit), *quod animae abeant a corporibus in invisibilem locum definitum eis a Deo et ibi usque ad resurrectionem commorentur*. Ambrosius lib. de bono mortis c. 10. vocat *habitacula ac promtuaria*. *Frustra* (inquit) *homines pretiosa struunt sepulcra, quasi ea animae et non solius corporis receptacula sint. Animarum autem superiora esse habitacula, Scripturae testimoniis valde probatur, siquidem et in Esdrae libris legimus* 4. Esdr. 7, v. 32. *cum venerit dies judicii, terra reddet corpora defunctorum* etc. *et habitacula reddent animas, quae his commendatae sunt. Hae sunt habitationes, de quibus dicit Dominus* Joh. 14, v. 2. *multas mansiones esse apud Patrem suum* etc. *sed Esdrae usus sum scriptis, ut cognoscant gentiles ea, quae in philosophiae libris mirantur, translata de nostris*. Et postea: *Denique et Scriptura habitacula illa animarum promtuaria nuncupavit* 4. Esdr. 5, v. 37. sed quartum illum librum Esdrae ne ipsi quidem Pontificii in canonem recipiunt, si excipias Genebrardum lib. 2. chronol. anno mundi 3638. et Pistorium in motivis apostasiae Badensis p. 34. Augustinus in enchir. ad Laurent. c. 109. vocat *receptacula*. *Tempus*, inquit, *quod inter hominis mortem et ultimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continet, sicut unaquaeque digna est vel requie, vel aerumna pro eo, quod sortita est in carne, cum viveret*. lib. 12. de civ. Dei c. 9: *Pars civitatis Dei, quae conjungenda immortalibus angelis ex mortalibus hominibus congregatur, nunc mortaliter peregrinatur in terris vel in eis, qui mortem obierunt, secretis animarum receptaculis sedibusque requiescit*. Quae tamen veterum dicta commode explicanda sunt, ne opinioni de communi quodam omnium animarum receptaculo et *ψυχοπαννυχίᾳ* favere videantur, qua de re inferius plura dicentur. Quidam appellant *custodiam*, quod respectu animae piorum non est accipiendum *de carcere quodam honorato ac senatorio*, sicut Bellarminus *purgatorium mitissimum* appellat lib. 2. de purg. c. 7. verum generali significatione de certo quodam *ποῦ*, in quo piorum animae asservantur ac custodiuntur usque ad extremi judicii diem, quo sensu etiam ossa piorum divinitus *custodiri* dicuntur Psalm. 34, v. 21. Impiorum animas quod attinet, illae non in honorariam aliquam custodiam, sed in tenebricosum, squalidum et abominabilem inferni carcerem detruduntur, statim ut ex corporis ergastulo exierint.

XVII. 179. 1. Piorum 1. ex V. T. 160. Talia *ψυχοδοχεῖα*, *receptacula*, *habitacula*, *custodias et promtuaria animarum* Scriptura enumerat tantum duo, quorum unum animabus *piorum* praeparatum communissima appellatione vocatur *coelum*; alterum animabus *impiorum* destinatum vocatur *infernus*. Sic enim de *τῷ ποῦ*, in quod animae piorum post mortem colliguntur, loquitur Scriptura. Gen. 25, v. 8: *Abraham collectus sive congregatus est ad patres*, cujus phraseos vim expendimus superius. 1. Sam. 25, v. 29: *Anima Domini mei erit* צְרוּרָה *colligata* (asservata ac custodita. Targ. reddit נְמִּא, LXX interpr. *ἐνδεδεμένη*) בִּצְרוֹר הַחַיִּים *in fasciculo vitae* sive viventium, ubi Abigail non solum de conservatione vitae in periculis et persecutionibus, sed etiam de beato animae Davidis post mortem statu loquitur, addit enim, *erit colligata cum Domino Deo tuo* sive ad Dominum et apud Dominum Deum tuum, ex quo loco colligit Rab. Eliezer, *animas justorum esse repositas sub throno gloriae*, ac Judaei sepulcris mortuorum inscribere solent: מְנוּחָתָהּ בִּצְרוֹר הַחַיִּים עִם שְׁאָר צִדְקָנִיּוֹת אאא סֶלָה, *quies ejus in loculo viventium cum reliquis justis mulieribus*, *Amen*, *amen*, *amen*, *Selah*. Item: נִשְׁמָתָהּ תְּהֵא צְרוּרָה בְּגַן עֵדֶן אאא סֶלָה, *anima ejus sit colligata in horto Eden*, *Amen*, *amen*, *amen*, *Selah*. Midras Coheleth c. 3. super verba: *Quis scit*, *an spiritus filiorum Adam adscendat sursum?* sic commentatur: *Animae justorum reponuntur in apotheca vel cellario*. Hebr. צְרוֹר et אוֹצָר. Et *hoc est*, *quod ait Abigail ad David per Spiritum sanctum dicens*, 1. Reg. 25. *et erit anima Domini mei ligata in fasciculo viventium sive vitae cum Domino Deo tuo*. Rab. David Kimchi in glossa ejusd. loci: *Cum dicitur* את יהוה *particula* את *ponitur loco* אֶל *id est*, *ad*, sicut Jud. 19. אֶת בֵּית *ad domum Jehovah ego vado*, et Job. 26. אֶת מִי *ad quem annuntiasti verba*. Ex quibus colligit Galatinus libr. 6. de arcanis c. 9. *id quod Abigail per Spiritum sanctum viventium fasciculum vocavit, instar conservatorii gemmarum vel pecuniae, quae in sacculo vel in panno ligantur et servantur, hoc Judaeorum doctores animarum justorum apothecam seu cellarium appellasse*. Psalm. 27, v. 13: *Credo tamen, me visurum bonitatem Domini in terra sive regione viventium*. Haec terra est *regio morientium*, quia omnes morti obnoxii sumus, sed coelestis patria est *regio viventium*, quia ibi non est mors nec luctus. Sap. 3, v. 1: *Justorum animae sunt in manu Dei*. Manus ac dextra Dei significat primo divinam omnipotentiam, praesens ac potens in coelo ac terra dominium, hoc sensu usurpatur, quando Christus ad dextram Patris dicitur evectus, ea enim vocatur *dextra virtutis* Matth. 26, v. 64. Luc. 22, v. 69. Secundo vindictam ac judicium divinum. Exod. 3, v. 19: *Non dimittet vos Pharao nisi per manum validam*. 1. Sam. 5, v. 6: *Aggravata est manus Domini*. Tertio gratiosam Dei protectionem, tutelam ac defensionem. Deut. 33, v. 3: *Omnes sancti in manu illius sunt*. Joh. 10, v. 29: *Nemo rapiet oves de manu Patris mei*. Hoc sensu justorum animae dicuntur esse *in manu Dei*, in illa scilicet manu, de qua Psalm. 16, v. 11: *Delectationes tuae in dextra tua usque in aeternum*,

de qua Psalm. 31, v. 6. et Lucae 23, v. 46: *In manus tuas commendo spiritum meum.*

2. Ex N. T. 161. In N. T. receptaculum illud vocatur *sinus Abrahae*, Luc. 16, v. 22. Augustinus epist. 99. fatetur, *se ignorare, ubi sit ille sinus Abrahae*, sed idem lib. 9. confess. c. 3. non dubitat, *quin sit locus, ubi est sine fine felicitas*, ac lib. 2. quaest. evang. c. 39. dicit, *quod sit requies beatorum pauperum, quorum est regnum coelorum, in quam post hanc vitam recipiuntur;* et postea: *Sinus Abrahae intelligitur secretum Patris, quo post passionem resurgens Christus assumtus est, quo eum portatum*
XVII. 180. *ab angelis ideo dictum puto, quia ipsam receptionem, qua in secretum Patris abscessit, angeli annuntiaverunt.* Item: *Secretum Patris bene intelligitur, ubi etiam ante resurrectionem justorum animae vivunt cum Deo.* lib. 12. de Genes. ad lit. c. 34. in eam inclinat sententiam, *quod sinus Abrahae sit idem cum paradiso, quem Christus latroni promittit.* Locus ille appellatur *sinus* metaphora ducta *vel a parentibus*, qui puerulos suos diurna discursatione fessos vel ex peregrinatione domum reversos aut ex adverso aliquo casu ejulantes solatii causa in sinum suum recipiunt, ut ibi suaviter quiescant Esa. 66, v. 13. *vel a convivio*, cui regnum coelorum in Scripturis assimilatur, in quo alter in alterius sinu juxta consuetudinem Judaeorum recumbere solebat. Dicitur pluraliter ἐν τοῖς κόλποις, quia hic sinus omnes electos recipit. Hebr. חֵיק, quod proprie *gremium* vel *sinum* significat Prov. 21, v. 14. Sirac. 4, v. 4. metaphorice usurpatur pro medio sive medietate alicujus rei 1. Reg. 22, v. 35. dicitur ergo Lazarus versari *in sinu Abrahae*, hoc est in meditullio, quasi vitae aeternae et medio beatorum coetu. Abrahae sinus dicitur, quia illi promissio de Messia peculiariter erat facta, quam qui vera fide apprehendunt et in ea decedunt, in sinu Abrahae, hoc est in gaudium et requiem beatorum in coelo, colliguntur, quo respectu etiam Abraham vocatur *pater omnium credentium* Rom. 4, v. 11. ac electi *cum Abrahamo* in coelo dicuntur *accubituri* Matth. 8, v. 11. Jam vero apud Judaeos sic accumbere consueverant, ut alter alterius sinum tangeret, Joh. 13, v. 23. Augustinus in quaest. q. 161. putat, appellatione sinus Abrahae alludi *ad Abrahamium*, quo nomine vocatum fuisse dicit *locum, ubi sepulta sunt corpora sanctorum patriarcharum.* Theophylactus in comm. monet, *epulonem cum in inferno esset, conspexisse Lasarum in sinu Abrahae τοῦ φιλοξένου, ut esset ἔλεγχος τῆς μισοξενίας αὐτοῦ.* Thomas de Argent. 4. sent. dist. 45. existimat, *metaphorae rationem deductam a sinu, hoc est portu, in quo est navium statio pacata et tranquilla.* Lutherus in comm. c. 25. Gen. tom. 2. p. 253: *Non recte facimus, si servamus sinum Abrahae in N. T. Sicut enim ante mortem Abrahae non fuit sinus Abrahae, ita nullus amplius est post Christi adventum.* Et postea: *Sinus Abrahae, quo fovet et amplexus est omnes sanctos morientes usque ad mortem Christi, est promissio facta Abrahae: In semine tuo benedicentur omnes gentes; sic sinus Adae fuit promissio edita in paradiso: Semen mulieris conteret caput serpentis. Et qui in fide illius promissionis decesserunt, servati sunt, quia verbum Dei spaciosius et amplius est coelo et terra.* p. 254: *Abrahae sinus post resurrectionem destructus est et successit melior sinus, scilicet Christi. Quando enim emigramus ex hac vita, rapimur in Christi sinum.* Luc. 23, v. 43. illud ψυχοδοχεῖον piarum animarum vocatur *paradisus*, ubi *paradisi appellatio* respondet appellationi regni. Quia enim latro Christum petit, ut *in regno suo* illius memor sit, et Christus ei respondet, quod *in paradiso* secum futurus sit, inde colligitur, quod paradisus et regnum Christi sint ἰσοδυναμοῦντα. Non autem intelligitur paradisus ille terrenus, in quo primi parentes ante lapsum habitarunt, quia is per aquas diluvii devastatus est, sed de paradiso coelesti, qui nihil aliud est quam beatissimum illud ποῦ, in quo animae electorum post mortem quiete et felicitate sempiterna fruuntur ex beata Dei visione ad illas redundante, quo sensu hoc nomen accipitur 2. Corinth. 12, v. 4. Apocal. 2, v. 7. Cum enim terrestris ille paradisus fuerit omnis laetitiae et felicitatis ταμεῖον, *universae sensibilis venustatis intelligentiam excedens*, ut loquitur Damascenus libr. 2. orthodox. fid. c. 11. inde factum, ut Spiritus sanctus, qui a corporalibus ad spiritualia, a terrenis ad coelestia, a visibilibus ad intelligibilia animos nostros elevare solet, statum electorum beatissimum post hanc vitam appellarit paradisum. Confer harmon. de passione c. 15. p. 735. Johan. 14, v. 2. vocatur *domus Patris*, in qua multae mansiones. 2. Corinth. 5, v. 1. οἰκία ἀχειροποίητος ἐν τοῖς οὐρανοῖς. v. 2. οἰκητήριον ἐξ οὐρανοῦ, in quod *dissoluto terrenae* domus sive *corporis habitaculo* pii assumuntur. Hebr. 11, v. 10. XVII. 181.
*civitas habens fundamenta*, cujus τεχνίτης καὶ δημιουργὸς ὁ θεός. v. 14. πατρὶς ἐπουράνιος. Apoc. 6, v. 9. animae piorum martyrum *videntur subtus altare in coelo.* Apoc. 21, v. 2. regio beatorum vocatur *civitas sancta, Hierosolyma coelestis* etc. quarum appellationum emphasis in capite de vita aeterna plenius explicabitur.

162. De *impiorum* animabus et earum post mortem receptaculis Spiritus sanctus sic loquitur 2. Impiorum.
1. Sam. 25, v. 29: *Animam inimicorum tuorum ejaculabitur seu fundo jacet in medio curvaturae fundae*, hoc est illa non fruetur gratiosa illa Dei protectione et custodia, sed diabolis circumagitanda et in carcerem infernalem detrudenda tradetur, ſie wird den Teufeln in die Rabus gegeben. Unde R. Eliezer ex hoc loco dicit, *animas impiorum rapi et circumagi ab uno mundi fine ad alterum, nec illis esse quietem.* R. Salomon in glossa illius loci: *Palma fundae est frustum corei latum instar palmae factum, in medio fundae, ubi ponitur lapis. Quod ergo alias dicitur gehenna, hoc fundae palma hic appellatur.* Matth. 10, v. 28: *Timete eum, qui potest animam et corpus perdere in gehenna.*

Ergo non solum corpori parata est gehenna ignis Matth. 5, v. 29. sed etiam anima impiorum statim post mortem in gehennam descendit. Metaphora appellationis deducta est a loco illo foetidissimo et abominabili, in quo cultores Moloch liberos suos in holocaustum ei offerebant, Jerem. 7, v. 31. quemque Josias ossibus mortuorum, cadaveribus jumentorum et sordibus ex vicina urbe Hierosolyma in eum conjectis spurcum et abominabilem reddiderat, 2. Reg. 23, v. 10. Luc. 16, v. 23. vocatur ᾅδης v. 28. τόπος τῆς βασάνου, de quibus appellationibus et earum ratione in capite de inferno plenius dicetur.

Antithesis. 163. Cum ergo duo tantum sint animarum post mortem receptacula, coelum scilicet et infernus, ideo 1. damnanda sunt *gentilium* de statu animarum post mortem somnia. Plato existimat, *excellentes et heroicas animas tanquam puriores sursum evadere, ceteras vero ignavas et voluptatibus corporum contaminatas humi vagari circa sepulcra, et has judicat esse spectra, quae aliquando cernuntur.* Alii ex gentilibus sentiunt, *animabus a corpore separatis hinc inde oberrandum esse, donec corpora, a quibus per mortem sunt disjunctae, legitime sepeliantur.* Patroclus in somnis apparet Achilli ac petit, justa sibi persolvi, *alioqui eum portas inferni adire non posse, animabus sepultorum eum a se repellentibus*, quod exemplum Tertullianus lib. de anim. adducit et hanc gentilium opinionem redarguit. Existimarunt etiam gentiles, *animas eorum, qui ante justum vitae tempus defuncti sunt, praesertim eos, qui violenta morte perierunt, quos βιοθανάτους vocant, tamdiu vagari et oberrare, quamdiu vixissent, nisi violenta morte exstincti fuissent*, quod somnium Tertullianus itidem dicto loco impugnat. Cyrillus Alexandrinus libr. 7. in Johan. cap. 22. refert, gentiles fuisse fabulatos, *defunctorum animas esse in tumulis.* 2. Probari non potest *opinio quorundam patrum*, qui animas piorum putant deduci *in paradisum terrestrem*, in quo asserventur usque ad diem judicii. Justinus in resp. ad quaest. orth. q. 75. 76. 85. asserit, *paradisum terrenum adhuc exstare et permansurum usque ad diem judicii, in eo versari Henochum et Eliam, illuc esse ductum latronem, in eundem deduci omnes animas justorum non admittendas ad beatificam Dei visionem ante diem judicii.* Idem tradit Irenaeus libr. 5. adv. haeres. et addit, *in hunc terrenum paradisum raptum esse Paulum*, cujus sententiae suae suffragatores laudat *presbyteros Asiae apostolorum discipulos.* Id ipsum etiam statuit Tertullianus lib. de anima, *superesse scilicet adhuc paradisum terrestrem et esse domicilium sanctarum animarum usque ad diem judicii.* Euthymius in comm. Lucae 23. *converso latroni terrestris paradisi felicitatem promitti* existimat, ideoque Dominum
XVII. 182. non respondisse latroni, *hodie mecum eris in regno*, sed *in paradiso.* Atqui 1. per diluvium totus terrarum orbis ac proinde etiam hortus paradisiacus sic devastatus est, ut ortus quatuor fluminum ex uno fonte nuspiam hodie inveniatur, frustra igitur statuitur, terrenum illum paradisum adhuc superesse. Quod enim Basilius in orat. de paradiso et Damascenus libr. 2. orthod. fid. c. 11. disputant, paradisum esse locum πάσης τῆς γῆς ὑψηλότερον *ac longe interjacente spatio vel maris vel terrae a regione mundana secretum et in alto situm usque ad lunae circulum pertingentem, quo nec aquae diluvii pervenerint*, id cum descriptione Mosaica non poterit conciliari et a Pererio lib. 3. comm. in Gen. p. 378. ut *absurdum ac ridiculum* rejicitur. 2. Vulgata versio Sirac. 44, v. 16. asserit, Henochum *translatum esse in paradisum*, et tamen idem auctor c. 49, v. 16. asserit, ipsum esse *sublatum e terra*, utique ergo paradisus non est in terra, nec terrenus aliquis locus, sed beatitudo coelestis. 3. Animae beatorum cum sint spiritus incorporei, amoenitate terrestris paradisi utpote corporei capi atque affici neutiquam possent. Quid enim prodesset animabus abundare pomis, herbis, aquis etc.? 4. Scriptura animas pie defunctorum non *in terrestrem*, sed *coelestem paradisum* introducit, ut superius ostendimus. 5. Christus in illo paradiso latroni promittit consortium suum, dicit enim, *mecum eris in paradiso.* Christus autem non terrestrem, sed coelestem paradisum est ingressus. Respondet quidem Euthymius, *Christum esse ubique, ut Deus est, ac proinde esse cum latrone aliisque sanctis in paradiso terrestri et cum angelis in paradiso coelesti.* Sed hac ratione nihil novi vel laeti Christus latroni promisisset, quia etiam erat cum ipso eo modo, cum in cruce adhuc penderet. 6. Voces N. T. cum sint ambiguae, potius accipi debent, ut sumuntur in aliis locis N. T. quam ut sumuntur in V. T. Atqui vox paradisi 2. Cor. 12, v. 4. Apoc. 2, v. 7. sumitur pro paradiso *spirituali ac coelesti.* 7. Patrum opinio nititur hypothesi ψυχοπαννυχίας, de qua suo loco plenius agemus.

164. 3. Isthaec patrum opinio de paradiso terrestri originem duxisse videtur ex *Essaeorum* sive *Essenorum somnio*, quod describit Josephus lib. 2. de bell. Judaic. c. 8. circa finem. *Opinio*, inquit, *apud illos firmata consistit, corruptibilia quidem esse corpora materiamque eorum non esse perpetuam, animas autem immortales semper manere et de aethere subtilissimo commeantes quasi carceribus ita corporibus implicari, velut quas illecebra naturalis attraxerit. Cum vero fuerint a carnalibus revelatae vinculis, quasi de servitute longissima liberatas ita ilico laetari eas sublimesque ferri. Et quidem bonas concinentes in hoc Graecorum sententiis pronuntiant ultra oceanum degere, ubi eis sit reposita perfruitio, illic quippe esse regionem, quae neque imbribus, neque nivibus, neque aestibus aggravetur, sed quam oceano oriens zephyrus et leniter adspirans amoenet. Malis autem animabus procellosa loca et hiberna delegant plena gemitibus exercendarum sine fine poenarum. Videntur autem mihi secundum hanc ipsam intelligentiam Graeci quoque fortibus suis, quos heroas*

*et semideos vocaverunt*, *beatorum insulas sequestrasse* (quo etiam pertinent campi Elysii poëtarum) *improborum autem animabus locum apud inferos impiorum, in quo etiam cruciari quosdam commentati sunt, Sisyphos videlicet et Tantalos et Ixiones et Tityos.* 4. De *Manichaeis* refert Epiphanius lib. 2. tom. 2. haer. 66. quod statuerint, *animas, quae erroris hujus sectae cognitionem habent, assumi in lunam*, *cum lucida animae essentia exsistat*, *quapropter etiam lunam augescere et decrescere ac deficere*, *dum impletur ab animabus eorum, qui in cognitione incredulitatis istius moriuntur. Deinde easdem a luna, minore videlicet scapha depleri et in solem assumi atque in beatorum seculum deponi.* Augustinus de haer. ad Quodvultd. haer. 46: *Manichaei animas bonas*, *quas censent ab animarum malarum naturae scilicet*
XVII. 183. *contrariae commixtione liberandas*, *ejus. cujus Deus est*, *esse naturae* etc. *quidquid undique* (ab animabus) *purgatur luminis*, *per quasdam naves*, *quas esse lunam et solem volunt*, *regno Dei tanquam propriis sedibus reddi. Quas itidem naves de Dei substantia pura perhibent fabricatas.* Affine huic opinioni illud ethnicorum somnium, quo animas in aetheris ac stellarum naturam redire arbitrabantur. Suetonius memorat de Julii Caesaris anima, quod in stellam crinitam fuerit mutata.

165. 5. *Luthero* nostro tribuit Paraeus in comm. c. 42. Gen. col. 2042. quod *commune quoddam receptaculum* statuat, in quod tam piorum quam impiorum animae post mortem congregentur et usque ad judicii diem in eo asserventur, propterea quod in comm. c. 25. et 42. Gen. scribat: *Sicut* קֶבֶר *sepulcrum commune est piis et impiis*, *ita et* שְׁאוֹל; et postea: *Recte igitur haec distinguuntur*, *ita ut sepulcrum sit locus*, *in quo corpus ossaque demortuorum reconduntur certo tempore*, *certa persona et loco; scheol autem commune quoddam receptaculum non corporum tantum*, *sed et animarum*, *ubi omnes mortui congregantur.* Respondemus: 1. Lutherus in aliis locis manifeste asserit, animas piorum ab angelis transferri *in paradisum*, impiorum vero detrudi *in infernum*, ut in quaestione de ψυχοπαννυχίᾳ videbimus. 2. Nequaquam igitur commune aliquod et indistinctum animarum receptaculum statuit, in quo utraeque conjunctim usque ad judicium asserventur, sed per scheol intelligit *communem hominum post mortem conditionem ac animarum e corpore in novas sedes transmigrationem*, hoc est status mutationem omnibus communem ratione *termini a quo*, non autem ratione *termini ad quem.* 3. Ut sic descendere שְׁאוֹלָה nihil aliud ipsi sit quam statum et conditionem mortuorum subire, quae phrasis non tantum malis, sed etiam bonis tribuitur, Gen. 37, v. 35. cap. 42, v. 38. c. 44, v. 29. Job. 21, v. 13. Psalm. 55, v. 16. 4. Inde Gesnerus disp. 14. in form. concord. th. 30. distinguit inter *receptaculum commorandi* et *transeundi*, posterius bonis et malis commune est ac indistinctum, prius vero ratione animarum piarum vel impiarum distinctum ac diversum. 5. Respondeat vero Paraeus Jesuitae Becano, qui libr. de purg. Calvinistar. c. 1. ex Calvino probat, quod statuerit, *animas justorum in V. T. non statim post hanc vitam migrasse in coelum*, *sed delituisse in quodam carcere et Christi redemtoris adventum expectasse.* Sic enim scribit in psychopannych.: *Nec minus evidenter apostolus Petrus animas a morte et esse et vivere ostendit*, *cum tradit*, *Christum his*, *qui in carcere erant*, *spiritibus praedicasse*, *nec spiritibus modo piorum remissionem ad salutem*, *sed impiorum quoque spiritibus confusionem;* et postea: *Nec vero miretur quisquam*, *includi carcere sanctos patres*, *qui redemtionem Christi expectabant.*

166. *6. Pontificii quinque* animarum receptacula fabricant. *1. Infernum*, in quem ablegant animas hominum extreme impiorum, qui incredulitate, impatientia et gravioribus contra conscientiam delictis sive peccatis mortalibus ex hac vita decedunt. *2. Purgatorium*, inferno proximum, in quod relegant animas eorum. qui nondum plene a peccatis venialibus purgati sunt, necdum pro temporalibus poenis peccatorum perfecte satisfecerunt, in fide tamen Christi ex hac vita discesserunt, illis tamdiu in purgatorio sudandum statuunt, donec peccatorum maculis purgatis puri et mundi in coelum subvolent. *3. Limbum puerorum*, cui assignant animas infantum non baptizatorum, qui propter peccatum originis, in quo absque baptismi remedio decesserunt *poena damni*, non tamen *sensus* in hac cella subterranea afficiantur, exclusi a gaudiis coeli, non tamen subjecti poenis inferni. Dicitur limbus, quia est quasi ora et extremitas quaedam inferni, sicut limbus vestimenti. *4. Limbum patrum*, in quem
introducunt animas patriarcharum et omnium san- XVII. 184.
ctorum V. T. ante Christi ad inferos descensum demortuorum, quas in hac cellula poenam damni temporalem sustinuisse asserunt, donec peccati originalis debito per Christi mortem dissoluto ex ea liberatae ad fruitionem coelestis beatitudinis fuere introductae, cum Christus ad inferos descendisset. Catech. Trid. p. 56. Sonnius in demonstr. relig. Christ. lib. 2. tract. 3. c. 15. etc. *5. Coelum*, in quod animas sanctorum ab omnibus peccatis plene purgatas admittunt. Ordo illarum contignationum juxta Pontificios talis est: *Infernus* in ipso terrae centro positus est; huic proximum *purgatorium*, quod est contignatio quasi secunda; illa contiguus est *limbus infantum*, cui proxime superincumbit *limbus patrum*, qui hodie translatis in coelum a Christo patribus prorsus vacuus est. Compendium theologicae veritatis asserit, *Christum descendisse ad limbum patrum et suos ex eo liberasse, sicque infernum momordisse, quia partem seu bolum de inferno abstulerit*, *partem vero reliquerit. Pars enim ablata est paradisus*, *qui olim erat limbus, pars relicta est purgatorium cum reliquis inferni exedris.* Catech. Rom. f. 57: *Tria sunt inferorum receptacula*, *infernus*, *purgatorium*,

*limbus puerorum et patrum.* Bellarminus lib. 2. de purg. c. 6: *Scholastici communi consensu constituunt intra terram quatuor sinus sive unum in quatuor partes divisum, unum pro damnatis, alterum pro purgandis, tertium pro infantibus sine baptismo decedentibus, quartum pro justis, qui moriebantur ante Christi passionem, qui nunc vacuus remanet, quorum sufficientia sumitur penes genera poenarum, sunt enim haec omnia loca poenalia. Omnis autem poena aut est tantum damni, aut etiam sensus, et rursus aut temporaria, aut aeterna, pro poena ergo solius damni aeterna est limbus puerorum, pro poena solius damni temporali erat limbus patrum, pro poena damni et sensus aeterna est infernus, pro poena damni et sensus temporali est purgatorium.* Similia habentur apud Durandum 3. sent. dist. 22. q. 4. Andradium in defens. Trid. synod. lib. 2. p. 299. Sonnium in demonstrat. relig. Christ. lib. 2. tract. 3. c. 15. et tract. 4. c. 1. et 2. quos castrorum tartareorum metatores haud injuria quispiam vocaverit. Huic Pontificiae opinioni ex parte assurgit Petrus Martyr class. 3. locor. comm. c. 16. n. 15. p. 726. scribens, *Enochum et Eliam ad locum Patrum vel sinum Abrahae fuisse perductos, ut ibi Christi resurrectionem exspectantes una cum beatis patribus agerent, ut postea cum illo jam resuscitato supra coelos attollerentur.*

pu-
ntum
nerale
ntra
a re-
pacula
ma-
n a
tifi-
s prae-
coe-
i et
rnum
cogi-
.

167. Nos tribus illis animarum receptaculis, limbo scilicet puerorum, limbo patrum et purgatorio, a Pontificiis praeter coelum et infernum confictis in genere opponimus hoc argumentum. Quaecunque opinio 1. *destituitur sacrarum literarum fundamento, 2. iisdem adversatur, 3. caret purioris antiquitatis apostolorum temporibus vicinae suffragio, 4. nullo rationum pondere firmari potest, 5. meris conjecturis nititur, 6. ac sibi ipsi non constat*, illa merito ex ecclesia Christi eliminanda est. Sed tale est Pontificiorum de tribus illis ψυχοδοχείοις praeter coelum et infernum excogitatis figmentum. Ergo. Assumtum probamus, 1. quod destituatur sacrarum fundamento, patebit ex singulorum Scripturae dictorum, quae pro illis fulciendis afferuntur, consideratione. 2 Quod Scripturis adversetur, patet ex eo, quia Scriptura duorum duntaxat receptaculorum, in quae animae post mortem usque ad diem judicii asserventur, mentionem facit, coeli scilicet et inferni. Credentium et electorum animas testatur recipi in coelum, infidelium et damnatorum animas ablegat in infernum, ac ut immediate sibi invicem opponit Deum et diabolum, ita quoque coelum et infernum, vitam aeternam et damnationem, credentes et incredulos, bonos et malos, oves et
155. haedos. Quorum animae non sunt in coelo cum Deo, illae sunt cum diabolo in inferno, tertium dari nequit. 3. Quod purioris antiquitatis suffragio et 4. firmis rationibus destituatur, patebit ex sequentibus. 5. Quod meris et incertis conjecturis nitatur, colligitur ex ipsius dogmatis ratione. Ecquis enim Pontificios certiores reddidit, tria haec receptacula esse loca corporea et non solum ab inferno damnatorum, sed etiam inter se invicem distincta? Exponant nobis, quando illa habitacula sint creata ac parata? edisserant nobis, an saxis sint constrata, an tegulis obtecta, an argilla obducta ac luto coagmentata? explicent mentem suam, an forma rotunda vel quadrata hae camerae sint constructae? quibus basibus innixae, peristyliis circumdatae, columnis suffultae? determinent, an perpetua caligine et nocte haec loca sint obsita, an vero διαφανῆ ac lumini pervia? edoceant nos, quanto intervallo patrum illud diversorium distet a limbo puerorum, ac limbus ille quanto diastemate distet a purgatorio, purgatorium ab inferno? memorent nobis, quanta sit uniuscujusque receptaculi capacitas, quae profunditas, quae altitudo, quae longitudo, quae latitudo. 6. Quod sibi ipsi hoc figmentum non constet, patebit ex speciali horum receptaculorum examine. Hoc loco illud urgemus, quod praeter illa quinque loca quidam addant sextum, de quo Bellarminus lib. 2. de purg. c. 7. sic scribit: *Magna est difficultas, an praeter haec loca sit alius aliquis locus, ubi retineantur animae, antequam ad regnum coelorum perveniant.* Beda enim lib. 5. histor. c. 13. *visionem valde probabilem narrat, in qua ostensum cuidam animae, quae ad corpus postea rediit, praeter infernum et purgatorium et regnum coelorum, quoddam quasi pratum florentissimum, lucidissimum, odoratum, amoenum, in quo degebant animae, quae nihil patiebantur, sed tamen ibi manebant, quia nondum idoneae erant divinae visioni;* cui revelationi multas alias conformes adducunt Dionysius Carthusianus in dial. de judic. particul. art. 31. et Ludov. Blotius in monil. spirit. c. 13. *Videtur mihi dicendum, non esse improbabile, talem aliquem locum reperiri, ceterum ejusmodi locum ad purgatorium pertinere et esse quasi carcerem quendam senatorium ac honoratum.* Quidam etiam addunt *paradisum*, in quem introducta latronis conversi anima. Repudiamus igitur tria illa conficta animarum receptacula et purgatorii ignis flammas relinquimus Pontificiis, qui hoc igne culinam suam egregie foverunt et hoc purgatorio thesauros ex omnibus mundi angulis expurgatos in nassam suam pertraxerunt, *relinquimus limbos limbolariis, patagiariis purpurariisque, ipsi purpuratae meretrici Thaidi Romanae limbos ac fimbrias suas quam potest longissime et latissime extendenti*, ut loquitur Tilenus in notis ad librum 4. Bellarm. de Christo c. 15.

Contra generale Bellarmini argumentum pro illis adstruendis allatum.

168. Argumento generali, quod pro adstruendis quatuor inferni sinibus ex sufficienti enumeratione poenarum Bellarminus format, opponimus sequentes hypotheses. 1. Nullae sunt post hanc vitam poenae temporales, sed omnes sunt aeternae. Quorum ergo hominum animae poenis obnoxiae ac destinatae e corpore decedunt, illas oportet Dei judicio ita exigente aeternas et nunquam desituras poenas sustinere. 2. Poenae infernales omnes sunt aeternae, cum ex inferno nulla sit redemtio. Quorum ergo hominum animae in infernum detruduntur, illae perpetuos sustinent inferorum cruciatus. 3. Duae

tantum sunt sedes ac mansiones animarum a corpore separatarum, una piarum ac fidelium, altera impiarum et infidelium, coelum scilicet et infernus. Illae apud Deum beatam vitam agunt in paradiso, hae poenis excarnificantur in inferno. 4. Utraeque, id est tam piorum quam impiorum, tam credentium quam incredulorum animae sine ulla mora aut intercapedine statim a morte sedes sibi destinatas directe et immediate occupant sine ullo vel metu vel spe permutationis. 5. In inferno non est distinctio inter poenam *damni et sensus.* Sed qui
XVII. 186. poena damni afficiuntur, a beatifica scilicet Dei visione exclusi, illi etiam poenam damni experiuntur. *Deum non videre superat omnia gehennae supplicia.* 6. Peccati originalis non remissi poenae non est duntaxat temporalis, sed aeterna, cum omnis peccati proprie dicti stipendium sit mors non tantum temporalis, sed etiam aeterna, teste tota Scriptura. Harum hypothesium confirmatio ex speciali illorum ψυχοδοχείων examine clarius patebit.

In specie 1. contra limbum puerorum.

169. In specie ergo 1. contra *limbum puerorum* producimus haec fundamenta, 1. nititur haec opinio falsa hypothesi de absoluta ac simplici necessitate baptismi, quasi non possit Deus extraordinarie cum infantibus Christianorum parentum per preces ecclesiae et parentum sibi oblatis agere. Contrarium demonstravimus in tract. de bapt. §. 237. 2. Infantes absque baptismo decedentes aut credunt, aut non credunt. Si prius, sunt in gratia apud Deum ac peccatorum suorum remissionem consequuntur, adeoque sunt in libro vitae et salutis redduntur participes. Si posterius, manent filii irae, obnoxii damnationi et a coelesti Hierosolyma extorres, adeoque conjiciuntur in stagnum ignis. Tertium aliquod ut non datur inter fidem et incredulitatem, statum gratiae et irae, regnum Dei et diaboli, ita quoque non datur inter vitam aeternam et ignem infernalem aeternum. Matth. 25, v. 46. Marc. 16, v. 16. Joh. 3, v. 18. et 36. Apoc. 20, v. 15. c. 21, v. 27. etc. 3. Si infantes Christianorum absque baptismo decedentes in peculiarem aliquem limbum infernali igni propinquum detruderentur et a regno Dei simpliciter exclusi essent, quomodo constaret divinae illi promissioni Gen. 17, v. 7: *Ero Deus tuus et seminis tui post te*, sua certitudo ac veritas? 4. Ne quidem in V. T. infantes Israëlitici ante susceptam circumcisionem mortui e regno Dei simpliciter excludi possunt, ut in tract. de bapt. d. l. multis rationibus et exemplis comprobavimus. Ergo multo minus de infantibus Christianorum in N. T. sine baptismo decedentibus illud statui debet, cum gratia Dei non sit adstrictior in N. quam fuit in V. T. 5. Si infantes illi absque remissione peccati originalis decederent, non tantum poenae damni, sed etiam poenae sensus forent subjecti, nec tantum e regno Dei erunt exclusi, sed etiam infernali aeternae damnationis igne torquerentur. Ratio est, quia peccati stipendium est mors et damnatio aeterna, nec tantum poena damni, sed etiam poena sensus. 6. Si infantes illi nec gaudent, nec dolent, neque quidquam sciunt vel sentiunt (es ist ihnen weder wohl, noch weh) utique etiam non possunt dici poenam *damni* sustinere, quia ignorantes, sensus expertes, dormientes non possunt proprie dici puniri. 7. Ne ipsi quidem Pontificii de statu infantum sine baptismo decedentium inter se consentiunt. Bellarminus lib. 6. de amiss. gratiae et stat. peccati c. 1. *quinque sententias* de hac quaestione enumerat. *Prima* (inquit) *fuit eorum, qui regnum coelorum infantibus baptizatis promittere audebant, etiamsi non negarent, eos in peccato originali conceptos et natos.* Eam penitus repudiat. *Altera sententia fuit eorum, qui parvulos non baptizatos excludebant e regno coelorum et vita beatis promissa, tamen eis dabant vitam aeternam et naturalem beatitudinem sine ulla molestia aut dolore extra regnum beatorum et procul a carcere damnatorum, hoc est in loco medio inter gehennam et coelum, qualis locus vix potest fingi alius quam terrae convexum.* Hanc sententiam tribuit Pelagianis et addit: *Ad quem errorem proxime accessisse videntur Ambrosius Catharinus in libro de statu puerorum sine baptismo decedentium, Albertus Piggius in prima controversia et Hieronymus Savonarola in libro de triumpho crucis, docent enim, infantes sine baptismo decedentes futuros post judicium beatos naturali beatitudine et in quodam veluti paradiso terrestri perpetuo feliciterque victuros. Tertia sententia docet, parvulos sine baptismo decedentes damnari apud inferos aeterna morte, sed tamen sic puniri carentia visionis Dei, quae dicitur* XVII.
*poena damni, ut nullum patiantur omnino dolorem neque internum, neque externum. Ita docet Thomas in q. 5. de malo art. 1. 2. et 3. et alii aliquot scholastici doctores.* 2. sent. dist. 33. *Quarta sententia liberat quidem ejusmodi parvulos a cruciatu ignis et vermis, quae proprie dicitur poena sensus, sed non liberat eos a dolore interno, qui sequitur ex amissa beatitudine sempiternae felicitatis. Ita docet Lombardus 2. sent. dist. 33. lit. E. quem et alii ex Scholasticis sunt secuti. Quinta sententia docet, parvulos propter originale peccatum utroque poenae genere, damni scilicet et sensus perpetuo cruciari. In hanc sententiam propendet Gregorius Ariminensis in 2. sent. dist. 33. q. 3. et Johannes Driedo lib. de grat. et lib. arbit. tract. 3. c. 2.* Bellarminus praetermissis reliquis quartae opinioni suffragatur. Item lib. ejusd. c. 2. *inter Scholasticos sententiarum divortium de statu illorum infantum esse* fatetur. *Hoc solum* (inquit) *inter veteres istos theologos Thomam, Bonaventuram, Scotum, Durandum, Richardum, Capreolum, Alensem et Albertum interest, quod alii constituunt infantes in parte inferni altiore, quam limbum puerorum appellant, alii cum ceteris damnatis eos locum habere pronuntiant.* Becanus in append. disput. de purg. Calvinist. c. 9. p. 146: *Manet inter Catholicos controversia, an infantes in limbo constituti praeter poenam damni seu exclusionem a*

*regno coelorum patiantur aliquem dolorem seu cruciatum. De quo sunt tres sententiae. Prima est, omnino eos pati dolorem; altera, pati quidem aliquem dolorem ex amissa beatitudine, non tamen alium aliunde; tertia non modo ex amissa beatitudine, sed etiam ab igne infernali percipere cruciatum. Primam tenent Thomas, Bonaventura, Scotus, Richardus, Durandus in 2. sent. dist. 33. et ex recentioribus Molina p. 1. q. 64. art. 3. disp. 2. Vasquez in lib. 2. disp. 134. c. 3. et nonnulli alii; alteram Lombardus in 2. dist. 33. Bellarminus lib. 6. de stat. peccati c. 6. et alii ab eo citati; tertiam Gregorius Ariminensis 2. sent. dist. 33. q. 3. et Joh. Driedo lib. 1. de grat. et lib. arb. tract. 3. c. 3.* Becano magis placet sententia prima, quae est Thomae, Bellarmino secunda, quae est Lombardi, unde Driedonis et Bellarmini argumenta enervare nititur, quod est argumentum consensus toties depraedicati. ** Plerique Pontificii statuunt, *infantes perpetuo illic detentum iri.* Contra Rutilius Benzonius episcopus Lauretanus lib. 2. de jubilaeo c. 44. p. 269. scribit: *Plerique existimant satis probabiliter, hunc locum non futurum perpetuum habitaculum puerorum hujusmodi, sed tantum usque ad diem judicii.* ** 8. Ut fundamentis Scripturae ac firmis rationibus, ita quoque *patrum calculo* limbus puerorum destituitur. Azorius lib. 2. institut. moral. c. 17: *Aliquando aliquorum patrum opinio cum communi theologorum sententia pugnat, ut cum docent patres, infantes absque baptismo morientes igne perpetuo cruciari. Communis autem Scholasticorum opinio est et verior, eos poena sensus non puniri.* Bellarminus lib. 6. de amiss. gratiae et statu peccati c. 5: *Si Fulgentius forte aliter docet, parvulos scilicet illos igne cruciandos, non facimus illi injuriam, si Gregorium Nazianzenum sequi malimus.* 9. Origo figmenti de *limbo infantum* in gentilibus scriptoribus occurrit. Virgil. lib. 6. Aeneid.:

*Continuo auditae voces vagitus et ingens,*
*Infantumque animae flentes in limine primo,*
*Quos dulcis vitae exsortes et ab ubere raptos*
*Abstulit atra dies et funere mersit acerbo.*

10. Denique opinio de limbo non constat sibi ipsi. Bellarminus enim lib. 4. de anima Christi cap. 11. disputat, *inter sinum Abrahae et locum damnatorum nihil solidi interjectum esse.* Ubi ergo erit limbus puerorum, de quo lib. 2. de purg. c. 6. fabulatur, *esse eum altiorem, ne a gehennae ignibus corripi possit.* At si nihil solidi interjacet, metuendum
188. erit, ne ignis inferni sursum tendat, penetret et incolas limbi adurat, vel certe fumo illis molestus sit.

170. Quae pro adstruendo limbo infantum Bellarminus adducit, ad duo principalia capita referri possunt, quorum prius est, *parvulos sine baptismo decedentes mortis aeternae poena esse damnandos;* posterius, *parvulos illos non puniendos poena sensus sive ignis sensibilis, interim tamen interiorem animi dolorem quamvis mitissimum passuros.* Utrumque falsis nititur hypothesibus. Prius hisce: 1. Dictum Christi Joh. 3, v. 5. absolutam et simplicem baptismi necessitatem etiam ex parte Dei requirere, adeo ut nec in casu privationis extraordinarie Deus possit in infantibus Christianorum ad fidem et salutem efficaciter agere. Contrarium ostendimus in tract. de bapt. §. 240. 2. Nullum omnino discrimen esse inter infantes Christianorum intra ecclesiae pomoeria et ethnicorum extra ecclesiam constitutorum. Contrarium ostendimus d. tract. §. 197. 3. Infantes Christianorum sine baptismo decedentes nexibus peccati originalis adhuc constrictos teneri, nullo modo in Christum credere neque per se, neque per alios, neque actu, neque habitu, non habere partem in resurrectione prima, nec esse scriptos in librum vitae, esse adhuc in potestate diaboli, detrudi in carcerem inferni tenebricosum ac horridum illum locum, perfectionem intelligentiae non posse locum habere in infantibus etc. Contrarium ostendimus d. tract. §. 230. et 239. hoc loco illud urgemus, quod infantes Christianorum per preces ecclesiae et parentum Deo offerantur, qui beneficam suam erga infantes voluntatem peculiaribus promissis contestatus est et precum piarum exauditionem promisit. 4. Post ultimi judicii diem aquae elementum ad locum suum naturalem rediturum totamque terram undique coperturum, ac proinde infantes illos non baptizatos cum in coelo illis locus denegetur, non alium habere posse locum quam inferorum subterraneas sedes, de qua hypothesi suo loco plenius disputabimus.

171. *Posterius* membrum nititur hypothesibus aeque incertis imo falsis, utpote 1. animas illorum, qui non glorificaverunt se neque in deliciis fuerunt, id est qui non peccarunt actualiter, in inferno quidem futuras, sed tamen nullum tormentum passuras. 2. In iisdem non fore *poenam vermis* ex conscientia mali operis. 3. Peccati originalis poenam esse carentiam divinae visionis, actualis autem gehennae perpetuae cruciatum. Contrarium docent omnia Scripturae dicta, quae de peccati originalis gravitate loquuntur, ejusque non remissi poenas in inferno luendas docent. Jam vero in inferno nullum erit discrimen inter quosdam poena sensus et alios poena duntaxat damni affectos, sed omnes omnino inferni incolae et sensus et damni poena torquebuntur. 4. Parvulos aeternis poenis in gehenna torqueri et tamen a poena sensus immunes esse. At hoc est ἀντικείμενον ἐν προσκειμένῳ. 5 Peccatum originis non tollere in homine ordinem naturalem, sed tantum supernaturalem, conversionem videlicet ad Deum per donum gratiae supernaturale. Contrarium ostendimus in tractat. de peccat. orig. 6. Propter peccatum originis utpote culpam solum habitualem coram Dei judicio neminem puniri posse poena sensitiva. 7. Propter peccatum originis non juberi homines ullam animo tristitiam doloremve concipere. 8. Parvulos non baptizatos non esse in area, neque inter frumenta, neque inter paleas

numerari, non esse arbores bonas nec malas, nec esse bonos nec malos pisces, nec inter oves vel haedos Matth. 25. recenseri posse. 9. Parvulos illos mittendos quidem *in stagnum ignis*, hoc est in locum, ubi est ignis, nec tamen inflammandos illo igne aut cruciandos. Nimirum ut in dogmate transsubstantiationis accidentibus sine substantia tribuit vim nutriendi, ita igni infernali hoc loco derogat vim urendi respectu infantum non baptizatorum. 10. Parvulos cruciandos igne sempiterno
XVII. 189. per *detentionem*, non per *ustionem*. At hoc repugnat priori hypothesi, quod non crucientur igne infernali, adversatur insuper generali thesi, quod poenam duntaxat damni, non autem sensus experturi sint, ecquis enim cruciatum sine sensu concipere poterit? 11. Afflictiones hujus vitae non infligi proprie ac directe parvulis in poenam originalis peccati, sed consequi naturam humanam originali justitia spoliatam. Contrarium docuimus in tractat. de imagine Dei in primo homine. 12. Corpora parvulorum non fore gloriosa, sed similia corporibus ceterorum damnatorum et tamen ignem infernalem, in quo detinentur, non passura. 13. Christum non esse passum poenam, quam directe peccatis nostris debebatur, sed aliam. 14. Infantes dolorem animi habituros eo quod intelligent se beatitudine privatos, a consortio piorum fratrum et parentum alienos, in carcerem inferni detrusos et in perpetuis tenebris vitam acturos, et tamen non passuros poenam sensus. Thomas in q. 5. de malo art. 3. disputat, *parvulos illos propterea nullum dolorem ex amissione beatitudinis percepturos, quod ignorabunt omnino, eam se amisisse, cum id nisi per fidem cognosci non possit et ipsi fidem nunquam habuerint.* Sed hanc rationem idem Thomas 2. sent. dist. 33. q. 2. art. 3. repudiat, et recte, sequeretur enim, infideles ethnicos, qui de illa beatitudine nihil audiverunt, itidem non habituros dolorem de ejus amissione. Bonaventura 2. sent. dist. 33. scribit, *infantulos illos simul consideraturos beatitudinem, quam amiserunt, et poenas aliorum damnatorum, quas evaserunt, et quanquam prior consideratio dolorem, posterior gaudium afferre possit, tamen ita unam temperandam per aliam, ut consideratio amissae beatitudinis impeditura sit gaudium de evasione poenarum et consideratio evasionis poenarum impeditura sit dolorem de privatione beatudinis, atque ita futurum, ut illi neque tristentur, neque laetentur.* Sed hoc Bonaventurae placitum Bellarmino non placet, sic enim scribit lib. 6. de amiss. grat. c. 4. §. sed haec etc.: *Si res ita haberet, viderentur homines illi redacti ad naturam rerum non sentientium. Probabilius diceretur, eos non simul, sed per vices consideraturos nunc amissam beatitudinem, nunc liberationem a gravioribus malis, atque eadem ratione nunc tristes, nunc laetos futuros, aut certe considerationem poenarum, quas evaserunt, non penitus sublaturam, sed ex parte mitigaturam tristitiam, quam secum consideratio amissae felicitatis adferret.* Thomas aliam rationem adducit, *ideo scilicet infantes illos nulla tristitia esse afficiendos, quod probe intellecturi sint, nullam se proportionem ad eam beatitudinem nunquam habuisse, cum nec habuerint gratiam, nec usum liberi arbitrii.* Hanc rationem itidem refellit Bellarminus. *Tametsi* (inquit) *nunquam in se parvuli illi proportionem habuerint ad beatitudinem, tamen habuerunt in primo parente et cognoscent, se primi parentis culpa tantum bonum perdidisse.* Richardus aliam rationem excogitavit, quod scilicet *parvuli ex consideratione amissae beatitudinis ideo non tristentur, quia singulari Dei providentia dolor ab eorum animis removeatur.* Hanc rationem aeque ut priores refellit Bellarminus. *Cum enim Deus non impediat, quominus parvuli in hac vita patiantur dolores, qui sequuntur ex amissione justitiae originalis, cur impediret dolorem, qui post mortem naturaliter consequetur cognitionem amissae beatitudinis?* Hisce hypothesibus omnibus ac singulis sine probatione positis ut Bellarminus fide fecerit easque et inter se et cum Scripturis conciliaverit opinione de limbo puerorum, calculum nostrum subjiciemus. Conf. tract. de bapt. §. 240. et seqq.

172. 2. Contra *limbum patrum* producimus haec argumenta: 1. Scriptura nullam hujus limbi a coelo separati mentionem facit, in quem animae patriarcharum et sanctorum V. T. fuerint conclusae, donec debitum primi parentis per mortem Christi solveretur, est ergo opinio ἄγραφος, inde Lombardus legend. 52. limbum patrum ex *supposititio evangelio Nicodemi* probare maluit quam ex canonicis et authenticis Scripturis. 2. Contra vero Scriptura duo duntaxat animarum post hanc vitam receptacula tam in V. quam in N. T. enumerat, coelum scilicet et infernum, ut ostendimus saepius, est igitur opinio ἀντίγραφος. 3. De animabus piorum Spiritus sanctus in V. T sic loquitur, quod *colligantur in fasciculum viventium* 1. Sam. 25, v. 29. quod sint *in manu Dei et non tangat illas tormentum* Sap. 3, v. 1. ac de anima Lazari ante Christi passionem ac mortem e corporis ergastulo liberata dicitur, quod *ab angelis, qui semper vident faciem Dei in coelo*, Matth. 18, v. 11. *in sinum Abrahae deportata consolatione fuerit delinita* Luc. 16, v. 22. De anima conversi latronis ante Christi ad inferos descensum mortui dicitur Luc. 23, v. 43. quod *in paradisum* fuerit assumta, quorum dictorum emphasin expendimus superius. Si anima conversi latronis fuit post mortem *cum anima Christi* in paradiso et in *regno Dei*, ubi pax et gaudium, utique non descendit ad aliquem inferni sinum. Nisi ergo paradisum cum inferno velimus commiscere, non possumus de sanctis V. T. affirmare, quod in limbum aliquem infernalem descenderint. Sic enim Pontificii describunt illum limbum, quod *sit sinus inferni intra terrae viscera*, Bellarminus lib. 2. de purg. c. 7. *in quo animae patriarcharum poenam damni sustinuerint ac liberationem per Christi ad inferos descensum cupide exspectaverint, quin imo*

2. Con limbui patrun

XVII.

*de sua liberatione certi quippiam a Johanne Baptista audire desideraverint*, Gerson. lect. 2. super Marc. num. 16. *quod fuerint in limbo illo deserti et a felicitate alieni*, Altenst. in lex. in voce Limbus. Excipit Becanus in append. purg. Calv. p. 50. *duplex esse gaudium post hanc vitam, unum de superatis miseriis hujus vitae et simul de securitate aeternae beatitudinis obtinenda; alterum de aeterna beatitudine jam obtenta. Sanctos in V. T. statim post hanc vitam percepisse prius gaudium, sed non posterius nisi post mortem Christi.* Respondemus: petitur principium. Testatur enim Scriptura, sanctos per mortem non solum a miseriis hujus vitae liberatos, sed etiam in coelestis beatitudinis consortium fuisse translatos. Et quodnam potuisset esse gaudium sanctorum, si a visione Dei beatifica exclusi fuissent? Praeterea si sancti V. T. statim post mortem securi fuerunt de aeterna beatitudine obtinenda, ut statuit Becanus, utique de sua liberatione certi quippiam a Johanne Baptista audire tantopere non desiderassent, quod tamen asserit Gerson. 4. Quamvis epist. ad Hebraeos testetur, patriarchas V. T. promissionum de possessione terrae Canaan ac de adventu Messiae complementum suis temporibus nondum accepisse, cap. 11, v. 13. et 39. non tamen propterea eorum animae ex regno coelorum excluduntur, quin potius diserte additur, quod *fide exspectaverint civitatem fundamenta habentem*, *cujus artifex et conditor est Deus* v. 10. quod *patriam coelestem expedierint* v. 16. ac proinde animae eorum non in aliquam inferni contignationem post mortem fuere detrusae, sed *in manus Dei* commendatae Psalm. 31, v. 6. *ad Deum, qui eas dederat, redierunt* Eccl. 12, v. 7. Ecquis vero per manum Dei pro gratiosa profectione, custodia quieta et laetitiae communicatione usurpatam sinum aliquem inferni intellexerit? 5. *Exempla* piorum patriarcharum et prophetarum V. T. testantur, eos non fuisse in sinum aliquem terrae detrusos, sed in coelum subvectos. Henochus *translatus est in paradisum*, Gen. 5, v. 24. Sir. 44, v. 16. cap. 49, v. 16. Hebr. 11, v. 5. (Quamvis in canonicis libris expresse non addatur, in quod *ποῦ* translatus sit Henochus, tamen contra Pontificios Siracidis libro canonicam auctoritatem tribuentes, ejus testimoniis merito utimur. Quamvis etiam in Graeco textu non addatur, quod Henochus *in paradisum* sit translatus, tamen in vulgata versione, quae Pontificiis est authentica Sir. 44, v. 16. diserte illud additur, ac c. 49, v. 16. dicitur, quod *ἀνελήφϑη ἀπὸ τῆς γῆς*. Ergo non est detrusus in terram, sed subvectus e terra.) Abrahamus *vidit diem Messiae et gavisus est* Johan. 8,
XVII. 191. v. 56. jam vero qui *vidit Filium et credit in eum, habet vitam aeternam* Joh. 3, v. 36. Abraham *est pater omnium credentium* Rom. 4, v. 11. ac ante Christi mortem fuit eo in loco, *quo deportatus est Lazarus ab angelis* Luc. 16, v. 22. ubi *percepit consolationem* v. 25. et qui locus ab inferno vel maxime fuit segregatus v. 23. et 26. Elias curru et equis igneis *sursum vectus est in coelum*, non per presterem deorsum praecipitatus in infernum 2. Reg. 2, v. 11. Sir. 48, v. 9. 1. Macc. 2, v. 58. *Moyses et Elias* in transfiguratione Christi apparentes non e terrae sinu ac visceribus aut ex tenebricoso quodam carcere extrahuntur, sed in *gloria* et luce apparent Matth. 17, v. 5. Luc. 9, v. 31. De Lazari et conversi latronis anima jam ante dictum. Excipit Becanus in append. disp. de purgat. Calvinist. cap. 1. p. 44. *exempla Henochi et Eliae esse a proposita quaestione aliena. Disputari enim hic de animabus justorum, qui mortui sunt, jam vero Henoch et Elias non sunt mortui, sed vivi.* Respondemus: inane subterfugium. *In modo* quidem, quo candidati illi immortalitatis ex hac vita in coeleste consortium sunt translati et quo reliqui sancti V. T. in illud sunt assumti, est differentia, sed in ipso *termino* est convenientia, ut ex illis, quae dicta sunt, constat. Quodsi enim nolimus dicere, Henochum et Eliam in coelum esse translatos, ubinam quaeso eos collocabimus? Becano hic aqua haeret. *Henoch* (inquit) *et Elias non in coelum, quod beatorum sedes est, sed in alium locum translati sunt. At quis ille locus est? aliqui interpretantur paradisum terrestrem, ex quo Adam fuit expulsus, ut Thomas part. 3. q. 49. art. 5. ad 2. alii quia putant, paradisum illum tempore diluvii fuisse obrutum et destructum, dicunt eosin alio quodam amoeno loco versari. Nihil certi est, hoc unum constat, illos non fuisse raptos in coelum.* At si praeter limbum et coelum est adhuc alius quidam locus, in quo Henoch et Elias degunt, cur non connumerant illum reliquis sanctorum post mortem receptaculis? Si Henoch et Elias non sunt translati in coelum, cur de Henocho dicitur, quod *ἀνελήφϑη*, sursum e terra sublatus sit in paradisum? cur de Elia diserte dicitur, quod per *turbinem in coelum adscenderit?* Sed quaerit a nobis Becanus, *an currus ille cum equis, quo in coelum vectus est Elias, in coelo adhuc sit et quid agant ibi equi? et quo pabulo vescantur?* Respondemus: quasi vero graminibus in terrestri quodam paradiso vescantur? *λῆρος*. Per *currum igneum* et *equos igneos* intelliguntur angeli, qui in hac visibili figura apparuerunt 2. Reg. 6, v. 17. Psalm. 104, v. 4. Si currus ille materiali et corporeo igne urente et consumente flagrasset, Eliae vehiculum minus gratum praebuisset. 6. Nulla potest dari ratio, cur animae infidelium in V. T. immediate et sine mora descenderint in infernum et animae piorum ac fidelium aliquamdiu exclusae fuerint a coelesti gloria et beatitudine. Impius epulo Luc. 16, v. 23. fuit in *tormentis et in flamma*, hoc est in inferno et extremae miseriae statu. Ergo ex vi oppositionis Lazarus fuit in coelo beatorum et in summa felicitatis statu, nisi velimus temere suspicari, Deum majore severitate usum in impiis damnandis quam benignitate in impiis glorificandis, cui suspicioni fortissime adversatur v. 25: *Tu in vita tua accepisti bona, Lazarus ὁμοίως, similiter, mala, nunc vero ille solatio fruitur, tu vero cruciaris.* Excipit Becanus d. l. *in V. T. fuisse disparem*

*rationem poenae ac praemii, damnationis ac beatitudinis, 1. quia via ad poenam et damnationem erat aperta per peccatum primi parentis, via ad praemium et beatitudinem adhuc erat aperienda per mortem et satisfactionem Christi; 2. quia qui tunc peccabant mortaliter, per se merebantur poenam et damnationem sine ulla dependentia ab alio, qui autem bene vivebant, non merebantur per se praemium et beatitudinem, sed dependenter a futuro merito et passione Christi; hi ergo debebant exspectare Christum, antequam perfectum praemium perciperent, illi poterant statim puniri.* Respondemus: utraque ratio nititur falsa hypothesi, qua statuitur, passionem Christi non profuisse piis in V. T. antequam in ara crucis fuit peracta. Contrarium
XVII. 192. demonstrabimus inferius. 7. Nititur opinio de limbo falsis hypothesibus compluribus, *quod janua paradisi ante Christi mortem non fuerit piis aperta*, cum distinguendum sit inter tempus mortis et meritum mortis, passio et mors Christi profuerunt, ante quam fuerunt, et beneficia Christi valent non solum antrorsum, sed etiam retrorsum, unde angeli apparent adscendentes ac descendentes Genes. 28, v. 12. in descensu voluntatem Dei hominibus patefacientes, in adscensu animas piorum in coelum deportantes; *quod Christus eo fine ad inferos descenderit, ut patres e limbo educeret*, cum alius finis et effectus illius descensus in Scripturis proponatur etc. 8. Opinio illa sibi ipsi non constat. Si enim piorum in V. T. animae in limbum detrusae, ex quo per Christum postea liberatae, quomodo constabit veritas pronuntiato Salomonis Eccles. 11, v. 3: *Lignum in quocunque loco ceciderit, ibi erit ac manebit?* Si pii V. T. abierunt in limbum infernalem, quomodo Jobus fide tam certus esse potuit, *redemtorem suum vivere, seque ipsum coram intuiturum* c. 19, v. 25? quomodo Christus dicere potest, *Abrahamum, Isaacum et Jacobum etiamnum vivere Deo* Luc. 20, v. 38? Si patriarchae vivunt Deo ac sunt in vita aeterna, quomodo ab intuitu et visione Dei tum temporis fuere remoti, cum vita aeterna consistat in beatifica Dei visione, Joh. 17, v. 24. 1. Cor. 13, v. 12. 1. Joh. 3, v. 2? Si post *mortem Christi clausa coeli janua est aperta et patres statim coeperunt esse beati*, ergo fuerunt beati, antequam cum Christo in coelum adscenderent. Utrumque Becanus asserit p. 52. sed perquam absurdum est beatificam Dei visionem illis tribuere, qui nondum sunt in coelo. Si Abraham, Isaac et Jacob fuere remoti a regno coelorum et a Dei visione, quomodo pii in N. T. dicuntur eorum assessores fore in regno gloriae Matth. 8, v. 11? (pugnant enim secum invicem *esse in limbo et esse beatum ac in regno gloriae* docente Bellarmino lib. de beat. sanct. c. 20. resp. ad 4.) quomodo Petrus Act. 15, v. 11. *nos per gratiam Domini nostri Christi salvari, καθ' ὃν τρόπον* patres V. T. Certe si eadem est salus ac beatitudo, qua in N. T. post Christi passionem ac mortem credentes salvi ac beati fiunt, cum illa, qua olim patres V. T. salvati sunt, quomodo vel hi salvi fuere facti sine beatitudine vel illi eodem modo, quo hi salvantur? quomodo Salvator tam certo pronuntiat, eos, qui in ipsum credunt, *a morte ad vitam transiisse* Joh. 5, v. 24? ubi praeteritum μεταβέβηκε ostendit, etiam de tempore V. T. Christum loqui. Quomodo ἀνάλυσιν pacificam tanto desiderio ante Christi mortem exspectarunt Luc. 2, v. 29? quomodo tanta animi fiducia Jacobus moriturus dixit, *Domine exspecto salutare tuum*, Gen. 49, v. 18? Si sancti V. T. caruerunt visione Dei beatifica, quomodo Bellarminus lib. de beat. sanct. c. 3. ex Eccles. 11, v. 27. *facile est in die obitus retribuere juxta vias suas unicuique*, probare potest, sanctos statim a morte ad Deum venire? Si piis ante Christi adventum mortuis descendendum fuit in aliquem limbum infernalem, potior ac melior eorum conditio fuit in vita quam in morte. Jacobus Gen. 32, v. 30. dicit, *se vidisse Dominum a facie ad faciem*. Si limbus puerorum a limbo patrum distinctus, quomodo David asserere potuit, ibi esse sobolem ex Bethsabea susceptam, quo ipse quoque cupiat commigrare 2. Sam. 12, v. 23? Si in Christi ad inferos descensu patres e limbo illo liberati, quis jam ejus penitus evacuati usus? Si patres in limbo conspectu ac visione Dei privati fuere, quomodo duntaxat poenam damni et non etiam poenam sensus sustinuerunt, cum sensus irae divinae per *aversionem, subtractionem et privationem faciei divinae* in Scripturis sacris describatur? Bellarminus lib. 2. de purg. cap. 14. *mille gehennas nihil esse, si conferantur cum amissione divini conspectus*. 9. Somnium illud Pontificium de limbo patrum extenuat meritum Christi, quasi illius virtus non redundaverit ad patres V. T. cum tamen agnus Dei dicatur occisus *ab origine mundi* Apoc. 13, v. 8. non tantum ratione *decreti, promissionis ac typorum* in XVII. 193.
sacrificiis, sed etiam ratione *fructus et efficaciae*, cumque Christus Jesus *dicatur heri et hodie idem* Heb. 13, v. 8. Si in humanis creditor debitorem liberum dimittit, interveniente fidejussione alterius fide digni solutionem spondentis, quidni Pater coelestis ob promissam et pactam filii satisfactionem suo tempore adimplendam patres V. T. fide in promissum Messiam gratiae, justitiae et beatitudinis aeternae participes fecisset? Si meritum Christi est unius ejusdemque virtutis et efficaciae tam in V. quam in N. T. consequens est, animas piorum non solum in N. sed etiam in V. T. in coelum fuisse deportatas et ad visionem Dei admissas. Connexio probatur, quia translatio piarum animarum in coelum, sors sanctorum in lumine etc. sunt fructus meriti Christi. Antecedens probatur, quia virtus et efficacia meriti non pendet ab illo temporis articulo, in quo passione et morte sua Christus illud acquisivit, sed a personae infinitate et a Dei decreto ac voluntate. Ecquis enim dixerit, meritum Christi novam aliquam virtutem tempore N. T. acquisivisse? Recte omnino Gregorius de Valentia tom. 4. in Thom. disp. 1. q. 19. punct. 4. §. Secundo se-

quitur etc.: *Omnes Christus similiter redemit, sive ante Christi adventum, sive post vixerunt, quique aliquando futuri erant, unde Apoc. 13. dicitur, agnus occisus ab origine mundi.* Idem somnium labefactat unitatem fidei ac spei, quae viget inter pios. Si enim non est eadem salus, utique nec eadem justificatio. Si non eadem justificatio utique nec eadem fides nec eadem meriti Christi efficacia. Augustinus epist. 157. ad Optatum: *Eadem fides est nostra et illorum, quoniam hoc illi crediderunt futurum, quod nos credimus factum. Si ergo et illi per gratiam Domini Jesu salvos se fieri crediderunt, manifestum est, quod haec gratia fecit antiquos etiam vivere ex fide.* Idem somnium labefactat Dei misericordiam et gratuitam fidelium cum ipso reconciliationem, praesupponit enim, Deum cum fidelibus V. T. eodem modo egisse, quo David cum filio suo degenere Absolone. Quemadmodum enim David in reductionem filii ab exsilio consentiebat, interim tamen a conspectu suo eundem arcebat 2. Sam. 14, v. 24. ita quoque Pontificia illa opinio Deo tribuit, quod animas fidelium ex mundi hujus exsilio in quietum locum reduci patiatur, sed nondum in conspectum suum eas admittat. Quemadmodum vero illa prohibitio Davidis, ne Absolon in conspectum regis adduceretur, evidens argumentum fuit, ipsum nondum esse plene et perfecte regi reconciliatum, ita quoque idem de fidelibus V. T. pronuntiandum erit; ac quemadmodum illa conspectus regii privatio Absoloni acriores doloris stimulos ingerebat quam ipsum exsilium, imo ipsa mors v. 32. ita quoque exquisitissimus doloris sensus in fidelium animabus ex illa faciei divinae privatione orietur, ut agnoscunt Antoninus part. 4. tit. 24. c. 10. §. 4. et ipse Bellarminus lib. 2. de purg. cap. 10. Cum vero absurdum sit talem dolorem patriarchis tribuere, ideo et illud agnoscant esse absurdum, ex quo talia consequuntur. 10. Patres non in infernalem aliquem limbum, sed in paradisum animas piorum V. T. deducunt. Chrysostomus hom. 26. in Joh. et in hom. de div. et Lazaro, Augustinus epist. 57. ad Dardan. et epist. 99. ad Evod. Huc referri possunt omnia patrum dicta, in quibus duo tantum animarum receptacula agnoscunt, coelum scilicet et infernum, de quibus suo loco inferius.

Argumenta pro limbo patrum. I. Ex Genes. 37.

173. Restat, ut videamus fulcra hujus limbi Pontificii. Bellarminus lib. 4. de Christo c. 10. producit haec Scripturae dicta: 1. Gen. 37. *dicit Jacob, descendam ad filium meum in infernum. Pius erat Jacob, pius etiam Joseph, et tamen utrumque non adscendisse ad coelum, sed ad inferos descendisse, Scriptura significat.* Galatinus lib. 6. de arcan. cap. 7. Pererius in c. 37. Gen. disp. 8. p. 883. et Cornelius a Lapide in comm. super Gen. 37. emphasin argumenti latius explicant. *Jacobus dicit, se*
VII. 194. *descensurum eo, ubi Joseph erat. At non existimabat, Josephum esse in sepulcro, quippe quem a bestia devoratum credebat. Ergo non potest hoc intelligi de sepulcro, sed de limbo.* Respondemus: 1. argumenta in medium allata probant, limbum esse figmentum papisticum, ergo non possunt nec debent haec verba Jacobi de quodam limbo intra terrae viscera concluso et carcere quodam infernali exponi. 2. Textus Hebraeus sic habet, *descendam* אֶל בְּנִי *lugens* שְׁאֹלָה, ubi praepositionem אֶל quidam secuti R. Salomonem exponunt *propter*, ut hac ratione non consortium loci, sed causa mortis exprimatur, *descendam lugens in sepulcrum propter filium meum*, cujus significationis exemplum habetur 1. Sam. 1, v. 27: *Hanna orabat ad Dominum* אֶל הַנַּעַר *propter puerum*, non ad puerum. 2. Sam. 13, v. 16. אֶל אוֹדוֹת *propter malum magnum istud*, ita enim reddidit Targ. Schindlerus in lexic. particula אֶל significat *ad, apud, juxta, super, propter, coram.* Galatinus huic expositioni opponit, quod Targ. Onkelos reddiderit particulam אֶל per לוֹת, sed Targumica illa expositio apud Christianos non est authentica. 3. Si vel maxime usitata significatio particulae אֶל retineatur, nondum tamen suburbium illud inferni, patrum scilicet limbus, erit exaedificatus. שְׁאוֹל enim significat primo *infernum*, Num. 16, v. 33. Deut. 32, v. 22. Psalm. 49, v. 15. Psalm. 55, v. 16. Prov. 27, v. 20. cap. 30, v. 16. Esa. 5, v. 14. cap. 14, v. 9. 11. 15. cap. 28, v. 15. Hos. 13, v. 14. secundo *dolores inferni,* qui in hac vita hominem quandoque tangunt et angunt 2. Sam. 22, v. 6. Psalm. 18, v. 6. Psalm. 30, v. 4. Psalm. 86, v. 13. Psalm. 116, v. 3. tertio *extremum humilitatis gradum*, 1. Sam. 2, v 6. (quae tamen significatio ad secundam, sicut secunda ad primam reduci potest, Deus enim ad inferos deducit gustum quendam dolorum infernalium hominibus immittendo); quarto *mortem ac transitum hominum* ex hac vita sive statum et conditionem mortuorum in genere, Gen. 44, v. 29. Job. 7, v. 9. Psalm. 88, v. 4. Psalm. 89, v. 49 quinto *sepulcrum,* Genes. 42, v. 38. 1. Reg. 2, v. 6. Job. 14, v. 13. cap. 17, v. 13. Psalm. 16, v. 10. Psalm. 141, v. 7. Esa. 38, v. 18. Ezech. 31, v. 15. Jon. 2, v. 7. (quae significatio ad quartam reduci potest, quia conditio hominum post mortem plerumque id complectitur, ut corpora eorum sepulcris inferantur.) In verbis Jacobi patriarchae vox שְׁאוֹל accipitur in quarta significatione, praedicit enim, vel ut quidam volunt, optat mortem cum filio Josepho communem, non quidem specie, sed genere eandem, ut sit sensus, *quoniam filius meus tam misere occubuit, mihi quoque ob tristitiae et luctus acerbitatem brevi moriendum erit,* quemadmodum paulo inferius dicit Genes 42, v. 38. c. 44, v. 29. 31: *Descendere facietis canitiem meam* שְׁאוֹלָה, at canities ex hypothesi Pontificiorum non descendit in limbum, sed duntaxat anima a corpore separata. Chrysostomus in comm. pari modo exponit: *Facietis, ut consolatione privatus cum dolore finiam.* Vatablus in comm.: *Lugebo filium meum usque ad mortem, hoc est moriar in ipso luctu.* Fagius ibid.: *Filio meo Joseph mortuo non possum amplius vivere.* Eodem modo exponunt Eugubinus in recognitione Pentateuchi, Cajetanus in comm. Lippomanus in catena, quos eo nomine sugillat Pererius.

Augustinus lib. 12. de Gen. ad lit. cap. 33. videtur de ipso inferno accipere. *Quod Jacob* (inquit) *ad filios suos dicit, deducetis senectutem meam cum tristitia ad inferos, videtur hoc magis timuisse, ne nimia tristitia sic perturbaretur, ut non ad requiem beatorum iret, sed ad inferos peccatorum* etc. Confer Meisnerum part. 2. sobr. phil. sect. 1. c. 3. q. 2. 4. Si vel maxime Pontificii quartam illam τοῦ שְׁאוֹל significationem admittere nollent, quam tamen ob Scripturae dicta in medium allata negare vix poterunt, nondum tamen evictum foret, de limbo quodam verba Jacobi esse accipienda. Quamvis enim persuasus erat, filium a feris discerptum, tamen quia mortem ordinarie sequitur sepultura et quia occisi a feris nihilominus quandoque sepeliuntur 1. Reg. 13, v. 29. ideo in his verbis simul ad sepulcrum respicere
XVII 195. potuit, hoc sensu, quia filius meus mortuus est, moriar et ego cum ipso ac sepeliar. 5. Glossa illa Pontificiorum, qua scheol accipitur pro limbo infernali, est Judaica, sic enim habet Midras: in scheol, id est *in gehennam.*

2. Ex 1.Sam.28. 174. 2. 1. Sam. 28. *anima Samuelis apparens Sauli de terra adscendere visa est. Eam autem fuisse veram Samuelis animam, aperte liquet ex verbis textus. Cum vidisset mulier Samuelem, item dixit Samuel ad Saul, item intellexit ergo Saul, quod Samuel esset. Certe non diceret Scriptura intellexit, sed putavit vel cogitavit, si non esset verum. Praeterea in Eccles. cap. 46. ponitur in laudibus Samuelis, quod mortuus prophetaverit et annuntiaverit regi, quae ventura erant. At quae laus esset Samuelis, si non ipse, sed daemon aliquis in ejus forma apparens futura praedixisset? Idem confirmant patres* Josephus 6. antiq. cap. 15. Justinus in dial. cum Tryph. Basilius epist. 80. ad Eustach. Ambrosius in cap. 1. Luc. Hieronymus in cap. 7. Esa. Augustinus de cura pro mortuis c. 15. Eadem repetit Bellarminus lib. 2. de purgat. cap. 6. et ex eo Becanus in append. disput. de purgat. Calv. cap. 3. p. 57. Mart. Delrio lib. 2. disquis. magic. q. 6. p. 113. et q. 26. sect. 4. Respondemus: cum ex illa Samuelis apparitione non tantum *limbum,* sed etiam *purgatorium, apparitiones spirituum, suffragia pro mortuis* et alia figmenta Pontificii probent, ideo accurate notanda sunt argumenta, quibus demonstramus, spectrum aliquod diabolicum, non autem Samuelis animam Sauli apparuisse, *1. ex ipsius Spiritus sancti praemonitione* Cum Spiritus sanctus hanc apparitionem describere vellet, praemonitionis ac praemunitionis cujusdam loco praemisit 1. Samuel. 28, v. 6. *quod Dominus non responderit Sauli neque per somnia, neque per Urim, neque per prophetas.* Si non respondit ei Dominus per prophetas, utique nec per Samuelem, qui Act. 3, v. 24. inter prophetas numeratur. Si noluit Dominus respondere Sauli per prophetas vivos, num existimabimus, eum respondere ipsi voluisse per mortuos, cum in lege id diserte prohibuisset Deut. 8, v. 11? Si nullius prophetae adhuc viventis alloquio Dominus Saulem dignari voluit, num putabimus, honore longe majore ipsum fuisse dignatum, ut scilicet propheta Samuel ex mortuis in ipsius gratiam suscitaretur? Excipit Bellarminus lib. 2. de purg. cap. 6. *Deum se iratum ostendere voluisse Sauli, idque fecisse tam non respondendo, quando interrogabatur, quam respondendo, quando non interrogabatur, utrumque enim est signum irae. Adde, quod cum Saul interrogabat Deum, si Deus respondisset, potuisset Saul declinare bellum et poenam sibi a Deo paratam. At cum interrogavit pythonissam, jam erant omnia parata et acies instructae et in conspectu positae, ut nullo modo praelium detrectari posset, tunc ergo Deus, ut magis puniret Saulem, praedixit ei per prophetam interitum suum et filiorum et totius exercitus.* Respondemus: praesupponitur in hac exceptione, Deum primo quidem Sauli non respondisse per prophetas, postmodum vero per Samuelem ei respondisse. Sed contrarium docet textus, contrarium demonstrant adductae rationes. *2. Ex ipsius facti consideratione.* Si is qui apparuit Sauli, fuit verus Samuel, aut fuit ejus *anima* aut *corpus* aut *totum personae* anima et corpore constans. Sed nihil horum dici potest. *Anima* Samuelis non fuit, quia illa non minus ut reliquorum sanctorum animae fuit in *manu Dei* Sap. 3, v. 1. colligata in *fasciculum viventium* 1. Sam. 25, v. 29. *in sinu Abrahae* Luc. 16, v. 22. Jam vero diabolo ἀδύνατον est animas electorum ex manu Dei et ex statu alterius vitae, in quem nullum prorsus imperium obtinet, excutere et in has terras postliminio revocare. Si obvertere velis, *divina potentia id factum fuisse,* consequens erit, Deum pythonissae in opere mere diabolico temporalibus et aeternis flammis digno fuisse cooperatum. Praeterea si Sauli conspecta est anima Samuelis sine corpore, quomodo potuit a Saule et a pythonissa videri, cum anima sit spiritus invisibilis? Adde quod phantasma illud appareat in forma cor- XVII. 19
porea *alicujus senis pallio amicti* v. 14. at quomodo potuit anima separata in corporea figura senis conspici, cum ipsa sit ἀσώματος καὶ ἀγήραος? Sed nec *corpus* Samuelis esse potuit, primo quia nullus interpretum praeter Burgensem hoc affirmat. Secundo quia corpus Samuelis quietum in sepulcro jacuit nec ullis diabolicis incantationibus excitari potuit, cum Deus non minus *ossa* quam animas piorum custodiat, Psalm. 34, v. 21. Tertio quia spectrum illud apparet *in pallio*, quali Samuel in vita erat usus, num vero existimabimus, pallium illud spatio aliquot annorum non fuisse in terra corruptum? praestigiae fuerunt diabolicae tum in pallii, tum in personati illius Samuelis repraesentatione. Quarto corpus hominis mortui est sensus ac motus prorsus expers, jam vero hoc phantasma progreditur ac loquitur. Si obvertas, *diabolum corpus Samuelis induisse*, ex sancto Dei propheta ἐνεργούμενον ac corporaliter obsessum diaboli mancipium feceris, ac potuit diabolus id ipsum sine corpore Samuelis facere, figuram scilicet ejusdem repraesentando, quod in corpore ac per corpus Samuelis fecisse fingitur? Denique nec *totus Samuel* anima et corpore constans fuit, quia oportuisset eum a mortuis surrexisse, quod cum sit maxi-

mum miraculum solius veri Dei proprium, diabolo ac organis ejus, magis, tribui nequit. De Simone Mago, Apollonio Tyanaeo et aliis Satanae mancipiis memoratur, quod mortuos excitaverint, sed fuerunt merae illusiones, aut non praecessit vera mors, sed tantum simulatio, aut non secuta est vera resurrectio. Si Deo hanc Samuelis resuscitationem tribuere velis, divinum miraculum facies testimonium mendaciorum ac instrumentum Satanicae magiae, cum tamen divina miracula sint testimonia divinae veritatis; personatus ille Samuel non a Deo sese missum vel excitatum, sed magicis pythonissae artibus evocatum asserit v. 15: *Quare inquietasti me, ut suscitarer?* Et quis credat, Deum in gratiam impii regis pythonissam consulentis Samuelem extraordinario miraculo resuscitasse? Praeterea si Samuel ex mortuis excitatus hic Sauli apparuit, quid de eo postea factum, num denuo fuit mortuus et corpus ejus sepulcro illatum? at hac ratione per diaboli operationem factum fuisset? ubi bis mortem pateretur. Num in limbum vivus descendit? at limbus receptaculum est animarum, non corporum. Num in coelum ad Deum adscendit? at hac ratione coelum suscepisset novum incolam diaboli operatione ante universalem resurrectionem suscitatum. Bellarminus unicum illud habet, quod regerat, *apparitionem Samuelis praevenisse incantationem et ejus effectum*, quod colligit ex *perturbatione mulieris, quae turbata est, cum vidit, Samuelem apparuisse, antequam evocaretur.* lib. 2. de purgat. cap. 6. addit probationis loco somnium rabinorum, quod *umbrae mortuorum, quae vi magicae artis evocantur, capite deorsum verso adscendant. Samuel autem recta figura adscendit, ita ut primo caput, deinde pectus, postremo pedes e terra emergere visi sint.* Respondemus: imo vero pythonissa audiverat ex Saule, Samuelem artibus magicis esse evocandum, ideo personati illius Samuelis repraesentatio eam non perturbavit, sed potius *conspectus regis*, quem antea in caligine noctis non cognoverat. *Quare imposuisti mihi?* inquit, *tu es enim Saul* v. 12. Quodsi statuatur, *apparitionem Samuelis praevenisse pythonissae incantationem*, asserendum fuerit, Deum esse hujus evocationis auctorem, quae hypothesis urgetur absurdis superius enumeratis. Idem respondemus ad exceptionem Lyrani. *Quemadmodum* (inquit) *cum Bileam excitare vellet diabolum, Deus sese interposuit, ita cum ista maga advocaret malum spiritum, Deus misit Samuelem, et hoc pacto non confirmamus artes magicas, sed evertimus.* Respondemus: quod Bileamus diabolum excitare voluerit, incertum est, nec potest ex historia probari. Arti magicae omnino fuisset addita auctoritas, si verus Samuel prodiisset, etsi enim dicatur, Samuelem carminibus non obtemperasse, videri tamen potuit obtemperasse. *3. Ex apparentis*
VII. 197. *hujus spectri mendaci sermocinatione.* Personatus ille Samuel palam mentitur. *Quare inquietasti me?* inquit v. 15. in Hebr. est רגן *commovit, trepidare fecit,* quod tam de corpore, quam de anima usurpatur. At nec piorum animae, nec corpora a diabolo post mortem inquietari possunt, mentitur igitur Satan sub persona Samuelis ac *transfigurat se in angelum lucis*, 2. Cor. 11, v. 14. Postea subjungit v. 19: *Cras tu et filii tui mecum eritis.* At Saul die postero ex desperatione violentas manus sibi inferens non pervenit ad Samuelem, verum prophetam Domini, qui per mortem in vitam transierat, sed ad Samuelem personatum, hoc est ad diabolum, qui in speciem Samuelis sese transfiguraverat. Si obvertas, *diabolum vera prolocutum fuisse, quod Saul propter desperationem sit ad ipsum perventurus,* respondeo: nihilominus mentitur respectu Jonathanis Saulis filii, qui non est mortuus in desperatione, sed ab hostibus Philistaeis in bello occisus. Bellarminus regerit, *illud mecum eritis* non significare *in sinu Abrahae eritis, sed mecum eritis sub terra, id est mortui eritis.* Atqui Saul nec ratione corporis, nec ratione animae fuit cum Samuele. Ergo Satan sub specie Samuelis mentitur. Praeterea si mecum eritis hoc loco idem est quod mortui eritis, ergo etiam quando Jacob dicit, *descendam ad filium* idem erit quod moriar cum filio, et sic labefactatur vis primi argumenti pro limbo adducti. Si verus Samuel hoc loco Sauli apparuisset, procul dubio ad poenitentiam eum hortatus fuisset ac consilium vel certe consolationem illi suggessisset. Sed personatus hic Samuel odium Dei potius ei instillat, sicque desperationi fomenta suppeditat, v. 16. Quidam etiam hoc urgent, quod *personatus ille Samuel passus fuerit se adorari contra Dei legem* v. 14. sed hoc de civili reverentia accipi posset, interim recte dicitur, Satanam in eo peccasse, quod sub habitu et nomine Samuelis adorationem illam sive civilem, sive religiosam susceperit. Nec verisimile est, Samuelem a rege hunc honorem fuisse suscepturum, ut rex ad pedes ejus se projiceret, cum Petrus Actor. 10, v. 26. a Cornelio hoc honoris genere affici noluerit. *4. Ex poenae consecutione.* Si is, qui Sauli apparet, fuisset verus Samuel divinitus excitatus, utique Saul propter magicam illam evocationem non fuisset divinitus punitus et in peccatis suis mortuus. Sed hoc posterius diserte adstruit Scriptura 1. Par. 11, v. 13: *Mortuus est Saul propter iniquitates suas vel in iniquitatibus suis, eo quod praevaricatus erat mandatum Domini ac insuper pythonissam consuluerat,* v. 14. *nec interrogaverat Dominum, propter quod interfecit eum. 5. Ex patrum testificatione.* Justinus (vel quicunque alius auctor) in quaest. et resp. ad orthod. q. 52. p. 328: *Omnia quae a ventriloqua facta, sunt opera daemonis, qui sic perstrinxit spectantium oculos, ut sibi viderentur Samuelem videre, qui non erat. Verborum quidem veritas a Deo profecta est, qui daemoni dedit in figura Samuelis apparere ventriloquae et rem futuram demonstrare.* Tertullianus lib. de anima c. 57. p. 295: *Ecce hodie Simonis haereticos tanta praesumtio artis extollit, ut etiam prophetarum animas ab inferis movere se spondeant. Et credo, quia mendacio possunt, nec enim*

*pythonico tunc spiritui minus licuit animam Saulis effingere post Deum mortuos consulente Saule. Absit alioquin, ut animam cujuslibet sancti, nedum prophetae a daemonio credamus extractam, edocti, quod ipse Satanas transfiguretur in angelum lucis, nedum in hominem lucis, etiam Deum se adseveraturus signaque portentosiora editurus ad evertendos, si fieri posset, electos. Dubitavit, si forte tunc prophetam se Dei asseverare et utique Sauli, in quo jam ipse morabatur; ne putes, alium fuisse, qui phantasma administrabat, alium, qui commendabat, sed eundem spiritum et in pseudoprophetide, et in apostata facile mentiri, quod fecerat credi, per quem Saulis thesaurus illic erat, ubi et cor ipsius, ubi scilicet Deus non erat. Et ideo per quem visurum se credidit, vidit; quia per quem vidit, et credidit.* Origenes in hist. de Bileamo scribit, *bonos spiritus non obtemperare carminibus magicis.* Chrysostomus homil. 29. in Matth.: *Nullo modo*
XVII. 198. *credendum est, animas mortuorum versari in terris. Dives petiit, ut Lazarus remitteretur, sed non impetravit.* (Quomodo igitur haec maga a Samuele illud impetrare potuit?) hom. 2. de Lazaro: *Si diabolus nihil potest in viros, quomodo potest aliquid in spiritus mortuorum?* Augustinus lib. 2. ad Simplician. q. 3. *utrumque defendi posse* primum asserit, sed postea argumentis, quae probant, non fuisse Samuelem, diligenter pensitatis subjungit, *facilius responderi posse, si dicamus, non fuisse Samuelem, sed tantum phantasma ac spectrum.* Quod Scripturae semper de eo ut vero Samuele loquantur, ad illud respondet, *eam esse consuetudinem Scripturarum, ut similitudines appellent nomine ipsarum rerum, quas repraesentant.* Quod vere praedixerit personatus ille Samuel, quid esset eventurum, ad illud respondet, *nec mirum nec novum id videri debere, diabolos enim dixisse, Christum esse Filium Dei et praeclarum testimonium doctrinae Pauli dedisse, ac Deum hoc loco usum fuisse opera diaboli, ut Saulem perterrefaceret, ut qui malos spiritus consuluisset, malo responso affligeretur.* Quod Saul futurus dicitur cum Samuele, impius cum propheta sancto, ad illud respondet, *hanc esse artem diaboli, ut semper falsis aliquid admisceat veri, idque ipsum facere hoc loco, cum re vera magna sint discrimina locorum inter animas felices et perditas.* Postea subjungit, *posse illud dictum Samuelis intelligi de communi statu mortis, non autem de paritate felicitatis* etc. In quaestionibus ex V. T. (de quibus tamen eruditi dubitant, an sint Augustini) q. 27: *Indignum facinus aestimo, si secundum verba historiae commendetur assensus. Quomodo enim fieri poterat, ut arte magica attraheretur vir et nativitate sanctus, et vitae operibus justus? aut si non attractus est, consensit, quod utrumque de viro justo credere absurdum est. Si enim invitus adductus est, nullum suffragium habet justitia. Si autem voluntarius, amisit meritum spirituale, quod positus in carne quaesiverat, quod valde absurdum est, quia hinc, qui justus recedit, emanet justus. Porro autem hoc est praestigium Satanae, quo ut plurimos fallat, etiam bonos in potestate se habere confingit. Ut enim errorem faceret, in quo et ipse gloriaretur, in habitu viri justi et nomine se subornavit, ut nihil proficere spem, quam praedicabant Dei cultoribus, mentiretur, quando hinc exeuntes justos finxit in sua esse potestate. Sed hoc quosdam fallit, quod de morte Saul et filiorum ejus non sit mentitus. Quasi magnum sit diabolo ante diem occasum corporis praevidere, cum signa quaedam soleant apparere morituris, quippe a quibus Dei profectio amota videtur.* Et postea: *Si vere Samuel illi apparuisset, non utique vir justus permisisset se adorari, qui praedicaverat, solum Deum esse adorandum. Et quomodo homo Dei, qui cum Abrahamo in refrigerio erat, dicebat ad virum pestilentiae dignum ardore gehennae, cras mecum eris? his duobus titulis subtilitatem fallaciae suae prodidit improvidus Satanas, quia et adorari se permisit sub habitu et nomine Samuelis contra legem et virum peccatis pressum, cum magna distantia peccatorum et justorum sit, cum Samuele justissimo futurum mentitus est. Verum potest videri, si de Samuelis nomine taceatur, quia Saul cum diabolo futurus erat. Ad eum enim transmigravit, quem adoravit. Semper enim diabolus sub velamine latens prodit se, dum ea confingit, quae abhorreant personis, per quas fallere nititur.* lib. 2. de mirab. Script. cap. 11: *Qualiter Samuel a pythonissa suscitari dicitur, dum pythonissa daemoniacis incantationibus et praestigiis uti videtur? et quomodo Saul, qui in viventibus prophetis Dei responsum non invenit, resuscitatum a morte prophetam audire meruit? Unde non hunc esse Samuelem illum prophetam per factum facilius intelligitur, sed diabolus, qui se transfert in angelum lucis, in phantasia Samuelis consideretur, quod ex sermonibus ejus recte dignoscitur, quoniam funesto Sauli dicebat: Tu et filii tui mecum eritis. Etenim si verus hic Samuel ostensus esset, nullo modo iniquum regem consortem sui meriti post mortem diceret.* Procopius et Eucherius in com. 1. Sam. 28. negant, fuisse verum Sa- XVII. 199.
muelem. Eadem est sententia Isidori lib. 8. etymolog. cap. 9. in quam etiam inclinant Basilius in cap. 8. Esa. tom. 3. p. 444. Elias Cretensis orat. 1. Nazianz. circ. fin. Beda lib. 4. exposit. alleg. in Samuel. cap. 8. dubius est ac ambiguus. *6. Ex adversariorum confessione.* In jure canonico c. Nec mirum 26. q. 5. citantur verba Augustini ex quaestionib. V. T. q. 27. modo adducta. Thomas part. 1. q. 89. art. 8. resp. ad 2. et 22. q. 5. art. 4. non abhorret ab illa sententia, quod non vere spiritus Samuelis a requie sua excitatus sit, sed aliquod phantasma et illusio imaginaria diaboli machinationibus facta, quam Scriptura appellat Samuelem, solet enim imagines rerum suarum nominibus appellare. Sarisberiensis in policratico lib. 2. cap. 26. multis argumentis probat, non fuisse verum Samuelem. Fr. Ruizius in regulis intell. Scripturas regu-

lam 15. *quod Scriptura verarum rerum nomina tribuat rerum similitudinibus*, declarat hac historia personati Samuelis. Confer Joh. de Turrecremata et alios canonistas in com. d. cap. Nec mirum. Leloyerius lib. 4. de spectris cap. 1. multis argumentis demonstrat, non fuisse verum Samuelem, quem hoc nomine insectatur Martinus Delrio libr. 2. magic. disquisit. quaest. 26. sect. 4. pag. 238.

175. Quae in contrarium afferuntur, ex dictis facilem habent explicationem. *1. Scriptura appellat Samuelem.* Respondemus: Augustinus lib. 2. ad Simplicianum q. 3. et lib. 2. de mirab. Scripturae c. 11: *In multis Scripturae locis imaginatis rebus verarum rerum nomina adscribuntur.* Hanc regulam declarat ibidem quibusdam exemplis: *Virga magorum Aegyptiorum in similitudinem serpentis imaginata et ille aeneus in deserto serpens nominatur. Duo quoque Cherubim pro similitudine obumbrare propitiatorium memorantur. Quinque mures vel quinque anuli de terra Philistim in capsella cum arca Domini referuntur. Duodecim boves sub mari aeneo et quatuordecim leones in throno Salomonis eburneo statuuntur. Cherubim quoque et palmae et mala granata et retia in templi aedificio depicta describuntur, cum haec omnia non ipsa rerum veritate, sed pro similitudine ista nomina recipiunt, ipsae tamen Scripturae sine ullo incertitudinis respectu quasi res veras haec nominatim ponunt. Phantasma igitur Samuelis velut ipse Samuel ostensum pronuntiatur, sicut et in visionibus prophetarum et in apocalypsi Johannis ostensi viri pronuntiantur. Sic Satanas in puncto temporis dicitur Christo ostendisse omnia regna totius terrarum orbis* Luc. 4, v. 5. quod non de ipsis totius mundi regnis, quae in puncto temporis ostendere simpliciter diabolo impossibile erat, sed de objecta omnium regnorum imagine accipiendum. Imitatur autem hac in parte Scriptura vulgatam loquendi consuetudinem. Sic visa Julii Caesaris imagine dicimus, *hic est Julius Caesar*, in comoedia eum, qui repraesentat personam Samuelis, vocamus *Samuelem. 2. Siracides hoc numerat inter Samuelis laudes.* Respondemus: liber ille non est canonicus. Posset etiam responderi, Siracidem de imaginario Samuele locutum fuisse tanquam de vero, cum etiam sacrae literae sic loquantur, ac loqui secundum opinionem Saulis et pythonissae, qui existimarunt, ipsum Samuelem esse suscitatum. *3. Saul dicitur intellexisse, quod esset Samuel. Ergo non cogitavit, non putavit, sed re vera intellexit.* Respondet Augustinus in quaest. V. T. q. 27. per inversionem: *Istud minime ad veri rapiendum est rationem, sed ad visum et intellectum Saulis justo Dei judicio tanta hebetudine dementis effecti, ut ad pythonissam confugeret. Saul namque reprobus factus non poterat habere bonum intellectum. Historicus mentem Saul et habitum Samuelis descripsit, ea quae dicta et visa sunt exprimens, praetermittens, si vera an falsa sint. Quid enim ait? audiens, in quo habitu esset excitatus, intellexit, inquit, hunc esse Samuelem. Quid intellexerit, retulit, et quia non bene intellexerit, contra Scripturam alium adoravit quam Deum, et putans Samuelem adoravit diabolum, ut fructum fallaciae suae haberet Satanas. 4. Is qui apparet, vere prae-* XVII. 200.
*dicit Sauli et filiis ejus mortem.* Respondemus: Diabolus hoc ex justi judicii divini, cujus exsecutio ipsi demandata erat, revelatione cognoscere potuit. Notae ipsi erant vires utriusque exercitus, Judaei ac Philistini, nota utriusque partis arcana consilia, noverat Saulem justo Dei judicio poenae destinatum et Davidem ejus loco in regem electum, inde facile colligere poterat praelii exitum. 5. Lyra hoc urget, *quod injuria fuisset Samueli facta, si diabolus ejus persona se subornasset.* Respondemus: id vero frivolum est. Major enim injuria fuisset, si diabolus verum Samuelem inquietasset ac corpus ejus invasisset. Praeterea sicut organa et ministri diaboli gerunt se pro organis et prophetis Dei, ita ipse Satanas *transfigurat se in angelum lucis* 2. Cor. 11, v. 13. et 14. quid mirum, si etiam in prophetam lucis? Ecquis dixerit, honesto viro ignominiam conciliari, si perversus aliquis nebulo se pro ipso gerat? *6. Patris ista statuunt.* Respondemus: pauci quidem, non omnes, et qui sic statuunt, timide ac trepide, non asseveranter illud proferunt. Josephus in historica recitatione phrasin Scripturae imitatur, nec inter patres satis commode refertur. Justinus fuisse Samuelem dicit, sed addit aliquid, quod ne ipse quidem Pontificii concedunt, videlicet *animas etiam piorum ante Christi adventum fuisse aliquo modo sub potestate diaboli, ut eas potuerit reducere, cum vellet.* Hieronymus non suam, sed aliorum sententiam recenset. *Plerique,* inquit, *putant, Saulem signum accepisse de terra et de profundo inferni, quando Samuelem per incantationes et artes magicas visus est suscitasse.* Augustinus lib. de cura pro mortuis dubitat. *Samuel propheta* (inquit) *defunctus vivo Sauli futura praedixit, quamvis nonnulli non ipsum fuisse, qui potuisset magicis artibus evocari, sed aliquem spiritum, tam malis operibus congruentem, illius existiment similitudinem figurasse* etc. Ex Galatino lib. 6. de arc. c. 7. colligitur, opinionem illam patrum ex somniis rabinorum originem duxisse, ibi enim ex Midras Lev. 20. et R. Eleazaro probatur, fuisse verum Samuelem, et additur fabula, quod *mortuus regi adscendens faciem habeat sursum et pedes deorsum; rustico autem adscendens faciem habeat deorsum ac pedes sursum.*

176. 3. Zach. 9, v. 11: *Tu eduxisti in sanguine testamenti vinctos de lacu, in quo non est aqua.* 3. Ex Zach. 9, v. 11.
*Hunc locum Hieronymus et Rupertus de descensu Christi ad infernum exponunt. Et convincitur ex eo, animas sanctorum ante Christi mortem non fuisse in coelo, nec enim coelum per lacum significari potest, aut ex coelo Dominus sanctos suos eduxit, aut in coelo ulli sunt vincti.* Idem urgent Ribera in com. illius loci, catech. Trident. in exposit.

articuli Descensus. Respondemus: LXX interpretes accipiunt ut apostrophen ad ipsum redemtorem, quos sequitur vulgata translatio, sed in Hebraeo est apostrophe ad filiam Sionis, cui v. 9. proxime praecedente dictum, *exsulta valde filia Sion.* Sic enim ad verbum habent Hebraea. *Etiam tu* (filia Sionis, est enim femininum אַתְּ, subintelligendum igitur aliquid ad complementum sententiae, particeps eris meorum beneficiorum, perfrueris meis bonis, habebis partem in regno meo) *in sanguine* vel propter sanguinem *foederis tui*, (iterum in genere feminino בְּרִיתֵךְ, ut sit sensus habebis auxilium et salutem in illo sanguine, per quem foedus gratiae tecum inii ac confirmavi), *emisi* vel emittam (Hebraei enim praeteritum pro futuro ponunt praesertim in vaticiniis propheticis propter certitudinem) *vinctos tuos de cisterna, in qua non est aqua.* Judaei hoc vaticinium exponunt *de liberatione ex captivitate Babylonica*, quos sequitur Calvinus judaizans lib. 2. instit. cap. 16. §. 9 ut et Sutlivius lib. 1. de purg. c. 14. p. 147. et ex parte Arias Montanus in comm. Zach. 9. sed huic detorsioni Bellarminus recte opponit haec fundamenta 1. *in verbis praecedentibus proponi* vaticinium de Christo: *Exsulta filia Sion, ecce rex tuus venit ad te*, quod evangelistae de ingressu Christi in Hierosolymam exponunt, Matth. 21, v. 5. Joh. 12, v. 15. 2. libe-
XVII. 201. rationem illam Judaeorum non constitisse sanguine, nec intervenisse aliquod liberationis pretium, sed fuisse gratuitam. Adde 3. captivitatem illam non fuisse destitutam aqua sive literaliter, sive mystice eam explicare velimus. Augustinus lib. 18. de civ. Dei c. 35. per hunc lacum intelligit *humanae miseriae siccam profunditatem, quodammodo et sterilem, ubi non sunt fluenta justitiae, sed iniquitatis lutum.* Atqui ex illa humanae miseriae siccitate pii in hoc mundo non liberantur, sed eidem usque ad diem mortis immersi manent, ac beneficia Christi non praecipue ad hanc, sed ad futuram vitam pertinent, nec sunt primario bona corporalia, sed spiritualia. Quidam ex Pontificiis accipiunt de *limbo patrum*, sed cum in eo non sit poena sensus, ideo alii malunt explicare de purgatorio. Salmeron. in comm. 1. Cor. 15. disp. 26. *Haec verba* (Zach. 9.) *magis ad purgatorium quam ad limbum patrum spectare videntur, quia hic erit lacus sine aqua, at patriarchae aqua refrigerii et consolationis non carebant, unde est quod Abraham de Lazaro dixit ad epulonem: Hic nunc consolatur, tu vero cruciaris.* Bellarminus ipse lib. 1. de purg. cap. 3. loc. 9: *Etsi hunc locum* (Zach. 9.) *adducunt passim pro liberatione patrum ex limbo, tamen melius convenit liberationi animarum ex purgatorio, quas Christus eduxit, cum eo descendit post mortem suam, primo quia isti rectius dicuntur vincti, secundo quia in purgatorio non est aqua consolationis, quae est in limbo, ut patet Luc. 16.* Rectius vero per hunc lacum intelligitur infernus, in quo non est *aqua*, sed sulphur et ignis, in quo nostrae miseriae in profundissimo fuere gradu, quae interpretatio probatur ex toto contextu et aliorum Scripturae locorum collatione. 1. Captivi sive *vincti* (in Hebr. enim est אֲסִירִים, quod proprie significat *ligatos, vinculis constrictos)* sunt omnes omnino homines ex Adamo per carnalem generationem propagati. Primi parentes in vera ac plena libertate a Deo fuerunt conditi, sed per peccatum in captivitatem Satanae ac mortis una cum omnibus posteris sese praecipitarunt, unde sic describimur, quod simus *servi peccati* Joh. 8, v. 34. Rom. 6, v. 20. 2. Petr. 2, v. 19. *constituti sub potestate tenebrarum* Col. 1, v. 13. *conclusi sub peccatum* Rom, 11, v. 32. Gal. 3, v. 22. *fortis ille armatus in atrium suum nos deduxerat*, quod summa vi custodiebat Luc. 11, v. 21. adeo ut omnes cogerentur exclamare: *Numquid tolletur a forti praeda et an captivitas justa evadet?* Esa. 49, v. 24. Juxta hypothesin Pontificiorum captivi illi non erunt omnes homines, sed duntaxat mortui ante Christi adventum, quippe quos solos ex limbo per Christum liberatos asserunt, sed Scriptura spiritualem illam captivitatem ad omnes homines extendit. 2. *Carcer*, in quo captivi detinebamur, sic describitur, quod fuerit *fovea* sive cisterna, *in qua non est aqua.* Respectus habetur ad historiam Josephi Gen. 37, v. 24. ubi fratres eum dicuntur misisse *in cisternam veterem, in qua non erat aqua*, in ea fame et siti ipsi pereundum fuisset, nisi Judas eum extraxisset. Sic nos miseri homines constituti eramus in fovea inferni, in qua non est aqua refrigerii ac consolationis Luc. 16, v. 24. in ea aeternum nobis pereundum fuisset, nisi Christus *ex tribu Juda oriundus* Hebr. 7, v. 14. *leo de tribu Juda* Apoc. 5, v. 5. redemtionem nobis praestitisset. Juxta Pontificiorum hypothesin fovea illa aquam habuisset, quia patres in limbo constituti consolationem illam habuerunt, quod per Christum ex ea fovea sint brevi liberandi. 3. *Redemtor* est Christus Jesus promissus Messias, de quo in praecedentibus dixerat propheta: *Ecce rex tuus venit.* Ille est noster גֹּאֵל Job. 19, v. 25. qui *captivam duxit captivitatem* Psalm. 68, v. 19. qui *eduxit vinctos in compedibus* v. 7. qui promisit Esa. 49, v. 25: *Etiam captivitas fortis tolletur et praeda robusti evadet* etc. 4. *Pretium redemtionis* est Christi sanguis, quem dedit in ἀντίλυτρον Matth. 20, v. 28. 1. Tim. 2, v. 6. qui vocatur *sanguis foederis*, quia per illum novum testamentum est sancitum et obsignatum, sicut vetus sanguine juvencorum in sacrificiis mactatorum sanciebatur. Exod. 24, v. 8. Hebr. 9, v. 20. per hunc sanguinem et in hoc sanguine ex lacu infernali sumus emissi, ut et *meritum ac medium* redemtionis sanguis Christi XVII. 202.
constituatur. Hoc Christi beneficium non pertinet duntaxat ad N. sed etiam ad V. T. quia agnus *occisus est ab origine mundi* Apoc. 13, v. 8. ac pii patres statim a morte merito hujus sanguinis in sinum Abrahae ac in paradisum sunt translati, non autem in locum damnatorum detrusi. Luc. 16, v. 23. Conf. Hieronymus in comm. et Augustinus d. l.

177. 4. Luc. 16. *cum dives esset in inferno, vidit a longe animam Lazari in sinu Abrahae et* 4. Ex Luc. 16.

*audivit, inter loca ipsorum magnum hiatum esse, id enim significat χάσμα, ex quo apparet, nihil solidi fuisse interjectum inter locum damnatorum et sinum Abrahae, sed utrasque animas in eadem voragine fuisse, licet multum inter se distantes.* Eundem locum pro adstruendo patrum limbo proferunt Suarez in part. 3. Thom. q. 52. art. 1. disp. 42. §. 2. Remenses in annot. illius loci. Stapletonus in promt. cathol. feria 5. Dom. 2. quadrag. etc. Respondemus: 1. Dives dicitur Abrahamum et Lazarum in ejus sinu vidisse ἀπὸ μακρόθεν, *e longinquo*, quomodo igitur fuerunt in una eademque voragine? Augustinus epist. 99. ad Evod.: *Chasma hoc magnus quidam hiatus multum ea separans, inter quae non solum est, verùm etiam firmatus est.* 2. Si Lazarus et Abrahamus in limbo velut in umbra et carcere quodam tenebricoso conclusi fuerunt, quomodo dives eos videre potuit? 3. Si Lazarus gaudio et *consolatione*, pace et quiete fruitur in Abrahae sinu, quomodo potuit esse *in limbo*, id est in fovea, in qua non est aqua refrigerii et consolationis, ut ex dicto prophetico illum describere coguntur. Rectius igitur per sinum Abrahae coelum quam limbus inferni sinus intelligitur, ut ostendimus superius. Maldonatus in comm. hoc loco: *Per sinum Abrahae valde ego suspicor summum coelum intelligi.* Augustinus d. l. colligit, *sinum Abrahae non fuisse aliquam inferni partem, quia in nullis Scripturarum locis reperiri potuerit, ipsos inferos in bono appellari.* 4. Tale ac tantum chasma inter coelum ac infernum dicitur esse firmatum, ut prorsus ἀδύνατον sit, aliquem ex coelo in infernum, vel ex inferno in coelum transire, quomodo igitur ex limbo inferni sinu ac προαυλίῳ, *gehennae labro supremo*, ut Remenses in ann. hoc loco vocant, patriarchis ad coelum patuit aditus? 5. Chasma illud intermedium dicitur *firmatum*, in Graeco est ἐστήρικται, quomodo igitur *nihil solidi* inter locum damnatorum et sinum Abrahae interjectum esse dici potest, si literae insistere velimus? 6. Graecum χάσμα Latinus interpres vertit per *chaos*, quod est *rudis indigestaque moles*, quomodo igitur nihil in eo solidi, si auctoritate Latini interpretis Pontificii stare velint, ut per concilii Tridentini sanctionem coguntur? 7. Jansenius Pontificius scriptor in harm. in voce chasmatos metaphoram agnoscit. *Quemadmodum*, inquit, *in terrae motu relicta et interjecta vorago et hiatus impervium reddit transitum ab una parte ad alteram; ita firmissimo Dei decreto tanquam chasmate disclusus ac separatus est status beatorum a statu damnatorum, ut ab hoc ad illum et vice versa nullus pateat transitus.* Sequitur hac in parte Jansenius Euthymium, qui in comm. hoc loco hiatum magnum dicit *firmissimum Dei praeceptum tanquam ad modum hiatus prohibens horum et illorum commixtionem.* Per chasma ergo jam haud incommode significatur extrema illa distantia, qua altitudo coeli a profunditate inferni separatur, quam nullus pertransire possit. 8. Scopus hujus *historiae* (Tertullianus lib. 4. adv. Marc. p. 274. Hilarius in enarr. Psalm. 2. circa fin. Ambrosius in Luc. tom. 5. p. 128. Lyranus in comm.) sive *parabolae* (Athanasius de variis quaest. q. 21. Chrysostomus, Hieronymus, Theophylactus in comm. quos sequitur Maldonatus) is est, quod in ea proponatur diversus piorum et impiorum post hanc vitam status, extra illum scopum non est progrediendum, nec otiose quaerendum, quomodo linguae ac digiti tribuantur animabus a corpore separatis, quomodo animae beatorum et damnatorum invicem possint colloqui, quomodo dives dicatur sepultus et lingua ejus in inferno cruciata. Confer Irenaeum lib. 4. adv. haeres. cap. 4. pag 234. XVII. 203.
Justinum in quaest. et resp. ad orthod. qu. 60. pag. 332.

178. 5. 1. Pet. 3. *Christus iis, qui in carcere erant, spiritibus praedicavit, qui increduli fuerunt aliquando, quando exspectabant Dei patientiam in diebus Noae, cum fabricaretur arca. Hic dicuntur animae in carcere fuisse, non ergo erant in coelo, nam ridiculum est dicere, animas in coelo tanquam in carcere inclusas fuisse, cum coelum sit Dei sedes.* 5. Ex 1. Petri 3.
Respondemus: de interpretatione hujus loci apostolici (quem Lutherus tom. 2. Jen. fol. 341. tantae obscuritatis esse asserit, quanta vix in ullo alio T. N. dicto occurrat) variant tum veterum, tum recentiorum sententiae. 1. Augustinus epist. 99. ad Evod. et eum secutus Beda, ut et Thomas part. 3. q. 52. art. 2. per *spiritus in carcere constitutos* intelligunt homines, qui erant temporibus Noae, quorum animae erant in corpore mortali tanquam in carcere, quia corpus est carcer animae, illis Christus praedicavit non secundum humanitatem, quam nondum assumserat, sed secundum deitatem per internam inspirationem aut per linguam Noae illis, qui increduli fuerunt. Hanc Augustini explicationem multis argumentis impugnat Bellarminus lib. 4. de Christo c. 13. quorum tamen non est aequale robur ac pondus, illud primarium est, quod nomen φυλακῆς de *corpore humano* in Scripturis nuspiam usurpetur, unde ipse Augustinus tantum προβληματικῶς hanc expositionem proponit. 2. Augustini interpretationi quodammodo affinis est ea, qua praedicatio Christi itidem intelligitur de ea, quae temporibus Noae facta est, sed per carcerem non accipitur corpus, in quo anima incredulorum in hac vita habitarunt, sed *infernus*, in quem post hanc vitam et facta a corpore separatione detrusae fuerunt, hoc sensu, *Christus mortificatus est carne, vivificatus autem spiritu* (mortuus secundum humanitatem, vivificatus autem ac resuscitatus est virtute divinitatis, Rom. 1, v. 4: *Crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei.* 2. Cor. 13, v. 4. *In quo* (scilicet spiritu) *spiritibus in carcere* (Gr. textus habet ἐν φυλακῇ, *in custodia*, nec addit, quod fuerint illi spiritus in carcere, sicut vulgata Latina versio hoc addit, sed simpliciter dicit τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασι) *abiens* (Gr. πορευθείς, *profectus) praedicavit*, per Noahum scilicet et alios prophetas ac praecones verbi, qui per

*Christi spiritum* locuti sunt 1. Petr. 1, v. 11. et quidem praedicavit illis, *qui increduli fuerant aliquando*, τοῖς ἀπειθήσασί ποτε, qui *erant aliquando impersuasibiles*, qui non patiebantur sibi persuaderi) *cum semel exspectabatur Dei longanimitas in diebus Noae, cum appararetur arca*, *in qua paucae*, *hoc est octo animae servatae sunt per aquam.* Haec interpretatio confirmatur ex eo, quod Petrus in epist. 1, v. 11. dicit, spiritum Christi fuisse in prophetis ac proinde etiam in Noaho justitiae praecone, quodque Deus apud Moysen dicit Gen. 6, v. 3: *Spiritus meus non contendet amplius cum illis hominibus*, *quia caro sunt;* ex quo colligunt, quod Christus spiritu suo olim in Noah loquente praedicaverit hominibus immorigeris tunc quidem vivis, nunc autem mortuis et damnatis. Contra hanc interpretationem urgetur primo *consideratio subjecti.* Loquitur enim Petrus de Christo, non de *Λόγῳ ἀσάρκῳ.* Responderi posset, propter identitatem personae Christo recte tribui, quae *Λόγῳ ἀσάρκῳ* competunt. Sic Joh. 8, v. 58. inquit Christus: *Antequam Abraham erat, ego sum.* Secundo *consideratio temporis.* Facta est haec praedicatio et profectio post mortem atque vivificationem. Responderi posset, distinguendum esse inter diversa praedicata, vivificationem quidem factam esse post mortem, sed praedicationem temporibus Noae esse factam, nec seriem temporis, sed identitatem subjecti apostolum hoc loco respicere. Tertio *proprietas verbi πορεύεσθαι*, quae *Λόγῳ ἀσάρκῳ* non convenit ac v. 22. de propria profectione accipitur. Responderi posset *πόρευσιν* Deo incorporeo saepius tribui, ut peculiarem aliquam manifestationem per verba vel facta denotet, Gen. 11, v. 5. c. 18, v. 21. Deut.
XVII. 204. 20, v. 4. Esa. 45, v. 2. Hos. 5, v. 15. etc. nec in Scripturis insolitum esse, ut una eademque vox in eodem cap. primum proprie, mox vero metaphorice accipiatur, Joh. 4, v. 13. 14. Conf. Origenem lib. 3. in epist. Rom. adde, quod *πόρευσις* proprie accepta pro *φορᾷ* quadam locali ac physica non competat animae, cum tamen de Christi anima complures hunc locum accipiant. Quarto *oppositio carnis et spiritus*, quae nomen spiritus de verbi ministerio accipi non patitur. Responderi posset, per carnem Christi humanitatem, per spiritum ejusdem divinitatem intelligi, sicque optime sibi constare oppositionem, carne enim mortificatus est, spiritu autem vivificatus. Quinto *regula theologica*, quod praedicatio per prophetas non secundae, sed tertiae personae Trinitatis tribui consueverit. Responderi posset, Christo non minus quam Spiritui sancto illam tribui, quia propterea vocatur *Λόγος*, et notanter dicit Petrus, spiritum Christi fuisse in prophetis. Sexto, quod homines tempore Noae existentes vocare spiritus in carcere sit a *textu et litera* praeter necessitatem nimis longe recedere. Responderi posset, immorigeros illos tempore Noae fuisse homines vivos, sed tempore eo, quo Petrus scribebat, fuisse spiritus sive animas separatas in carcere inferni constitutas, 2. Petr. 2, v. 4. adde, quod personas viventes animatas apostolus paulo post vocat animas v. 20. Septimo, quod non *possit dari commoda ratio*, cur praedicationis factae tempore Noahi Petrus mentionem faciat, praetermissa ea, quae anterioribus et posterioribus temporibus facta. Responderi posset, eadem difficultate urgeri interpretationem eorum, qui de Christi ad inferos descensu hunc locum accipiunt, rationem connexionis dari posse eam, quod apostolus ad conscientiam et conversationem bonam hortetur proposito exemplo eorum, qui in diluvio salutis naufragium fecerunt ob contemtam conversationem et conscientiam bonam, vel, quod apostolo propositum sit demonstrare, Christum omnibus temporibus fuisse prophetam et doctorem ecclesiae suae, ac nihilo tamen minus maximam hominum partem verbis ejus fidem denegasse, ut ostendit exemplum eorum, qui vixerunt temporibus Noae, mirum igitur non esse, multos adhuc esse, qui evangelium ejus repudient et confessores ejus persequantur; vel, quod apostolus ad patientiam et longanimitatem non solum exemplo Christi et Noahi, sed etiam ipsius Dei nos exhortari voluerit. 3. Quidam hanc profectionem interpretantur de abitu Christi *in paradisum* et *τὰ πνεύματα* de animantibus beatis, vocem autem *φυλακῆς* de *custodia coelesti* accipiunt, hoc sensu, Christus mortuus ex infirmitate, resuscitatus autem per potentiam divinam, profectus in locum beatorum sese manifestavit victoriamque suam praedicavit beatis animabus, quae erant in custodia coelesti quaeque olim quidem temporibus Noae comminationibus de universali diluvio fidem non habentes poena diluvii divinitus correpti secundum corpus perierunt, poenitentia tamen acta secundum animam sive spiritum ad beatas sedes transmigrarunt. Huic interpretationi merito obvertitur, primo quod perquam durum et Scripturis prorsus insolitum sit *φυλακῆς* nomen de *coelo ac paradiso* usurpare, cum semper in malam partem accipiatur Matth. 25, v. 36. 39. 43. 44. Act. 5, v. 19. c. 8, v. 3. c. 12, v. 4. c. 16, v. 23. Apoc. 20, v. 7. Secundo, quod spiritus illi, quibus praedicatio facta est, dicantur *ἀπειθήσαντες*, *increduli et immorigeri*, de quibus certo affirmari nequit, quod postea veram ac seriam poenitentiam egerint et salvati sint. Tertio, quod de Christi in coelum *πορεύσει* v. 22. demum agat apostolus. 4. Ad hanc explicationem proxime accedit sententia Osiandri, qui in comm. hujus loci verba apostoli sic explicat: Christus mortuus in cruce quoad corpus, vivus autem quoad animam, accessit ad animas eorum, qui in diluvio suffocati sunt, qui tunc, cum Noah arcam pararet, persuaderi sibi non patiebantur, Deum adeo irasci mundo, ut eum diluvio universali perdere vellet, itaque non agebant serio poenitentiam, donec aquae diluvii ingruerent et sibi moriendum esse viderent. Quare Deus eos non quidem damnavit, quia non sine poenitentia decesserant, XVII. 20
sed tamen, quia pias admonitiones Noahi longo tempore spreverant, ideo placuit Domino, ut eorum

animas post mortem non statim in conspectum suum admitteret, sed alicubi tanquam in custodia, non tamen in cruciatu detineret, donec Christus post praestitum redemtionis pretium illis gratiam Dei annuntiaret et in coelum secum transferret. Pro stabilienda hac sententia urgetur discrimen inter ἀπειθεῖς καὶ ἀπίστους, inter impersuasibiles et incredulos. Omnes ἄπιστοι sunt etiam ἀπειθεῖς, sed non contra, fieri enim potest, ut fideles et electi non credant peculiaribus quibusdam Dei comminationibus, quae hujus vel illius loci interitum ac devastationem portendunt, qui tamen propterea non statim dicuntur ἄπιστοι. Huic interpretationi opponi potest, quod Scriptura non agnoscat tertium aliquem locum inter coelum et infernum, quodque textus diserte non addat illos, quibus praedicatum est, veram poenitentiam postea egisse. Discrimen inter ἀπειθεῖς et ἀπίστους Scriptura non videtur observare, sed per ἀπειθοῦντας incredulos et impoenitentes perpetuo intelligere. Joh. 3, v. 36. Act. 14, v. 2. Roman. 11, v. 30. et 31. Hebr. 3, v. 18. 5. Socinus in explicat. quorundam Scripturae locor. edit. Racov. anno 1618. p. 113. talem profert explicationem: *Christus licet propter infirmitatem carnis necatus fuerit et mortem gustaverit, divina tamen vi atque potentia ad immortalem vitam postmodum est restitutus, per eandem vero divinam vim atque potentiam, cum hinc ad patrem profectus esset, dimissis per universum orbem discipulis et ministris suis, qui tantam ejus adversum mortem victoriam praedicarent et palam testarentur, eorum etiam hominum mentibus et animis clare concionatus est et veritatem patefecit, qui malitiae et ignorantiae vi quasi quodam carcere tanquam irae Dei captivi detinebantur et contumaces fuerant aliquando. Quod non secus accidit atque cum aetate Noae Dei lenitas atque clementia hominum contumacium resipiscentiam exspectaret, quos arca, quae ab ipso Noa ex divino praescripto construebatur, ipsorum officii et divini, quod imminebat supplicii satis admonebat* etc. quae explicatio paucis duntaxat immutatis cum prioribus coincidit. Urgetur autem illa difficultate, quod incredulos illos, quibus Christus praedicavit, ab illis, qui erant tempore Noae, distinguit, quos tamen Petrus eosdem statuit. 6. Plerique patres hunc locum Petrinum de *Christi ad inferos descensu* exponunt, quos multi ex recentioribus sequuntur, ut sit sensus, Christus *mortificatus est carne,* quia animae et corporis unio in morte fuit vere soluta, sed *vivificatus spiritu*, quia per divinam ejus virtutem et potentiam anima corpori vicissim unita est ac vita eidem restituta 2. Cor. 13, v. 4. *in qua* divina virtute tanquam gloriosus triumphator *πορευθεὶς descendit* ad spiritus damnatos *in carcere* inferni constitutos, *qui increduli aliquando fuerant* et propter incredulitatem suam in hunc locum venerant, iisque *praedicavit*, hoc est incredulitatem ipsorum redarguit ac divinam suam potentiam, majestatem et victoriam manifestavit, sicut postea v. 22. dicitur πορευθεὶς εἰς οὐρανόν, in quo itidem suam gloriam et majestatem spiritibus justorum ostendit, illis quidem in confusionem, his vero in glorificationem et exsultationem. Huic interpretationi obvertitur primo, *quod nomen φυλακῆς non accipiatur de inferno.* Responderi potest, eo sensu usurpari Apoc. 20, v. 7. *solvetur Satanas ἐκ τῆς φυλακῆς, de carcere suo, et exibit*, qualis vero fuerit ille carcer, exponitur v. 3. *misit eum in abyssum.* Potest etiam certo respectu huc accommodari locus Matth. 5, v. 25. ubi carcer ut typus inferni proponitur. Confer Matth. 18, v. 30. Luc. 12, v. 58. Secundo, *quod praedicatio non satis commode in inferno facta dici possit.* Responderi potest, intelligi praedicationem non tam *verbalem* quam *realem*, qua Christus non ad conversionem et liberationem animabus impiorum praedicavit, sicut in ministerio suo in his terris fecerat, sed ad ipsorum confutationem et confusionem, ut magno suo malo hunc redemtorem se sprevisse intelligerent. Ut enim in judicio extremo impii in suis corporibus ipsum judicem conspecturi sunt et poenas a facie Domini XVII. 206.
sensuri 2. Thess. 1, v. 9. Apoc. 1, v. 7. ita quoque animae eorum extra corpora constitutae ipsum ut gloriosum triumphatorem in inferno conspexerunt et hac visione cruciatus in eis auctus. Ambrosius in c. 4. Eph.: *Triumphato diabolo Dominus descendit in cor terrae, ut ostensio ejus praedicatio esset mortuorum.* Sic ergo Christus damnatis in inferno gloriam triumphi sui ostendit in sua ad eum descensione; hominibus in terra viventibus eandem demonstravit in gloriosa resurrectione, beatis in coelo spiritibus in gloriosa ad coelum adscensione. Tertio, *quod non solum in spiritu sive anima, sed in tota atque integra humanitate post ζωοποίησιν ac animae et corporis unionem Christus ad inferos descenderit.* Responderi potest, intelligi spiritum sive animam corpori unitam, quia immediate praemittitur, quod Christus ζωοποιηθεὶς in infernum fuerit profectus. Quarto, *quod Christus hoc descensu non post, sed ante resurrectionem corpore adhuc in sepulcro exsistente perfunctus fuerit.* Responderi potest, distinguendum esse inter ζωοποίησιν καὶ ἀνάστασιν Rom. 14, v. 9. illa descensum Christi ad inferos praecessit, haec vero est secuta. 7. Calvinus lib. 2. instit. c. 16. §. 9. et in psychopann. sic explicat, *Christum praedicasse spiritibus defunctorum et bonis et malis, non quod ad eos venerit per animae praesentiam, sed quod effecerit, ut sentirent effectum suae passionis et mortis, et boni quidem gaudium reciperent, mali vero moerorem.* Vocem φυλακῆς vertit per *speculam*, in qua animae piorum dicuntur fuisse, quia erant in continua exspectatione passionis Christi. Huic interpretationi obverti potest primo, quod tollat realem Christi ad inferos descensum; secundo, quod spiritus coacta quadam glossa de efficacia et virtute explicetur, cum a carne distinguatur; tertio, quod Petrus emphatice dicit, Christus πορευθεὶς praedicavit, atque ad efficaciam exercendam nulla opus erat πορεύσει; quarto,

quod *φυλακή* non significet simplicem exspectationem, sed talem, quae ad custodiam refertur; quinto, quod Petrus non distinguat inter spiritus bonos et malos, sed absolute vocet *ἀπειθεῖς*. 8. Pontificii locum apostolicum accipiunt de limbo, ex quo patres per Christi ad inferos descensum fuerint liberati et in paradisum ab ipso traducti. Huic opinioni opponimus hac fundamenta. Primo, limbus patrum est figmentum *ἄγραφον*, imo *ἀντίγραφον*, ut superius ostendimus. Secundo in limbo juxta hypothesin Pontificiam fuerunt tantum pii et fideles, sed Petrus hoc loco dicit, Christum praedicasse *τοῖς ἀπειθήσασί ποτε*. Tertio, quando *caro* et *spiritus* in persona Christi opponuntur, spiritus divinitatem, caro humanitatem significat. Quarto, de anima Christi non potest commode dici, quod fuerit *ζωοποιηθεῖσα*, id quod urget Augustinus epist. 99. ad Evod. Bellarminus quidem respondet, *vivificari in Scripturis saepe significare idem quod non occidi.* Atqui oppositum mortificari ostendit, de vera et reali vivificatione, hoc est vitae amissae restitutione, textum esse accipiendum; adde, quod in hac significatione ea duntaxat dicantur vivificari, id est in vita conservari, quae mori possunt et quibus a morte impendet periculum, id quod de anima dici nequit. Quinto apostolus non meminit ullius liberationis vel translocationis in vitam aeternam, sed tantum praedicationis. Sexto, Augustinus d. l. urget, *quod apostolus non faciat mentionem sanctorum patrum, sed eorum, qui temporibus Noae fuerunt aliquando increduli.* Bellarminus quidem respondet, *ideo fuisse nominatim illos expressos, qui fuerunt in diebus Noae increduli, quia de illis majus erat dubium, an essent salvi nec ne, cum fuerint a Deo puniti et aquis diluvii submersi.* Atqui si quidam ex illis veram et seriam etiam in fine vitae egerunt poenitentiam, credentibus annumerandi sunt et in coelo, non autem in inferno collocandi. Septimo, in Graeco textu non habetur, quod spiritus illi, quibus Christus praedicavit, fuerint in carcere, quasi jam ex eo sint liberati, sed simpliciter dicitur *τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασι*, iis qui in carcere, ubi rectius subintellexeris praesens quam
XVII. 207. praeteritum. Octavo, Andradius libr. 2. p. 121. negat, limbum patrum ex hoc loco elici posse.

6. Ex aliis Scripturae dictis.

179. Atque haec sunt, quae pro limbo patrum ex Scripturis adducit Bellarminus, quibus 6. alii ex Pontificiis haec addunt. 1. Galatinus lib. 6. de arcan. c. 7. affert 1. dictum Gen. 15, v. 15. ubi ad Abrahamum dicitur: *Ibis ad patres tuos cum pace, sepelieris in senectute bona*, ubi ait R. Nachmon, *ibis ad patres tuos, qui idololatrae fuerunt* Jos. 24, v. 2. *Si igitur Abrahae dictum fuit, ibis ad patres tuos, patres autem ipsius cum idololatrae fuerint, quod in inferno essent, dubium non est, Abraham ipsum ad infernum descensurum fuisse, certum est. Veruntamen cum Abraham fidelissimus esset Dei cultor ac justus, nec igne inferni, nec a daemonibus infestandus erat, ideo dictus est ad patres suos in pace iturus.* Respondemus: 1. hac ratione inferri posset, in ipsum locum damnatorum, in quem idololatrae descenderant, patrem omnium credentium fuisse detrusum, quod *ἀσεβής*. 2. Respectus habetur non ad propinquiores, sed ad remotiores majores, qui verae ecclesiae membra fuerunt. 3. Thare pater Abrahami ad verum Deum Israëlis ex ethnica idololatria conversus videtur, id enim colligi potest ex Genes. 11, v. 31: *Tulit Thare Abraham filium suum, et Loth filium Aran filium filii sui, et Aran nurum suam uxorem Abraham filii sui, et eduxit eos de Ur Chaldaeorum, ut irent in terram Canaan.* 4. Ostendimus superius, Abrahamum post mortem non descendisse in limbum, sed subvectum fuisse in coelum. 5. Quod ipsum etiam ex hac phrasi colligitur, quanto Abraham dicitur *iturus ad patres cum pace*, id est perfruiturus cum ipsis omni felicitate, eam enim vox Hebraea שָׁלוֹם denotat. 2. Ibidem urget nomen *inferni inferioris* Deut. 32, v. 22. Si enim datur infernus inferior, utique etiam superior, videlicet limbus. Sed ostendemus suo loco, non ratione loci, sed ratione conditionis ac status infimas terrae partes inferno assignari, hic breviter monemus, adjectivum illud תַּחְתִּית non esse *διαιρετικὸν*, infernum inferiorem a superiore distinguens, sed *ἐπιτατικὸν*, statum et conditionem inferni describens. 3. Johannes per discipulos suos ex Christo quaerit Matth. 11, v. 3: *Tune es, qui venturus es, an alium exspectemus? hoc est tune in limbum descensurus et patres ex eo liberaturus?* Costerus in conc. Dom. 3. adv. p. 40. et 69. Respondemus: Ex responso Christi et ex ipsis quaestionis verbis verus ejusdem sensus intelligitur, non enim de quodam in limbum descensu vel Johannes quaerit, vel Christus respondet, sed an sit *ὁ ἐρχόμενος*, hoc est promissus Messias, qui hac denominatione solet describi, Joh. 3, v. 31. c. 11, v. 27. 2. Joh. v. 7. de quo Johannes ipse non dubitabat, sed discipulos suos adhuc subdubitantes plenioris informationis causa ad Christum ablegabat, unde etiam Christus ad miracula Messiae *τεκμήρια* eos deducit, quam esse genuinam hujus quaestionis sententiam agnoscunt non solum quidam ex patribus, Hilarius, Chrysostomus, auctor imperfecti operis, Cyrillus, Augustinus etc. sed etiam aliqui ex ipsis Pontificiis, Eccius, Wicelius, Maldonatus, Stapletonus etc. 4. Johan. 8, v. 56: *Abraham vidit diem Christi et gavisus est*, id quidam ex Pontificiis sic exponunt, *cognovit nativitatem Christi in limbo patrum renuntiante praecursore ejus Johanne Baptista vel Simeone Justo.* Eccius in postill. Dom. Judica. Respondemus: Per diem Christi adventus ejus in carnem ad officium redemtionis praestandum, non autem descensus ejus in limbum ad patres liberandos intelligitur, ut ipsimet saniores Pontificii agnoscunt. 5. 1. Petr. 4, v. 6: *Etiam mortuis evangelizatum est, ut judicentur quidem secundum homines carne, vivant autem secundum Deum spiritu.* Respondemus: Variae proferuntur hujus loci interpretationes. Clemens Alex. lib. 6. stromat. dicit, *Christum et apostolos descendisse ad inferos, ut*

*evangelium praedicarent mentibus damnatis et spem salutis afferrent credentibus.* Sed haec opinio refellitur ex regula theologica, quod ex inferno nulla
XVII. 208. sit redemtio, ac originem trahit ex haeresi Marcionitarum, de quibus Irenaeus lib. 1. advers. haeres. c. 29. p. 83: *Marcion docuit, Cainum et eos, qui similes sunt ei, et Sodomitas et Aegyptios et similes eis, et omnes omnino gentes, quae in omni permixtione malignitatis ambulaverunt, salvatas esse a Domino, cum descendisset ad inferos et accurrissent ei, et in suum assumsisse regnum.* Plerique accipiunt tanquam repetitionem eorum, quae de Christi ad inferos descensu apostolus praecedente capite 3. dixerat. Oecumenius in hunc locum: *Quemadmodum in mundum adveniens iis, qui parati erant, ut ipsum cognoscerent, ad justificationem venit, ignorare cupientibus ad condemnationem, ita et iis, qui apud inferos erant. Nam his, qui secundum carnem humano more vixerant, ad judicium advenit, illis vero, qui secundum spiritum vixerunt, hoc est juxta spiritualem ac honestam vitam, ad gloriam et ad salutem.* Atqui apostolus non exprimit, a Christo in propria persona immediate praedicationem illam factam, nec dicit, apud inferos vel in limbo eam esse factam. Rectius ergo de praedicatione evangelii facta viventibus, sed spiritualiter in peccato mortuis locus apostolicus accipitur hoc sensu, gentes religionem Christianam proterve blasphemantes reddent rationem Christo judici vivos et mortuos judicaturo, propterea etiam impiis gentibus, quae erant spiritualiter mortuae neque quidquam de Christo noverant, evangelium Deus annuntiari voluit, ut salventur et vivant Deo spiritualiter, etiamsi more humano a Domino in hac vita castigentur in carne propter antegressa enormia peccata. 1. Cor. 5, v. 5. Potest etiam per τὸ *judicari secundum homines carne* intelligi damnatio et abolitio veteris sive carnalis hominis, hoc est conversationis, secundum homines in carnalibus concupiscentiis ac per τὸ *vivere secundum Deum spiritu* vita spiritualis secundum novum hominem divinae voluntati conformis. Augustinus epistol. 99. ad Evodium: *Fieri potest, ut mortuos dixerit infideles, hoc est in anima mortuos, de qualibus dicitur, dimitte mortuos, ut sepeliant mortuos suos; vivos autem, qui credunt in eum non frustra audientes, surge qui dormis et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus, de qualibus etiam ipse Dominus dicit: veniet hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei et qui audierint, vivent. Proinde etiam hoc, quod sequitur, propter hoc et mortuis evangelizatum est, etc. non cogit apud inferos intelligi. Propterea enim in hac vita et mortuis evangelizatum est, id est infidelibus et iniquis, ut cum crediderint, judicentur quidem secundum homines in carne, hoc est in diversis tribulationibus et in ipsa morte carnis, unde idem apostolus alio in loco dicit, tempus esse, ut incipiat judicium a domo Domini; vivant autem secundum Deum spiritu, quia et in ipso fuerant mortificati, cum morte infidelitatis et impietatis detinerentur.* Salmeron. tom. 16. disp. 7. p. 93. contra hanc interpretationem urget, *quod vivi a mortuis in verbis apostoli distinguuntur*, sed talis antanaclasis ac diversa ejusdem vocabuli significatio in Scripturis non est infrequens. Confer Johan. 5, v. 25. et 28. 6. Hebr. 6, v. 20: *Usque ad interiora velaminis, ubi praecursor pro nobis introiit Jesus. Hic Christus dicitur intrasse coelum tanquam praecursor reliquorum. At non fuisset praecursor reliquorum, si justi V. T. ante illum intrassent.* Becanus in appendice disp. de purgat. Calvinist. c. 1. p. 43. Respondemus: Sicut Christus respectu suae resurrectionis recte dicitur *primitiae dormientium ac resurgentium* 1. Cor. 15, v. 20. ac *perruptor* Mich. 2, v. 13. quamvis alii in V. T. ante ipsum ex mortuis resurrexerint, quia ipse propria virtute resurrexit et resurrectionis auctor ceteris exstitit, ita quoque respectu suae in coelum adscensionis recte dicitur *πρόδρομος* ac *praecursor*, quamvis sancti V. T. in coelum sint recepti, quia ipse propria virtute in coelum adscendit, et adscensionis auctor ceteris exstitit. Joh. 3, v. 13: *Nemo adscendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, Filius hominis, qui est in coelo.* c. 14, v. 2: *In domo Patris mei mansiones multae, si quo minus, dixissem vobis, vado parare vobis* XVII. 209.
*locum.* Apostolus ipse satis perspicue exponit, quo sensu ac respectu Christus dicatur noster prodromus, quia scilicet pro *nobis* et propter *nos coelum ingressus est*, ut illud non solum propter se, sed etiam propter nos membra corporis sui mystici occuparet. 7. Hebr. 9, v. 8: *Hoc significante Spiritu sancto nondum propalatam esse viam sanctorum adhuc priore tabernaculo habente statum. Via ergo coelorum nondum fuit manifestata tempore V. T. At sane fuisset manifestata, si tot prophetae et patriarchae fuissent ingressi.* Becanus d. l. Respondemus: Sensus est, quod sacrificia V. T. per se et ex se non aperuerint viam in coelum, ideo quotannis ingressus sacerdotis in sanctum sanctorum repetebatur, et post ejus egressum illud sanctuarium interius iterum occludebatur, Christus autem in sua passione verum et unicum propitiatorium sacrificium in ara crucis Deo Patri obtulit, per quod via in coelum ac liber aditus ad *thronum gratiae* patefactus est, in cujus significationem velum templi in ipsius passione fuit scissum, sed ex eo colligi nequit, sanctos V. T. a coelo penitus extorres fuisse, quia *passio Christi profuit, antequam fuit*, ac agnus *Dei occisus est ab origine mundi* Apoc. 13, v. 8. unde *credimus per gratiam Domini nostri Jesu Christi salvari, quemadmodum et patres V. T.* Act. 15, v. 11. 8. Hebr. 10, v. 19: *Habentes itaque fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, v. 20. quam initiavit nobis viam novam per velamen, id est carnem suam. Ergo Christus suo sanguine paravit nobis novam viam ad coelum, quod antea clausum erat; ad quod alludens Hieronymus in epist. ad Dard. ait: Sanguis Christi clavis paradisi.* Becanus d. l. Respondemus: Concedimus totum argumentum, sed ex eo non sequitur, sanctos V. T.

fuisse e coelo penitus exclusos, quia *beneficia Christi* patientis, sanguinem effundentis ac morientis *valent antrorsum ac retrorsum.* Puerilis error est, vim et efficaciam meriti Christi ad illud momentum temporis restringere, quo Christus in ara crucis sanguinem suum effudit. Apostolus viam illam vocat *πρόσφατον*, *recentem* (ad verbum *recens mactatam*, quia per viam intelligit *corpus Christi* in cruce mactatum), tum *comparate* respectu habito ad sacrificia V. T. quae jam sunt antiquata Hebr. 8, v. 13. tum *absolute*, quia nunquam veterascit, sed omnibus temporibus vim et *ἐνέργειαν* suam perpetuo durantem exserit. 9. Hebr. 11, v. 39: *Hi sancti V. T. non sunt consecuti promissiones, ut non sine nobis consummarentur, id est, patres V. T. ante Christi adventum ad coelum adspirare non poterant, erant enim in limbo, priusquam Christus per adscensionem aditum eis aperuisset.* Remenses in annot. illius loci. Idem urget Becanus dicto loco c. 2. et Maldonatus in comm. Joh. 14, v. 2. Respondemus: 1. diserte in eodem capite dicitur, quod *fide exspectaverint civitatem fundamenta habentem, cujus artifex et conditor Deus*, v. 10. quod *patriam coelestem expetierint*, v. 16. 2. Per *ἐπαγγελίας* igitur, quas non sunt consecuti, intelliguntur promissiones, tum *de possessione terrae Canaan*, quam patriarchae nondum occupaverant, tum *de adventu Messiae* in N. T. mittendi. Blasius de Viega in Apoc. p. 28: *Ne sine nobis consummarentur etc. Referendum hoc ad mysteria gratiae et incarnationem Christi, quia perfecta consummatio in lege gratiae est impleta.* 3. Quidam ex Pontificiis referunt ad consummatam animae et corporis beatitudinem *in resurrectione* demum secuturam, ex qua interpretatione nullum limbo isti patrum accedit fulcrum. Ribera in comm. Hebr. 11. §. Altera expositio etc.: *Loquitur apostolus de consummata beatitudine corporis et animae, dum ea, quae corporis est, carent, et hic est, ut Augustinus exponit, germanus hujus loci sensus, quia non est scriptum, ne sine nobis remunerentur, sed ne consummarentur, nec enim consummatam beatitudinem habent animae.* Bellarminus lib. 1. de beatitud. sanct. c. 3. §. Tertio dico etc.: *Dico, per repromissionem, quam nondum erant adepti, intelligi perfectam beatitudinem corporis et animae.* 10. Christus primus adscendit ad
XVII. 210. coelum. Ergo patres ante Christum defuncti in limbo fuerunt. Respondemus: Quemadmodum Christus recte dicitur *ἀπαρχή*, primitiae, resurgentium, etiamsi alii ante eum resurrexerint 1. Cor. 15, v. 20. non solum, quia resurrectio ipsius cum gloria immortalitatis fuit conjuncta, cum Lazarus et reliqui ad conditionem hujus vitae excitati, gloriam illam immortalitatis non fuerint statim consecuti; sed etiam, quia solus virtute propria resurrexit, cum reliqui virtute Christi resurrexerint: ita quoque recte dicitur primus ad coelum adscendisse tanquam verus ille perruptor Mich. 2, v. 13. quia scilicet merito passionis suae jam inde ab origine mundi durante credentibus paradisi januam per peccatum clausam aperuit.

180. 2. Ex *patribus* afferunt illa dicta, in quibus *Christum ideo in infernum descendisse asserunt, ut sanctos tempore V. T. defunctos ex limbo educeret.* Respondemus: 1. De Christi ad inferos descensu plurimum variant veterum sententiae, ut suo loco vidimus. Ex incertis igitur patrum conjecturis praeter et extra Scripturam prolatis non potest formari aliquis fidei articulus. 2. Scriptura duos tantum novit post hanc vitam status, vitam scilicet et mortem aeternam, coelum et infernum. 3. Opinio de limbo originem ducit ex traditione *ἀγράφῳ*. Irenaeus lib. 4. adv. haeres. c. 45. p. 281. *ex traditione cujusdam senioris, qui audivit haec ab his, qui apostolos viderant*, scribit, *Dominum in ea, quae sunt sub terra, descendisse, evangelizantem et illis adventum suum remissam peccatorum exsistentem his, qui credunt in eum.* Sed quid et quantum ejusmodi traditionibus tribuendum sit, docet Chiliasticum somnium, quod Papias, Irenaeus, Justinus et alii traditione apostolica confirmant. 4. Patres per illustrem quandam hypothesin fructum Dominicae passionis, descensus ad inferos, resurrectionis et adscensionis ad coelum exprimere voluerunt, quod Christus ex inferno sanctos in fide defunctos liberaverit non in inferno conclusos ex eo educendo, sed ne in eum descenderent prohibendo. 5. Non assertive, sed dubitative de patrum limbo disputant. Augustinus lib. 20. de civ. Dei c. 15: *Non absurde credi videtur, antiquos etiam sanctos, qui venturi Christi tenuerunt fidem, locis quidem remotissimis a tormentis impiorum, sed apud inferos fuisse, donec sanguis Christi et ad ea loca descensus erueret.* 2. Ex patribus.

181. 3. *Purgatorium* sic describunt Pontificii, quod sit *locus quidam, in quo tanquam in carcere post hanc vitam purgantur animae, quae in hac vita non plene fuerunt purgatae, ut nimirum sic purgatae in coelum ingredi valeant, quo nihil intrabit coinquinatum.* Bellarminus lib. 1. de purg. c. 1. De circumstantiis purgatorii, videlicet de *personis* in eo purgandis, *loco*, *tempore*, *poenis*, *suffragiis* et hujus generis aliis plurimum inter se variant, communiter tamen statuunt, quod purgatorium sit *pro iis tantum, qui moriuntur cum culpis venialibus, et pro iis, qui decedunt cum reatu poenae culpis jam remissis.* De loco purgatorii plerique omnes ita sentiunt, *quod sit sub terra et inferno damnatorum proximum.* De poena purgatorii credunt, *quod ignis ille, quo animae purgantur, sit verus et proprius ignis adeoque ejusdem speciei cum nostro elementari.* Bellarminus lib. 2. de purg. c. 6: *Theologi fere omnes docent, eodem in loco esse et eodem igne torqueri damnatos et animas purgatorii.* De gravitate poenarum sentiunt, eas esse *atrocissimas et cum illis nullas poenas hujus vitae comparandas. Tanta est differentia inter ignem purgatorii et eum, quo in hoc mundo homines uruntur, quanta inter prunas torrentes et oris humani halitum, nulloque tormenti genere caro humana tantum cruciatum ferre potest, quantum* 3. Contra purgatorium.

*patitur anima illius ignis purgatorii ardore afflicta.* c. Nullus in fin. de poenit. dist. 7. *Purgatorii poenae*, scribit Costerus in ench. c. de purg. prop. 6. *excellunt omnem poenam, quam unquam aliquis passus est in hac vita. Nunquam in carne tanta inventa est poena, licet mirabilia passi sint*
XVII. 211. *martyres et multi nequiter iniqui tanta sustinuerint supplicia.* De duratione poenarum disputant, *quod tamdiu animae in eo torqueantur, donec pro peccatis venialibus in hoc seculo patratis vel pro poenis peccatorum temporalibus Deo fuerit satisfactum. Satisfieri autem* asserunt *vel passionibus ipsarum animarum, vel indulgentiis, missis, suffragiis, eleemosynis, jejuniis, peregrinationibus et aliis operibus satisfactoriis viventium amicorum aut sacrificulorum.* Haec omnia breviter complectitur auctor supplementi ad commentarios Gabrielis Bielis 4. sent. dist. 45. sic scribens: *Purgatorium est locus poenae temporalis, quam tenent purgandi, qui in caritate mortui sunt.* Illos dicit *poenam habere, sed temporalem, sensus et damni propter aliquid expiabile vel culpae venialis vel mortalis, cujus poena aeterna commutata est in temporalem, ex divina misericordia et hominis poenitentia dimissa culpa per gratiam gratum facientem.* Atque hoc suum dogma creditu tam necessarium esse statuunt, *ut qui illud negat, eum in gehenna sempiterno incendio cruciandum dicant.* Bellarminus lib. 1. de purg. c. 15.

Argumenta contra purgatorium. I. Destituitur Scripturae suffragio.

182. Contra Pontificium illud *purgatorii* figmentum producimus haec argumenta. I. Purgatorium *destituitur Scripturae suffragio.* Quodcunque dogma certis et perspicuis Scripturae sacrae dictis probari nequit, adeoque solido et immoto fundamento destituitur, non potest pro fidei articulo acceptari. Dogma pontificium de purgatorio certis et perspicuis Scripturae dictis probari nequit, adeoque solido et immoto fundamento destituitur. Ergo non potest pro fidei articulo haberi. Majoris veritas in controversia de Scripturae perfectione est demonstrata. Minor variis modis probari potest, 1. *ex ipsorum adversariorum confessione.* Irenaeus lib. 4. advers. haeres. c. 14. dicit, *probationem veram et minime contradictioni obnoxiam esse, quae ex adversariorum dictis elicitur*, cum quo consentit illud Tertulliani vel potius Novati de Trin. c. 18: *Firmum est genus probationis, quod etiam ab adversario sumitur, ut veritas etiam ab inimicis probetur.* Quare si ex ipsis adversariis demonstratum fuerit, purgatorium destitui Scripturae suffragio, utique firmiter probatum fuerit, dogma istud esse *ἄγραφον.* Jam vero facili negotio haec adversariorum confessio probari potest. Petrus a Soto in assert. cath. p. 83: *Non est, cur mirari debeamus, quod nec prophetica, nec apostolica scripta aliquid certi et perspicui de purgatorio tradiderint, cum certum sit, multa sine Scripturis esse tradita.* p. 85: *Nec eorum, qui hoc* (purgatorium) *negant, argumenta efficacia sunt, sumta ex eo maxime, quod in Scriptura nihil perspicue de eo traditur, cum jam constet, multa non scripta fuisse eorum, quae credenda sunt, sed auctoritas ecclesiae satis est.* Martin. Peresius in lib. de traditionib. *purgatorium ex Scripturis probari non posse*, confessus est. Ante Sotum et Peresium Fischerus Roffensis contra Luther. art. 18: *Tametsi ex Scripturis non possit probari purgatorium, veritas ejus nihilominus cunctis Christianis est credenda.* Ibid.: *Quanquam fortassis unam aliquam Scripturam, quae protervientem adigat, uti velit nolit confiteatur, in promtu non sit adducere; potest esse nihilominus illic aliqua, tametsi diligentissimos inquisitores hactenus illa latuerit.* Et postea: *Contemplantes igitur, aliquamdiu purgatorium incognitum fuisse, deinde quibusdam pedetentim, partim ex revelationibus, partim ex Scripturis creditum fuisse, et tam sero cognitum et receptum ecclesiae universae etc.* (Sic concludo: Dogma *aliquamdiu in ecclesia incognitum et sero ab ecclesia universa receptum*, non est in Scripturis revelatum, nec pertinet ad fidem catholicam, nec constituit fundamentalem fidei articulum. Dogma Pontificium de purgatorio tale est. Ergo.) Polydorus Virgilius libr. 8. de rer. invent. c. 1. adducit verba Roffensis: *Quamdiu nulla fuerat de purgatorio cura, nemo quaesivit indulgentias, nam ex illo pendet omnis indulgentiarum existimatio. Si tollas purgatorium, quorsum indulgentiis opus*
*erit? Coeperunt igitur indulgentiae, postquam ad* XVII. 212.
*purgatorii cruciatus aliquamdiu trepidatum est.* Et addit: *Haec ille, quae tu forte, cum tanti sint momenti, ut magis certa ex ore Dei expectabas.* Praecipuum purgatorii fundamentum collocatur *in oratione pro defunctis.* Atqui orationem pro defunctis *non ex Scriptura, sed ex traditione* esse, scribit Ludovic. Nogarola in libello de apostolicis institutionibus tradit. 32. Secundo *ab improba adversariorum postulatione.* Pontificii, cum in corde suo convicti sint, dogma de purgatorio non posse ex claris et perspicuis Scripturae dictis demonstrari, improbe et absurde a nobis flagitare incipiunt, ut *negativam*, videlicet non esse purgatorium, *αὐτολεξεὶ* in Scripturis exstare demonstremus, cum tamen *in fidei articulis affirmative et negative ex Scripturis argumenta duci posse*, recte doceat discip. de temp. serm. 23. cumque affirmanti probatio incumbat. Quia igitur onus probationis humeris ipsorum incumbens in nos devolvere conantur, eo ipso manifestum faciunt, quod sub onere probationis succumbant atque ex Scripturis probationem hujus dogmatis solidam ac firmam se proferre posse desperent. Petrus a Soto in assert. cath. p. 83: *Quare non citatis locum, ubi contrarium, videlicet purgatorium non esse, docetur, sed tantum negative argumentamini, quia nec Christus, nec Paulus dicit?* Jesuitae in colloq. Durlacensi an. 1615. habendo a nostris postularunt, *ex Scripturis αὐτολεξεὶ ac in ipsis terminis terminantibus demonstrari, purgatorium non esse.* Tilenus part. 2. disp. 65. §. 34. refert, quod *Jesuita Cotto ex ipso cacodaemone sciscitari non dubitarit, ecquo totius N. T. loco purgatorium commodissime fulciri ac statuminari*

*posset*, ex quo apparet, quantum ipsimet confidant testimoniis, quae dicis causa pro adstruendo purgatorio ex Scriptura adducere consueverunt. Tertio; ex *nominis consideratione*. Nomen purgatorii in sensu Pontificio acceptum nuspiam in Scripturis sacris occurrit. Bellarminus disput. de purg. exorsurus libro 1. de purg. c. 1. sic scribit: *Tria in Scripturis inveniuntur, quibus tribuitur purgatio peccatorum, et purgatoria dici possunt. Primo Christus ipse, de quo dicitur Hebr. 1. purgationem peccatorum faciens, Joh. 1: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Secundo tribulationes hujus vitae, de quibus Mal. 3: Ipse sedebit quasi ignis conflans et quasi herba fullonum et purgabit filios Levi* etc. Joh. 15: *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum et omnem, qui fert fructum purgabit, ut fructum plus afferat. Vocatur tertio purgatorium locus quidam, in quo tanquam in carcere post hanc vitam purgantur animae* etc. Sed pro hac tertia purgatorii significatione asserenda nullum affert Scripturae testimonium, neque etiam afferre potuit, quia Scriptura nullam purgationis peccatorum post hanc vitam exspectandae mentionem facit, ut suo loco plenius demonstrabimus. Quamvis vero quaedam in Scripturis exstent *secundum rem*, licet *secundum literam* et vocem in eis non habeantur, ac proinde a praetermissione nominis ad negationem rei ipsius non liceat absolute et simpliciter concludere; tamen cum et nomen, et res ipsa purgatorii Pontificii a Scripturis exsulet, ut ex sequentibus apparebit, ideo merito hanc nominis praetermissionem contra Pontificios urgemus. In Germanica lingua purgatorium vocatur Fegefeuer, quia communiter statuunt, *instrumentum illud, quo animae post hanc vitam purgantur, esse ignem, et quidem elementarem*. At si res ita habet, cur Roffensis et alii ex Pontificiis pro stabiliendo purgatorio adducunt locum Psalm. 65, v. 12: *Transivimus per aquam et ignem?* cur Gregorius lib. 4. dialogorum c. 40. et 55. refert, *animam Paschasii et cujusdam alterius in balneis quibusdam purgatas?* cur Petrus Damianus in epist. de miraculis sui temporis describit visionem *de purgatione animae S. Severini in quodam flumine?* cur Bonaventura 4. sent. dist. 20. disputat, *non solum ignem, sed etiam aquam, imo umbram esse in purgatorio et ea quasdam animas puniri?* cur in Aurea legenda memoratur, *Theobaldum episcopum animam in frusto quodam glaciei ante pedes jacentis cruciatam animadvertisse et eum se alloquentem audivisse?* Ibidemque in vita Conradi et Udalrici, *alios in avibus, quae in aquarum vortice crebro immergebantur, animas duas conclusas esse intellexisse et eas missis liberasse?* cur in speculo exemplorum dist. 3. exemplo 3. refertur, *presbyterum quendam vidisse in ecstasi animam quandam pauperculam in stillicidio domus novem annos ventis, pluviis et algoribus vexatam?* Quarto, *ex testimoniorum pro purgatorio adductorum ponderatione*. Perionius in topicis theologic. *unicum duntaxat locum* 2. Macc. 12. pro purgatorio stabiliendo exstare asserit, qui aperte doceat, *preces et sacrificia prodesse defunctis*. Atqui liber ille est apocryphus, quod praeter alia fundamenta probamus ex testimonio Gregorii Magni libr. 19. moralium c. 13. *De qua re*, inquit, *non inordinate agimus, si ex libris non canonicis, sed tamen ad aedificationem ecclesiae scriptis testimonium proferimus*, et postea adducit locum ex 2. Macc. Atqui Gregorius fuit episcopus Romanus, ac proinde ex hypothesi Pontificiorum ejus judicium est infallibile. Petrus a Soto in assert. catholica ad verba confess. Wirtenb. *quod dicta Scripturae, quae ad stabiliendum purgatorium citari solent, a genuino sensu ad alienum torquentur*, p. 84. sic annotat: *Illis Scripturae locis fatemur non aperte purgatorium probari, sed quod ex certa fidei regula credimus, id auctoritatibus illis advertimus indicari*. Bellarminus lib. 1. de purg. c. 3. §. Ad septimum etc. fatetur, *omnia V. T. loca excepto unico 2. Maccab. 12. solum probabiliter suadere, quod sit ejusmodi purgatorium*. Huc pertinet etiam illud, quod quae Scripturae dicta pro adstruendo purgatorio a quibusdam Pontificiis afferuntur, ea ab aliis Pontificiis aliter explicantur, ut ex speciali singulorum examine apparebit inferius. Quinto, ex *Scripturae praeteritione*. Scriptura sacra de purgatorio tacuit in illis locis, in quibus mentionem ejus fieri, si ejusmodi purgatorium esset, omnino oportebat. In Genesi et aliis Scripturae libris describuntur funera piorum patriarcharum, prophetarum, regum et aliorum sanctorum, sed de purgatorio, in quod animae ipsorum descenderint, altum silentium. In descriptione exsequiarum, quas sancti fecerunt, et intercessionum piorum pro aliis factarum nulla prorsus fit mentio supplicationum, justorum septendialium, trigesimalium aut aliorum suffragiorum in papatu hodie usitatorum. In Levitico describuntur varia sacrificiorum genera, sed sacrificii cujusdam pro animabus defunctorum in purgatorio sudantibus verbum nullum. Lev. 26. et Deut. 28. enumerantur *poenae peccatorum temporales*, sed nulla fit mentio poenarum purgatorii, quibus tamen vel maxime populus in officio contineri potuisset. Apostolus 1. Thess. 4. *de statu defunctorum* ex professo agit, sed purgatorii ne verbo quidem meminit. Quodsi purgatorium aliquod superesset, apostolus praepostere fecisset, quod interrogatus de statu defunctorum Thessalonicensibus non praescribit missas, vigilias, eleemosynas, indulgentias, peregrinationes etc. quibus cognatorum et amicorum defunctorum animas ex purgatorio liberarent, sed potius bono animo eos esse jubet de omnibus, qui in Christo obdormierunt v. 13. Si apostolus judicasset, maximam eorum defunctorum partem in purgatorio detineri, consequens fuerit, ipsum vel vana ac mendaci spe Thessalonicenses lactasse, dum jubet, eos bono animo esse ob defunctos, qui tamen missis et suffragiis ad sui liberationem vel maxime indigebant, vel obliviosum admodum fuisse, cum

XVII. 213.

vel in Scriptura V. T. vel in tertio coelo discere potuisset, quis et qualis sit animarum in illo purgatorio status.

Exceptiones Bellarmini 1. ad argumentum.

183. Ad quintam et ultimam istam probationem Bellarminus lib. 1. de purgat. c. 15. variis modis excipit, 1. *non esse necesse, ut Scriptura ubique omnia dicat.* Respondemus: Non quidem necesse
XVII. 214. est, ut Scriptura ubique omnia dicat, interim tamen necesse est, ut vel semel illud clare et perspicue dicat, quod fide catholica ab omnibus credendum, ac perfectio Scripturae requirit, ut dogma, quod pro fidei articulo haberi et acceptari debet, expresso et perspicuo quodam Scripturae loco probetur. Certum etiam est, *quodlibet fidei dogma habere propriam sedem in certo et perspicuo Scripturae loco.* Talem vero purgatorii sedem non potuerunt Pontificii in Scripturis invenire. Plerique recurrunt ad 1. Cor. 3. caput, sed scopus et contextus ostendunt, ibi non de *materiali* quodam purgatorii igne, quo animae quorundam post mortem torqueantur, sermonem esse, sed de igne *metaphorico*, nec ipsi Pontificii diffiteri possunt, locum illum esse obscurum ac metaphoricum. Jam vero in locis Scripturae figuratis non potest quaeri propria sedes alicujus articuli ad salutem creditu omnibus necessarii. *2. In Genesi non fuisse occasionem ponendi doctrinam de purgatorio, cum Genesis non sit liber dogmatum, sed historia quaedam patriarcharum, ac doctrina eo tempore non Scriptura, sed traditione fuerit conservata, alioqui dicendum fuerit, ante Abrahae tempora neminem fuisse justificatum, quia Scriptura non tradit, quomodo justificarentur homines tempore Adae, Noae, Henochi.* Respondemus: Imo vero optima fuisset occasio ponendi doctrinam de purgatorio in descriptione exsequiarum, quas pii defunctis suis cognatis instituerunt. Nec Genesis est duntaxat *historicum*, sed etiam *dogmaticum* scriptum, ut ostendunt promissiones de Messia, in quibus nucleus evangelii continetur. Quamvis vero ante scripturam Mosaicam doctrina coelestis viva voce sine scripto fuerit conservata, tamen postquam Genesis cum reliquis libris Mosaicis divino jussu fuit exarata, Israëlitae a traditionibus ad scriptum Dei verbum fuere revocati ac diserto mandato jussi *nihil quidquam addere vel demere* Deut. 4, v. 2. c. 12, v. 32. Modum justificationis in Abrahae exemplo omnium primo describi pernegamus, quia protevangelium *de semine mulieris contrituro caput serpentis* primis parentibus et patriarchis ante Abrahamum fuit notum ac revelatum, quod illi vera fide amplexi sunt, cujus exercitia fuerunt quotidiana sacrificia, unde epistola ad Hebraeos fidei exempla non solum in *Abrahamo*, sed etiam *in Abele, Henocho et Noaho* nobis proponit atque ex scripturis Mosaicis eruit. *3. Implicite in Genesi contineri mentionem purgatorii, quando enim dicitur Gen. 23: Et surrexit Abraham ab officio funeris, quis prohibet, per illud officium intelligere non solum lacrymas, sed etiam orationem et jejunium? et cur quaeso Jacob et Joseph in Aegypto morientes cupierunt, ossa sua deferri in terram promissionis, nisi quia ibi solum sacrificia pro defunctis facienda esse noverant?* Respondemus: Perquam ridiculum est, quod Bellarminus *officium* funeris legens de tali officio statim cogitat, quale in missalibus et breviariis Pontificiis describitur, quo justa septendialia, trigesimalia, anniversaria et alia suffragiorum genera defunctis praestari jubentur, cum de tali officio altum in Scripturis tam V. quam N. T. sit silentium. Neque in textu Hebraeo vel unum jota occurrit, quod officii ejusmodi papalis suspicionem movere possit, simpliciter enim dicitur: *Et surrexit Abraham a facie mortui sui.* Vulgata autem versio, quae officii funeralis mentionem inserit, historicae narrationi prorsus repugnat, quia in sequentibus demum *officium funeris* conjugi praestitum describitur, postquam scilicet locum sepulturae Abrahamus ab Hethaeis impetraverat. Quod Jacob et Josephus ossa sua in terram Canaan fine eo transferri voluerint, ut sacrificiorum pro defunctis ibidem offerendorum participes redderentur, est manifesta petitio principii, cum sacrificiorum pro defunctis in lege Dei nulla fiat mentio, et turpissimus finis elenchus, cum ex Scriptura et fidei analogia fines longe alii hujus testamentariae dispositionis erui possint, de quibus diximus superius. *4. In Levitico sacrificia pro defunctis fuisse instituta, quandoquidem illa, quae instituta sunt pro peccatis, intelligi pro peccatis tam vivorum quam mortuorum, ut patet ex libr. 2. Maccab. 12.* Respondemus: Lex divina non modo in genere, sed etiam in specie exprimit tum *materiam*, tum *formam*, tum *finem*, tum *ob-* XVII. 215.
*jecta* sacrificiorum, quae scilicet animalia, quibus ritibus, quo fine et pro quibus sint offerenda, at de quodam sacrificio *pro defunctis* offerendo in tota lege Mosaica ne verbulum quidem continetur. Lex divina omnes peccati per sacrificia purgandi ritus exacte et κατ' εἶδος describit, sed nuspiam alicujus post hanc vitam purgationis meminit. Quare cum legi divinae *nihil sit addendum*, frustra omnis de sacrificio pro defunctis instituto suscipitur cogitatio. De loco apocrypho 2. Maccab. 12. dicetur inferius. *5. Paulum 1. Thess. 4. solum voluisse dicere, non esse mortuos immoderate deflendos, quomodo ethnici faciebant, ad hoc autem propositum non solum non proderat, sed etiam oberat mentio purgatorii. Dicere enim, animas propinquorum gravissime torqueri in purgatorio, non est adferre materiam consolationis, sed majoris luctus, apostolus autem consolari eos volebat, ut patet, ideo meminit resurrectionis et gloriae.* Respondemus: Invertimus argumentum. Si animae defunctorum in Christo gravissime torquerentur in purgatorio, quomodo apostolus eos quiete *dormire* diceret, quomodo Thessalonicenses ob defunctos λυπεῖσθαι prohiberet? Si animae defunctorum in purgatorio igne aestuantes vivorum suffragiis juvari et possunt et debent, quomodo a παραπρεσβείας crimine apostolus liberabitur, quod nec vivos officii sui admonere, nec de-

functis de levamine cruciatuum prospicere voluerit, cum tamen proprie et ex professo ibidem egerit de illa quaestione, quomodo erga defunctos ac de defunctis Thessalonicenses animati esse debeant? Si necessariam illam admonitionem de *suffragiis vivorum*, quibus defunctos juvari aequum est, apostolus praetermisit, qua fronte dicere potuit, se *nihil subterfugisse, quo minus omne Dei consilium hominibus annuntiaverit* Actor. 20, v. 27? Sed et hoc meretur observationem, quod v. 14. apostolus dicit: *Deus illos, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo*, non dicit, e purgatorio demum ad se evocabit, sed cum eo ex coelesti gloria adducet. Quod Bellarminus addit, *apostolum aliis in locis diserte ignem purgatorii ponere*, de eo judicium fieri poterit ex sequentibus.

2. Pugnat cum Scripturis. 1. Scriptura omnes homines in duas duntaxat classes, dividit.

184. 2. Purgatorium non solum *Scripturae suffragio destituitur*, sed etiam *cum Scriptura pugnat*, est non solum ἄγραφον, sed etiam ἀντίγραφον, idque modis compluribus. Pugnat enim 1. cum illis Scripturae dictis, quae omnes omnino homines in duas duntaxat classes, credentes scilicet et incredulos, bonos et malos, oves et hoedos discriminant, ubi sic concludimus. Si in universum duo tantum hominum genera dantur, quorum uni coelum, alteri infernus assignatur, consequens fuerit, non dari purgatorium. Sed verum prius. Ergo et posterius. Majoris connexio probatur, quia purgatorium nititur hac hypothesi, quod tria dentur hominum genera, *perfecte scilicet boni, perfecte mali, et intermedii*, utrisque optimis scilicet ac pessimis interjecti; illis coelum beatorum, istis infernum damnatorum, hisce purgatorium post mortem esse praeparatum. Bellarminus lib. 1. de purgat. c. 11. §. Rursum: *Videmus ex iis, qui migrant ex hac vita, alios esse valde bonos, alios valde malos, alios mediocriter bonos, alios mediocriter malos; quocirca judicamus naturali lumine, esse post hanc vitam poenas aeternas pro valde malis, praemia aeterna pro valde bonis, ac poenas temporarias, et per eas transitum ad praemia pro iis, qui sunt mediocriter mali vel boni.* lib. 2. de purgat. c. 1: *De personis, quibus purgatio post hanc vitam conveniat, multi exstiterunt errores. Primus fuit, purgari debere post hanc vitam tam bonos, quam malos, uno Christo excepto. Secundus error est, omnes malos tam daemones, quam homines tandem inferno penitus evacuato salvandos* etc. tandem subjicit: *Manet ultima sententia vera, purgatorium pro iis tantum esse, qui cum venialibus culpis moriuntur,*
XVII. 216. *et pro illis, qui decedunt cum reatu poenae culpis jam remissis, id est qui sunt intermedii inter bonos et malos, qui in Christo quidem et fide mortui, non tamen plene sunt purgati.* Assumtum probatur ex doctrina Christi et apostolorum. Matth. 7, v. 13: *Lata porta et spatiosa via est, quae ducit ad perditionem, et multi sunt, qui intrant per eam.* v. 14. *Angusta porta et arcta via est, quae ducit ad vitam, et pauci sunt, qui inveniunt eam.* v. 17. *Arbor bona facit bonos fructus, mala autem arbor facit malos fructus.* v. 18. *Non potest arbor bona malos fructus facere, nec potest arbor mala bonos fructus facere.* v. 24. *Qui audit verba mea haec et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui aedificavit domum supra petram.* v. 26. *Qui audit verba mea haec et non facit ea, similis erit viro stulto, qui aedificavit domum in arenam.* Matth. 8, v. 11: *Multi ab oriente et occidente venient, et recumbent cum Abrahamo, Isaaco et Jacobo in regno coelorum;* v. 12. *filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores.* Matth. 13, v. 24. et 25: *In agro Dominico est bonum semen et zizania ab inimico superseminata.* v. 38. *Bonum semen sunt filii regni, zizania sunt filii nequam.* v. 48. *Sagena evangelicae praedicationis concluduntur pisces boni et putres.* Matth. 25, v. 32: *Separabit Filius hominis gentes coram tribunali ejus congregatas, sicut pastor segregat oves ab hoedis,* v. 33. *et statuet oves a dextris suis, hoedos autem sinistris.* v. 34. *His, qui ad dextram constituti sunt, dicet, venite benedicti, possidete regnum* etc. v. 41. *illis, qui a sinistris erunt, dicet, discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.* v. 46. *Et ibunt hi in supplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam.* Marc. 16, v. 16: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* Luc. 16, v. 8: *Filii hujus seculi prudentiores sunt filiis lucis.* v. 22. *Lazarus portatur ab angelis in sinum Abrahae, dives epulo detruditur in infernum;* v. 25. *ille consolatione fruitur, hic vero cruciatur.* Joh. 3, v. 6: *Quod natum est ex carne, caro est, quod natum est ex spiritu, spiritus est.* v. 18. *Qui credit in Filium Dei, non judicatur, qui autem non credit, jam judicatus est.* v. 20. *Qui mala agit, odit lucem et non venit ad lucem;* v. 21. *qui autem facit veritatem, venit ad lucem.* v. 36. *Qui credit in Filium, habet vitam aeternam, qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super ipsum.* Joh. 5, v. 29: *Qui bona fecerunt, procedent in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.* c. 15, v. 2: *Omnem palmitem non ferentem fructum, tollet eum, et omnem, qui fert fructum, purgabit eum.* Act. 26, v. 18: *Ut convertantur a tenebris ad lucem et a potestate Satanae ad Deum.* Rom. 2, v. 6: *Reddet Deus unicuique secundum opera sua,* v. 7. *iis quidem, qui secundum patientiam boni operis gloriam et honorem et incorruptionem quaerunt, vitam aeternam;* v. 8. *iis autem, qui sunt ex contentione et non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio.* Rom. 6, v. 20: *Cum essetis servi peccati, liberi eratis justitiae;* v. 22. *nunc vero liberati a peccato, servi facti estis Deo.* Rom. 8, v. 5: *Qui secundum carnem sunt, quae carnis sunt, sapiunt; qui vero secundum spiritum, quae spiritus sunt, sentiunt.* v. 13. *Si secundum carnem vixeritis, moriemini; si spiritu actiones carnis mortificaveritis, vivetis.* Gal. 6, v. 8: *Qui seminat in carne sua, de carne metet corruptionem; qui autem seminat in*

*spiritu, de spiritu metet vitam aeternam* etc. In his et similibus dictis est perpetua et immediata oppositio inter *credentes* et *incredulos, bonos* et *malos, facientes verba Christi* et *non facientes ea, intrantes per angustam portam et viam arctam* et *intrantes per latam portam et viam spatiosam*; inter *arbores bonas et malas, bonum semen et zizania, pisces bonos et putres, oves et hoedos; inter filios regni et filios nequam, filios lucis et filios seculi, filios Dei et filios diaboli; inter spirituales et carnales, seminantes in spiritu et seminantes in carne, veritatem facientes et mala agentes; inter*
XVII. 217. *eos, qui ambulant in luce et qui adhuc constituti sunt in tenebris, viventes secundum spiritum et viventes secundum carnem, seminantes in spiritu et seminantes in carne, servos Dei et servos diaboli ac peccati* etc. Stante hac immediata oppositione, corruit purgatorium; stante purgatorio corruit immediata illa oppositio.

Exceptio Bellarmini ad 1. argumentum.

185. Excipit Bellarminus lib. 1. de purgat. c. 12. resp. ad 5. *in extremo judicio, de quo agitur* Matth. 25. *recte duos tantum fieri ordines, quia tunc purgatorium finem accipiet, ac deinceps duo tantum loca remanebunt, paradisus et gehenna. Porro, qui credit, salvus erit et non judicatur, id est condemnatur, modo etiam addat cetera, quae requiruntur, fides enim ex se justificat et salvat, si aliunde non sit impedimentum, quemadmodum dicere solemus, ex hoc semine nascetur arbor, si videlicet non desint calor solis, humor aquarum et si quae alia requiruntur, neque continuo, qui salvus erit per fidem, sine purgatorio salvus erit, multi enim salvantur, sic tamen quasi per ignem.* 1. Cor. 3. Eodem modo excipit Schoppius in apolog. cont. Hunn. n. 152. p. 73. *Scriptura,* inquit, *quando de duobus tantum hominum generibus agit, loquitur semper de perfecte credentibus et perfecte incredulis cum inclusione mediocrium seu imperfecte credentium, qui stipulas, foenum et lignum super fundamentum aedificant, qui in coelum veniunt, sed quasi per ignem.* Idem repetit Becanus de purgat. Calvin. p. 107. Respondemus: 1. non tantum in extremo judicio, sed etiam *in hac vita, in morte* et in statu inter mortem et extremum judicium interjecto duo tantum ordines hominum statuuntur, ut ex citatis Scripturae dictis liquido conspicitur. 2. Si post extremum judicium nullus remanebit ignis purgatorius, utique nec ante illud erit. Ratio connexionis dari potest duplex, prior *a justitia Dei,* quae non permittit, ut multa millia hominum paulo ante novissimum diem defunctorum citissime ex purgatorio dimittantur, ac multa millia hominum, quos dies novissimus deprehendet vivos, in purgatorium non demittantur, cum iisdem peccatis fuerint polluti, quibus illi, qui ex hypothesi Pontificia per centum ac plures annos in purgatorio desudarunt. Posterior ex *vi et efficacia meriti Christi.* Si enim Christi meritum in piis paulo ante novissimum diem defunctis vel etiam a die novissimo deprehensis adhuc vivis, tantae est efficaciae, ut vi illius meriti vel non descendant in purgatorium, vel citissime ex eo liberentur, utique eandem vim obtinebit in illis, qui diu ante novissimum diem in vera fide Christi meritum amplectente moriuntur, cum unius ejusdemque perpetuo sit efficaciae. Act. 4, v. 12. c. 10, v. 43. c. 13, v. 38. c. 15, v. 11. Hebr. 13, v. 8. Apoc. 13, v. 8. 3. Fides non justificat per modum duntaxat *dispositionis et inchoationis*, ut hoc loco Bellarminus praesupponit, sed per *modum instrumenti et apprehensionis,* quatenus gratiam Dei, justitiam, peccatorum remissionem et salutem in Christo oblatam fiducialiter amplectitur, ut suo loco plenius fuit demonstratum. *Qui credit in Filium Dei, habet vitam aeternam.* Qui vere credit, a peccatis plene absolvitur; qui incredulus est, condemnatur. Ut ergo inter τὸ *credere* et *non credere* nullum datur medium, ita quoque inter absolutionem et condemnationem nullum datur tertium, ac proinde nec purgatorium. 4. Si fides *ex se justificat*, ut hoc loco Bellarminus concedit, utique etiam ex se salvat, quia justitia et salus immediato nexu sunt conjuncta. Si fides ex se salvat, utique credentibus nullum metuendum est purgatorium, quia pugnant inter se, credentem fide salvari, absolvi, a judicio liberari, et tamen acerbissimis purgatorii poenis adjudicari. 5. Credere et non credere, fides et incredulitas contradictorie ac proinde immediate sibi invicem opponuntur, et per consequens non dantur quidam intermedii inter credentes et non credentes. Mediocriter credentes, modo vere credant, etiam sunt credentes, et infirma fides etiam est fides, quia idem Christi meritum apprehendit, quod fides firma ac fortis, sicut eundem annulum aureum puerulus et gigas apprehendunt, licet non aequali XVII. 218.
robore. Distinguendum igitur inter fidei *objectum* et *gradus.* Ratione objecti est una atque eadem fides fortium et infirmorum, ratione graduum inter fidem fortem et infirmam distinguitur, sed haec distinctio fidei infirmae veritatem et justificandi effectum nequaquam tollit, unde Christus absolute pronuntiat sine ullo fortis et infirmae fidei respectu Joh. 5, v. 24: *Qui credit in eum, qui misit me, habet vitam aeternam et in judicium non venit, quia transiit a morte ad vitam,* ac Petrus 1. epist. 1, v. 9. de omnibus vere credentibus pronuntiat, quod *finis fidei* ipsorum *sit vita aeterna.* πρῶτον ψεῦδος Pontificiae opinionis in eo consistit, quod fidem justificare statuunt *dispositive, inchoative, meritorie,* propter cujus dignitatem Deus non in gratiam recipiat, cum tamen justificet *instrumentaliter et relative,* quatenus Christi meritum in verbo evangelii oblatum amplectitur. 6. De loco apostol. 1. Cor. 3. ex quo tertium illud hominum genus intermedium purgatorii flammis adjudicandum Bellarminus exsculpere nititur, inferius dicemus, hic illud duntaxat monemus: si per ignem intelligitur ignis judicii divini doctrinas et opera examinaturus, quo sensu multi ex veteribus eum explicant, tum in die extremo ille non exstinguetur, sed potius accendetur et vigebit vel maxime.

2. Solum hujus vitae tempus statuit esse tempus laborandi, currendi, certandi.

186. 2. Cum illis Scripturae dictis, quae docent, solum hujus vitae tempus esse tempus *laborandi, currendi, certandi*, hoc est resipiscendi, credendi, pie operandi et per consequens gratiam Dei, peccatorum remissionem, poenarum relaxationem et vitam aeternam assequendi, post mortem vero nullum amplius superesse tempus resipiscendi, credendi et bene operandi, hoc est coelestia illa beneficia acquirendi, unde tempus hujus vitae confertur *viae ad metam ducenti*, tempus post mortem comparatur *termino ac metae viam finienti*, ex quo ipsimet Scholastici per *viatores* non intelligunt alios, quam qui hujus vitae et lucis usura adhuc fruuntur, ex quo sic inferimus. Si in hac duntaxat vita tempus resipiscendi ac bene operandi ac ἑπομένως peccatorum remissionem et poenarum condonationem impetrandi conceditur, frustra in purgatorio culpae venialis expiatio et poenae pro peccato mortali persolvendae inque temporalem mutatae persolutio et relaxatio speratur. Sed verum prius. Ergo et posterius. Assumtum probatur. Eccl. 9, v. 4: *Ad omnes viventes* vel in tota vita *est spes;* v. 5. *viventes sciunt, quod morituri sunt, sed mortui nesciunt quidquam et non ultra eis merces.* (In quae verba sic commentatur R. Salomon: *Omnibus hominibus, etiam impiis, spes superest, quod possint poenitentiam agere, antequam moriantur. Viventes enim possunt meminisse mortis et poenitentiam agere de via sua mala, sed cum mortui sunt, frustra est poenitentia, nec mercedem illam ex operibus, quae post mortem faciant, acquirere possunt, sed tum valebit proverbium: Qui parat in vespera sabbati, comedet in sabbato.*) v. 10. *Quodcunque facere potest manus tua, pro virili operare, quia non opus, nec computatio, nec scientia, nec sapientia in sepulcro, quo tu vadis.* c. 11, v. 3: *Si ceciderit lignum ad austrum, et si ad aquilonem, in loco, in quo ceciderit lignum, ibi erit* (quamvis quidam negent, hoc dictum in sensu literali de statu hominis post mortem agere). c. 12, v. 5: *Abit homo in domum aeternitatis suae.* Matth. 25, v. 10: *Quae paratae erant virgines, intraverunt cum sponso, et clausa est janua,* id est reliquis virginibus fatuis, quae se nondum paraverunt, clausa est janua spei, janua misericordiae, janua indulgentiae, janua vitae. Joh. 9, v. 4: *Venit nox, quando nemo potest operari.* 1. Cor. 7, v. 29: *Tempus est breve*, quo dicitur qui bene agere voluerit, faciat in hac vita, quae brevis. 1. Cor. 9, v. 24: *Nescitis, quod hi, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit brabeum? sic currite, ut comprehendatis.* Eph. 5, v. 16: *Redimentes tempus.* Gal. 6, v. 8:
XVII. 219. *Quae seminaverit homo, haec et metet.* v. 10. *Dum ergo tempus habemus, operemur bonum ad omnes* etc. 2. Tim. 4, v. 7: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi.* Hebr. 12, v. 1: *Decurramus propositum nobis certamen ac stadium.* Apoc. 2, v. 5: *Age poenitentiam et prima opera fac, sin autem non, venio tibi cito.* Targum Chaldaic. verba Esaiae c. 55, v. 6: *Quaerite Dominum, dum inveniri potest, et dum adhuc prope est,* sic παραφράζει: *Quaerite cultum Domini, dum adhuc in vivis estis, et orate, dum adhuc superstites estis,* innuens, post mortem nullum superesse poenitentiae locum.

Exceptiones Bellarmini ad 2. argumentum.

187. Excipit Bellarminus 1. *ad dictum* Eccl. 9, v. 10. *quibusdam videri, quod Salomon haec dixerit in persona impiorum, qui non modo purgatorium, sed etiam gehennam tollunt, et nihil omnino esse credunt praeter hanc vitam; alios docere, quod Salomon loquatur ad eos, qui otiose et flagitiose vivunt, et ad gehennam recta proficiscuntur, quo in loco nullum ipsis est remedium vel solatium, quam utramque expositionem attingat* Hieronymus in comm. Gregorium vero lib. 4. dial. c. 39. *haec omnia satis apte accommodare etiam ad eos, qui ad purgatorium deducuntur. Nam soli illi purgari possunt et precibus viventium juvari, qui dum hic viverent, id meruerunt bonis suis operibus, ut in alia vita juvari possent, quare omnes debent in hac vita quidquid possunt boni peragere, quia in alia vita non juvabuntur, nisi per ea, quae hic gesserunt, meruerint, ut juvari possent.* Respondemus: Scopus et integer contextus docent, Salomonem non loqui in persona impiorum, nec ad eos solum, qui gehennae flagitiis suis sese mancipant, sed *in genere* ad omnes homines, quos admonet, ut durante brevissimae et fugacissimae hujus vitae tempore bene operentur, cum post mortem nulla bene operandi vel ad hanc vitam redeundi supersit occasio. Ad purgatorium non nisi per insignem principii petitionem haec accommodantur, probandum enim erat, *hominem bonis suis operibus id promereri posse, ut in alia vita precibus viventium juvari et a peccatis suis purgari possit*, cujus contrarium Ecclesiastes diserte adstruit. Scholastici in 4. sent. dist. 20. et eos secutus Bellarminus fidem, spem, caritatem et certam de salute sua scientiam animabus in purgatorio aestuantibus tribuunt, sed Ecclesiastes negat, *apud inferos* (ut est in vulgata versione) *esse opus, rationem, sapientiam ac scientiam.* Vidit hanc difficultatem Salmeronius, ideo tom. 14. p. 228. simpliciter respondet, *Salomonem hic non loqui de purgatorio, sed de gehenna ignis, quod scilicet sensus damnatorum ita sopiti sint dolorum ac poenarum magnitudine, ut nequeant ad bonam operationem ratione uti.* At contextus ostendit, Salomonem in genere de omnibus mortuis loqui. Praeterea si magnitudo dolorum impedit damnatos ab usu rationis, idem metuendum erit constitutis in purgatorio, quia est idem ignis purgatorii et inferni duratione duntaxat discrepans. Adde, quod Salmeron. sibi expresse contradicat, nam p. 232. subjungit, *epulonem in inferno intellectu sano ac ratione viguisse.* 2. Ad dictum Eccl. 11, v. 3. excipit, *Sapientem loqui ad literam de morte corporali ac velle dicere, ita homines necessario morituros, et cum mortui fuerint, per se nunquam surrecturos, quemadmodum lignum tandem aliquando cadit et ibi manet ac putrescit, ubi cecidit. Si tamen velimus haec ad statum animae accommodare,*

*dicendum esse, quod illi, qui ad purgatorium pertinent, ad austrum ceciderint, id est ad statum salutis aeternae, et in eo statu salutis perpetuo permansuri; vel certe dici posse per austrum gloriam coelestem, per aquilonem gehennam intelligi, sed non omnes cadere ad austrum et ad aquilonem. Nec hunc locum officere assertioni purgatorii, quia alias etiam officeret assertioni limbi, in quem sancti patres ante Christi adventum descenderunt, in quo non perpetuo manserunt.* Salmeron. d. l.: *Inter austrum et aquilonem datur locus intermedius, qui olim fuit limbus, jam vero*
XVII. 220. *est purgatorium.* Respondemus: Ecclesiastes non modo de moriendi necessitate omnibus hominibus communi, sed etiam de statu animae post mortem loquitur, ut ex ipsis verbis manifestum et omnium interpretum consensu firmatum, hortatur enim rex sapiens ad beneficentiam, argumento eo, quod in hac duntaxat vita sit tempus bene operandi, post mortem hominis animam statim devenire ad statum eum, in quo aeternum sit permansura. Confer Hieronymum **(de Hieronymo in hoc loco vid. Sixtus Senensis lib. 5. bibl. ann. 214. Lorin. in comm. hoc loco Hieronymo et Olympiodoro socios addit omnes Latinos ferme.)** Bedam et gloss. ordin. in comm. illius loci. *Lignum*, inquit Hieronymus, *quod in hac vita corruerit et conditione mortalitatis fuerit incisum, aut peccavit ante, dum staret et in boreae parte postea ponetur, aut si dignos austro fructus tulerit, in plaga jacebit australi.* Absurdum vero est statuere, eos qui ad purgatorium pertinent, *ad statum salutis aeternae cecidisse*, quia purgatorium est *sinus quidam inferni, ac in eadem omnino voragine cum ipso inferno*, ut disputat Bellarminus lib. 2. de purg. c. 6. quomodo igitur illi, qui sunt in purgatorio, dici possunt esse in statu salutis aeternae? Ad quem statum cupidissime animae in purgatorio desudantes adspirant, in eo nondum possunt dici constitutae. Sed ad statum salutis aeternae cupidissime adspirant. Ergo animae, quae torquentur poenis, ab infernalibus flammis sola temporis duratione distinctis, non possunt dici cecidisse ad statum salutis. Sed animae in purgatorio detentae ex hypothesi Pontificiorum ejusmodi poenis torquentur. *Lignum ubi ceciderit, ibi manebit*, inquit rex sapiens. Quodsi ergo quorundam animae in purgatorium descenderent, perpetuo ibi manerent, nec ad coelum emigrarent. Textui adversum est asserere, *non omnes cadere ad austrum vel ad aquilonem*, id est gloriae coelestis vel gehennae participes fieri, quia Ecclesiastes immediate et directe haec duo sibi invicem opponit. Ridiculum est, ex limbo patrum probare velle purgatorium, hoc est incertum per aeque incertum demonstrare.

3. Purgationem peccatorum tribuit merito Christi et fidei.

188. 3. Cum illis Scripturae dictis, quae de purgatione peccatorum loquuntur. Scriptura duplicis purgationis mentionem facit. Una est *purgatio externa et Levitica* facta ad *emundationem carnis*, altera vero *interna et spiritualis* facta ad *emundationem cordis.* Illa tribuitur Leviticis ceremoniis Levit. 12, v. 8. c. 13, v. 6. c. 14, v. 9. etc. haec vero tribuitur *Christo* ut causae efficienti, Esa. 43, v. 25: *Ego, ego deleo iniquitates tuas propter me.* Joh. 13, v. 8: *Nisi lavero te, non habebis partem mecum.* Hebr. 1, v. 3: *Christus per se ipsum purgationem peccatorum nostrorum fecit; sanguini Christi* ut causae meritoriae, Heb. 9, v. 13: *Si sanguis taurorum et hircorum et cinis vitulae adspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis;* v. 14, *quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum aeternum se ipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis.* 1. Joh. 1, v. 7: *Sanguis Jesu Christi Filii Dei emundat nos ab omnibus peccatis.* Apoc. 1, v. 5: *Lavit nos a peccatis suo sanguine.* c. 7, v. 14: *Dealbaverunt stolas suas in sanguine agni; verbo evangelii et sacramento baptismi* ut causae instrumentali ex parte Dei, Mal. 3, v. 3: *Sedebit conflans et emundans argentum et purgabit filios Levi.* Johan. 15, v. 3: *Vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Eph. 5, v. 26: *Mundat ecclesiam lavacro aquae in verbo.* Tit. 3, v. 5: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis;* ac denique *fidei salvificae* ut causae instrumentali ex parte nostri, Act. 15, v. 9: *Fide purificans corda eorum.* 1. Cor. 6, v. 11: *Abluti estis, sanctificati estis, justificati estis in nomine Domini Jesu et in Spiritu Dei nostri.* Utraque purgatio tantum in hac vita locum habet, tertiae autem alicujus purgationis post hanc vitam exspectandae nulla uspiam in tota Scriptura fit mentio, ex quo sic colligimus. Si purgatio peccatorum duntaxat in hac vita speranda, frustra statuitur aliquod purgatorium post hanc vitam. Sed verum XVII. 221.
prius. Ergo et posterius. Quae contra hoc argumentum proferuntur ex Matth. 12, v. 32. *de remissione peccati in futuro seculo* suum inferius habebunt locum.

4. Pios laeto animo mortem adire praecipit.

189. 4. Cum illis Scripturae dictis, in quibus praecepta promissa et exempla εὐθανασίας proponuntur, quae non tantum nullam futuri cujusdam cruciatus ac tormenti formidinem piis in Christum credentibus incutiunt, sed etiam spei, fiduciae et exsultationis materiam ipsorum animis ingerunt. Job. 19, v. 25: *Scio, quod redemtor meus vivit, et rursum circumdabor pelle mea.* Psalm. 30, v. 6. inquit David: *In manus tuas commendo spiritum meum.* Psalm. 27, v. 13: *Credo videre bona Domini in terra viventium.* Psalm. 116, v. 7: *Convertere anima mea in requiem tuam*, v. 9. *ambulabo coram Domino in regione viventium.* Luc. 2, v. 29. ait Simeon: *nunc dimittis servum tuum Domine secundum verbum tuum in pace.* Act. 7, v. 59: *Domine suscipe spiritum meum.* 2. Cor. 5, v. 1: *Scimus, quoniam si terrestris domus nostra hujus tabernaculi dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus* etc. v. 2. *nam et in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quae de coelo est, superindui cupientes.* v. 8. *Confidimus autem et bonam volun-*

*tatem habemus peregrinari magis a corpore et praesentes esse ad Dominum.* Phil. 1, v. 23: *Cupio dissolvi et esse cum Christo.* 1. Thes. 4, v. 13: *Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus, ut non contristemini sicut ceteri, qui spem non habent.* 2. Tim. 1, v. 12: *Potens est depositum meum servare in diem illum.* c 4, v. 6: *Ego jam immolor et tempus resolutionis meae instat.* v. 7. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi,* v. 8. *in reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus justus judex* etc. 1. Petr. 4, v. 19: *Qui patiuntur, fideli creatori commendent animas suas in benefaciendo.* Apoc. 2, v. 10: *Esto fidelis usque ad mortem et dabo tibi coronam vitae.* Ex quibus omnibus sic colligimus: Si piis in Christum vere credentibus post mortem metuendae essent purgatorii flammae ab inferni igne sola duratione differentes, non possent ad laetam εὐθανασίαν divinitus animari nec possent in pace, quiete, fiducia ac desiderio coelestis beatitudinis discedere. Sed consequens repugnat praeceptis, promissis et exemplis εὐθανασίας in Scriptura propositis. Ergo antecedens asseri nequit. Si excipere velint, *aliam esse rationem illorum sanctorum, qui sine interventu purgatorii ad coelum subvolarunt, aliam vero eorum, qui cum peccatis venialibus decesserunt, quae in purgatorio prius sunt expianda, antequam in coelum admittantur;* respondemus, nec illos sanctos a venialibus culpis fuisse penitus immunes, sed eas fide in Christum sibi condonari petierunt. Quare cum idem spiritus fidei sit in omnibus vere credentibus 2. Cor. 4, v. 13. utique etiam omnes vere credentes peccatorum suorum condonationem impetrant et *finem fidei,* salutem scilicet aeternam, absque intermedio quodam purgatorio consequuntur, 1. Petr. 1, v. 9. ac probe notandum, quod apostolus 2. Tim. 4, v. 8. *coronam illam justitiae* non solum sibi, sed *omnibus Christum diligentibus* repositam esse doceat ac ubique reliquos vere credentes sibi adsociet.

**Dictum Luc. 23, v. 43: Hodie mecum eris in paradiso.**

190. Cumprimis vero evidens est *exemplum conversi latronis,* cui Christus Luc. 23, v. 43. verissimam ac largissimam illam promissionem offert, *hodie mecum eris in paradiso,* quorum verborum fatente Becano hic est sensus, *non differam illud beneficium, quod a me petis, in futurum tempus, sed jam tibi omnia peccata condono et promitto, quod hoc ipso die futurus sis mecum in statu beatitudinis.* Certe si quis alius purgatione aliqua post mortem ante paradisi ingressum indigeret, hic latro vel maxime ea indigere videbatur, nullius enim boni operis, nedum plenariae satisfactionis pro peccatis a se praestitae sibi conscius erat, *nos,* inquit, *digna factis recipimus* v. 41. num vero Christus eum ablegat prius ad purgatorium, ut per illud sordes peccati in ipso prius excoquantur? minime
XVII. 222. vero, sed recta in paradisum ipsum introducit. Num hic intervenerunt vigiliae, missae, justa septendialia, trigesimalia, anniversaria? minime vero, sed fides gratuitae promissioni Christi adhaerens in paradisum coelestem ipsum transfert. Excipiunt Pontificii 1. *Quis confirmare ausit, latronem illum non venisse in purgatorium, sed recta transiisse in paradisum?* Schoppius in apolog. cont. Hunn. p. 74. Respondemus: 1. id vero Christus confirmat dicens, *hodie mecum eris in paradiso,* eo ipso igitur die conversus latro cum Christo adscendit in paradisum, non autem descendit in purgatorium. Vitus Milet. in specul. Colon. ann. 1582. impresso p. 349. paradisum transformat in infernum dicens, *latronem in purgatorium vel certe in limbum eo die pervenisse, qui uterque est inferni sinus.* At ubi quaeso in tota Scriptura paradisus ponitur pro inferni sinu? unde pii veteres hunc latronem non in infernum, sed *in locum quietis et felicitatis* collocant. Clemens Roman. lib. 5. const. c. 16: *Christus concessa illi rerum praeteritarum oblivione, in paradisum eum introduxit ad fruendum mysticorum bonorum suavitate.* Confer Augustinum lib. 12. de Genes. ad lit. c. 24. Chrysostomum hom. 3. de poenit. etc. Quod quidam particulam *hodie* conjungunt cum praecedentibus *hodie tibi dico,* id verba Christi plane insipida reddit. Quae enim in eo emphasis, *hodie tibi dico, eris mecum in paradiso?* an non audiebat latro, Christum loqui secum in illa die? imo vero in eo nucleus hujus promissionis continetur, quod *hoc ipso die* cum Christo in regno Dei et in paradiso futurus sit, cum memoriam sui non deponi a Christo duntaxat petiisset. Et quis non videt per adverbium *hodie* Christum respondere voluisse ad illud adverbium *quando,* quod in petitione latronis continetur, *memento mei, quando veneris in regnum tuum,* ut sit sensus, *hodie erit illud quando?* Conf. Theophylactum in comm. qui diligenter hoc subterfugium refellit. Si fingas, *latronem brevissimo temporis spatio fuisse in purgatorio, et eo ipso die in paradisum pervenisse,* non poterit illud conciliari cum hypothesibus doctrinae de purgatorio, quod quo minor fuerit et imperfectior satisfactio pro peccatis in hac vita, eo longior in purgatorio requiratur mora, nec satis conveniet divinae justitiae, quod alii minoribus ac paucioribus peccatis obnoxii diutius in purgatorio crucientur quam hic ipse latro, qui per totam vitam flagitiis fuerat infamis. Quibus igitur argumentis Bellarminus lib. 1. de b. sanctor. c. 3. refellit expositionem eorum, qui dicunt, *latroni promissum fuisse paradisum, sed dandum post resurrectionem, dixisse autem Christum, hodie mecum eris propter rei futurae certitudinem, quomodo prophetae saepe exprimunt res futuras per tempus praesens aut praeteritum;* iisdem etiam refellere possumus expositionem eorum, qui putant, animam latronis prius deductam in purgatorium, postea demum emigrasse in coelum. *Non oportet* (inquit Bellarminus) *recurrere ad figuras et relinquere propriam verborum significationem, nisi quando alioquin absurditas aliqua sequeretur; neque ista sunt verba prophetica, ut oportuerit ea velari obscuritate, sed continent simplicem promissionem, et proinde simpliciter intel-*

*ligenda sunt.* 2. *Mors durissima patientissimo animo tolerata et confessio tam admiranda eo tempore, quo Christum apostoli ipsi negabant, potuit juste in plenam satisfactionem reputari.* Bellarminus lib. 1. de purg. c. 12. Unde Jesuitae in colloquio Ratisbonensi sess. 1. p. 46. edit. Lauing. latronem illum vocarent *Christi martyrem.* Respondemus: imo vero latro verbis expressis testatur, quod nequaquam in suis passionibus ac meritis, sed in sola benignitate divina et Christi merito peccatorum remissionem et salutem unice quaerat. Diserte profitetur, se *digna factis suis recipere*, quomodo igitur passionem suam meritoriam vel satisfactoriam judicaret? Passio hujus latronis non fuit *δοκιμασία*, sed *τιμωρία*, multo ergo minus fuit *μαρτύριον*, omnium minime est *λύτρον* pro peccatis Deo satisfaciens, quae gloria soli passioni Christi competit. Latro sua passione non satisfecit Deo, sed legibus magistratus facinorosis
III. 223. mortem irrogantibus, quomodo igitur ejus passio apud Deum vel meritoria, vel satisfactoria esse potuit? *Nemo vestrum patiatur quasi homicida aut fur aut maleficus*, inquit Petr. 1. epist. 4, v. 15. at hic latro passus est ut *maleficus*, dicit enim *nos digna factis recipimus, hic vero nihil mali gessit*, quomodo igitur ipsius passio in plenam satisfactionem reputari potuit, cum ne quidem piorum afflictiones, quas propter Christum a persecutoribus sustinent, meritoriae ac satisfactoriae dici possint, ut alibi plenius fuit demonstratum? Quodsi tam seria contritio, tam admirabilis patientia et tam illustris confessio perfectae satisfactionis loco huic latroni esse potuit, utique proportione facta minor contritio, minor patientia et confessio non tam illustris perfectae satisfactionis mensuram adimplere possunt in illis, qui non fuere tam gravibus et enormibus peccatis per totam vitam obnoxii, et sic denuo purgatorio igni ab exstinctione periculum impendet. 3. *Privilegia paucorum non faciunt regulam.* Hac exceptione utitur Becanus in append. disp. de purg. Calvin. p. 109. Respondemus: imo vero hoc non est *personale* aliquod privilegium, sed generalis promissionis omnibus in Christum vere credentibus factae Joh. 5, v. 24. c. 14, v. 3. c. 17, v. 21. Apoc. 14, v. 13. complementum et exemplum, scriptum non solum propter latronem, sed etiam propter nos, ut firmiter statuamus, omnes vere poenitentes et in Christum credentes sine purgatorii interventu in paradisum post mortem pervenire. Apostolus non solum de se, sed de omnibus piis et vere credentibus dicit 2. Cor. 5, v. 1: *Scimus, quoniam si terrestris domus dissoluta fuerit, aedificationem ex Deo habemus;* v. 2. *in hoc ingemiscimus.* v. 8. *Desideramus magis peregrinari e corpore.* Ut enim una atque eadem est Dei justificantis et salvantis misericordia, ut unum idemque Christi meritum, ut una eademque evangelica promissio, ut unus atque idem justificationis modus; ita quoque unus atque idem fidei justificantis est effectus, quod scilicet vere credentes non veniunt in judicium nec descendunt in purgatorii tormentum, sed post mortem transeunt in paradisum. Quemadmodum igitur apostolus ex Abrahae exemplo recte probat gratuitam ex fide in Christum justificationem Rom. 4, v. 1. ita ex latronis conversi exemplo recte probare possumus vere credentium ex morte in vitam sine ullo purgatorii interventu translationem. Origenes hom. 15. in Gen.: *Quod dixit ad latronem, hodie mecum eris in paradiso, hoc non illi solum dictum, sed et omnibus sanctis.* Auctor quaest. ad Antioch., quae Athanasio tribuuntur, q. 19: *Non propter solam latronis animam Christus Deus noster paradisum aperuit, sed etiam ob reliquas omnes sanctorum animas.* Conf. harmon. evang. de pass. cap. 15. pag. 743.

191. 5. Cum illis Scripturae dictis, quae testantur, omnes vere in Christum credentes statim a morte felices ac beatos esse ac animas ipsorum, quamprimum corporis nexu solvuntur, e vestigio et immediate, in ipso solutionis momento, sine ulla intercapedine aut intervallo in paradisum transferri, quae *ἀδιάστατος καὶ ἀνεμπόδιστος* animarum in coelum translatio purgatorii somnio directe adversatur. (5. Animas piorum sine mora ad paradisi gaudia introduci asserit.) Sic enim concludimus. Quorum animae sine ulla interjecta mora et impedimento ad paradisi gaudia transferuntur, illae non detruduntur in ignem quendam purgatorium. Sed omnium vere piorum et in Christum credentium animae sine ulla interjecta mora et impedimento ad paradisi gaudia transferuntur. Ergo. Assumtum probatur ex dictis et exemplis V. et N. T. Enochus a Deo *translatus est in paradisum* Gen. 5, v. 21. Sir. 44, v. 16. c. 49, v. 16. Hebr. 11, v. 5. Elias *curru et equis igneis subvectus est in coelum* 2. Reg. 2, v. 11. *anima Lazari ab angelis portatur in sinum Abrahae* Luc. 16, v. 22. ubi *consolatione fruitur* v. 25. jam vero *ὠδῖνες* et *παράκλησις* sunt sibi invicem opposita, ergo non sensit anima Lazari *ὠδῖνας* in purgatorio, sed *παράκλησιν* in Abrahae gremio. Christus
verbis ex Psalm. 31, v. 6. *spiritum suum moriens* XVII. 224.
*Patri commendans vocem corporis sui mystici in se transfigurat*, ut Augustinus in exposit. illius psalmi loquitur, unde etiam Stephanus morti vicinus dicit Act. 7, v. 59: *Domine Jesu suscipe spiritum meum.* Ergo spiritus fidelium statim a morte a Domino in gloriam et beatitudinem suscipiuntur. Sap. 3, v. 1: *Justorum animae sunt in manu Dei, et non tangit illas tormentum*, v. 3. *sunt in pace.* Atqui purgatorii tormenta sunt omnibus hujus vitae tormentis, adeoque ipsis mortis doloribus incomparabiliter majora. Ergo animae justorum non veniunt in purgatorium. c. 4, v. 1: *Justus si morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Atqui animae in purgatorii flammis aestuantes non habent refrigerium. Eccl. 12, v. 7: *Spiritus redit ad Deum, qui dedit eum.* Atqui animae in purgatorio *a daemonibus torquentur, ut multae revelationes docent.* Bellarminus lib. 2. de purg. c. 13. Esa. 57, v. 2: *Justi per mortem ad pacem veniunt, requiescunt in*

*cubilibus suis.* Atqui in purgatorii flammis non est pax neque requies. Joh. 3, v. 18: *Qui credit in Filium, non judicatur*, v. 36. *sed habet vitam aeternam.* At purgatorium et *locus judicii et sinus inferni.* Joh. 5, v. 24: *Amen, amen, dico vobis, quia qui verbum meum audit et credit ei, qui misit me, habet vitam aeternam et non venit in judicium,* sed *μεταβέβηκεν*, *transiit, a morte ad vitam. Subjectum* est, qui verbum Christi audit et credit ei, qui misit ipsum, id est omnis vere in Christum credens; *praedicata* sunt, quod talis habeat vitam aeternam, atqui purgatorium est *sinus quidam inferni;* quod non veniat in judicium, atqui purgatorium est *locus judicii*, Bellarminus lib. 1. de indulg. c. 14. *in quo non est locus misericordiae sed justitiae*, lib. ejusd. c. 9; quod *μεταβέβηκεν* a morte ad vitam, atqui in purgatorio nondum facta est illa *μετάβασις*, sed in futuro adhuc exspectatur, ac proinde anima in purgatorio dici nequit *μεταβέβηκεν* in praeterito, sed dicendum est *μεταβήσεται* in futuro. Joh. 12, v. 26: *Ubi ego sum, illic et minister meus erit.* c. 17, v. 24: *Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi ego sum, etiam illi mecum sint et videant gloriam meam.* Jam vero in purgatorio non conspicitur Christi gloria, sed sentitur vindex Dei justitia. 2. Cor. 5, v. 1: *Si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvitur, aedificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, aeternam in coelis.* Ergo dissolutioni habitationis terrenae immediate succedit aedificii coelestis occupatio. v. 8. *Cupimus magis emigrare ex corpore et praesentes esse ad Dominum.* Phil. 1, v. 23: *Cupio dissolvi et esse cum Christo.* In his dictis emigrare et dissolvi ex corpore cum praesentia ad Deum et cum Christo esse in gloria immediate connectuntur. Hebr. 4, v. 3: *Nos credentes ingrediemur in requiem*, per mortem scilicet. At purgatorium non est locus quietis, sed laboris ac doloris. Apoc. 7, v. 14: *Qui dealbaverunt stolas suas in sanguine Agni*, v. 15. *illi sunt ante thronum Dei et serviunt ei die ac nocte in templo ejus, et qui sedet in throno, habitabit super illos.* Atqui animae in purgatorio desudantes nondum fruuntur visione Dei. v. 16. *non cadet super illos sol nec ullus aestus, πᾶν καῦμα.* Atqui in purgatorio est exquisitissimum *καῦμα*, ignis scilicet corporeus. Apoc. 14, v. 13: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur ἀπάρτι, a modo, profecto dicit Spiritus, quod requiescant a laboribus suis, opera enim illorum sequuntur eos.* Hic piis in Domino mortuis tribuitur *μακαριότης*. At in purgatorio non est *μακαριότης*, sed *ἀλγηδὼν*, *θρῆνος*, *κλαῦσις*; tribuitur illis *ἀνάπαυσις*, at in purgatorio est *πόνος καὶ κόπος*; dicuntur iidem beati a morte *ἀπάρτι*, id quod excludit omnia et singula *ἀναβολῆστας* revolutionis intervalla inter mortem et beatitudinem interjecta. Quidam huc referunt verba psaltis Psalm. 116, v. 15: *Pretiosa est mors sanctorum in conspectu Domini*, ac statim additur v. 16. *ecce ego servus tuus*, ex quo colligit Augustinus in expos. illius psalmi, *beatam esse conditionem morientium in Domino, quia cives sunt supernae ac coelestis Hierosolymae.* At qui purgatorii flammis torquentur, eorum mors non est pretiosa, nec illi sunt cives coeli, sed incolae inferni, quippe cujus sinus est purgatorium. Item, quod in vulgata versione Latina dicitur Psalm. 127, v. 3: *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hereditas Domini*, ut sit sensus, *fideles post mortem statim adeunt possessionem coelestis hereditatis et aeterna fruuntur beatitudine absque ullis intermediis cujusdam purgatorii tormentis.* Sed haec a textu Hebraeo sunt remotiora. XVII. 225

192. Excipit Bellarminus 1. Psalm. 127. *ab Augustino exponi de generali resurrectione, ut sit sensus: cum dormierint per mortem corporalem omnes electi, ecce hereditas Domini, id est continuo tunc apparebit hereditas Christi resurgentibus in gloria omnibus ejus electis, quae hereditas est etiam merces ejusdem Christi, qui passione et morte sua nos acquisivit.* Respondemus: Nos hoc testimonio contra purgatorium *κατ' ἀλήθειαν* non utimur, novimus enim, scopum psaltis esse docere, non *quando* coelestis hereditas Dei filiis sit obventura, sed quod benedictio divina citra immoderatum laborem ac dolorem necessaria ad vitae sustentationem ipsis conferat. Prov. 10, v. 22. novimus, in Hebr. esse non *cum dederit*, sed כֵּן יִתֵּן *sic dabit dilectis suis somnum;* novimus, verba illa *sic dabit dilectis somnum* per athnachta distingui a verbis sequentibus *ecce hereditas Dominii filii; merces fructus ventris;* novimus, per filios hic non intelligi tantum pios et genuinos Dei filios, sed in genere omnes parentum piorum corporales filios; sed *κατ' ἄνθρωπον* contra Pontificios auctoritati vulgatae versionis per concilium Tridentinum adstrictos et patrum interpretationem amplectentes hoc psaltis dicto quidam utuntur, quia verba illa, ut apud veterem interpretem ponuntur, prae se ferunt, quod somnum sive mortem dilectorum Dei filiorum statim et immediate, non autem demum post aliquot annorum tormenta in purgatorio sustinenda hereditatis coelestis possessio consequatur. Sed de hoc loco pluribus agere non est operae pretium, respondeat Bellarminus claris et perspicuis illis dictis, quae de statu piorum post mortem beato ac felici modo enumeravimus, et res omnis erit in vado. 2. 2. Cor. 5, v. 1. *apostolum id solum asserere, patere domum coelestem post mortem, non patere ante mortem, quod autem continuo omnes pii transferantur ad coelum post mortem, ipsum non dicere, sed contrarium potius indicare, cum ait: si tamen vestiti et non nudi inveniamur. Significat enim his verbis, eos, qui meritis et virtutibus vestiti sunt ac proinde perfectam poenitentiam in hac vita egerunt, mox in domum coelestem deduci, alios autem salvari quidem, sed tamen quasi per ignem, ut idem ait* 1. Cor. 3. Respondemus: Apostolus in genere pronuntiat, *si domus terrenae nostrae habitationis dissolvitur, habemus domum non manu factam, aeternam in coelis*, ac se ipsum

Exceptiones Bellarmini ad 5. argumentum.

etiam includit, non autem putamus, apostolum a Bellarmino relegatum iri in purgatorium. Neque id solum asserit apostolus, domum coelestem non patere ante mortem, sed docet insuper, eam statim a morte omnibus piis e vestigio patere, quia immediato et indivulso nexu conjungit *terreni habitaculi dissolutionem* et *domus coelestis non manu factae, sed a Deo paratae beatam occupationem*, sicut etiam v. 8. immediate conjungit, *peregrinari ex corpore et praesentem esse ad Dominum.* Utique ergo pii ex hac vita non prius abeunt in purgatorii diversorium, sed recta et immediate ad coeleste perveniunt domicilium. Quod attinet verba, *si tamen vestiti, non nudi inveniamur*, in illis non agitur de vestitu meritorum, quibus homines possint coram Dei judicio consistere, ea enim interpretatio fidei analogiae ac toti Scripturae repugnat, sed de veste justitiae Christi per veram fidem induta. Esa. 61, v. 10. Matth. 22, v. 11. Gal. 3, v. 27. qua veste qui destituuntur, illi non ingrediuntur purgatorium, quia ex hypothesi Pontificiorum animae in purgatorio *fide et caritate* sunt ornatae, sed ejiciuntur in *tenebras* inferni *exteriores* Matth. 22, v. 13. Quidam verba apostoli sic exponunt, *siquidem induti corpore, non nudi, id est exuti corpore, in adventu*
XVII. 226. *Domini reperiemur, quia ignorabat apostolus, essetne victurus usque ad Domini adventum.* Sed prior expositio est simplicior et Scripturis convenientior. Confer Flacium part. 2. clavisseq. p. 338. 3. Apoc. 14. *a modo non significare a morte uniuscujusque, sed ab extremo judicio, de quo in toto illo capite Johannes loquitur.* Eadem exceptione utitur Costerus in ench. c. 16. de purgat. Respondemus: ἀπάρτι est *ab instanti*, ab illo ipso temporis momento, quo pii in Domino moriuntur, verba enim intelligenda sunt secundum subjectam materiam. Si a die demum extremi judicii beatos pronuntiaret in Domino mortuos, non posset dicere, quod jamdum ante judicium *requiescant a laboribus suis.* Falsum vero est, Johannem in toto illo capite loqui *tantum* de extremo judicio, quia agit de praeconio evangelii et clade Antichristi judicium extremum praecessura, ideo autem consolationem illam pro morientibus in Domino inspergit, quia Antichristus gravissimam contra ecclesiam persecutionem movebit ac piorum caede et sanguine omnia replebit. v. 12. *hic patientia sanctorum est.* Quomodo vero illud ἀπάρτι intelligendum sit, ejus rei optima interpretatio sumitur ex concione Christi Luc. 16, v. 22. ubi de anima Lazari dicitur, quod *statim a morte* ab angelis portata sit in sinum Abrahae, et ex promissione Christi Luc. 23, v. 43. ubi latroni dicit, *hodie mecum eris in paradiso,* imo ex ipso Johanne, qui statum animarum piarum post mortem sic describit cap. 7, v. 14: *Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione et laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine Agni.* v. 15. *Ideo sunt ante thronum Dei et serviunt ei die ac nocte, et qui sedet in throno, habitat super illos.* v. 16. *Non esurient nec sitient amplius, nec cadet super illos sol, nec ullus aestus*, v. 17. *quoniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos et deducet eos ad fontes vivos aquarum, et absterget Deus omnem lacrymam ex oculis eorum.* Videt Bellarminus exceptionis infirmitatem, ideo aliter excipit, *loqui Johannem de viris perfectis, ac praesertim de sanctis martyribus, qui simpliciter moriuntur cum Domino neque aliquid purgandum secum ferunt, nam qui decedunt cum peccatis venialibus aut cum debito poenae alicujus temporalis, ii non simpliciter moriuntur in Domino, sed partim in Domino ratione caritatis, quam secum ferunt, partim non in Domino ratione peccatorum, quae nihilominus secum ferunt.* Respondemus: per *mortuos in Domino* intelliguntur quidem martyres, sed *non soli,* verum in genere omnes vere pii, in fide Christi vera et viva mortui, ut manifeste colligitur ex loco apostolico 1. Thess. 4, v. 14. et 16. In Domino igitur moriuntur illi omnes, qui in vita et morte omnem suam fiduciam in Christum collocant, qui verbum Christi servant, qui animas suas Christo in vera fide commendant, id quod non solum martyribus, sed omnibus vere piis competit. Perquam vero absurdum est, quod Bellarminus scribit, *quosdam mori partim in Domino, partim non in Domino,* ut enim regnum Dei et regnum diaboli sibi immediate opponuntur, ita quoque immediata est oppositio inter τὸ *mori in Domino* et τὸ *non mori in Domino,* inter τὸ *cruciari in purgatorio* et τὸ *beatum esse in coelo*, inter τὸ *esse filium Dei* et τὸ *esse filium diaboli.* Augustinus quidem lib. 3. contra duas epist. Pelag. c. 3. dicit, *quosdam filios seculi esse etiam filios Dei*, sed ex eo nunquam exsculpere poterit Bellarminus, *quosdam mori partim in Domino, partim non in Domino*, quia infirmitas illa carnis, ratione cujus dicuntur adhuc filii hujus seculi et peccata, quae in carne adhuc in hac vita secum circumferunt, non impediunt, quominus sint et dicantur filii Dei, nec efficit, ut partim non in Domino moriantur, quia peccata illa per fidem in Christum teguntur ac condonantur, quin imo in morte a peccato justificantur, hoc est penitus liberantur a peccati fomite et radice. Rom. 6, v. 7. In hac quidem vita quilibet pius partim novum, partim veterem hominem circumfert, sed in termino vitae una cum corpore peccati veterem hominem exuit et totus efficitur novus. Alii ex Pontificiis excipiunt *mortuos in Domino requiescere a laboribus merendi,*
*non autem a laboribus satisfaciendi ac patiendi.* XVII. 227.
At Spiritus s. absolute pronuntiat, quod in ipso mortis articulo omnes labores, dolores, miseriae et omnia mala, quae felicitatem ac beatitudinem impediunt, a piis tollantur.

6 Duo tantum ψυχοδοχεῖα post mortem enumerat.

193. 6. Cum illis Scripturae dictis, quae *duo* duntaxat ψυχοδοχεῖα sive *animarum* post mortem *receptacula* enumerant, tertium vero locum intermedium prorsus ignorant. 1. Sam. 25, v. 29. animae piorum *colligantur in fasciculo viventium*, impiorum vero animae *ejaculatione* seu fundo *jaciuntur.* Matth. 3, v. 12: *Cujus ventilabrum in manu*

*sua et permundabit aream suam et congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inexstinguibili.* Matth. 7, v. 13: *Porta una deducit ad perditionem, altera ad vitam.* c. 8, v. 11: *Pii cum sanctis patriarchis recumbunt in regno coelorum, impii ejiciuntur in tenebras exteriores.* c. 25, v. 46: *Impii abeunt in supplicium aeternum, justi in vitam aeternam.* Marc. 16, v. 16: *Qui crediderit, salvus erit, qui non crediderit, condemnabitur.* Luc. 16, v. 22: *Lazarus ab angelis portatur in Abrahae sinum, dives epulo detruditur in infernum.* Joh. 3, v. 36: *Qui credit in Filium, habet vitam aeternam, qui incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manebit super ipsum* etc. Conf. ea, quae superius §. 184. dicta. Excipiunt Pontificii, *in his et similibus Scripturae dictis agi de locis perpetuis, non autem de statibus temporariis.* Schoppius in apol. contra Hunn. p. 73. n. 152. Respondemus: 1. principium in hac exceptione petitur, id enim in quaestione est, an animae e corpore solutae in statum quendam temporarium et locum intermedium transferantur, antequam ad locum perpetuum sive aeternum suum domicilium perveniant. Contrarium enim ostendimus in praecedentibus. 2. Non solum post extremum judicium, in quo purgatorium finem suum accepturum dicunt, sed etiam ante illud extremum judicium duo duntaxat animarum receptacula Scriptura agnoscit, ut ex dictis evidenter patet. 3. Perpetuae et immotae veritatis est illud Augustini lib. 1. de peccat. merit. et remiss. c. 28: *Non est ullus ulli medius locus, ut possit esse nisi cum diabolo, qui non est cum Christo*, quia inter regnum Christi et regnum diaboli non datur aliquod intermedium. 4. Sicut in hac vita est immediata oppositio inter *credentes* et *incredulos*, inter *filios Dei* et *filios diaboli*, inter *bonos* et *malos*, ut ostendimus superius; ita quoque post hanc vitam etiam ante extremum judicium est immediata oppositio inter *salvationem* ac *damnationem*, inter *paradisum* et *infernum* tormentorum locum. 5. Quemadmodum Christus Luc. 11, v. 23. dicit, *qui non est mecum, adversum me est*, ita, qui non statim a morte cum Christo esse incipit, nunquam coelestem ejus gloriam videbit.

**7. Peccatorum remissionem ad hanc vitam restringit.**

194. 7. Cum illis Scripturae dictis, quae peccatorum remissionem, gratiam Dei et salutem consequendam ad hanc vitam eo modo restringunt, ut ministerio verbi ac sacramentorum, itemque potestate clavis solventis intercedente fide cujusque propria in his terris beneficia illa obtinenda esse asserant, post mortem vero nullum tempus eadem consequendi superesse innuant. Psalm. 39, v. 14: *Desine a me, et recreabor, priusquam vadam et non sim.* Psalm. 95, v. 7: *Hodie si vocem ejus audiveritis* etc. Matth. 9, v. 6: Filius hominis habet potestatem *in terra* dimittendi peccata. Matth. 16, v. 19. c. 18, v. 18: *Quodcunque ligaveritis super terram, erit ligatum in coelis, et quod solveritis super terram erit solutum in coelis.* 2. Cor. 6, v. 2: *Ecce nunc tempus acceptabile, nunc dies salutis.* Ex quibus sic concludimus. Si in hac duntaxat vita peccatorum remissio et salus per fidem ministerio verbi et sacramentorum accensam obtinetur vel amittitur, frustra quaedam pro peccatis satisfactio in purgatorio statuitur. Sed prius. Ergo et posterius. Possunt etiam ad hunc locum referri dicta, quae testantur, XVII. 228. ea, quae in hac vita egimus bona, ad judicium adduci, non autem quae vel ipsi in purgatorio sumus passi, vel alii pro nobis satisfactionis loco fecerunt. Matth. 25, v. 35: *Esurivi, et dedistis mihi cibum* etc. 1. Cor. 3, v. 8: *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum ἴδιον κόπον, proprium laborem.* 2. Cor. 5, v. 10: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque, prout gessit in corpore sive bonum, sive malum.* Gal. 6, v. 5: *Unusquisque suum onus portabit;* v. 7. *quidquid seminaverit homo, hoc et metet.* Apoc. 14, v. 13: *Opera illorum sequuntur eos.* Ex quibus sic inferimus. Si ea tantum in judicium adducentur, quae in hac vita quisque bona vel mala gessit, frustra in purgatorio pro peccatis solutio et satisfactio speratur. Sed verum prius. Ergo et posterius. Adde quod Scriptura non nisi hujus vitae termino poenas temporales circumscribat, et quae post mortem irrogantur, aeternas fore doceat. 2. Cor. 4, v. 18: *Quae cernuntur, temporalia sunt, quae vero non videntur, aeterna.* Apoc. 10, v. 7. jurat angelus, *quod tempus non erit amplius.* Augustinus de ver. relig. c. 38: *Omnia temporalia transeuntia mundus iste complectitur.* Ex quibus sic concludimus: si daretur post hanc vitam ignis purgatorius, ille non foret temporalis, sed aeternus. Consequens adversarii negant, ergo nec antecedens debent ponere.

**Exceptio Bellarmini ad 7. argumentum.**

195. Excipit Bellarminus, *etiam illos, qui remissionis et purgationis locum inveniunt in futuro seculo, nihil recipere nisi quod gesserunt in proprio corpore, id enim meruerunt perseverando in fide et caritate usque ad mortem, ut etiam post mortem purgari et juvari possent.* Respondemus: id ipsum vero in quaestione est, an quis bonis suis operibus hoc promereri possit, ut post mortem a peccatis purgetur et suffragiis viventium juvetur; contrarium ostendunt modo allata Scripturae testimonia. Quodsi enim animabus in purgatorio liberatio ex poenis per suffragia vivorum contingit, utique in judicio Dei non recipiunt ea, quae per proprium corpus gesserunt, sed ea, quae alii ipsarum loco praestiterunt. Si in judicio habetur duntaxat eorum ratio, quae pii in corpore fecerunt, utique non attenditur ad ea, quae in purgatorio passi fuerunt.

**8. Negat mortuos vivorum suffragis juvari posse.**

196. 8. Cum illis Scripturae dictis, quae negant, suffragiis vivorum mortuos post hanc vitam juvari posse. Psalm. 49, v. 8: *Frater redimendo non redimet quenquam, non dabit Deo placationem suam*, v. 9. *pretiosa nimis redemtio animae eorum, ut quiescat quis in seculum.* v. 10. *Etiamsi adhuc vivat in seculum nec videat sepulcrum.* Eccles. 9, v. 5. et 6: *Mortui non habent ultra mercedem, nec partem in hoc seculo in opere, quod sub sole geritur;*

quae verba Thargum Chaldaicum sic exponit: *Justi sciunt, quod, si peccaverint, reputandi sint pro mortuis in seculo futuro. Quare cavent sibi a peccato et quando peccaverunt, poenitentiam agunt. Peccatores vero nihil boni sciunt, quia non student bonis operibus, et ideo nihil sciunt boni ad seculum futurum, et non est eis merces bona post mortem ipsorum, quia oblivioni data est memoria eorum inter justos. Post mortem suam impii non habent utilitatem ullam, etiam amor, etiam odium, etiam aemulatio ipsorum periit de mundo. Et non est ipsis ulla communio boni cum justis in seculo venturo, neque etiam ullum commodum ex iis, quae gesta sunt in seculo praesenti, percipiunt.* (Bellarminus lib. 2. de purg. c. 15. excipit, *sermonem esse de bonis hujus vitae, quod mortui non sciant, quid agatur de rebus, quas hic reliquerunt.* Respondemus: Latina versio, quae per concilium Tridentinum facta est Pontificiis authentica, notanter dicit, *quod non habeant partem in hoc seculo in opere, quod sub sole geritur.* Ergo non est communicatio operum et suffragiorum inter viventes et defunctos.
XVII. 229. Idem ex oppositione vivorum ac mortuorum facile intelligitur. Matth. 5, v. 26: *Non exibis inde, donec persolveris extremum quadrantem.* c. 25, v. 8: *Fatuae virgines dicunt sapientibus, date nobis de oleo vestro, quia lampades nostrae exstinguuntur,* sed v. 9. prudentes respondent, *ne forte non sufficiat nobis et vobis.* Marc. 3, v. 29: *Qui blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in aeternum.* Ex quibus sic inferimus: Si mortui non possunt juvari suffragiis vivorum, frustra animabus in purgatorio sudantibus spes veniae et salutis a vivorum meritis exspectandae proponitur. Sed verum prius. Ergo et posterius. Quae pro adstruendis suffragiis afferuntur, suo loco postea expendentur.

9. Ex inferno liberationem patere negat.

197. 9. Denique cum illis Scripturae dictis, quae conditionem degentium in inferno describunt. Cum enim *sinus* quidam *inferni* sit purgatorium, ita ut in una eademque voragine purgatorium et infernus statuatur, ideo ad animas in purgatorio aestuantes merito applicantur, quae de statu degentium in inferno Scriptura praedicat. Psalm. 6, v. 6: *Non in morte memoria tui, in inferno quis confitebitur tibi?* Glossa ordin. in morte recte interpretatur *post mortem*, quia loquitur psaltes de statu eorum, qui post mortem in infernum descendunt, illos negat *Deo confiteri*, id est Deum laudare et glorificare. Atqui si in inferno nulla est Dei memoria, quomodo in purgatorio finguntur esse animae fidelium ac Dei filiorum, fide, spe et caritate ornatae ac proinde etiam Deum glorificantes? Psalm. 49, v. 15: *Sicut pecora in inferno ponentur, mors depascet eos.* Quotquot igitur in infernum descendunt, morti aeternae sunt et manent obnoxii, nec unquam ad vitam eluctari possunt. Eccl. 9, v. 10: *Non opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia est apud inferos, quo tu properas.* Hic locus teste Bellarmino lib. 2. de purgatorio c. 2. non agit de *inferno inferiore, sed de inferno in genere, ut complectitur omnia loca, ad quae descendebant omnes homines ante Christi resurrectionem.* Ergo ex hypothesi Pontificiorum etiam ad purgatorium recte accommodatur, in eum vero sic commentatur Olympiodorus: *In inferno cum practicae operationes esse non possint, qui ibi propter patrata flagitia sunt sepulti, ad id tantummodo delati sunt in infernum, ut aeternis torqueantur suppliciis.* R. Salomon in eundem sic commentatur: *Non est opus, quo possis justificari in inferno, et quid poterit homo facere, ut illinc se liberet?* Similia habentur in Midras Misle Prov. 11, v. 21. Huc referenda omnia Scripturae dicta, quae de inferno agunt, in illis enim infernus describitur non ut carcer *temporarius*, sed *perpetuus*, ex quo non patet ad vitam et salutem reditus. Luc. 16, v. 26. *magnum chasma* inter beatos et eos, qui sunt in inferno, *firmatum est, ut hi, qui volunt ex inferno transire ad beatos, non possint, ac qui portas inferni semel ingressus est*, nunquam ex eo eluctabitur, nec per portam vitae ingredietur, quia *clausa est janua.* Matth. 25, v. 10. Conf. Augustinum 99. epist. ad Evod. ubi multis probat, nomen inferni nuspiam in Scripturis sacris in bonum accipi.

3. Pugnat cum fidei analogia. 1. Cum articulo de Dei misericordia.

198. 3. Purgatorium pugnat cum *fidei analogia*, quia complures fidei articulos labefactat, utpote 1. *articulum de Dei misericordia.* Ea enim in Scripturis sacris nobis sic describitur, quod sit sincera, seria et perfecta, ita ut per ac propter eam vere poenitentibus remittatur non solum culpa, sed etiam poena, id quod constat ex parabola Christi Matth. 18, v. 27. ubi servo debitori non solum debitum donatur, sed etiam poena carceris relaxatur. Prosper in sentent.:

*Ex toto veniam dabit et non dimidiabit.*

In veteribus canonibus et glossis recitatur hic versiculus:

*Larga Dei pietas veniam non dimidiabit.*

Gloss. c. sceleratior dist. 3. de poenit:

*Aut nihil, aut totum te lacrymante dabit.*

Chrysostomus Psalm. 50: *Ubi misericordiae, ibi poenae locus non est. Quae enim haec foret misericordia, si Deus culpam quidem remitteret, poenam autem, vel certe partem poenae irrogandam sibi adhuc reservaret?* Pro quo adhuc vel satis- XVII. 230.
factio exigitur vel poena infligitur, illud nondum plene ac perfecte remissum. Sic creditor, qui a debitore suo satisfactionem vel ex toto, vel ex parte postulat, non potest dici totam debiti summam misero debitori condonasse. Jam vero Deus ex gratuita misericordia propter perfectam Christi satisfactionem peccatorum debita vere poenitentibus et in Christum credentibus plene ac perfecte remittit. Ergo nec satisfactionem ab illis exigit, nec poenam quandam ipsis infligit. Conf. tract. de poenit. §. 121.

2. Cum articulo de Dei justitia.

2. *Articulum de Dei justitia.* Ea enim non permittit, ut remissa culpa adhuc irrogetur poena. Inter culpam et poenam est perpetua quaedam relatio, unde Scriptura sacra per unum *peccati*

vocabulum et culpam et poenam exprimit, Lev. 20. Augustinus lib. 1. retract. cap. 9: *Omnis poena, si justa est, poena peccati est.* Thomas part. 1. 2. q. 87. artic. 7: *Omnis poena, quae mere et proprie est, poena est propter aliquam culpam.* Pererius in Genesin cap. 9. num. 163. p. 541: *Si poena proprie sumatur, necessario respondet peccato, nec sine eo potest esse, siquidem per poenam compensatur et reficitur aequalitas justitiae per peccatum violatae.* Bellarminus ipse lib. 1. de poenitent. c. 7: *Culpa est causa poenae, cum ex culpa nascatur obligatio ad* poenam. lib. 3 de laicis c. 11: *Culpa et poena relativa sunt.* Ubi ergo plenaria et perfecta remissio culpae locum habet, ibi poena omnis proprie sic dicta est sublata. Augustinus vel quicunque alius auctor libri de vera et falsa poenitentia c. 9: *Quaedam impietas infidelitatis est, ab eo, qui justus et justitia est, dimidiam sperare veniam.* Quid quod culpae remissio nihil aliud est quam poenae relaxatio et condonatio. Peccatum originale quoad radicem ac fomitem (mortificatum tamen et refractum) semper manet in renatis in carne adhuc viventibus, peccatum actuale ratione actus transit, quando vero remittitur, non ex facto infectum redditur, sed tantum reatus et obligatio ad poenam tollitur. Pugnant igitur inter se, peccatum vere remissum esse et tamen poenam proprie dictam propter peccatum adhuc sustinendam esse.

Exceptio Bellarmini.

199. Excipit Bellarminus lib. 1. de purg. c. 14. argumentum retorquendo: *Si post remissam culpam nulla remanet poena, cur post remissam culpam adhuc tam multa patimur et tandem etiam morimur? et ne dicamus, esse paternas castigationes in remedium futuri peccati, cur infantes baptizati aegrotant, qui tamen non sunt capaces peccati actualis?* lib. 4. de poenitentia c. 1. et sequent. id ipsum latius deducit et aliquot *exemplis* probare conatur, *remissa culpa manere adhuc debitum luendae poenae temporalis.* Respondemus: 1. Distinguendum inter calamitates hujus vitae et inter poenas futuri seculi. Pontificii quidem nomine poenae temporalis, quam post remissum peccatum Deus quibusdam irrogat, intelligunt non solum *calamitates hujus vitae*, videlicet morbos et mortem, sed etiam *poenas futuri seculi* in purgatorio sustinendas, sed tota Scriptura poenas temporales post mortem a piis tolerandas penitus ignorat, quia post mortem novissimum illum hostem et post hujus vitae tempus statim succedit aeternitas. Eccl. c. 11, v. 3: *Ubi ceciderit lignum, ibi erit.* c. 12, v. 5: *Abit homo in domum aeternitatis suae.* Gal. 6, v. 10: *Dum tempus habemus, operemur bonum.* Vana igitur et ficta sunt, quae de poenis temporalibus post peccati remissionem adhuc in purgatorio sustinendis Pontificii nugantur. Pii enim ut in morte a peccati radice ac fomite purgantur, Rom. 6, v. 7. ita quoque ab omnibus peccati poenis perfecte liberantur. 2. Quod calamitates hujus vitae attinet, quibus pii post acceptam peccatorum condonationem adhuc subjiciuntur, illae non sunt poenae *proprie* et exacte *sic dictae*, quasi scilicet Deus ea ratione culpam condonet, ut poenam aeternam mutet in temporalem, pro qua piis vel in hac vita, vel in XVII. 231.
purgatorio satisfaciendum, ut sic poenae istae temporales sint compensationes poenae aeternae ac satisfactiones pro peccatis, sed *respectu aliorum hominum* sunt publica indicia judicii divini adversus peccata, *respectu ipsorum piorum* sunt memorialia praecedentium et cautelae futurorum. Itemque exercitia poenitentiae, quae in hac vita debet esse perpetua, fidei, obedientiae in cruce, spei, petitionis et exspectationis auxilii divini per liberationem vel mitigationem, ut in tractat. de poenit. §. 125. latius fuit expositum. 3. Quodsi enim calamitates illae essent poenae proprie et exacte sic dictae, tum procederent a Deo irato, ac essent signa irae divinae, quod scilicet persona illa sub ira Dei adhuc sit constituta, ac nondum ei reconciliata, quin etiam essent testimonia ac principia aeternarum poenarum, haec enim duo in poenis, quae propter peccata impiis irrogantur, perpetuo conspiciuntur. Jam vero de calamitatibus illis sive communibus sive specialibus, quibus pii in hac vita propter peccatum adhuc subjecti sunt, neutrum dici potest. Appellantur quidem κρίματα 1. Cor. 11, v. 32. 1. Petr. 4, v. 17. sed quae infliguntur non ad interneciοnem vel damnationem, sed ad παιδείαν et paternam castigationem, Hebr. 12, v. 5. quaeque proficiscuntur non a Deo irato, sed placato. 4. Inde quidam distinguunt inter *poenam supplicii* et *poenam castigationis*, probationis ac emendationis. Poena supplicii est poena proprie et exacte dicta ac pro peccatis admissis ex ordine justitiae divinae debita, ea una cum ipsis peccatis vere in Christum credentibus remittitur. Poena castigationis seu probationis proprie calamitas dicitur, ac piis etiam post peccatum remissum in hac mortalitate sustinenda relinquitur. Cyprianus lib. 4. epist. 4: *Ad hoc corripit Deus, ut emendet; ad hoc emendat, ut servet.* Chrysostomus homil. de poen. et confess.: *Deus imponit poenam non exigens supplicia de peccatis, sed ad futura corrigens.* Idem in 1. Corinth. homil. 28: *Cum corripimur a Domino, magis est admonitionis quam damnationis, medicinae quam supplicii, correctionis quam poenae.* Augustinus lib. 2. de peccat. merit. et remiss. c. 34: *Calamitates ante remissionem sunt supplicia peccatorum, post remissionem sunt certamina exercitationesque justorum.* tract. 124. in Joh.: *Etiam remissis peccatis tolerat homo miseriam, in quam tamen ex peccato venit, vel ad demonstrationem debitae miseriae, vel ad emendationem labilis vitae, vel ad exercitationem necessariae patientiae* (vocat quidem ibidem poenam, sed in sensu laxiore). Thomas 2. 2. q. 108. art. 4. distinguit *inter poenam, quatenus consideratur secundum rationem poenae, hoc est stricte et accurate, et tum non debetur nisi peccato; et inter poenam, quatenus consideratur ut medicina, et tum aliquis, nempe pius, interdum punitur sine ipsius culpa, quippe quae per Christum ipsi condonata,*

*non tamen sine causa.* 5. Quamvis piis post peccatum remissum calamitates quaedam imponantur, quas generali appellatione *poenas* vocari permittimus, non tamen pro illis satisfacere possunt, vel ipsi, vel per alios, talem enim satisfactionem ignorat tota Scriptura, sed in vera patientia ac poenitentia tenentur eas ex manu Dei suscipere et sub potenti Dei manu sese humiliare ipsique liberum relinquere, quamdiu sub hoc crucis jugo et calamitatum pondere eos velit laborare. Distinguimus igitur inter *poenam castigatoriam*, a qua reconciliati cum Deo non sunt semper immunes, et *satisfactoriam*, quam ipsorum loco Christus plenissime persolvit. 6. In baptizatis infantibus calamitates non solum sunt remedia futuri peccati, sed etiam indicia judicii divini adversus peccatum, tum originale, tum actuale, absit enim ut infantes a peccatis actualibus penitus immunes cum Bellarmino statuere velimus, cum fomes peccati nunquam sit otiosus, quin et salutaria media ac remedia, per quae ex hac vita in coelestem transferantur, et sic ab omni peccato penitus purgentur.

200. Sed enim ne Pontificii ulterius clament, *remissis peccatis adhuc manere debitum luendae poenae,*
XVII. 232. opponimus illis sequentia argumenta. 1. Sublata causa tollitur effectus. Sublato fundamento in relatione tollitur etiam terminus. Culpa est causa et fundamentum poenae, quae est ejus effectus ac terminus, ut paulo ante demonstravimus. Sublata ergo culpa poena amplius esse nequit. 2. Contrariarum causarum contrarii sunt effectus. Retentio culpae est causa, propter quam retinetur poena. Ergo remissio culpae est causa, propter quam remittitur poena. 3. Si Christi satisfactio est plena et perfecta, utique non solum pro culpa, sed etiam pro poena satisfecit, et per consequens, non solum a culpa, sed etiam a poena peccati nos liberavit. Sed verum prius. Ergo et posterius. 4. Si Christus poenas peccatorum nostrorum in se suscepit, utique partes satisfaciendi pro poenis peccatorum nequaquam nobis reliquit. Sed prius, ut paulo post plenius confirmabitur. Ergo et posterius. 5. Si quaedam peccata eo modo remittuntur, ut respectu culpae in hac vita tollantur ac deleantur, respectu poenae in purgatorio pro illis sit satisfaciendum, duplex peccatorum remissio dabitur, una in hac vita, altera post hanc vitam in purgatorio. Sed consequens est absurdum, utpote repugnans non solum Scripturis sacris, sed etiam symbolo apostolico, in quo dicimus, nos *credere remissionem peccatorum.* 6. Si peccati remissio est totalis ejusdem exstinctio ac deletio, ut de eo nihil supersit, consequens est, pro peccato remisso non posse irrogari poenam. Ratio est, quia *non entis nulla sunt accidentia*, et justitia non admittit poenam infligi, ubi peccatum est penitus exstinctum. Sed prius ex hypothesi Pontificiorum. 7. Si Deus remissa culpa adhuc irroget poenas, consequens erit, adhuc aliquod *κατάκριμα* esse in illis, qui sunt in Christo, electos adhuc posse accusari, Deum peccatorum remissorum adhuc recordari etc. Consequens repugnat Scripturis sacris Rom 8, v. 1. et 33. Jer. 31, v. 31. quod plenius in sequentibus demonstrabitur. Ergo et antecedens. 8. Si et culpa et poena uno *peccati* nomine apud Hebraeos exprimuntur, consequens est, tantam tamque arctam esse utriusque conjunctionem, ut remissa culpa etiam poenae remittantur, alias enim non posset poena ac culpa uno eodemque nomine exprimi. Sed verum prius, ut patet ex Levit. c. 10. 9. Si peccata venialia jamdum remissa nihilo tamen minus poenis temporalibus subjiciuntur, nullum erit discrimen inter peccata venialia remissa et non remissa. Ratio connexionis haec est, quia peccata venialia ex hypothesi Pontificiorum tantum temporales poenas promerentur. Sed consequens est absurdum. Ergo et antecedens. 10. Peccata nostra sunt *debita* Matth. 6, v. 12. poena pro peccatis est debitorum solutio. Atqui remisso debito non amplius exigitur solutio, *acceptilatione enim vel remissione omnis obligatio tollitur.* Instit. Quibus modis toll. oblig. Ergo etiam remissis peccatis non amplius imponitur poena.

201. Insuper et alia ratione figmentum purgatorii *divinae justitiae* adversatur, quod sic demonstramus. Si animae in purgatorio aestuantes per temporarii cujusdam ignis poenam divinae justitiae pro peccatis satisfacere possunt, utique justitiae divinae congruit, ut animae damnatorum, quae in inferno torquentur, per poenas diuturniores et graviores divinae justitiae tandem satisfaciant et ex inferno liberentur. Consequens Scripturis adversatur. Ergo et antecedens. Excipiunt Pontificii, *esse rationem maxime disparem. Constitutos enim in inferno esse extra statum gratiae, constitutos in purgatorio esse in statu gratiae, illos igitur satisfacere non posse, hos vero posse.* Atqui praeterquam quod principium petitur, urgere possumus hoc argumentum. Ubi tam rigide ac severe integri debiti persolutio exigitur, ut non pateat debitori ex carcere exitus, nisi ultimum quadrantem persolverit, ibi non dominatur indulgens gratia, sed puniens justitia. Jam vero ab animabus in purgatorio aestuantibus tam severe ac rigide integri ac universi debiti persolutio exigitur, ut non pateat illis ex purgatorii carcere exitus, *nisi ultimum quadrantem* persolverint, docente Bellarmino et aliis Ponti- XVII. 233.
ficiis, qui ex Matth. 5. et Luc. 12. purgatorium accendere laborant. Ergo in purgatorio non dominatur gratia, sed justitia. Quodsi ergo animae in purgatorio poenis tolerandis divinae justitiae satisfacere possunt, quidni damnati in igne infernali per multas annorum myriadas excarnificati tandem poterunt divinae justitiae satisfacere et ex inferno liberari?

3. Cum articulo de merito Christi.

202. 3. Articulum *de Christi merito.* Christus sanctissima et perfectissima sua obedientia ac passione acerbissima non tantum pro originali, sed etiam pro actualibus peccatis nostris plenissime satisfecit ac poenas peccatorum nostrorum in sese recipiendo pro poenis temporalibus et aeternis pro-

pter peccata nobis debitis plenissimam satisfactionem Deo praestitit, id quod in tract. de poen. §. 120. hisce confirmatum dedimus argumentis. 1. Sublata culpa tollitur debitum luendae poenae ex natura relatorum. Atqui Christus in se sustulit et abstulit peccata nostra Esa. 53, v. 6. Johan. 1, v. 29. 1. Petr. 2, v. 24. Ergo etiam poenam peccatis nostris debitam in se transtulit et per consequens a debito luendae poenae nos liberavit. 2. Ipsae peccatorum nostrorum poenae dicuntur Christo impositae. Esa. 53, v. 4: *Dolores nostros ipse tulit*, v. 5. *castigatio pacis nostrae* (in Hebr. *retributionum nostrarum*, id est quae nobis erat tribuenda) *super eum*. Gal. 3, v. 13: *Factus est pro nobis κατάρα, maledictum.* Atqui nomine maledictionis, quam lex nobis peccatoribus comminatur, poenae temporales et aeternae continentur. 3. Idem ex speciali poenarum enumeratione, quas Christus propter nos pertulit, manifestum. Esa. 53, v. 5: *Vulneratus, attritus est propter peccata nostra.* Gal. 3, v. 13: *Liberavit nos a maledicto legis.* Hebr. 2, v. 14. *a potestate Satanae.* 1. Thess. 1, v. 10. *ab ira Dei.* Hose. 13, v. 14. 1. Cor. 15, v. 55. 56. 57. *a morte et inferno.* Rom. 8, v. 1. *a damnatione* etc. Atqui harum poenarum complexu reliquae omnes continentur. 4. Justitia Dei non permittit, idem peccatum bis puniri. Jam vero Deus peccata nostra puniit in Filio suo, quem propter nostras iniquitates *percussit* Esa 53, v. 4. Ergo non puniet ea in piis per fidem in Christum sibi reconciliatis, qui satisfactionis a Christo praestitae facti sunt participes. *Obligationis vis tollitur soluto eo, quod debetur*, ait imperator in instit. de solut. oblig. 5. Si pro peccatorum poenis nobis adhuc satisfaciendum foret, Christi satisfactio nondum foret sufficiens, nec ἀπολύτρωσις, sed ἡμιλύτρωσις per ipsum esset praestita, nec absolutum redemtionis opus. Contrarium vero testatur Scriptura Joh. 19, v. 30. Rom. 3, v. 24. 1. Cor. 1, v. 30. Eph. 1, v. 7. Col. 1, v. 14. Hebr. 10, v. 14. 6. Si pro peccatorum poenis nos possemus satisfacere, pars redemtionis a Christo ad nos transferretur. Contrarium testatur Scriptura Esa. 63, v. 3. Hebr. 1, v. 3. Neque Christus suum nobiscum ita partitus est officium, ut partem aliquam purgationis peccatorum praestaret ipse, partem vero reliquam nobis praestandam relinqueret, sed per *proprium sanguinem introivit semel in sancta sanctorum aeterna redemtione inventa* Hebr. 9, v. 12. *unam pro peccatis obtulit hostiam* Hebr. 10, v. 12. *una oblatione consummavit in sempiternum eos, qui sanctificantur* Hebr. 10, v. 14. 7. Et quid multis? testatur ipsum jus canonicum, Christum pro culpa et poena nostri loco satisfecisse, c. Filius Dei etc. dist. 4: *Filius Dei carnem peccati suscepit et poenam sine culpa, ut in carne peccati et culpa solveretur et poena.* Agnoscunt id ipsum quidam Lovanienses. Bellarminus lib. 1. de indulg. c. 4: *Quidam Lovanienses tenuerunt, solius Christi satisfactionibus remissam poenam temporalem.* Agnoscit ipse Bellarminus lib. 2. de indulg. c. 10: *Christus satisfecit Deo Patri plenissime pro reatu culpae et poenae temporalis et aeternae omnium peccatorum.* Pro quo igitur nobis vel in hac vita, vel in purgatorio satisfaciendum? cur animae piorum vera fide Christi satisfactionem amplectentium in purgatorium detruduntur? cur satisfactio exigitur pro eo, quod Christus jam ante plene persolvit?

**XVII. 231. Exceptiones Bellarmini ad 3. argumentum.**

203. Excipit Bellarminus. *1. Christi meritum sufficit ad omnem culpam et poenam tollendam, sed tamen debet applicari, ut sit efficax, alioquin omnes homines salvarentur. Applicatio illa fit per actus nostros et sacramenta. Voluit autem Deus, ut post baptismum per contritionem et confessionem cum absolutione sacerdotis applicetur meritum Christi ad tollendam culpam, per opera autem satisfactoria applicatur ad tollendam poenam temporalem, nam poena aeterna commutatur in temporalem, quando remittitur culpa.* Salmeronius tom. 14. disp. 25. p. 220: *Mors et sanguis Christi non tollit illum ignem, sed potius ei virtutem tribuit, ut possit delere peccata seu poenas peccatis debitas, nisi enim esset vis passionis Christi illi igni communicata, non purgaret, poenae enim illae patienter toleratae per sanguinem Christi expiant animas nostras, ut sine macula appareant ante Deum.* Eph. 5. Respondemus: Haec omnia meras petitiones principii continent. Scriptura nuspiam docet, *per opera nostra satisfactoria Christi meritum nobis applicari*, sed media applicationis ex parte Dei statuit esse verbum evangelii, ad quod etiam pertinet absolutio sacerdotis ac sacramenta baptismi et coenae Dominicae, ex parte nostra unicum applicationis medium novit fidem in Christum, cujus anteambulo ac praevia est contritio per praedicationem legis a Spiritu sancto excitata et cujus testificatio externa est peccati humilis confessio Deo vel hominibus facta. Haec fides in solo Christi merito plenariam pro peccatis satisfactionem quaerit, invenit et apprehendit, nequaquam vero vel ex toto, vel ex parte propriis operibus satisfactoriis ac meritoriis confidit, Scriptura nuspiam asserit, vim passionis Christi communicari cuidam *igni*, ut possit peccata purgare, sed potius per *baptismi aquam* beneficia Christi morte et passione parta nobis communicari asserit. Mirabilis igitur metamorphosis est, quando Salmeron. ad ignem applicat, quod Paulus de lavacro aquae in verbo asserit, qua de re in articulo de poenitentia et justificatione latissime fuit dictum. *2. Homo sui ipsius redemtor et salvator appellatur Dan. 4. peccata tua eleemosynis redime. Phil. 2. cum metu et tremore salutem vestram operamini, nec tamen propterea ulla fit Christo injuria, siquidem tota virtus operum et satisfactionis nostrae a Christi sanguine pendet et si redimimus peccata vel operamur salutem, id facimus per ejus spiritum nobis donatum vel potius ipse Christi spiritus ista in nobis operatur, sicut nihil detrahitur Deo, quod per causas secundas operatur.* Respondemus: Esa. 45, v. 21: *Extra*

*me non est salvator.* Actor. 4, v. 12: *Non est in alio quoquam salus.* Esa. 63, v. 3: *Torcular calcavi solus.* Hebr. 1, v. 3: *Purgationem peccatorum nostrorum fecit δι' ἑαυτοῦ, per se ipsum.* cap. 12, v. 2: *Christus est ἀρχηγὸς καὶ τελειωτὴς fidei nostrae.* Ergo solus Christus est noster salvator ac redemtor, homo vero non est sui ipsius salvator ac redemtor. Quod 1. Tim. 4, v. 16. Timotheus *se ipsum et auditores suos salvare* dicitur, id non intelligitur *meritorie* vel *satisfactorie*, sed ὀργανικῶς et *instrumentaliter*, quia Timotheus praedicabat evangelium, quod *est potentia Dei ad salutem omni credenti* Rom. 1, v. 16. Dictum propheticum Dan. 4, v. 24. agit de signis verae poenitentiae ac remotione poenarum temporalium. In Hebraeo est verbum פרק quod non significat *redimere* vel *satisfacere*, *sed abrumpere*, *sistere.* Vide tract. de poenit. §. 91. Dictum apostolicum Phil. 2, v. 12. non de causa meritoria salutis, sed de curriculo et stadio vocationis, in quo fide jam justificati et salvati exclusa carnali securitate ad propositum brabeum contendere debent, agit. Vide tract. de bon. operibus §. 52. *A Christi sanguine et merito in nostra opera ac nostras passiones vim merendi ac satisfaciendi descendere*, sine Scripturae testimonio asseritur. Contrarium late demonstravimus in tract. de bon. operib. §. 96. *3. De applicatione satisfactionis Christi per nostra opera ac nostras passiones tres sunt dicendi modi. Primus est eorum, qui asserunt, esse unam tantum satisfactionem et illam esse Christi ac nos proprie non satisfacere,*
XVII. 235. *sed solum facere aliquid, cujus intuitu Deus applicat nobis Christi satisfactionem, quod est dicere nostra opera non esse proprie satisfactoria, sed tantum conditiones, sine quibus non applicaretur nobis Christi satisfactio vel ad summum esse dispositiones. Ita docet Michael Bajus lib. de indulg. cap. ult.* Haec sententia est tolerabilior reliquis ac facile reduci potest ad bonum sensum, si loco operum substituatur fides in Christum, testatur enim tota Scriptura, non opera, sed fidem esse unicum illud medium, per quod Deus satisfactionem Christi nobis applicat. Sed haec moderatio Baji Bellarmino non probatur, ideo sententiam illam vocat *erroneam.* Argumenti loco producit duo principia, primo quod *Scriptura et patres passim appellent opera nostra satisfactiones et peccatorum redemtiones; deinde si potest homo justus suis operibus mereri ex condigno vitam aeternam, cur non satisfaceret pro poena temporali, quod est minus.* Sed utramque hypothesin esse falsam et fictam in tract. de poenitentia et bonis operibus late demonstratum fuit. *Secundus modus* (inquit) *est eorum, qui statuunt, quod sint duae satisfactiones, una Christi, altera nostra, sed quarum una pendeat ab altera.* Hic modus Bellarmino *non* videtur *improbabilis. Nam etiamsi una sufficeret, tamen, ad majorem Dei gloriam, cui satisfit, et majorem honorem hominis satisfacientis placuit Christo conjungere nostram satisfactionem suae, quo modo una gutta sanguinis Christi sufficiebat redimere mundum, et tamen voluit totum sanguinem effundere, ut esset copiosissima redemtio, quo modo etiam homo justus adultus duplici titulo habet jus ad eandem gloriam, uno ex meritis Christi sibi communicatis per gratiam, altero ex meritis propriis.* Respondemus: Scriptura non nisi *unam* pro peccatis satisfactionem novit, ut argumenta nostrae sententiae probant, ergo Christi et nostra satisfactio, Christi et nostrum meritum non sunt subordinata, sed opposita, ut in tract. de bon operib. §. 96. latius ostendimus. Quod una gutta sanguinis Christi sufficiens fuisse dicitur ad mundum redimendum, id si respectu *ad dignitatem et infinitatem personae* habito asseratur, verissime dicitur, sin vero Dei *ordinationem et vaticiniorum praedictionem* respiciamus, non gutta duntaxat, sed rivi sanguinis propter nostram redemtionem in cruce effundi debuerunt. Quod justus adultus duplici jure, videlicet tum meritis Christi per gratiam communicatis, tum meritis propriis regnum coelorum obtinere dicitur, id Scripturis sacris directe adversatur, ut prolixe ostendimus in tract. de bon. operib. §. 100. *Tertius modus* videtur Bellarmino *probabilior, quod una tantum sit actualis satisfactio et ea fiat nostra. Neque hinc excluditur Christus vel satisfactio ejus, nam per ejus satisfactionem habemus gratiam, unde satisfacimus, et hoc modo dicitur nobis applicari Christi satisfactio, non quod immediate ipsa ejus satisfactio tollat poenam temporalem nobis debitam, sed quod mediate eam tollat, quatenus videlicet ab ea gratiam habemus, sine qua nihil valeret nostra satisfactio.* Respondemus: Scriptura nuspiam dicit, Christum hoc fine pro peccatis nostris satisfecisse, ut nostris operibus ac passionibus vim satisfaciendi ac merendi conciliaret, sed potius ut suam satisfactionem per fidem nobis applicaret, ipse enim *torcular calcavit solus* Esa. 63, v. 3. ipse purgationem peccatorum nostrorum fecit *per se ipsum* Hebr. 1, v. 3 in ipso solo remissionem peccatorum quaerere debemus Actor. 10, v. 43. hanc gloriam et hunc honorem non communicat nostris passionibus, sed eum sibi soli reservat, ut fiducia cordis nostri non in nostra opera ac satisfactiones, sed in ipsum et in ipsius meritum unice collocetur. Augustinus lib. 4. ad Bonifacium cap. 4: *Sicut solus Filius Dei factus est Filius hominis, ut nos secum filios Dei faceret; ita pro nobis solus suscepit sine malis meritis poenam, ut nos per ipsum sine bonis meritis consequeremur indebitam gratiam.* Si una tantum est *actualis satisfactio eademque est nostra*, ut hoc loco Bellarminus disputat, ergo Christi satisfactio, quam sine nobis et extra nos in ara crucis praestitit, non est plenae et perfectae satisfactionis nomine censenda.
Quanta cum absurditate conjunctum, quod nostram XVII. 236.
satisfactionem dicit esse ipsius Christi satisfactionem, quod Christi et nostram satisfactionem vocat unam, quod perfectissimae satisfactioni Christi nostram satisfactionem subordinat? Et quantum abest haec assertio Bellarmini a blasphemia Ruardi Tap-

peri decani quondam Lovaniensis tom. 1. art. 6. p. 241: *Satisfactio Christi per sufficientiam non meretur nomen perfectae satisfactionis, nec redemtio, nec reconciliatio per sufficientiam haec merentur nomina.* Quantum distat a pronuntiato Bielis 3. sent. distinct. 19. concl. 5. quod repetunt Vitus Miletus in discuss. sexcent. errorum et Salmeron. tom. 7. tract. 40. p. 208: *Etsi Christi passio sit principale meritum, propter quod confertur gratia, apertio regni et gloria, nunquam tamen est sola et totalis causa meritoria, quia semper cum merito Christi concurrit aliqua operatio, tanquam meritum de congruo vel de condigno recipientis gratiam vel gloriam, si fuerit adultus rationis usum habens vel alterius pro eo, si caret usu rationis.*

4. Cum articulo de evangelio.

204. 4. *Articulum de evangelio.* Ostendimus suo loco, evangelium in genuina et propria significatione esse laetum nuntium de gratuita et plenaria peccatorum propter Christum remissione. Propria igitur evangelii doctrina est offerre credentibus peccatorum condonationem, non autem poenae aeternae in temporariam poenam commutationem. Si evangelium nostram *satisfactionem* vel potius *satispassionem* exigeret ac commutationem duntaxat, non autem translationem poenae factam esse doceret, non amplius foret annuntiatio gratiae et misericordiae, sed potius supplicii ex justitia infligendi ac poenae vel in hac, vel in purgatorio sustinendae.

5. Cum articulo de fructu poenitentiae.

205. 5. Articulum de *salutari fructu verae poenitentiae.* Fructus verae ac salutaris poenitentiae inter ceteros est *peccatorum remissio* Psalm. 32, v. 5. Jerem. 36, v. 3. Sap. 12, v. 19. Marc. 1, v. 4. Luc. 24, v. 47. Act. 3, v. 19. Actor. 5, v. 31. etc. Atqui ubi peccatorum remissio, ibi non amplius est necessaria pro peccatorum poenis satisfactio vel in hac vita, vel in purgatorio praestanda. Bellarminus hoc argumentum nostrum tali schemate format: *In baptismo remittitur omnis culpa et poena. Sed poenitentia est quaedam baptismi commemoratio, imo est baptismus quidam. Nihil igitur post poenitentiam remanet purgandum.* At nequaquam docemus, veram poenitentiam esse nudam et historicam duntaxat baptismi recordationem, sine contritione, sine fide, sine vitae emendatione, ut hoc loco et lib. 1. de baptism. cap. 18. per calumniam Bellarminus nobis tribuit, sed ab illis, qui post baptismum in peccata prolabuntur, seriam ac sinceram poenitentiam requirimus, quam teste ipsomet Bellarmino lib. 1. de poenit. cap. 19. non nuda baptismi memoria, sed duabus essentialibus partibus, *contritione* scilicet *ac fide*, constare dicimus ac diserte addimus, contritionem non debere esse fictam, simulatam, externam, superficiariam etc. sed veram, seriam, internam et ex toto corde; fidem dicimus non esse nudam notitiam historicam, sed fiducialem Christi apprehensionem, quae hominem ipsum immutat, purgat et ad omnis generis bona opera foecundum reddit, ac proinde cum vera poenitentia studium novae obedientiae et emendationem vitae tanquam immediatum ac perpetuum ejus consequens conjunctum esse docemus. Hoc vero est quod contra Pontificios urgemus, fidem partem poenitentiae, alteram amplecti gratuitam promissionem de remissione peccatorum propter Christum et hac ratione in vera ac seria poenitentia non minus quam in ipso baptismo credentibus in Christum peccata plene et perfecte remitti, ut nulla opus sit satisfactione propria pro peccatis vel peccatorum poenis in hac vita vel in purgatorio praestanda.

Exceptiones Bellarmini contra 5. argumentum. XVII. 237.

206. Quas vero nebulas huic luci offundit Bellarminus? *Primo*, inquit, *si sacramentum poenitentiae accipiatur catholice et integre, ut comprehendat contritionem, confessionem et satisfactionem plenam et jam perfectam, potest admitti totum argumentum.* Respondemus: poenitentia catholice et integre definitur per *contritionem* et *fidem*, ex qua *nova obedientia* instar cujusdam fructus efflorescit, ut probavimus in loc. de poenitent. §. 40. et seqq. nequaquam vero per *contritionem*, *confessionem* et *satisfactionem*, ut ostendimus ibidem §. 52. Si satisfactio in purgatorio praestanda est pars poenitentiae, tum in purgatorio demum absolvetur vera et salutaris poenitentia. Atqui clamat tota Scriptura, tempus hujus vitae duntaxat esse tempus poenitentiae. 2. *Si vero accipiatur pro sola absolutione, in qua praecipue sacramentum consistit, negatur consequentia. Nam maximum discrimen est inter sacramentum ablutionis et sacramentum absolutionis. In sacramento ablutionis sive baptismi Deus liberalissime agit et applicat Christi meritum per unam illam actionem ablutionis, ad tollendam omnem culpam et poenam futuri seculi, id est tam gehennae quam purgatorii, nam poenas temporales hujus vitae ne baptismus quidem aufert, ut patet in pueris baptizatis aegrotantibus et morientibus; at in sacramento absolutionis Deus contrahit nonnihil manum et applicat Christi meritum ad tollendam culpam et poenam aeternam, tamen adhuc requirit opera poenitentiae, quibus redimamus temporales poenas.* Respondemus: haec omnia sine Scripturae suffragio, imo contra Scripturam proferuntur. Spiritus sanctus enim non solum ante susceptum baptismum et in baptismo, sed etiam post baptismum prolapsos in peccata *ad unicam* Christi satisfactionem in ara crucis pro nobis praestitam deducit, nunquam vero et nuspiam talem differentiam proponit, ut remissionem peccatorum in baptismo dicat esse mere gratuitam et perfectam, pro illis vero, quae post baptismum committuntur, satisfactionem ab ipsis peccatoribus exigat aut poenam eorum aeternam in temporalem commutari asserat, pro qua ipsis hominibus satisfaciendum sit vel in hac vita, vel in purgatorio. Confer Rom. 3, v. 25. 1. Joh. 2, v. 1. et 2. Hebr. 4, v. 15. et 16. etc. Quodsi in baptismo tantum plena et perfecta peccatorum remissio contingit, in poenitentia vero poenae peccatorum a nobis ipsis ac per nos ipsos exsolvendae relinquun-

tur, consequens erit, Christum pro originali duntaxat peccato, cujus remissio in baptismo obtingit, non autem pro actualibus peccatis satisfecisse, vel certe Christum non pro omnibus peccatorum poenis plenam satisfactionem praestitisse; consequetur et illud, satisfactiones nostras esse duriores ac laboriosiores gravissimis passionibus Christi, de quibus ipse conqueritur Psalm. 22, v. 1. Esa. 43, v. 24. Matth. 27, v. 46. etc. quin imo humanae satisfactiones statuentur majoris meriti et efficaciae quam ipsius Christi satisfactio, quia per et propter illas tolluntur poenae peccatorum actualium, adeoque ipsa actualia delicta, sed propter hanc tollitur duntaxat peccatum originale in baptismo. Sed et dividetur opus redemtionis ac satisfactionis inter Christum et homines, imo plus praestabit homo peccator quam Christus mediator, quia poenae actualium peccatorum, pro quibus satisfaciunt homines, sunt longe graviores et atrociores poena originalis peccati, pro qua satisfacit Christus. *Πρῶτον ψεῦδος* Pontificiae opinionis consistit in eo, quod baptismi efficaciam et fructum restringunt ad illud temporis momentum, quo baptizato hoc sacramentum confertur, ac foedus, quod Deus in baptismo nobiscum init, fragile ac temporarium statuunt, ita ut nobis post baptismum peccantibus illud plane dissiliat ac proinde nulla consolatio ex eo in vera poenitentia peti possit, cujus contrarium ostendimus in tract. de bapt. §. 154. Monstretur autem vel unicus Scripturae locus, in quo talis differentia inter remissionem peccatorum gratuitam et perfectam in baptismo et inter remissionem satisfactoriam ac semiplenam in poenitentia
Hebr. 6, v. 4. statuatur. 3. Affert locum Hebr. 6, v. 4: *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, id est baptizati, re-*
XVII. 238. *novari ad poenitentiam*, et c. 10, v. 26: *Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, id est post illuminationem baptismi, non relinquitur hostia pro peccato, id est non relinquitur alius Christus patiens et moriens, cui possimus rursum commori per baptismum.* Ex quo loco posteriore dicit *haberi argumentum insigne pro purgatorio. Nam statim additur adversativa particula, sed terribilis exspectatio judicii et ignis aemulatio, quae consumtura est adversarios. Si enim iste ignis significaret solum ignem gehennae, sequeretur, omnes, qui peccant post baptismum, necessario damnandos, vel certe Paulum incpte loqui. Nec enim recte dicimus, peccanti post baptismum non relinquitur alius baptismus, sed gehenna, si praeter baptismum sunt alia remedia, ut re vera sunt. Oportet ergo dicere, Paulum per ignem intelligere ignem in genere, sive purgatorii, sive gehennae, ut sit sensus: peccanti post baptismum non relinquitur alius baptismus neque alivd remedium aequivalens, id est aeque facile, quod mox liberet ab omni poena, sed relinquitur ignis necessario aut perpetuo, si homo non convertatur, aut temporalis, si convertatur, qui tamen ignis temporalis purgatorii erit in alio seculo, nisi afflictionis ignis voluntarie assumtus purgaverit hominem in hac vita.* Respondemus: ex pumice citius aquam quam ex hoc silice purgatorii ignis scintillam extorserit Bellarminus, uterque enim locus agit non de quibusvis peccatoribus, sed de illis, qui peccant in Spiritum sanctum, quod probamus 1. *ex consideratione subjecti.* Loquitur enim apostolus de illis, qui primo sunt *φωτισθέντες*, qui per evangelii praedicationem et veritatis coelestis cognitionem divinitus fuere *illuminati.* Secundo *qui gustaverunt donum coeleste et bonum Dei verbum et virtutes futuri seculi*, id est qui in Christum prius crediderunt, suavitatem evangelii intimo spiritus gustu perceperunt et aeternae felicitatis *πρόγευσιν* quandam in corde senserunt. Tertio qui *participes sunt facti Spiritus sancti*, per quem scilicet spirituali et interna luce fuere illustrati, sanctificati et gustu vitae aeternae donati. Quarto qui *prius fuere renovati*, id colligitur ex phrasi *πάλιν ἀνακαινίζειν.* Quinto qui verae *poenitentiae* prius *fuere participes*, id colligitur ex phrasi *ἀνακαινίζειν εἰς μετάνοιαν.* Sexto qui per *sanguinem testamenti* prius fuere *sanctificati* Hebr. 10, v. 29. hoc est a peccatis purgati ac mundati Hebr. 9, v. 14. Septimo qui *Spiritum gratiae* acceperunt, sed ex hac felicitate *prolabuntur*, *παραπεσόντες* significat eos, qui ab agnita et in cordibus ipsorum obsignata veritate per totalem *ἀποστασίαν* prolabuntur, et quidem *ἑκουσίως data opera* ac destinata malitia, *inde crucifigunt sibi ipsis Filium Dei* eumque ostentui habent Hebr. 6, v. 6. *Filium Dei conculcant et sanguinem testamenti pollutum ducunt, quo sanctificati sunt et Spiritum gratiae contumelia afficiunt*, hoc est non ex infirmitate vel metu, sed voluntaria malitia contra internum conscientiae et Spiritus testimonium ita a veritate deficiunt, ut Christum et ipsius evangelium calumniis et convitiis insectentur. Haec omnia conjunctim sumta in descriptione subjecti posita nullis nisi peccantibus in Spiritum sanctum conveniunt. 2. *Ex consideratione praedicati.* Illos qui exposito modo prolabuntur, impossibile esse dicit apostolus *ad poenitentiam iterum renovari*, quia scilicet medium, per quod Spiritus sanctus poenitentiam in cordibus operatur, praefracte et pertinaciter repudiant, ac proinde quia ad poenitentiam eos renovari *ἀδύνατον*, ideo etiam remissionem hujus peccati *nec in hoc, nec in futuro seculo*, id est in aeternum, non consequuntur Matth. 12, v. 31. Marc. 3, v. 28. proinde nihil aliud eos manet, quam *terribilis exspectatio judicii et aemulatio ignis*, *qui consumturus est adversarios*, quae descriptio perquam absurde ad ignem purgatorium refertur, is enim non consumit, sed purgat, ac animae in purgatorio aestuantes non exspectant terribile judicium, sed potius laetam ex hoc igne liberationem, unde plerique disputant, *eas de salute sua esse certas.* Confer tract. de peccat. actual. §. 109. de poenitent. §. 16. ubi varias hujus loci interpretationes proposuimus. *3. Ex confessione ipsius Bellarmini* l. 1. de verbo Dei cap. 17. resp. XVII. 239.
ad 5. argumentum: *Apostolus non de quocunque peccatore loquitur, sed de eo, qui peccat in Spiri-*

*tum sanctum, id est qui voluntarie oppugnat cognitam et exploratam veritàtem.* Eadem est sententia Gregorii de Valentia tom. 3. comm. theolog. Vasquez, Riberae et Cornelii a Lapide, qui in comm. cap. 6. Hebr. eam triplici argumento probat, 1. quia apostolus v. seq. vocat *terram maledictam*, quae rore coelestis gratiae et fidei recepto profert tamen *spinas* apostasiae, ideoque *reprobra est et igni comburenda*, apostatae enim fere omnes poenitentia expiari non possunt, sed obdurati et reprobi sunt, ideoque in gehennam relegantur. 2. Quia poenitentia non baptismum, sed poenitentiam significat eorum, qui in peccatum prolapsi sunt post illuminationem. 3. Quia cap. 10, v. 26. omnino similiter de his apostatis loquitur, quod eorum apostasia nullo sacrificio pro peccato, nulla poenitentia expiari possit. Confer eundem Cornelium in comm. c. 10. Hebr. ubi itidem aliquot argumentis probat, apostolum non de quibusvis peccantibus, sed de apostatis a Christo et ecclesia loqui, ac poenam illam ignis post extremum judicium demum (in quo juxta Bellarminum cessabit purgatorium) ipsis irrogandam. Explicationi veterum, qua hunc locum de negata iteratione baptismi accipiunt, ut sit sensus, lapsis post baptismum non esse paratum peccatorum remedium in baptismi iteratione, (quo modo eum exponunt Epiphanius contra Catharos, Cyrillus l. 5. in Johann. cap. 17. Chrysostomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus, Anshelmus et Sedulius in comm. Augustinus in fine exposit. inchoatae in epist. ad Roman. ac de vera et falsa poenit. c. 3. quos sequitur Bellarminus lib. 1. de poen. cap. 13.) illi, inquam, expositioni merito hoc obvertitur, quod apostolus non tantum baptismi iterationem, sed etiam ἀνακαινισμὸν ad poenitentiam ejusmodi peccatoribus deneget, nec difficile duntaxat, sed ἀδύνατον asserat, eos iterum ad poenitentiam renovari. Et quale fuisset hoc argumentum apostoli dehortantis ab atroci illo, de quo agit, peccato, si prolapsi fueritis, non poteritis quidem rebaptizari, interim per reconciliationem ac poenitentiam potestis renovari? Praeterea si vel maxime illam veterum interpretationem recipiamus, ea tamen non suffragatur purgatorio. Lapsis post baptismum non patet ad baptismi iterationem aditus, interim tamen ad gratiam ac foedus baptisimi per veram poenitentiam reditus ipsis patet. Quod autem vera ac salutaris poenitentia complectatur satisfactionem vel in hac vita, vel in purgatorio praestandam, illud apostolus nec hoc loco, nec alibi addit, sed de suo Bellarminus annectit.

6. Cum articulo de peccatorum remissione.

207. *6. Articulum de peccatorum remissione*, in qua justificatio consistit. 1. Deus per Filium suum reconciliatus in justificatione eo modo peccata credentibus in eum remittit, ut eorum *non recordetur amplius* Psalm. 25, v. 7. Jerem. 31, v. 34. Ezech. 18, v. 22. ut *projiciat ea post tergum* Esa. 38, v. 17. *demergat in profundum maris* Mich. 7, v. 19. *deleat instar nubis* Esa. 44, v. 22. *non imputet sed tegat* Psalm. 32, v. 1. *ut tam longe ea removeat, quam longe distat Oriens ab Occidente* Psalm. 103, v. 12. etc. At si Deus post remissionem peccata adhuc punit, utique eadem imputat; si poenas pro illis adhuc exigit, utique ad calculos revocat; si vendicat, eorum recordatur; si examinat, post tergum non projecit; si ad judicium vocat, tecta non habet etc. Tertullianus de bapt. c. 5. p. 221: *Exemto reatu eximitur poena.* Ergo a contrario sensu posita poena ponitur adhuc reatus. Augustinus in Psalm. 31. conc. 2: *Si texit peccata Deus, noluit advertere; si noluit advertere, noluit animadvertere; si noluit animadvertere, noluit punire, noluit agnoscere, maluit ignoscere.* Ergo a contrario sensu, si adhuc punit, utique nondum texit. Audiat Bellarminus Toletum lib. 6. inst. c. 22. p. 526: *Peccatum non integre remittitur, nisi cum et poena aufertur.* Imo audiat se ipsum lib. 5. de amiss. grat. et statu peccati cap. 20: *Tunc peccatum* XVII. 240. *omnino perfecte censetur remissum, cum non solum culpa, sed etiam omnis poena fuerit remissa.* l. 1. de purgator. cap. 4: *Perfecta peccati remissio complectitur remissionem culpae et poenae.* Ergo a contrario sensu, si omnis poena nondum est remissa, ipsum etiam peccatum nondum est perfecte remissum. 2. Deus condonat peccata ex mera gratia, inde enim debitorum *remissio*, non autem *persolutio* appellatur. Atqui haec gratuita peccatorum remissio cum satisfactione propria vel in hac vita, vel in purgatorio praestanda nunquam conciliari poterit. Quod enim per propria merita ac per proprias satisfactiones obtinetur, illud *gratis* dari nemo dicit, et vice versa, quod gratis contingit, illud non datur per et propter proprias satisfactiones. 3. Exempla eorum, qui in vera poenitentia Deo per fidem in Christo reconciliati sunt, testantur, absque ullis propriis satisfactionibus peccata ipsis remissa et peccatorum poenas relaxatas. De Petro in jure canonico cap. 1. dist. 1. de poenit. allegatur dictum Ambrosii lib. 10. in Luc. c. 22: *Lacrymas Petri lego, satisfactionem non lego.* Latro in cruce sine satisfactionis propriae interventu fide in Christum Deo reconciliatùs et protinus in paradisum receptus est. Huc referenda omnia exempla reconciliatorum post baptismum, quibus nuspiam vel Christus, vel apostoli opera satisfactoria imposuerunt.

Exceptiones Bellarmini contra 6. argumentum.

208. Excipit Bellarminus lib. 1. de purgat. c. 12. *1. non recordari iniquitatum nihil aliud esse quam non servare inimicitiam cum eo, qui peccavit. Nam si recordari iniquitatum esset punire mala merita, recordari justitiarum esset remunerari bona merita, quod adversarii non concedunt.* Respondemus: *Si non recordari iniquitatum* est non servare inimicitiam cum eo, qui peccavit, utique calamitates, quibus pii post remissam culpam adhuc subjecti sunt, non sunt poenae proprie sic dictae, nec sunt satisfactiones pro peccatis vel poenis peccatorum adhuc persolvendae, alias Deus partem irae suae adhuc reservaret et in calamitatibus illis effunderet, adeoque iniquitatum adhuc recordaretur. Porro recte invicem haec duo conferuntur *recor-*

*dari iniquitatum et recordari justitiarum.* Recordari iniquitatum est punire peccata, recordari justitiarum est remunerari justitias sive bona opera, quod nos libenter concedimus, quippe qui ex apostolo didicimus, *pietatem habere praemia praesentis et futurae vitae* 1. Tim. 4, v. 8 sed ex eo nimis large infert Bellarminus, remunerationem justitiarum fieri *ex merito*, sicut poena iniquitatum ex merito infligitur, est enim hac in parte dispar ratio inter bona et mala opera, et inter poenam malorum ac remunerationem bonorum operum, ut alibi plenius ostendimus. Propheta nullam meritorum bonorum, sed *justitiarum* mentionem facit, de suo igitur hoc Bellarminus adjicit. *2. Recordari iniquitatum est quidem punire, sed non punire in aeternum. Ut enim justitiae traduntur oblivioni, quando justus a justitia se avertit, non quod non remunerentur temporali aliquo praemio, sed quod non liberent hominem a gehenna, nec remunerentur praemio sempiterno, ita quoque iniquitates traduntur oblivioni, non quod non puniantur poena aliqua temporali, sed quod non puniantur suppliciis aeternis.* Respondemus: contradicit haec exceptio priori et petit principium. Si enim Deus temporalibus poenis proprie sic dictis adhuc vendicat peccata, utique etiam hactenus et hoc respectu eorum recordatur. Si peccatorum reatum tam perfecte Deus sustulit, ut ne recordari quidem eorum velit, quomodo adhuc infligeret poenas easdem, quas damnati in inferno sustinent sola duratione excepta? Si satisfactionem adhuc pro peccatis exigit, utique plene et perfecte ea nondum condonavit. Ad comparationem dicimus, quod justus a justitia se avertens et temporalia et aeterna justitiae suae praemia amittat, quia non amplius est in statu gratiae et υἱοθεσίας, nec amplius facit opera vere bona, quorum intuitu ac respectu Deus ipsi conferat praemia. Si quae corporalia beneficia Deus in ipsum confert, ea non tam pietatis praemia sunt quam indebita exube-
XVII. 241. rantis divinae gratiae munera. Quodsi vel maxime Deus ex gratia justitias eorum, qui a justitia se avertunt, temporalibus praemiis proprie et accurate sic dictis adhuc remuneraretur, nondum tamen sequitur, ipsum etiam ex justitia iniquitates eorum, qui ab eis se avertunt, poenis temporalibus proprie et accurate sic dictis vendicare, quia *misericordia superexaltat judicium* Jacob. 2, v. 13. ac Deus *punit infra condignum, remuneratur autem supra condignum,* ut Scholastici recte loquuntur. Denique si vel maxime post remissum peccatum poenas temporales Deus irrogaret, ex eo tamen inferri non posset, post hanc vitam in purgatorio quasdam poenas infligi, quia ut superius ostendimus, omnes poenae temporales cum hac vita finiuntur ac in futuro seculo absoluta regnat aeternitas.

7. Cum articulo de statu hominum justificatorum.

209. 7. Articulum *de justificationis fructu et hominum fide justificatorum statu.* Docet apostolus, fructum justificationis esse *pacem conscientiae* Rom. 5, v. 1: *Justificati ex fide pacem habemus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum,* v. 2. *per quem accessum habemus fide ad gratiam illam, in qua stamus et gloriamur in spe gloriae filiorum Dei;* Christum esse credentibus *justitiam, sanctificationem ac redemtionem* 1. Cor. 1, v. 30. *Nihil damnationis esse in iis, qui sunt in Christo* Rom. 8, v. 1. *sed spe illos salvos esse factos* v. 24. nec quemquam esse, qui eos *accuset vel condemnet* v. 33. et 34. cum certi sint *de gratia et favore Dei* v. 38. *ac vitam aeternam habeant* Joh. 3, v. 36. qua spe etiam *gaudent* Rom. 12, v. 12. *cum fiducia ad thronum gratiae accedunt* Hebr. 4, v. 16. et Deo *sine timore serviunt* Luc. 1, v. 74. unde *in pace* beatam ex hac vita ἀνάλυσιν et emigrationem ad Dominum exspectant Luc. 2, v. 29. 2. Cor. 5, v. 8. etc. At si fide justificati, nondum tamen plene purgati scirent, descendendum sibi esse in purgatorium quendam ignem, cujus flammae sola duratione ab infernalibus distant, inque eo per multas annorum δεκάδας esse desudandum et aestuandum, quomodo in conscientia pacem haberent, quomodo nihil damnationis sibi metuendum esse statuerent, quomodo sine timore Deo servirent? Pacem enim habere et inferorum cruciatus per aliquot annorum centurias perferre invicem pugnant. Si vere pii in Christum credentes sunt *dealbati super nivem* Ps. 51, v. 9. Esa. 1, v. 18. utique nullae in eis supersunt maculae in purgatorio igne abluendae. Excipit 1. Bellarminus d. l. *Paulum Rom. 8, v. 1. loqui de concupiscentia ac velle dicere, quod ii, qui sunt in Christo, non consentiant motibus carnis suae nec quidquam peccati contrahant ex ejusmodi motibus.* Respondemus: verba illa apostolica συμπεράσματος instar ex praecedentibus inferuntur, ut ostendit particula ἄρα. Dixerat autem apostolus in praecedenti c. 7, v. 25. *Gratias ago Deo per Christum Jesum Dominum nostrum, qui scilicet liberabit me de corpore mortis hujus, igitur mente servio legi Dei, carne autem legi peccati,* ex quo porro infert, *nihil ergo damnationis est iis, qui sunt in Christo, qui non secundum carnem ambulant, sed secundum Spiritum.* v. 2. subjicit rationem: *Lex enim Spiritus vitae in Christo liberavit me à lege peccati et mortis.* Sensus est, quamvis in renatis adhuc haereat peccatum, tamen ad reatum et damnationem illis non imputatur, quia sunt *in Christo* et quia per Spiritum illud mortificant nec patiuntur, illud in corpore suo mortali regnare etc. Atqui si renati et justificati poenis peccatorum adhuc essent obnoxii, utique κατάκριμα aliquod in illis adhuc locum haberet. Si ad purgatorium condemnarentur, utique *aliquid damnationis* in ipsis adhuc esset. Prior igitur Bellarmini explicatio, quod ii, qui sunt in Christo, non consentiant motibus carnis, vera est, sed non plena; posterior vero, quod renati ex motibus carnis nihil quidquam peccati contrahant, prorsus falsa est et praecedentis capitis septimi διηγήσει directe repugnans. 2. Alii ex Pontificiis excipiunt, *eos, qui justificati sunt justificatione prima, pacem conscientiae habere cum Christi passione a purgatorii poenis* XVII. 242.

*liberati sint, justificatos autem justificatione secunda, scire quidem poenas illas sibi luendas, sed tamen pacem habere, quia sciant, se gratiam a Deo habere poenas illas aliis operibus redimendi vel sponte susceptis vel a sacerdote impositis*, Schoppius apol. c. 53. n. 154. Respondemus: Scriptura non nisi *unam* coram Dei judicio justificationem novit, ut in tract. de justif. §. 150. et bonis operibus §. 82. docuimus. Nec ullibi in tota Scriptura asseritur, dari nobis a Deo gratiam, qua possimus vel nobis ipsis, vel aliis quidquam promereri, vel qua possimus pro nostris aut aliorum peccatis satisfacere, nisi velimus dicere, nos esse a Christo factos *redemtores ac salvatores mundi*, quod non solum Scriptura detestatur hanc gloriam uni Christo passim tribuens, sed etiam Bellarminus ipse judicat esse absurdissimum. l. 2. de justif. c. 7. arg. 5. Quodsi vel maxime talis gratia satisfaciendi in purgatorio nobis daretur, quomodo cum *exspectatione horribilis judicii et cruciatus in igne* illo sustinendi pax conscientiae et laeta beatae ἀναλύσεως exspectatio consistere posset?

8. Cum articulo de extremo judicio.

210. 8. Articulum *de extremo judicio*. In ultimo illo decretorio ac censorio die omnes homines in duas classes distribuentur et per vocem summi judicis quidam adjudicabuntur *coelo*, quidam vero *inferno*, nulli vero in purgatorium prius exurendi relegabuntur, unde Bellarminus ipse fatetur, quod *tunc purgatorium finem suum sit accepturum* l. 1. de purg. c. 12. resp. ad 5. object. Atqui si in extremo judicio non erit aliquis purgatorius ignis, utique nec hoc tempore aliquis erit, quia causae justificationis et salutis, Dei scilicet misericordia, Christi meritum, verbum evangelii et vera in Christum fides, sunt ejusdem et aequalis virtutis ante judicium quam in ipso judicio, ac si justitiae divinae non repugnat, eos, quos vivos dies novissimus deprehendit, sine purgatorii ignis interventu in paradisum transferri, utique etiam eidem non adversabitur, eos, qui ante judicium in Domino moriuntur, a purgatorii flammis immunes ac liberos in coelum emigrare. Excipiunt Pontificii, *etiam eos, qui culpis venialibus et reatu poenae temporalis in die judicii inveniuntur obstricti, suum habituros purgatorium, cum in coelestem Hierosolymam nihil coinquinatum ingrediatur, Apoc. 21, v. 27. purgandos enim ipsos esse tum gravissima illa tribulatione, quae novissimum diem praecedet, tum igni e coelis descendente, quando in nubibus obviam rapientur Domino, 1. Thess. 4, v. 17.* Respondemus: 1. hac ratione nondum vendicata est Dei justitia, cui non satis convenire videtur, ut multa millia hominum paulo ante novissimum diem defunctorum tempore brevissimo in purgatorio detineat, quin et eos, quos dies novissimus deprehendit vivos, plane in purgatorium non immittat, atque interim reliquos peccatis non majoribus obnoxios per aliquot annorum decadas, imo centurias in purgatorio torqueri permittat. 2. Eadem ratione tria statuentur purgatoria, *unum intra viscera terrae* in eadem cum inferno voragine Bellarminus l. 4. de Christo c. 9. et l. 2. de purgat. cap. 6. alterum in *prato quodam florentissimo, lucidissimo, odorato et amoeno*, idem libri ejusdem c. 7. et tertium *in aëre vel in nubibus*, in quibus *obviam rapientur Domino* electi, qui ad extremum diem vivendo pertingunt 1. Thess. 4, v. 17. Hisce adde visiones de *animabus in balneo purgatis, de anima Severini in flumine purgata, de anima Paschasii in thermis Puteolanis aestuante*, quas visiones ex Gregorio l. 4. dial. c. 40. et 55. recitat Bellarminus l. 2. de purgat. c. 6. et plurima omnino habebis purgatoria. 3. Tribulatio novissimum diem praecessura non erit purgatoria peccati, sed monitoria judicii et excitatoria spiritualis gaudii ob liberationem piorum appropinquantem Luc. 21, v. 28. ignis de coelo descendens non erit purgans, sed consumens, quippe quo *elementa dissolventur et coeli conflagrabunt*, 2. Petr. 3, v. 7. 4. Si tribulatio extremum judicium praecessura sufficit piis ad extremum diem viventibus ad peccatorum purgationem, quidni etiam reliquis piis, qui ante novissi- XVII. 243.
mum diem moriuntur, calamitates, quas varias et graves in hac vita sustinent, ad peccatorum purgationem sufficerent? 5. Flamma illa ignis, cum qua et in qua Christus e coelo revelabitur, non εἰς κάθαρσιν piorum, sed εἰς ἐκδίκησιν impiorum atque incredulorum descendet docente apostolo 2. Thess. 1, v. 8. sicut Sodoma et Gomorra *factae sunt exemplum ignis aeterni δίκην sustinentes*, epist. Jud. v. 7.

4. Cum propriis Pontificiorum hypothesibus.

211. 4. Purgatorium pugnat cum *propriis hypothesibus Pontificiorum*, utpote 1. cum hypothesi de *remissione peccati*, quam definiunt per totalem peccati deletionem et exstinctionem. Quemadmodum enim luce fugantur tenebrae, ita per lucem habitualis gratiae in justificatione infusae peccatorum tenebras dispelli autumant. Bellarminus l. 2. de justif. c. 2: *Homo per justitiam sibi a sole donatam atque infusam desinit esse injustus delente videlicet lumine gratiae tenebras peccatorum, et incipit esse justus succedente nimirum tenebris peccatorum ipsa justitiae luce.* cap. 13: *Remissio peccati est ipsius iniquitatis et maculae in animo residentis per infusionem gratiae et justitiae mundatio.* l. 1. de bapt. c. 13: *Scriptura comparat mundationem justificationis rebus vere et proprie mundis Psalm. 50: Lavabis me et super nivem dealbabor. Es. 1: Si fuerint peccata vestra ut coccinum, sicut nix dealbabuntur* etc. *At certe cum solaris radius dissolvit nebulas calore suo, ita eas evanescere facit, ut nihil remaneat tenebrarum, sed coelum vere serenum appareat.* Ex eo sic concludimus: Qui in purgatorium a Pontificiis ablegantur, aut sunt Deo reconciliati et justificati, aut non sunt reconciliati nec justificati. Posterius dici nequit, quia qui Deo reconciliati non sunt, illi non moriuntur in statu gratiae, sed in infernum praecipitantur. Si prius, quid ergo in illis remanet mundandum, abluendum, expurgandum, cum per infusam gratiae lucem omnes peccati tenebrae sint penitus dispulsae ac fugatae? *2. Cum hypothesi de*

*indulgentiis papalibus.* Pontificii statuunt, per indulgentias contingere plenariam relaxationem a poenis peccatorum, pro quibus vel in hac vita, vel in purgatorio erat satisfaciendum. Bellarminus l. 1. de indulg cap. 7. prop. 4: *Indulgentiae liberant homines a reatu poenae non solum coram ecclesia, sed etiam coram Deo.* Et postea: *Et populi, qui suscipiunt indulgentias, et pontifices, qui eas tribuunt, ejus sententiae se esse testantur, ut indulgentiae potissimum prosint ad poenam purgatorii expiandam.* Item: *Per injunctas poenitentias satisfit Deo, ac per hoc indulgentiae, quae ab ejusmodi poenitentiis absolvunt, expiant poenae temporalis reatum etiam coram Deo.* In Antidotario animae dicuntur a Johanne XXII. pontifice Romano concessa decem millia dierum indulgentiae orationem, *Salve sancta facies nostri Redemtoris* etc. devote coram Veronicae linteo recitantibus. In horis B. Mariae Virginis ad usum Sarisburgensis paulo minus quam annorum undecies mille millorum indulgentia pro recitatione certarum precularum offertur. Atqui si per indulgentias liberantur homines a reatu poenae coram Deo, cur post acceptas et magno aere redemtas indulgentias adhuc in purgatorium relegantur? 3. Cum *hypothesi de potestate pontificis.* Multi ex Pontificiis docent, *papae jurisdictionem esse illimitatam et extendere se in purgatorium*, ita ut animabus in purgatorio aestuantibus indulgentias per modum absolutionis communicare possit. Godsc. Holem. domin. 2. post pascha serm. 2. Bonaventura 4. sent. dist. 20. q. 5. unde Theodoricus Morungerus canonicus Herbipolensis, Bambergensis et Eichstetensis ann. 1489. pro haeretico declaratus, quod hoc concedere noluerit. Vid. append. fascic temp. a Johan. Pistorio ante apostasiam ed. Francof. ann. 1584. Angel. de Clavis. in summ.: *Animae exsistentes in purgatorio sunt de jurisdictione papae, et papa, si vellet, posset totum purgatorium evacuare.* Francisc. Middens. in elucidat. cathol. verit.: *Pontifex omnes animas e purgatorio liberare posset.* Eo etiam
XVII. 244. abeunt quidam ex Jesuitis, ut apparet ex disputatione ann. 1600. *de indulgentiis* habita, quam Petrus Stevartius in censura vocat *elegantem, doctam et orthodoxae veritati consentaneam*, in cujus thesi 52. sic disseritur: *Etsi probabilis est sententia asserentium, restrictam sublatamque esse episcoporum potestatem ad concedendas defunctis indulgentias, aeque tamen probabilis, si non probabilior, est eorum, qui id negant. Credibile etiam est, pontificem summa sua potestate utentem tot tantasque indulgentias largiri defunctis posse, ut evacuato purgatorio omnes animae ad coelum evolent.* Atqui si pontifex talem absolutam ac liberam potestatem habet animas e purgatorio liberandi, nae admodum durum, avarum ac tyrannicum oportet esse sanctissimum illum patrem, quod miseras animas ex illo igne (qui sola duratione ab infernali differt) non confestim liberat, sed propter pecunias sibi prius in jubilaeo numerandas tam diu in eo torqueri sinit. Certe illud probat, quod non sit vicarius Christi, qui dicit Esa. 55, v. 1: *Omnes sitientes venite ad aquas et qui non habetis argentum, properate, venite, emite absque argento.* Apoc. 22, v. 17: *Qui vult, accipiat aquam gratis;* nec successor Petri, qui ad Simonem dicit Act. 8, v. 20: *Pecunia tua tecum sit in perditionem*, et ad omnes pastores 1. ep. 5, v. 2: *Pascite gregem non turpis lucri gratia;* sed vicarius illius, qui dicit Matth. 4, v. 9: *Haec omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me*, et successor illius, qui dicit Matth. 26, v. 11. *Quid vultis mihi dare, et ego tradam eum vobis?* Cogitet quilibet, an non ad pontificem accommodari possit illud, quod Ambrosius, l. de Naboth de divite avaro dicit: *Infelix, cujus in potestate est tot animas a morte defendere et non est voluntas!* Videt hanc difficultatem Antoninus ideo part. 8. tit. 22. c. 5. §. 6. *dubitandum esse* ait, *si papa Romanus omnes animas ex purgatorio liberare et ad salutem aeternam promovere velit, num istam misericordiae munificentiam Deus suo esset approbaturus judicio ac calculo.* 4. Cum *hypothesi de duratione meriti.* In purgatorio non est meritum. Ergo nec satisfactio, nam idem requiritur ad merendum et satisfaciendum, et omnis satisfactio est meritoria. Excipit Bellarminus, *plura requiri ad meritum quam ad satisfactionem, videlicet libertatem et statum vitae.* Respondemus: imo vero omne opus satisfactorium est etiam meritorium, ut constat ex obedientia Christi, quae non solum est *satisfactoria*, sed etiam *meritoria*, quocunque enim opere vere satisfit Deo, eodem etiam meritum aliquod, videlicet liberatio a malo et et boni donatio, acquiritur. Unde concilium Tridentinum sess. 6. can. 32. haec duo conjungit, *quod renatorum operibus nihil desit, quo minus legi divinae plene satisfecisse et vitam aeternam vere promeruisse censeantur.* Diversitas loci non mutat ipsum boni operis effectum. Si ergo opera et passiones hujus vitae sunt non solum satisfactoriae, sed etiam meritoriae, utique etiam passiones in purgatorio tales erunt. Et vicissim, si passiones in purgatorio non sunt meritoriae, ergo nec satisfactoriae. 5. Cum *hypothesi de duratione poenitentiae.* Nec remissio culpae venialis, nec satisfactio pro poena locum habet post hanc vitam. Nam ejus est a culpa resurgere, cujus est in culpam incidere, sed post hanc vitam non possunt animae committere venialia peccata. Ergo. Praeterea peccata omnia remittuntur per poenitentiam, sed post hanc vitam non est poenitentia, *nam idem est hominibus mors, quod angelis casus*, teste Damasceno l. 2. orth. fid. c. 4. Sed angeli per casum facti sunt immobiles in malo. Denique in hac vita sicut potest homo justus ex hypothesi Pontificiorum mereri gratiae augmentum, ita etiam remissionem venialium offensarum. At post hanc vitam nullum est meritum. De poena probatur hoc modo. Poena est propter culpam et crescente culpa crescit poena; decrescente culpa decrescit poena. Ergo remota culpa, removetur poena. Bellarminus repudiatis aliorum Scholasticorum sententiis amplectitur opinionem Tho-

mae 4. sent. dist. 21. q. 1. art. 2. *quod dimittantur* XVII. 245. *in purgatorio culpae veniales per actum dilectionis et patientiae*, excipit igitur, *axioma illud, quod ejus sit a culpa resurgere, cujus est in culpam incidere, habere duntaxat locum in peccatis mortalibus, posse enim animam in purgatorio liberari a veniali, quia habet media convenientia, id est actum dilectionis peccato contrarium; post hanc vitam non dari locum poenitentiae, accipiendum esse tantum de peccatis mortalibus; animas purgatorii non esse omnino in via, neque esse omnino in termino et ideo posse aliquid facere, quod pertineat ad peccati venialis remissionem, poenam pendere a culpa in fieri, non in esse.* Sed haec omnia meras petitiones principii continent. Quodsi enim peccatum mortale et veniale communi genere logico participant, utique utrumque est vere et proprie dictum peccatum ac proinde si in purgatorio non potest obtingere remissio mortalis, ergo nec venialis peccati; ac si non datur in purgatorio locus poenitentiae, ergo nec peccati ullius sive mortalis, sive venialis remissio contingit, cum absque poenitentia remissio peccati speranda non sit. Quod Bellarminus regerit, *acceptionem poenae a Deo inflictae esse virtualem quandam poenitentiam et peccati remissoriam, cum procedat ex caritate*, id sine ullo Scripturae suffragio asseritur, ideo eadem facilitate, qua asseritur, potest repudiari. Eodem loco habenda, illa axiomata, quod *animae purgatorii nec sint omnino in via, nec in termino*, (quasi vero inter viam et terminum sit aliquid intermedium) *et quod poena pendeat a culpa in fieri, non in esse*, (quasi vero non sit perpetua relatio inter culpam et poenam, ut culpae reatu abolito poena proprie dicta merito etiam abolita censeatur.)

5. Destituitur patrum suffragio. 212. 5. Purgatorium destituitur *ecclesiae primitivae apostolis vicinae suffragio*. Probari id potest 1. in *genere*, 2. in *specie*. In genere 1. ex *confessione Fischeri episcopi Roffensis*, qui in confutat. Lutheri art. 18. sic scribit: *Multa sunt, de quibus in primitiva ecclesia nulla quaestio facta fuerat, quae tamen posteriorum diligentia subortis disputationibus jam evaserunt perspicua. Nemo certe jam dubitat orthodoxus, an purgatorium sit, de quo tamen apud priscos illos nulla vel quam rarissima fiebat mentio. Sed et Graecis in hunc usque diem non est creditum, purgatorium esse, legat qui velit Graecorum veterum commentarios et nullum quantum opinor aut quam rarissimum de purgatorio sermonem inveniet; sed neque Latini simul omnes, at sensim hujus rei veritatem conceperunt.* ibid. dicit, *purgatorium sero cognitum ac receptum. 2. Ex symbolis ecclesiae*, in quibus non fit purgatorii mentio. In symbolo apostolico profitemur, nos credere *peccatorum remissionem*, non autem compensationem vel satisfactionem per nos praestandam. Credimus *vitam aeternam*, non autem purgatorium. In Niceno ac Athanasiano symbolo nullum de purgatorio occurrit verbum, cum tamen ex hypothesi Pontificia, qui non credit purgatorium, descendat in infernum. *3. Ex confessione ecclesiae Graecae.* Graeci in apologio in concilio Basileensi exhibita purgatorium negant, sic enim inquiunt: *Πῦρ καθαρτήριον καὶ κόλασιν διὰ πυρὸς πρὸς καιρὸν καὶ τέλος ἔξουσαν ὅλως ὑμεῖς οὐδὲ ὑπὸ τῶν ἡμετέρων εἰλήφαμεν διδασκάλων, οὐδὲ τὴν τῆς ἀνατολῆς ἐκκλησίαν ἴσμεν φρονοῦσαν, ignem purgatorium et expiationem per ignem ad tempus et finem habentem omnino neque a nostris accepimus doctoribus, neque ecclesiam Orientalem scimus sentire.* Alphonsus a Castro de haeres tit. Purgatorium: *Unus ex novissimis erroribus Graecorum et Armenorum est, quo docent, nullum esse purgatorium locum, quo animae ab hac luce migrantes purgentur a sordibus, quas in corpore contraxerant, antequam in aeterna tabernacula recipi mereantur.* Ecclesiae Orientales, *Abyssinae, Armeniae, Moschae, Graecae*, purgatorium non agnoscunt. Quod Bellarminus *ecclesiam Graecam in concilio Florentino sub pontifice Eugenio anno 1439. illud amplexam* asserit, ad illud respondemus, id et pristinae et hodiernae Graecorum confessioni nihil quidquam praejudicare, XVII. 246. quia episcopus Ephesinus cum aliis nonnullis nomine orientalis ecclesiae in frequentissimo concilio diserte contraxit. Quod vero ab aliis episcopis in gratiam occidentalium, quorum auxilium imperator orientis Palaeologus contra Turcicas irruptiones implorabat, concessum est, illud ecclesiae Graeçae ejurarunt ac episcopos illos a pontifice Romano muneribus corruptos docuerunt. Et constat sane, quosdam eorum in Italia apud pontificem mansisse ac magnis dignitatibus ornatos et opimis beneficiis ditatos vitam ibidem finivisse. Thomas in opusc. contra errores Graecorum hoc nomine Graecos taxat, *quod non credant purgatorium.* Alphonsus de Castro l. 8. de haeres. c. de indulgentiis: *Usque in hodiernum diem purgatorium non est a Graecis creditum.* Sixtus Senensis in bibliothec. l. 6. annotat. 259. p. 538: *Marcus Ephesi episcopus in apologia, quam pro Graecis purgatorium rejicientibus in concilio Basileae obtulit, examinans verba Chrysostomi homil. 9. in 1. Corinth. Salvus erit quasi per ignem, asseverat, eum nihil unquam aut verbis expressisse, aut cogitasse de purgatorio.* Hanc Marci Ephesini assertionem Sixtus Senensis *mendacii* ibidem arguit, nihilo tamen minus ex ea colligitur, quae sit Graecae ecclesiae de purgatorio confessio. Confer etiam Nili archiepiscopi Thessalonicensis tractatum, quem contra purgatorium edidit, in quo eadem confessio Graecorum reperitur. *Ad ea* (inquit), *quae a vobis allata sunt, sermo est referendus et demonstrandum, ecclesiae nostrae* (Graecae) *doctores purgatorii ignis nusquam meminisse et quae a vobis dicta sive testimonia prolata sunt, ad hunc adstruendum constituendumque prolata sunt, ea statim volente Deo pro viribus explicabimus.* Ecclesiae *Muscoviticae* purgatorium non agnoscunt, sed *unumquemque dicunt secundum*

*opera post mortem locum designatum habere, ubi diem extremi judicii exspectet.* In opere de variis rer. Musc. auct. p. 30. 127. et 174.

213. 2. In specie *1. negative, 2. affirmative. Negative,* quia patres non faciunt mentionem purgatorii in illis locis, in quibus purgatorium asseri necessarium videbatur. Dionysius, qui Areopagitae titulum praefert, in l. de eccles. hierarch. part. 3. c. 7. refert, *ante sepulturam pontificem semel sacram precem super mortuum facere, ut divina bonitas cuncta dimittat peccata, quae humana fragilitate defunctus admiserit.* At purgatorii, e quo per preces liberandus sit, nullam facit mentionem. (Excipit Bellarminus l. 1. de purg. c. 15. resp. ad 3. arg. *ex eo ipso, quod Dionysius orationem pro peccatis defunctorum tam aperte asserit, probari posse, quod purgatorium crediderit.* Respondemus: Dionysius ille se ipsum satis explicat. Non enim tres more Pontificiorum, sed duos duntaxat ordines ponit eorum, qui ex hac vita discesserunt, *ἱερῶν καὶ ἀνιέρων, sanctorum et profanorum.* Profanos vocat illos, *qui inquinamentis ethnicis repleti, vel qui sacramentis quidem initiati, ad damnabiles vero concupiscentias postea transfugerunt.* Eos, quando ad finem hujus vitae perveniunt, dicit *miserabiliter et invitos ex hac vita avelli, nulla bona spe subnixos propter pessimam vitam.* Alterum vero ordinem morientium *sacrorum* vocat, qui *pie quidem vixerunt, sed tamen pro remissione peccatorum orant,* illos dicit, *cum firma et certa spe in divina laetitia et hilaritate tendere ad mortis terminum, tamquam ad finem certaminum, cum animae ibi non possint ad deteriora converti et corpora beatam exspectent resurrectionem. Propter haec,* inquit, *obdormitio sanctorum est in laetitia et spe immobili, quia pervenerunt ad finem certaminum ac norunt se totos percepturos χριστοειδῆ λῆξιν, Christi formem requiem, quando ad terminum hujus vitae pervenerunt. Qui ergo,* inquit, *ad terminum suorum certaminum venit, sacra impletur laetitia magnaque cum jucunditate ac voluptate viam felicissimae regenerationis ingreditur. Propinqui vero defuncti μακαρίζουσι, beatum illum praedicant, sicut et est, ut qui ad optatum victoriae finem pervenerit, πρὸς τὸ νικηφόρων εὐκταίως ἀφικόμενον τέλος, et auctori victoriae persolvunt hym-*
XVII. 247. *nos gratulatorios, χαριστηρίους, se ipsos quoque orantes ad similem requiem admitti. Sumentes autem defunctum ad pontificem ducunt quasi sacris donandum coronis. Is gratiarum actionem pro illa Dei pietate solvit, qua destructum est injustum et tyrannicum illud contra nos imperium, quodque non tantum qui ad summum sanctitatis pervenerunt, sed et alii, qui summos illos gradus attingere non potuerunt, ad remunerationem admittantur. Deinde ministri promissiones Scripturae de resurrectione recitant et psalmos idem sonantes decantant.* Rationem Dionysius addit hanc, *quia promissionum illarum lectiones et cantiones declarant beatam illam requiem, in quam aeternaliter subvehuntur, qui divinum exitum consecuti sunt. Illa ipsae vero lectiones et cantiones ἀποδεκτικαὶ defunctum quasi amplectuntur et suscipiunt, viventibus vero sunt exhortationes ad consimilem exitum. Postea praecipuus ex ministris dimissis catechumenis sanctos jam defunctos ἀνακηρύττει, honorifica praedicatione celebrat, et cum illis etiam nuper defunctum pari celebratione prosequitur; et hanc commemorationen* Dionysius ideo dicit fieri, *ut audientes sanctorum praemia ex Scripturis celebrata et pie defunctum jam vere socium exsistere, κοινωνὸν ὄντα, sanctorum, qui a seculo sunt, in ipsis etiam simile desiderium excitetur, cum audiant, quam vere beatum sit in Christo mori.* Precationem illam pro defunctis vocat *εὐχαριστικήν,* non autem *propitiatoriam,* per quam defunctus e purgatorio liberetur. Haec omnia Dionysius, ostendens defunctorum animas, pro quibus orabatur, non in doloribus, gemitibus et cruciatibus ignis, sed in requie collocatas fuisse. Confer Chemnicium part. 3. exam. c. de purg. p. 164. ubi plura de sententia Dionysii invenies.) De Irenaeo scribit Erasmus, *eum ita loqui, ut qui nullum purgatorium sciverit.* Id quod in indice ex purgatorio tum Belgico p. 172. tum Hispanico f. 136. ex patrum Tridentinorum decreto deleri jussum.

2. Patres docent 1. in hac vita tantum esse poenitentiae locum.

214. 2. *Affirmative* probari id ipsum potest variis modis. Docendi causa distribuemus patrum dicta purgatorium exstinguentia in certas classes. *Prima classis* continet ea, in quibus asserunt, *in hac vita tantum esse locum poenitentiae, verum post hanc vitam ut nulla amplius est facultas resipiscentiae, ita quoque nullam restare amplius pro peccatis satisfactionem aut ex poenis peccatorum liberationem.* Justinus Martyr in quaest. et resp. ad orthod. q. 60. p. 332: *Διήγημα de Lazaro et divite est evidens et illustris repraesentatio, ὑποτύπωσις, doctrinam illam habens, post divortium animae a corpore providentia et studio nullo homines opem aliquam consequi posse.* **Cyrillus Hieros. catech. 18: *Poenitentiae et remissionis peccatorum in hac vita tantum praescriptum habemus. Non licet enim deinceps post mortem eos, qui in peccatis mortui sunt, sicut iis, qui bene fecerunt, laudare Deum, sed lamentari. In peccatis mortui tempus confessionis non habent.*** Cyprianus contra Demetrian. tr. 1. circa fin. p. 151: *Securitati et vitae, dum licet, providete* etc. *Hortamur, dum facultas adest, dum adhuc aliquid de seculo superest, Deo satisfacere et ad verae religionis candidam lucem de profundo tenebrosae superstitionis emergere* etc. *Quando isthinc excessum fuerit, nullus jam locus poenitentiae est, nullus satisfactionis effectus. Hic vita aut amittitur, aut tenetur, hic saluti aeternae cultu Dei et fructu fidei providetur. In isto adhuc mundo manenti poenitentia nulla sera est.* (Excipit Bellarminus lib. 1. de purgat. cap. 13. *Cyprianum loqui de satisfactione pro culpa, quae praecedit justificationem, non de ea, quae justificationem sequitur, qua Deo ex condigno satisfit pro poena.* Respondemus: Cyprianus generaliter et

ἀποτόμως negat, post excessum e vita poenitentiae vel satisfactioni adhuc esse locum. *Impios ante justificationem operibus de congruo Deum placare eidemque satisfacere posse*, quod Bellarminus hoc
XVII. 248. loco asserit, nec Cyprianus nec sacrae literae docuerunt, sed est commentum Scholasticorum.) Basilius in moral. summa 1. c. 5: *Quod post discessum ex hac vita non est tempus recte factorum, cum Deus praesens tempus in longanimitate distribuerit, ad operationem eorum, quae ad ipsum placandum ac benignum reddendum pertinent.* Gregorius Nazianzenus in metricis περὶ τῶν καθ' ἑαυτόν, carm. 1, v. 306: *Post tempora noctis postremae, cum jam nemo succurrere possit. Flentibus hic etenim nobis est promta medela, post autem clausa est omnis medicina salutis,*
ἐνθάδ' ἄκος μερόπεσσι, τὰ δ' ὕστατα δέσμια πάντα.
Epiphanius haeres. 59. contra Catharos f. 218: *In futuro seculo post hominis mortem non jejunii suppeditatio, non poenitentiae vocatio, nec eleemosynae ostentatio* etc. Et postea: *Neque pietatis, neque poenitentiae suppeditatio*, πορισμός, *post mortem est.* Ambrosius lib. de bono mortis cap. 2: *Qui hic non acceperit peccatorum remissionem, illic non erit, nimirum in patria beatorum.* (Excipit Bellarminus, *loqui Ambrosium de remissione mortalium*, quia addit, *non erit autem qui ad vitam aeternam non potuerit pervenire, quia vita aeterna remissio peccatorum est.* Respondemus: negat Ambrosius, peccata mortalia post excessum ex hac vita homini remitti, sed ex eo inferri nequit, venialia remitti, quia in genere dicit Ambrosius, *qui hic non acceperit peccatorum remissionem, illic non erit*, ubi vero docet, *in purgatorio quorundam peccatorum*, videlicet venialium, remissionem sperandam?) Hieronymus in comm. c. 6. Gal. et allegatur in jure canonico c. In praesenti 13. q. 2: *Dum in praesenti seculo sumus, sive orationibus, sive consiliis nos invicem coadjuvare possumus, cum autem ante tribunal Christi venerimus, non Job, non Daniel, nec Noë rogare poterunt pro quoquam, sed unusquisque onus suum portabit* (ad Christi vero tribunal deducimur, statim ut ex praesenti seculo excedimus). **Ib.: *Tempus sementis tempus est praesens et vita, quam currimus. In hac vita licet nobis quod volumus seminare. Cum ista vita transierit, operandi tempus aufertur.*** Chrysostomus homil. 75. in Matth. cap. 23. p. 419: *Omni studio incumbamus, ut ab aegritudine iniquitatis liberati sani ex hac vita recedamus et quantum erga servos et vernas nostros, cum aegrotant, studium adhibemus, tantam diligentiam, cum anima nostra laboret, pro nobis ipsis assumamus. Certe quamquam propinquiores nos ipsi nobis simus, quam servi nostri, et corporibus animae multo praestantiores sint, optabile tamen mihi est, si saltem aequalem utrique rei diligentiam conferamus. Quodsi modo non faciemus, cum illuc abierimus, nihil nobis ad satisfaciendum relinquitur.* In serm. de euchar. in Encoen.: *Veniet hora, quando theatrum hujus vitae solvetur et nullus postea certabit, non est post hujus vitae finem negotiatio. Dissoluto hoc theatro coronas mereri non datur. Hoc tempus est poenitentiae, illud judicii; hoc agonum, illud coronarum; hoc laboris, illud quietis; hoc aerumnae, illud retributionis.* In hom. de div. et Laz.: *Ne putemus, nobis, cum illuc venerimus, misericordiam esse tribuendam, qui non agimus, ut veniam mereamur accipere, etsi Abraham pro nobis roget, etsi Noë, etsi Daniel. Dum igitur tempus in manibus, plurimam nobis apud Deum fiduciam praeparemus.* homil. 2. de Laz.: *Omnia hic dissolve, ut citra molestiam illud videas tribunal. Donec hic fuerimus, spes praeclaras habemus, simul vero ac illud discesserimus, non est postea in nobis situm poenitere neque commissa diluere. Hic luctae et certaminibus locus, illic coronae et praemii tempus erit.* Homil. 4. in c. 2. Hebr.: *Neque enim qui in praesenti vita peccata non abluerunt, postea consolationem aliquam inventuri sunt.* (Excipit Bellarminus, *Chrysostomum loqui de remissione mortalium, quia exemplo epulonis, qui in gehenna cruciabatur, monet, ne differamus conversionem in aliam vitam.*
Respondemus: imo vero nihil ad satisfaciendum no- XVII. 249.
bis relictum esse asserit, cum illuc abierimus; coram Christi tribunali, cui statim post mortem praesentamur, nihil quidquam in sanctorum intercessionibus praesidii superesse ait ac diserte negat, vel spei, vel poenitentiae, vel consolationis quidquam post mortem illis reliquum esse, qui ex hac vita sine peccatorum omnium ac singulorum remissione decesserunt.) Isidorus Pelusiota Chrysostomi discipulus lib. 3. epist. 60: *Res hujus vitae certaminum ac non coronarum materiam praebent; res autem futurae honorum et praemiorum. Quocirca rerum occasionem ne perdamus, ne alioqui in futura vita inutili poenitentia afficiamur.* **Similia occurrunt apud Chrysostomum hom. 43. in Gen. tom. 1. f. 349. homil. 3. in epist. ad Philipp. tom. 4. f. 20. homil. 36. in Matth. tom. 2. f. 248. Ephrem Syrum lament. de die judicii f. 247. Augustinum et Theodoretum in Psalm. 6.** Augustinus in enchirid. ad Laurent. cap. 115: *Hic est omnis remissio peccatorum, hic tentationes, quae nos ad peccandum appellunt, hic denique malum, unde cupimus liberari, illic autem nihil est eorum.* serm. 66. de temp.: *In hac vita tantum poenitentiae patet libertas; post mortem nulla correctionis est licentia.* ibid.: *In hoc seculo poenitentiam facientibus Dei misericordia subvenit; in futuro autem poenitentia non proficit, sed rationem operum reddituri sumus.* lib. 50. homiliarum hom. 5: *Haec ergo fratres carissimi salubriter cogitantes faciamus amicitias cum adversario nostro, dum sumus in via cum illo, hoc est consentiamus verbo Dei, dum adhuc sumus in via, quia postea cum de hoc seculo transiverimus, nulla compunctio vel aliqua satisfactio remanebit. Judex restatur minister et carcer.* Epist. 54. ad Macedon.: *Post hanc vitam non est locus morum corrigendorum, nam post hanc vitam quisque id habebit,*

*quod in hac vita sibimet conquisierit.* (Excipit Bellarminus: *Etsi non erit post hanc vitam locus, ubi flagitiosi convertantur et mores suos corrigant, erit tamen ubi peccata levia justorum, quae flagitia dici non possint, purgentur et pro criminibus jam dimissis poena temporalis lui possit.* Respondemus: si poenitentiae locus non est post hanc vitam, ergo nec satisfactionis, unde Augustinus utrumque conjungit, quod nulla compunctio, nulla satisfactio post transitum ex hoc seculo sit remansura.) Leo serm. 5. in Epiph.: *In inferno nulla est correctio, nec datur remedium satisfactionis, ubi jam non superest actio voluntatis.* Hesychius in Lev. lib. 6. c. 19: *In futuro seculo jam non licet operari, sed qui nunc operati sunt, illi ad retributionem veniunt.* **Damascenus de def. f. 419: *τότε ὅλως βοηθείας οὐκ ἔστι καιρὸς, ἀλλὰ παράκλησις ἄπρακτος, τῆς πανηγύρεως γὰρ διαλυθείσης οὐκ ἔστι πραγματείας ἐμπόρευμα, nundinis dissolutis cessat negotiationis commercium.*** Gregorius Magnus lib. 8. moral. cap. 8. ad Jobi cap. 7: *Dum tempus vitae praesentis absciditur, ad operationem promerendae vitae ulterius non redditur.* Et postea: *Quem nequaquam modo misericordia eripit, sola post praesens seculum justitia addicit.* Beda in comm. Psalm. 6: *Post separationem corporis et animae nemo memor tui efficitur cum sua utilitate, id est nemo, qui de suis peccatis in hoc seculo non compungitur, postquam mortuus est, utiliter compungitur, quia hic tantum locus est misericordiae, post hoc seculum tantum est locus justitiae.* Theophylactus in c. 23. Matth.: *Fatuae virgines ideo dicuntur, quod tunc requirent oleum, cum non sit negotiandi tempus.* c. Legatur in fin. 24. q. 2. ex Gelasio: *Mortuos suscitasse Christum legimus, in errore mortuos absolvisse non legi. Et qui hoc tantum faciendi solus habuit potestatem, Petro apostolo principaliter mandavit: Quodcunque solveris super terram, erit solutum et in coelis. Super terram inquit, nam in ligatione defunctum nunquam dixit esse absolvendum.*

2. Asserunt XVII. 250. unumquemque ita judicari, ut a Christo in morte invenitur.

215. Secunda classis complectitur illa dicta, in quibus asserunt, *unumquemque ita judicari, ut a Christo in morte invenitur.* Clemens Rom. lib. 8. constitut. apost. cap. 42: *Cui vivo offensus erat Deus, certe eidem mortuo est iratus.* Justinus in dial. cum Tryph. p. 207: *Noster Dominus Jesus Christus dixit, ἐν οἷς ἂν ὑμᾶς καταλάβω, ἐν τούτοις καὶ κρινῶ, in quibus vos deprehendero, in eis et judicabo.* Cyprianus serm. de mortalit. p. 213: *Qualem te invenit Deus, cum vocat, talem pariter et judicat.* Augustinus epist. 80. ad Hesychium: *In quo quemque invenerit suus novissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi novissimus dies, quoniam qualis in die isto quisque moritur, talis in die illo judicabitur.* (Excipit Bellarminus, *Augustinum significare, quod post hanc vitam non crescant merita vel demerita, ideoque omnes judicandi sint ad gloriam vel ad gehennam.* Respondemus: imo vero Augustinus in genere dicit, statum animae post mortem non mutari, sed in eodem omnino statu animas in die extremi judicii inveniri, in quem statim a suo ex corpore discessu transferuntur, utique ergo non transeunt ex purgatorio in coelum.) Id. tract. 49. in Joh.: *Unusquisque cum causa sua dormit et cum causa sua resurgit.* Gregorius lib. 8. moralium in Jobum cap. 8: *Salomon ait, quia lignum in quocunque loco ceciderit, sive ad austrum, sive ad aquilonem, ibi erit, quia cum humani casus tempore sive sanctus, sive malignus spiritus egredientem animam claustra carnis acceperit, in aeternum secum sine ulla permutatione retinebit, ut nec exaltata ad supplicium proruat, nec mersa aeternis suppliciis ultra ad remedium ereptionis adscendat.* lib. 4. dial. c. 39: *In evangelio dicit Dominus, ambulate, dum lucem habetis. Per prophetam quoque ait, tempore accepto exaudivi te, in die salutis adjuvi te. Quod Paulus apostolus exponens dicit, ecce nunc tempus acceptabile, nunc dies salutis. Salomon quoque ait, quodcunque potest manus tua facere, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erit apud inferos, quo tu properas. David quoque ait, quoniam in seculum misericordia ejus. Ex quibus nimirum sententiis constat, quia qualis quisque hinc egreditur, talis in judicio praesentatur.* Olympiodorus in cap. 9. Ecclesiastae: *In quocunque loco deprehendetur homo, cum moritur, in eo gradu atque ordine permanet in aeternum.*

3. Asserunt nullam esse pro peccatis satisfactionem aliam quam Christi.

216. Tertia classis complectitur illa dicta, in quibus asserunt, *nullam esse pro peccatis satisfactionem nisi unicam satisfactionem Christi, quae in hac vita per fidem nobis applicatur, non autem in purgatorio vim satisfaciendi nostris passionibus impertitur.* Basilius in c. 1. Es.: *Una expiatio peccati, nimirum sanguis ille pro mundi salute effusus.* in reg. brev. q. 10: *Anima in peccatis volutata, quonam modo debet ad Deum accedere? firmissime credens, purgationem peccatorum suorum factam esse per sanguinem Christi in multitudine miserationum Dei, ut ille ipse dixit: Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Ambrosius lib. 10. in Luc. cap 22. et serm. 46: *Lacrymas Petri lego, satisfactionem non lego.* (Excipit Bellarminus, *satisfactionem eo loco significare excusationem.* Respondemus: nec de excusatione, nec de satisfactione Petri quidquam apud evangelistas legitur, unde Ambrosii verba de utraque recte accipiuntur.) Chrysostomus serm. de Philogonio: *Ego testificor et fide jubeo, fore ut si nostrum quisque, qui peccatis obnoxii sumus, recedens a pristinis malis ex animo vereque promittat Deo, se postea nunquam ad illa rediturum, nihil aliud Deus requirat ad satisfactionem ulteriorem.* Augustinus lib. 4. de Trinit. cap. 2. circa med.: *Iniquorum et superborum una mundatio est, sanguis justi et humilitas Dei, ut ad contemplandum Deum, quod natura non sumus, per eum mundaremur, factum quod natura sumus et quod peccato non sumus. Deus enim natura non sumus, homines natura sumus; justi peccato non sumus, Deus*

*itaque factus homo justus intercessit Deo pro*
XVII. 251. *homine peccatore.* lib. ejusd. cap. 13: *Christus morte sua uno verissimo sacrificio pro nobis oblato, quidquid culparum erat, unde nos principatus et potestates ad luenda supplicia jure detinebant, purgavit, abolevit, exstinxit.* lib. 2. de peccat. merit. et remiss. cap. 20: *Fuso sanguine sine culpa omnium culparum chirographa deleta sunt.* lib. 7. de civ. Dei cap. 31. *passionem Christi* vocat *singulare illud sacrificium, quo a peccatis omnibus mundamur.* serm. 37. de verb. Domini: *Christus suscipiendo culpam et non poenam, et culpam delevit et poenam.* Maximus in serm. de natali Petri et Pauli: *Christi passio nobis sufficit ad salutem, sanctorum autem martyrum nobis contulit ad exemplum.* Leo epist. 81. ad monachos Palaestinos: *Quis est, qui tradidit semet ipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis; aut quod unquam sacrificium sacratius fuit, quam quod verus pontifex altari crucis per immolationem suae carnis imposuit? Quamvis enim multorum sanctorum in conspectu Domini mors pretiosa fuerit, nullius tamen insontis occisio propitiatio fuit mundi. Acceperunt justi, non dederunt coronas et de fortitudine fidelium nata sunt exempla patientiae, non dona justitiae. Singulares quippe in singulis mortes fuere, nec alterius quisquam debitum suo fine persolvit, cum inter filios hominum unus solus Dominus noster Jesus Christus exstiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes sepulsi, omnes etiam sunt suscitati* etc. *fides etenim vera justificans impios et creans justos ad humanitatis suae tracta participem, in illo acquirit salutem, in quo solo homo se invenit innocentem.* Gregorius lib. 9. moral. cap. 30: *Non valent virtute propria ab humano genere supplicia secuturae mortis expleri.* Quid quod ipsa glossa juris canonici dist. 1. de poenit. opinionem propriae satisfactionis excludit. *Dic*, inquit, *quod nec cordis contritione, nec oris confessione remittuntur peccata, sed tantum gratia Dei. Sed ipsa cordis contritio signum est, peccata esse dimissa, sicut exterior satisfactio signum est cordis contritionis, gratia enim praecedit contritionem.*

4. Negant justificatis poenam in purgatorio sustinendam.

217. Quarta classis complectitur dicta ea, in quibus negant, *post peccatorum remissionem acceptam justificatis per Christum poenam aliquam vel in hac vita, vel in purgatorio sustinendam esse.* Chrysostomus in prooem. 1. in Esa.: *Deus, quando peccata abolet, nullam relinquit cicatricem, nullum vestigium sinit manere, sed una cum sanitate eximium etiam confert formae decus, simul enim atque exemit poenae, donat et justitiam. Peccatorem enim efficit parem ei, qui non peccavit.* homil. 20. in Matth. cap. 6: *Patrem dicendo et veniam peccatorum et poenarum interitum et justificationem et sanctificationem et liberationem et filiorum adoptionem et hereditatem et fraternitatem cum unigenito copulatam et sancti Spiritus dona largissima unico hoc vocabulo confessus est.* homil. 8. in epist. Rom.: *Deus credentem diligit sexcentorum criminum reum,* οὐχὶ κολάσεως ἀπαλλάξας μόνον, *non solum supplicio liberans, sed et justum efficiens.* Et postea: *Ubi enim gratia, ibi venia; ubi venia, ibi* οὐδεμία κόλασις, *nulla poena. Sublata porro poena ac justitia a fide accedente nihil prohibet heredes nos fieri promissionis ejus, quae a fide datur.* homil. 28. in 1. Cor.: *Cum corripimur a Domino, magis est admonitionis quam damnationis, medicinae quam supplicii, correctionis quam poenae.* Hieronymus in Ps. 31: *Quod tegitur, non videtur, non imputatur; quod non imputatur, non punitur.* Augustinus lib. 2. de peccat. merit. et remiss. cap. 33: *Res, quarum reatum Deus solvit, tamen eas ad certamen fidei sinit manere, ut per illas erudiantur et exerceantur proficientes in agone justitiae.* cap. 34: *Ante remissionem sunt supplicia peccatorum, post remissionem sunt certamina exercitationesque justorum.* serm. 31. de verb. apost.: *Non hic sumus sine peccato, sed exibimus hinc sine peccato.* in enarr. Psalm. 31. conc. 2: *Si* XVII. 25
*texit peccata Deus, noluit advertere; si noluit advertere, noluit animadvertere; si noluit animadvertere, noluit punire, noluit agnoscere, maluit ignoscere. Beati, quorum remissae sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata. Ne sic intelligatis, quod dixi, peccata cooperta sunt, quasi ibi sint et vivant. Tecta ergo peccata quare dixit? ut non viderentur. Quid enim erat Dei videre peccata nisi punire peccata?* (Excipit Bellarminus, *Augustinum loqui de poena aeterna, alibi enim ipsum dicere, quod temporalem poenam Deus adhuc requirat.* Respondemus: utitur termino *poenae* in significatione latiore pro calamitatibus, quas Deus in hac vita reconciliatis imponit. *Vel ad demonstrationem debitae miseriae, vel ad emendationem labilis vitae, vel ad exercitationem necessariae patientiae temporaliter tenet hominem poena, etiam quem jam reum non tenet culpa,* inquit tractat. 24. in Johan. circa med. Sed proprie et accurate loquendo sublata culpa tollitur omnis poena temporalis et aeterna.) Fulgentius ad Venantiam epist. 7: *Non punit Deus in peccatore peccata, si peccatoris cervix non fuerit indurata.* Lombardus 3. sent. dist. 19. lit. A. ex veterib. sic loquitur: *Si recte fidei intuitu in illum respicimus, qui pro nobis pependit in ligno, a vinculis diaboli solvimur, id est a peccatis et ita a diabolo liberamur, ut nec post hanc vitam in nobis inveniat, quod puniat.*

5. Asserunt animas piorum statim a morte ad coelum deducunt.

218. Quinta classis tribui potest illis dictis, *in quibus animas piorum in Christum credentium, statim ut ex corporis ergastulo discedunt, recta et sine mora ad quietem et vitae aeternae gaudia transire asseverant.* Clemens Romanus lib. 8. constitut. apostol. c. 47. in oratione ad Deum loquens de piorum animabus a corpore separatis: *Omnium animae apud te vivunt et justorum spiritus in manu tua sunt, quos non attinget tormentum, omnes enim sanctificati sub tua manu sunt.* Dionysius de

coel. hierarch. cap. 7: *Norunt* (pii), *se totos percepturos exactissimam ad Christi speciem requiem, cum ad finem praesentis vitae pervenerint, viamque ad immortalitatem suam e vicino jam clarius intuentes divinitatis laudant munera divinaque laetitia gestiunt.* Ibid. *sinum Abrahae*, in quem pii post mortem colliguntur, sic describit: *κόλποι δέ εἰσιν, ὡς οἶμαι, τῶν μακαρίων πατριαρχῶν καὶ τῶν λοιπῶν ἁγίων ἁπάντων αἱ θεώτατοι καὶ μακαρισται λήξεις, αἱ τοὺς θεοειδεῖς ὑποδεχόμεναι πάντας εἰς τὴν ἐν αὐταῖς ἀγήρω καὶ μακαριωτάτην τελείωσιν.* Justinus in quast. et resp. ad orthod. q. 75. p. 339: *Post exitum animarum e corpore εὐθὺς γίνεται διαστολή, statim justi ab injustis segregantur, abducuntur enim ab angelis ad condigna sibi loca. Ac justorum quidem animae in paradisum, ubi consuetudine et adspectu fruuntur angelorum et archangelorum, per visionem autem et ipsius Salvatoris Christi pro eo atque dictum est, peregre absumus a corpore et praesentes adsumus apud Dominum.* Cyprianus contra Demetrian. in fin. p. 151: *Tu sub ipso licet exitu et vitae temporalis occasu pro delictis roges et Deum, qui unus et verus est, confessione et fide agnitionis ejus implores, venia confitenti datur et credenti indulgentia salutaris de divina pietate conceditur et ad immortalitatem sub ipsa morte transitur.* Serm. de mort. circ. fin. p. 214: *Quod interim morimur, ad immortalitatem morte transgredimur* etc. *non est exitus, sed transitus et temporali itinere decursu ad aeterna transgressus. Quis non ad meliora festinet? quis non mutari et reformari ad Christi speciem et ad coelestis gratiae dignitatem citius exoptet? Venturus ad Christi sedem, ad regnorum coelestium claritatem lugere non debet nec plangere, sed potius secundum pollicitationem Domini, secundum fidem veritatis in profectione sua et translatione gaudere.* pag. 215: *Cum accersitionis propriae dies venerit, incunctanter et libenter ad Dominum ipso vocante veniamus* etc. *Amplectamur diem, qui assignat singulos domicilio suo, qui nos isthinc ereptos et laqueis secularibus exutos paradiso restituit et regno coelesti* etc. Athanasius in lib. de virginit. non procul a fin. pag. 831: *Non est justis mors, sed translatio, quippe qui transferuntur ex hoc mundo in requiem aeternam; non aliter quam si quis de excubiis abeat, ita quoque sancti a mala ista vita discedunt ad bona, quae illis praeparata sunt, quae oculus non vidit, nec auris audivit, neque in cor hominis subierunt* etc. Nazianzenus orat. in laud. Caesarii fratris: *Sapientum verbis adducor, ut credam, generosam omnem deoque caram animam, posteaquam corporis vinculis soluta hinc excesserit, protinus bonum, quod eam manet, persentientem et contemplantem mirabili quadam voluptate affici et exsultare atque hac vita velut gravi quodam ergastulo fuga relicto excussisque compedibus, quibus animi penna deprimi solebat, hilarem ad Dominum convolare.* Chrysostomus homil. 69. ad pop. Antioch. *justos cum Deo in coelis aeterna gloria frui.* homil. 3. ad Philip.: *οἱ δίκαιοι ἄντε ἐνταῦθα, ἄντε ἐκεῖ μετὰ τοῦ βασιλέως εἰσί· κακεῖ μᾶλλον καὶ ἐγγύτερον, οὐ δι᾽ εἰσόπτρου, οὐ διὰ πίστεως, ἀλλὰ πρόσωπον πρὸς πρόσωπον.* Idem homil. 14. in epist. Roman.: *Mors magis ad eum chorum, qui cum Christo est, conjungi gloriaque illa potiri facit.* homil. 61. in Johan.: *Honor mortuo non fletus est, non ejulatus, sed hymni et psalmi et vita optima. Ille moriens cum angelis evolabit, etiamsi nemo exsequiis interveniat* etc. Hieronymus ad Eustach. epist. 27. in epitaph. Paulae: *Amissio illius coelestis domus habitatio est* etc. *inter doloris aculeos, quos mira patientia sustinebat, quasi apertos sibi coelos adspiceret, loquebatur: Quis dabit mihi pennas sicut columbae, et volabo et requiescam? Nunc illa divitiis fruitur et iis bonis, quae nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscenderunt. Invidere ejus gloriae videbimur, si voluerimus diutius flere regnantem.* Ambrosius lib. de bono mortis cap. 4: *Omnifariam igitur mors est bonum et quia compugnantia dividit, ne se invicem impugnent, et quia portus quidam est eorum, qui magno vitae istius jactati salo fidae quietis stationem requirunt.* Et postea: *Mors haec transitus universorum est, transitur enim a corruptione ad incorruptionem, a mortalitate ad immortalitatem, a perturbatione ad tranquillitatem. Non igitur nomen te mortis offendat, sed boni transitus beneficia delectent.* cap 12: *Intrepide pergamus ad redemtorem nostrum Jesum Christum, intrepide pergamus ad illum sanctorum coetum justorumque conventum. Ibimus enim ad patres nostros, ibimus ad illos nostrae fidei praeceptores, ut etiamsi opera desint, fides opituletur, defendat hereditas. Ibimus et ubi sinum suum Abraham sanctus expandit, ibimus eo, ubi paradisus est jucunditatis, ubi nulla nubes, nulla tonitrua* etc. Cyrillus lib. 12. in Joh. c. 36: *Credere debemus, cum a corporibus sanctorum animae abierint, tanquam in manus carissimi patris bonitati divinae commendari, nec ut quidam infidelium crediderunt in terris conversari, quousque sepulturae honoribus affectae sint, nec ut peccatorum animas ad immensi cruciatus locum, id est ad inferos deferri, sed itinere hoc nobis a Christo primum praeparato in manus potius patris evolare. Tradidit enim animam suam manibus genitoris, ut ab illa et per illam facto initio certam hujus rei spem habeamus, firmiter credentes, in manibus Dei nos post mortem futuros vitamque multo meliorem ac perpetuo cum Christo victuros, ideo enim Paulus desiderat resolvi et esse cum Christo.* Augustinus serm. 15. de sanctis: *Animae sanctae, quae in hoc seculo aut per vitae innocentiam purae sunt, aut poenitentiae satisfactione purgantur, a Salvatore nostro recipiuntur et cum eo esse credendae sunt, secundum apostoli dictum, cupio dissolvi et esse cum Christo; animae ergo fratrum parentumque nostrorum minime cibis carnalibus delectantur. Offendi his magis possunt quam delectari, si cum illae in sacris sedibus sint,*

*vos eas esse in terra credatis.* (Si non sunt in terra, ergo multo minus sub terra in cavernis purgatorii. Si non sunt in terra, ergo praestigiae daemonum
XVII. 254. sunt, quando animae se in terris conspici et audiri fingunt. Si sunt in beatis sedibus cum Christo, ergo non torquentur in igne purgatorii cum diabolo.) Anselmus in comm. Coloss. 1: *Morte Christi pax tanta effecta est, ut nunc animae justorum, cum de corpore exeunt, mox penetrent coelos gaudentibus angelis.* Innocentius IV. in decretal. Gregorii lib. 3. tit. 42. cap. 4. de Judaeo in articulo mortis ad Christum converso ad episcopum Metensem sic scribit: *Si talis continuo decessisset, ad patriam protinus evolasset propter sacramenti fidem, etsi non propter fidei sacramentum.* Excipiunt Pontificii, *animas, quae in purgatorium abeunt, itidem inter beatas numerari*, Bellarminus in conc. de quatuor noviss. conc. 1. §. ut igitur. *ac illum quoque ad gloriam censeri, qui ad purgatorium aliquo tempore relegatur*, Sandaeus in castig. consc. Jesuit. pag. 205. Respondemus: 1. Patres expresse dicunt, animas fidelium transmigrare in paradisum, sed paradisus non est in purgatorio, sed potius purgatorium est in inferno, qui paradiso directe opponitur. 2. Patres dicunt, animas fidelium ad quietem, laetitiam et gloriam pervenire, id vero de animabus in purgatorio aestuantibus dici nequit, quia si Bellarmino lib. 2. de purg. cap. 17. et Gregorio de Valentia tom. 4. disputat. 11. quaest. 1. punct. 3. §. quarta, fides est habenda, *poenae purgatorii tam graves sunt et acerbae, ut longe superent omnes poenas, quae tolerari possunt in hac vita, quin etiam ab ipsis inferni poenis, duntaxat duratione distinguuntur, in ipsa autem acerbitate et gravitate conveniunt.* 3. Ipsimet Pontificii purgatorium a coelo et gehenna distinguunt, quomodo igitur animae illae ad coelum evolare dici possunt, quae in purgatorii carcerem detruduntur? 4. Quomodo pii et fideles contra mortem animari possunt, ut non solum voluntario, sed et laeto animo eam venientem excipiant, utque in translatione sua gaudeant, si purgatorii poenis terrendi sunt et examinandi?

6. Duo tantum animarum receptacula statuunt.

219. Sextam classem complent dicta illa, *in quibus duo tantum animarum receptacula statuunt, in quae animae ex corporibus excedentes colliguntur, coelum scilicet et infernum, tertium vero locum et statum intermedium diserte excludunt.* Justinus loco proxime citato: *Justorum animae post exitum e corpore statim in paradisum ab angelis ducuntur, injustorum autem animae in loca inferni, pro eo atque dictum est de Nabuchodonosore rege Babylonis: Infernus subter exacerbatus est in occursum adventus tui. Et asservantur quaeque in locis se dignis usque ad resurrectionis et compensationis diem.* Irenaeus lib. 1. adv. haeres. cap. 2. pag. 37: *Impii, injusti, iniqui et blasphemi homines mittuntur in ignem aeternum, justis autem et praecepta Christi servantibus et in dilectione ejus perseverantibus, quibusdam quidem ab initio, quibusdam autem ex poenitentia donatur vita et claritas aeterna.* Origenes in praefat. lib. περὶ ἀρχῶν pag. 666: *Anima substantiam vitamque habens propriam, cum ex hoc mundo discesserit, pro suis meritis dispensabit sive vitae aeternae ac beatitudinis hereditate positura, si hoc ei sua gesta praestiterint, sive igne aeterno ac suppliciis mancipanda, si in hoc eam scelerum culpa detorserit.* Cyprianus serm. de mortalit. p. 212: *Hoc quod sine ullo discrimine generis humani justi cum injustis moriuntur, non est quod putetis, bonis et malis interitum esse communem. Ad refrigerium justi vocantur, ad supplicium rapiuntur injusti, datur tutela fidentibus, perfidis poena.* Hilarius in comm. Psalm. 2. circa finem p. 359: *Ne quis sibi poenae lucro inter moras judicii blandiatur, in brevi namque exardescit ira. Excipit enim illos statim ultor infernus et decedentes de corpore, si ita vixerint, confestim de via justa peribunt. Testes nobis sunt evangelii dives et pauper, quorum unum angeli in sedibus beatorum et in Abrahae sinu locaverunt, alium statim poenae regio suscepit. Adeo autem statim poena mortuum excepit, ut etiam fratres ejus adhuc in supernis manerent. Nihil hic dilatio-* XVII
*nis aut morae est* etc. Macarius homil. 22. cujus ἐπιγραφὴ est *de duplici statu decedentium: Cum anima decesserit e corpore hominis, tunc magnum quoddam peragitur mysterium. Nam si fuerit illa peccati rea, accedunt chori daemonum et angeli sinistri ac potestates tenebrarum apprehendunt animam illam et imperio suo subjugatam in suas partes pertrahunt* etc. *Quod autem res ita se habeat, ex ea parte potes intelligere, quae felicioris est conditionis, siquidem ex praesenti tempore sanctis Dei servis assistunt angeli ac sancti illi spiritus circumdant atque custodiunt, cumque exierint e corpore hoc, angeli eorum assumunt animas in suam partem in seculo puro et sic adducunt eas ad Dominum.* Athanasius quaest. 19. ad Antioch. in princ.: *Ex Scripturis discimus, quod peccatorum animae inferius omni terra et mari exsistant, ut inquit Psalmus: In tenebris et in umbra mortis et lacu infimo; justorum autem animae in paradiso sunt, id quod de latrone in cruce didicimus.* Hieronymus in comm. cap. 9. Amos: *Quando anima vinculis laxata corporeis volandi, quo velit sive quo ire compellitur, habuerit libertatem, aut ad inferna ducetur, de quibus scriptum est: In inferno quis confitebitur tibi? aut certe ad coelestia sublevabitur.* (Excipit Bellarminus, *Hieronymum loqui non de morte naturali, sed de solutione animae a corpore per speculationem.* Respondemus: si in hac vita quaelibet anima aut est *filia Dei* ad coeleste regnum pertinens, aut *filia diaboli* igni infernali mancipata, utique etiam in morte non debet statui intermedius aliquis status. Adde quod perquam durum sit de anima per speculationem evagante accipere illud, *quod vinculis corporeis laxetur*, quodque abeat eo, quo ire compellitur.) **Ephrem tom. 1. tract. de man-

sione beat.: *Extra duos hosce ordines alius non est ordo medius. Loquor autem de altero quidem superno, altero inferno, inter quos medians est varietas differentiae retributi num. Quodsi verum sit, ut constat esse verissimum, quid insipientius absurdiusve iis, qui dicunt, quoniam suffecerit mihi gehennam effugisse, ingredi autem regnum coelorum mihi non est curae, cum effugere gehennam hoc ipsum sit regnum coelorum ingredi, quemadmodum et ab eo excidere, est gehennam introire. Neque enim nos has regiones Scriptura docuit.*** Augustinus lib. 1. de peccat. meritis et remiss. c. 28: *Nec est ullus ulli medius locus, ut possit esse nisi cum diabolo, qui non est cum Christo. Hinc et ipse Dominus volens auferre de cordibus male credentium istam, nescio quam medietatem, quam conantur quidam parvulis non baptizatis tribuere, ut quasi merito innocentiae sint in vita aeterna, sed quia non sunt baptizati, non sint cum Christo in regno ejus, definitivam protulit ad haec ora obstruenda sententiam, ubi ait: Qui mecum non est, adversum me est.* l. 4. de baptism. c. 28: *Fides catholica non novit nisi duo loca, ubi homines sint futuri perpetuo, coelum beatorum et infernum damnatorum.* lib. 13. de civit. Dei cap. 8: *In requie sunt animae piorum a corpore separatae, impiorum autem poenas luunt, donec istarum ad aeternam vitam, illarum vero ad aeternam mortem, quae secunda dicitur, corpora reviviscant.* lib. 21. de civit. Dei c. 25: *Manifesta sunt opera carnis* etc. *quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Haec profecto apostolica falsa est sententia, si tales post quantalibet tempora liberati regnum Dei possidebunt. Sed quoniam falsa non est, profecto regnum Dei non possidebunt. Et si in regni Dei possessione nunquam erunt, aeterno supplicio tenebuntur, quoniam non est locus medius, ubi non sit in supplicio, qui illo non fuerit constitutus in regno.* (In quibusdam exemplaribus deest adverbium negandi *non* et sic legitur, *quoniam est locus medius*, sed contextus manifeste ostendit, particulam negandi esse addendam.) lib. 5. hypognostic. contra Pelagianos pag. 957: *Primum locum fides Catholicorum divina auctoritate regnum credit esse coelorum, unde non baptizatus excipitur; secundum gehennam, ubi omnis apostata vel a Christi fide*
XVII. 256. *alienus aeterna supplicia experietur; tertium penitus ignoramus, imo nec esse, in Scripturis sanctis inveniemus.* (Excipit Bellarminus, *Augustinum loqui de locis aeternis, cum scribat contra Pelagianos, qui invenerant tertium locum pro parvulis non baptizatis, quos volebant fore beatos quadam naturali beatitudine extra infernum et extra regnum coelorum.* Respondemus: hanc Pelagianam opinionem Pontificii fecerunt suam per hypothesin de limbo infantum. Quomodo autem penitus ignorasset Augustinus locum tertium, si credidisset purgatorium? quomodo Pelagianos solide confutare potuisset, si tertium aliquem locum temporarium vel aeternum ipse agnovisset? unde Erasmus ad illa verba Augustini in margine annotavit *purgatorium*, q. d. purgatorium est locus ille intermedius, quem ignorat fides Catholica.) tract. 49. in Joh.: *Habent omnes animae, cum de seculo exierint, diversas receptiones suas, habent gaudium boni et mali tormenta, sed cum facta fuerit resurrectio, et bonorum gaudium amplius erit, et malorum tormenta graviora, quando cum corpore torquebuntur.* Et postea: *Requiem, quae continuo post mortem datur, si ea dignus est, tunc accipit quisque, cum moritur.* (Excipit Bellarminus, *animabus in purgatorio etiam dari gaudium et requiem, quia certae sunt de aeterna sua salute, interim hoc gaudium non esse sine admixtione poenarum temporalium.* Respondemus: nondum Pontificii in eo conveniunt, quod animae in purgatorio sint certae de sua salute. Et quale potest esse gaudium, qualisve requies illis, qui poenis aeque gravibus ac ipsi damnati torquentur? Adde quod Augustinus non bonis, sed malis tormenta assignat, sed ex hypothesi purgatorii etiam bonis tormenta erunt adscribenda. Observa et illud quod Bellarminus lib. 2. de purgat. c. 18. in verbis Augustini in ench. cap. 110. *per tolerabiliorem damnationem* intelligat mitigationem poenarum in purgatorio. At quomodo potest illis gaudium et requiem tribuere, quibus damnationem tribuit?) serm. 10. de verb. apostol.: *Duae habitationes sunt, una in regno aeterno, altera in igne aeterno.* serm. 323. de temp.: *Dicet aliquis, ego regnum Dei nolo, aeternam requiem tantum obtinere desidero. Nemo se decipiat, fratres, duo enim loca sunt et tertius non est ullis. Qui cum Christo regnare non meruerit, cum diabolo absque dubitatione ulla peribit.* lib. de vanit. seculi c. 1: *Scitote vero, quod cum anima a corpore avellitur, statim aut in paradiso pro meritis bonis collocatur, aut certe pro peccatis in inferni tartara praecipitatur. Eligite modo, quod vultis, et hoc jam in vita vestra disponite, aut perpetualiter gaudere cum sanctis, aut sine fine cruciari cum impiis.* (In margine ad hunc Augustini locum in ipsa Parisiensi editione annotatur: *Ubi nunc purgatorium?)* Fulgentius ad Venant. de poenit. epist. 7: *Ut noverimus illos, qui gaudiis temporalibus oblectantur et jussa divina contemnunt, aeternis ignibus concremandos, illos vero, qui mala temporalia cum timore Dei patienter tolerant, aeterna quiete potituros; attendamus divitem purpuratum et pauperem Lazarum, illum post epulas flammis perennibus traditum, istum post aerumnas in aeterna sinus Abrahae quiete securum.* Theophylactus in cap. 8. Matth.: *Justorum animae in manu Dei sunt, peccatorum vero et ipsae hinc adducuntur ut anima divitis.* (Excipit Bellarminus, *Theophylactum, quanquam non meminit nisi duorum locorum, tamen non excludere alia.* At haec est petitio principii, ut enim justos et peccatores immediate sibi invicem opponit et tertium genus hominum excludit, ita quoque statum justorum et pecatorum post mortem sine ulla διαστολῇ invicem opponit. Perquam absurdum est, quod

Bellarminus addit, *animas, quae ad purgatorium deducuntur, revocari posse ad quodlibet istorum duorum, quae Theophylactus ponit. Nam quia justae sunt, recte possunt dici esse in manu Dei, licet non sint in regno Dei, et similiter dici possunt esse in inferno, quia purgatorium est pars inferni, vel certe locus vicinus.* Hoc vero est ex illis, quae Theophylactus pro oppositis habet, facere
XVII. 257. subordinata et coelum terrae, imo inferno miscere. De justorum animabus, quae sunt in manu Dei, liber Sapientiae testatur, *quod non tangat eas tormentum.* At animas in purgatorio aestuantes tangunt tormenta gravissima ab infernalibus poenis sola duratione differentia, quomodo igitur phrasi Scripturae possunt dici *in manu Dei?* Quando tandem finis erit nugatoriarum exceptionum?) Olympiodorus in cap. 11. Ecclesiastae: *In quocunquè loco seu illustri, seu tenebroso, hoc est sive in turpi scelerum statione, sive in virtutum honestate deprehendatur homo, cum moritur, in eo gradu atque ordine permanet in aeternum. Nam vel requiescit in lumine felicitatis aeternae cum justis et Christo Domino, vel in tenebris cruciatur cum iniquis et principe hujus mundi diabolo.* Bernhardus in sent. mor. cap. 9: *Tria sunt loca, coelum, terra, infernus, et habent singula habitatores suos, coelum solos bonos, terra mixtos, infernus solos malos.*

**6. Falsis nititur hypothesibus.** 220. 6. Purgatorium *falsis nititur hypothesibus*, iisque compluribus, utpote *1. esse quaedam peccata sua natura venialia.* Contrarium ostendimus in tract. de pecc. actual. §. 92. *2. Pro peccatis illis homini poenitenti ipsimet satisfaciendum esse, si non in hac vita, tamen post hanc vitam.* Contrarium probavimus in tract. de poenit. §. 121. *3. Remissa culpa adhuc manere debitum luendae poenae.* Contrarium demonstravimus tract. de poenit. §. 125. *4. Applicationem meriti Christi ad tollendam poenam temporalem fieri per opera satisfactoria propria.* Contrarium testatur universa Scriptura, quae non nisi unicum applicationis medium ex parte nostra novit, videlicet veram in Christum fidem. *5. Alia ratione in baptismo quam in vera et seria poenitentia remitti peccata.* Atqui ut una Dei misericordia, unum Christi meritum, unum evangelium, una fides, ita quoque una peccatorum remissio. *6. Hominem esse sui ipsius redemtorem ac salvatorem.* At universa Scriptura non nisi unum redemtorem ac salvatorem ratione meriti et efficaciae novit, Christum scilicet Dominum nostrum. *7. Acceptationem poenae a Deo inflictae, cum ex caritate procedit, esse virtualem quandam poenitentiam et peccati remissoriam.* At non humiliatio, non patientia, quae est illa acceptatio poenae, sed fides in Christum est illud medium, per quod in vera poenitentia peccatorum remissio nobis confertur. *8. Spiritus illos, qui se in purgatorio esse renuntiant atque opem a vivis implorant, esse animas defunctorum et ipsorum relationi fidem esse habendam.* Contra vero Deus graviter prohibet Esa. 8, v. 19. veritatem a mortuis quaerere, ac Chrysostomus hom. 29. in Matth. recte docet, apparitiones illas esse *diabolicas illusiones*, qua de re in sequentibus plura dicentur. *9. Animas purgatorii nec esse in via, nec in termino.* Bellarminus lib. 1. de purgat. c. 14. At repugnat hoc ipsi rerum naturae, quilibet enim est *viator* vel *comprehensor*, dicunt Scholastici, unde ipse Bellarminus contrarium asserit lib. 2. de purgat. cap. 3. resp. ad 1: *Dico, animas purgatorii non esse in via, sed in termino, quantum ad gratiae augmentum. 10. Animas purgatorii nec ad militantem ecclesiam in terris, nec ad triumphantem in coelis, sed laborantem infra terram pertinere*, cum hujus tertiae partis nulla fiat in Scripturis mentio.

**7. Est figmentum ethnicum, Judaicum et Turcicum.** 221. 7. Purgatorium est *figmentum ethnicum, Judaicum et Turcicum.* 1. Quod sit *ethnicum* dogma, patet tum *ex ejusdem origine*, tum ex *Pontificiorum confessione.* Origo purgatorii non potest monstrari in scriptis propheticis, sed in libris poëtarum ac philosophorum gentilium. Algazel philosophus Arabs l. 2. philosophiae tract. 5. c. 5. *purgatorium* statuit. Homerus odyss. 11. v. 541. et 542. de Ulyssis ad inferos descensu et animarum allocutione fide poëtica multa disserit, quin et mentionem facit sacrificiorum pro mortuis et fluviorum infernalium et XVII. 258.
judiciorum, alias denique animas supplicio affectas, alias temere per infernum oberrantes ac dolentes introducit:

*αἱ δ' ἄλλαι ψυχαὶ νεκύων κατατεθνηώτων*
*ἕστασαν ἀχνύμεναι, εἴροντο δὲ κήδε' ἑκάστη.*

Homeri vestigiis insistit Plato in Phaedone et Gorgia, ubi disputat, *animas purgandorum a daemonibus in loca sua deferri. purgari eos, qui nec valde boni, nec valde mali* ac *ἀνίατοι fuerunt*, sed οἳ δ' ἂν δόξωσι μέσως βεβιωκέναι, *qui medio modo se habuerunt, qui cum ἰασίμοις, venialibus sive sanabilibus, peccatis exierunt, eosdem φλεγομένους, flammis ustulatos, dicit opem viventium implorare.* Hanc Platonis sententiam latius declarat Hermagoras Platonicus philosophus, qui ut est apud Macrobium in somnio Scipionis l. 2. in fin. *infinita secula* dixit *dinumeranda esse, quibus nocentum animae in easdem poenas saepe revolutae sero de tartaris emergere permittuntur, et ad naturae suae principia, quod est coelum, tandem impetrata purgatione remeare.* Confer Eusebium lib. 11. de praeparat. evangel. c. ult. Augustinum lib. 21. de civit. Dei c. 13. et Chemnicium part. 3. exam. de purgat. c. Historia de origine purgatorii, ubi de Platonico illo purgatorio latius disseritur. A *Graecis* purgatorii dogma propagatum fuit ad *Romanos*, qui et ipsi talem peccatorum quorumdam post mortem *κάθαρσιν* crediderunt. Cicero in somn. Scipion.: *Eorum animi, qui se corporis voluptatibus dediderunt earumque se quasi ministros praebuerunt impulsuque libidinum voluptatibus obedientium Deorum et hominum jura violavere, corporibus elapsi circa terram ipsam volutantur, nec in hunc locum nisi multis agitati seculis revertuntur.* Virgilius l. 6. Aeneid.

*Quin et supremo cum lumine vita reliquit,*
*Non tamen omne malum miseris, nec funditus omnes*
*Corporeae excedunt pestes, penitusque necesse est*
*Multa diu concreta modis inolescere miris.*
*Ergo exercentur poenis veterumque malorum*
*Supplicia expendunt, aliae panduntur inanes*
*Suspensae ad ventos, aliis sub gurgite vasto*
*Infectum eluitur scelus aut exuritur igni.*

Claudianus lib. 2. in Rufin. circa fin.

*Et quos per varios amnes per mille figuras*
*Egit Lethaeo purgatos flumine* etc.

Confessionem Pontificiorum exponit Bellarminus l. 1. de purgat. c. 11. rat. 3. *Purgatorium*, inquit, *confitentur gentiles tam philosophi, quam poëtae, ut patet ex Platone, Cicerone, Virgilio et Claudiano.* Ingolst. in disp. de purgatorio dicunt, *exstare purgatorium apud Homerum, Virgilium et Aristotelem.* Salmeronius tom. 14. disp. 25. p. 226. addit *Senecam et Plinium.* Neve de consensu Platonicorum et Pontificiorum in hoc doctrinae capite dubites, ideo Bellarminus assertionem Augustini lib. 21. de civit. Dei c. 13. *quod Platonici nullam post hanc vitam agnoverint poenam nisi purgatoriam,* lib. 1. de purgat. c. 2. §. *Quanquam* etc. eo modo corrigit, *ut statuat, Platonem non minus quam Romanam ecclesiam tria hominum genera, qui post mortem ad judicium evocantur, statuisse: unum eorum, qui pie justeque vixerunt, quos statim ad insulas beatorum transmitti asserit; alterum eorum, qui peccata curabilia perpetrarunt, quos ad tempus poenis exerceri asserit, donec scelus eluatur; tertium eorum, qui peccata incurabilia commiserunt, quos in tartarum in aeternum puniendos dejici dicit, quorum supplicia ipsis quidem nihil prosint, sed aliis tamen prosint ad exemplum.* Utque eo magis de conformitate doctrinae Pontificiae atque ethnicae constare possit, confer *pratum illud florentissimum, lucidissimum, odoratum, amoenum, in quo degunt animae visioni divinae nondum idoneae*, quod describit Bellarminus l. 2. de purgat. c. 7. cum descriptione camporum Elysiorum apud Virgilium libr. 6. Aeneid.:

*Devenere locos laetos et amoena vireta*
*Fortunatorum nemorum sedesque beatas.*
*Largior hic campos aether et lumine vestit*
VII. 259. *Purpureo, solemque suum, sua sidera norunt.*
*Pars in gramineis exercent membra palaestris* etc.

222. 2. Quod sit dogma *Judaicum,* itidem probatur, tum *ex doctrinae Judaicae et papisticae collatione,* tum *ex Pontificiorum confessione.* Thalmud tres classes Judaeorum resurgentium constituit: primam *piorum,* alteram *impiorum,* tertiam *mediorum,* qui non nisi per purgatorium salvantur. In libr. Rosch. haschana c. 1. tradunt, *illos, qui nec perfecte boni, nec extreme impii sunt, in inferno expiare residuas sordes post mortem per duodecim menses, postea liberari, posse etiam eos juvari precibus, quae recitantur singulis sabbatis, et huic rei destinata est certa quaedam orationis formula,* in libro תְּפִלּוֹת, quam קַדִּישׁ, appellant, *eamque quilibet filius, non autem filia, quotidie pro defunctis parentibus per undecim menses a morte recitare tenetur.* Habent vero et alia multa figmenta de discrimine poenarum, quae videre licet in d. l. *Confessionem* Pontificiorum exponit Bellarminus lib. 1. de purg. c. 11. *Purgatorium*, inquit, *confitentur Hebraei, ut patet ex 2. Macc. 12. nam saltem eadem fides adhibenda est ei libro, quae adhibetur Livio. Praeterea Josephus filius Gorionis in libro de bello Judaico c. 19. indicat, Judaeos consuevisse orare pro mortuis, non tamen pro illis, qui se interimunt.* 3. Quod sit dogma *Turcicum*, patet ex Corano azoar. 10. in qua purgatorium confirmatur: *Crede, quod omnes transibunt per purgatorium et ibi stabunt, alii plus, alii minus.* azoara 29: *Sciendum quidem, neminem esse, qui non ad ignem, quoniam hoc Deus mandavit, proficiscatur, ubi corporaliter etiam increduli perseverabunt.* Bellarminus d. l.: *Mahumetani purgatorium in Alcorano diserte confitentur.* Salmeron. tom. 14. p. 225: *Purgatorium etiam impurus Mahumet testatur.*

223. 8. Purgatorii dogma *perpetuis laborat contradictionibus.* Dissentiunt enim Pontificii 1. *de probandi principio*, ex quo purgatorii dogma stabiliendum. Roffensis, Petrus Soto et Pererius fatentur, *ex Scripturis non posse probari purgatorium,* ut ipsorum verbis ostendimus superius. Sed reliqui scriptores Pontificii magno conatu varia Scripturae testimonia conquirunt, ac synodus Tridentina sess. 25. ecclesiam *sacris literis edoctam* purgatorium statuere asserit. In V. T. non fuisse purgatorium, quidam ex Pontificiis statuunt, at reliqui multa V. T. dicta ad purgatorium applicant. Primitivae ecclesiae doctoribus ignotum fuisse purgatorium fatetur Roffensis, ut ostendimus superius; sed reliqui scriptores Pontificii ex omnibus patribus Graecis et Latinis per singula secula pro purgatorio adstruendo testimonia anxie conquirunt. Salmeron. in comm. 1. Cor. 15. disp. 25. in fin. *omnes veteres Graecos patres et agnovisse purgatorium, et scriptis suis luculentissime prodidisse* asserit. Quidam purgatorium probant ex Zach. 9: *Eduxisti vinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua.* Alii aliud probant ex dicto Psalm. 67: *Transivimus per aquam et ignem, et eduxisti nos in refrigerium.* At haec dicta non possunt simul utraque ad purgatorium applicari. Si enim in purgatorio *non est aqua,* quomodo de animabus in purgatorio dici potest, quod *per aquam et ignem transeant?* Denique quae Scripturae dicta a quibusdam Pontificiis ad purgatorii ignem succendendum et alendum adhibentur, ea ab aliis de purgatorio agere negantur, ut ex seqq. apparebit. 2. De *objecto* seu personis in purgatorium relegandis. Bellarminus l. 2. de purg. c. 1: *Multi patres, Origenes* hom. 14. in Luc. et in Psalm. 36. *Ambrosius* in Psalm. 36. et serm. 20. in Psalm. 118. *Hilarius* in Psalm. 118. *Lactantius* l. 7. div. inst. c. 21. *Hieronymus* in

8. Laborat perpetuis contradictionibus.

c. 7. Amos. *Rupertus* l. 3. in Genes. c. 32. *statuunt, purgari debere post hanc vitam tam bonos quam malos, uno Christo excepto, adeo ut ipsa quoque Maria per ignem illum purgatorium transeat.*

XVII. 260. Hanc sententiam acceptam, ut sonat, Bellarminus dicit *continere errorem*, sic tamen patres uno Origene excepto excusat, quod Hilarius et Hieronymus loquantur *de igne divini judicii;* Lactantius, Ambrosius et Rupertus per ignem intelligant *verum ignem purgatorii,* per quem tamen dicant sanctos sine ulla laesione transire, ita ut transeant per purgatorium *materialiter*, *non formaliter*, cui sententiae conformem esse dicit visionem Fursaei, quam describit Beda l. 3. hist. c. 19: *Ille enim vidit in via ad coelum maximos ignes, per quos necessario transeundum erat, sed vidit simul eos, qui nihil haberent combustibile, hoc est nullum culpae aut poenae reatum, illaesos transire, alios vero magis minusve exuri, prout plus minusve materiae combustibilis offerebant.* In eplcrisi de hac sententia ferenda Bellarminus totus dubius est, neque enim audet eam pro vera asserere, nec tamen ut errorem improbare. Francisc. Middensis in elucid. verit. cathol. in annotat. disertis verbis eam confirmat. *Claret*, inquit, *quod omnes post hujus seculi vitam transire habeant per illum ignem*, addit tamen, *quod bonis non fiat ex hac re aliqua injuria, cum absque laesione per illum transeant et sine retardatione mercedem accipiant.* Et sane si *per ignem* 1. Cor. 3, v. 13. Pontificii intelligere velint ignem purgatorium, statuere coguntur tam eos, qui *super fundamentum aedificarunt aurum, argentum et lapides preciosos*, quam eos, qui *foenum et stipulas superaedificarunt*, hoc est tam bonos quam malos in illum ignem descendere. 3. De *ministro* seu tortore ac carnifice purgatorii. Salmeron. tom. 14. p. 232: *Non desunt quidam ex nostris, qui asserunt, daemones assistere his, qui purgantur, partim ut poenis illorum satientur, partim quia ipsis impellentibus quaedam peccata admiserunt, a quibus ibi expiantur et ideo ut victores illis insultant. Quam tamen sententiam alii forsan melioribus rationibus respuunt ut minus probabilem.* Bellarminus l. 2. de purg. c. 13: *An in purgatorio animae torqueantur a daemonibus, res est omnino incerta. Nam quod non torqueantur a daemonibus nec ab angelis, sed a solo igne, docent Scholastici, ut Thomas 4. sent. dist. 20. art. 5. et rationem reddunt, quia omnes animae purgatorii in ultimo conflictu diabolum superarunt, ideo non decet divinam justitiam, ut sinat, eas ab hoste devicto vexari. Deinde hic in terris etiam perfectos viros daemones vexant, qui sperant, se posse eos ad peccatum pertrahere, at animas purgatorii sciunt in gratia confirmatas non posse cadere et vexationem illis necessario profuturam ad celeriorem purgationem, non igitur credibile est, daemonum opera animas illas cruciari. Ex altera parte, quod a daemonibus torqueantur animae purgatorii, docent multae revelationes, ut illa Fursaei apud Bedam l. 3. hist. c. 19. et apud Dionysium Carthusianum lib. de quatuor novissimis*, et l. 1. vitae Bernhardi c. 10. Thomas Morus contr. Luth. scribens in eandem inclinat sententiam, quod scilicet daemones puniant animas in purgatorio. *Maneat igitur et hoc inter secreta* (inquit Bellarminus), *quae suo tempore nobis aperientur.* Quatuor in universum opiniones de hac quaestione apud Pontificios deprehenduntur. Quidam enim ex relatione diaboli putant, animas sui duntaxat exsilii vi et ignis vehementia affligi, specul. exemplorum dist. 4. ex. 44. et dist. 6. ex. 89. quidam ignem flatu omnipotentis excitari et accendi statuunt, ita sentit Legenda aurea hist. 158. Bonaventura 4. sent. dist. 40. §. 29. animas ab angelo bono in purgatorium duci ac educi asserit; alii ex revelationibus probare conantur, animas purgatorii a daemonibus torqueri. Et sane si purgatorium est sinus quidam inferni, si locum Matth. 5, v. 25. *ne tradat te judex ministro*, ad purgatorium accommodare velimus, si diabolum divinae justitiae executorem agnoscimus; eccur torquendi partes alteri quam diabolo assignabimus? Contra vero cum justorum animae sint *in manu Dei*, cur eas subjicere velimus manui ac potestati diaboli? et si daemones sunt in purgatorio, cur non et ipsi purgatorii ignis flammis tandem expurgantur? 4. De *materia* sive igne XVII. 261.
purgatorii. Albertus 4. sent. dist. 20: *Ego dico, quod non arbitrer, quenquam scire, qualis sit ignis ille, nisi cui Deus revelaverit.* In concilio Florentino aperte definitur, *non esse ignem* in purgatorio. Quidam, ut ostendimus superius, etiam *aquam* in purgatorio agnoscunt, nec solum igne, sed etiam aqua et flumine quasdam animas purgari adstruunt. Illis opponit se Thomas Morus, qui cont. Luth. scribens pertinaciter contendit, in purgatorio non esse aquam, idque probat ex Zach. 9. Bellarminus lib. 2. de purg. c. 10: *Certum est, in purgatorio, sicut etiam in inferno, esse poenam ignis, sive iste ignis accipiatur proprie, sive metaphorice, et sive significet poenam sensus, sive damni, ut quidam volunt.* c. 11: *Communis sententia theologorum est, verum et proprium esse ignem et ejusdem speciei cum nostro elementari, quae sententia non est quidem de fide, tamen est probabilissima.* Sed hic nova oritur difficultas, *quomodo ignis corporeus urat animas?* Respondet Bellarminus cap. 12. *non posse in hac vita sciri, quomodo ignis corporeus agat in animam incorpoream, sed licet non sciamus, quomodo id fiat, posse tamen fieri, ut constet ex quodam simili. Videmus autem, animam incorpoream uniri corpori humano et ei vitam dare, et cum illo simul gaudere et pati, cum tamen modus hujus unionis sit plane ineffabilis. Quis capiat, quomodo spiritus sit forma corporis, cum inter corpus et spiritum nulla sit proportio? Sicut ergo potuit uniri spiritus carni, ut illi vitam communicaret, ita potest uniri spiritus igni, ut ab illo poenam trahat, licet modus utriusque sit plane incognitus.* Atqui dispar ratio est inter animam *ἐνσώματον*, corpori unitam, et *ἀσώματον* extra cor-

pus subsistentem. Anima ἐνσώματος ignis corporei flammis afficitur non immediate, sed mediate ratione corporis, cui arctissime est unita, de quo tractat Augustinus lib. 21. de civ. Dei c. 10. (quem locum pro sua sententia Bellarminus adducit, cum non de poenis animarum in purgatorio, sed damnatorum in inferno ibidem agatur), sed animam ἀσώματον corporeo quodam igne immediate torqueri posse nondum est demonstratum. Ecquis enim non rideat illud, qued in speculo exemplorum dist. 3, exempl. 3. commemoratur, *presbyterum quendam vidisse animas verubus affixas ad ignem fuisse assatas et tortores adipem destilantem iterum in eas refudisse.* Antoninus part. 4. tit. 14. cap. 10. §. 4. *ignem purgatorium eundem esse dicit cum infernali ac gehennali*, unde ad purgatorium accommodat dictum Christi Matth. 10: *Timete eum, qui animam et corpus potest perdere in gehenna.* At si ex hoc Christi dicto purgatorium probatur, non erit ex eo liberatio, quia ex gehenna nulla speranda liberatio. 5. *De statu animarum* in purgatorio. Quaerunt, *an animae purgatorii possint mereri?* Thomas affirmat 4. dist. 21. q. 1. art. 3. ad 4. ubi dicit, *post hanc vitam non posse reperiri meritum respectu praemii essentialis, sed tantum respectu accidentalis.* Idem confirmant alii hoc argumento: *Animae in purgatorio habent omnia necessaria ad meritum, nam habent gratiam, fidem, spem, caritatem et liberum arbitrium saltem quoad exercitium, cur igitur non merentur? Deinde beati mereri possunt, ut patet de Christo, qui semper fuit beatus et tamen merebatur. Ergo multo magis animae purgatorium mereri poterunt.* Antisiodorensis in summa l. 4. refert quorundam sententiam, quod statuerint, *animas in purgatorio posse mereri vel demereri.* Sed contrarium statuit Bellarminus l. 1. de purg. c. 3. *videlicet in purgatorio non amplius esse locum meritis.* De Thoma respondet, quod sententiam suam mutaverit. Quaerunt, *an animae in purgatorio pro nobis orent?* Thomas 2. 2. q. 83. art. 11. ad 3. diserte negat. Quomodo enim pro nobis orarent animae destitutae *speculo illo*, in quo nostras intueantur miserias? quomodo orarent destitutae Dei visione et adspectu? Bellarminus l. 2. de purg. c. 15. §. quod autem etc. affirmat. *Non est*, ait, *incredibile, etiam animas purgatorii pro nobis orare et im-*
282. *petrare, quandoquidem animae Paschasii et Severini miracula operabantur, etiamsi in purgatorio degerent*, ut patet ex Gregorio l. 4. dialogorum c. 40. Probat id ipsum ex eo, *quod dives in inferno orabat pro fratribus suis* Luc. 16. At qualis intercessio, talis etiam probatio. Dives ille pro fratribus intercedendo nihil impetrat, metuendum igitur, ne et animae in purgatorio pro nobis orantes frustra intercedant, unde Bellarminus huic intercessioni parum fidens ac tribuens subjungit: *Quanquam haec vera sint, tamen superfluum videtur ab eis ordinarie petere, ut pro nobis orent, quia non possunt ordinarie cognoscere, quid agamus in particulari, sed solum in genere sciunt, nos in multis periculis versari, sicut nos de illis in genere scimus, eas valde torqueri, nam nec rebus nostris intersunt, nec in Deo orationes nostras vident, nec est verisimile, eis revelari ordinarie, quid agamus vel petamus.* Sed huic discursui Bellarmini contradicit Legenda aurea 158. ubi traditur, *animam animae nuntiare et revelare, quae in mundo aguntur et quae pro singulis vota fiunt.* In Spec. exempl. dist. 3. exempl. 123: *Anima cujusdam in purgatorio subsultabat subito, et cum ab animabus vicinis interrogaretur, quam ob rem id faceret, respondit, illa ipsa hora sibi natum postumum, qui in prima sua missa ipsum ex purgatorio esset liberaturus.* Quaerunt, *an animae in purgatorio certae sint de sua salute?* Salmeron tom. 14. p. 231: *Quidam Catholici sentiunt, aliquos defunctos salutis ignoratione puniri, et illo vehementissimo dolore, qui inde exsurgit, affligtari. Quidam Catholici*, inquit Bellarminus l. 2. de purgat. c. 4. *docent, non esse certas; existimant enim, inter purgatorii poenas esse unam maximam incertitudinem salutis. Ita videtur sentire Dionysius Carthusianus ob quasdam visiones, quas ipse refert* lib. de quatuor noviss. art. 47. *Idem docet Michaël Baii* lib. 2. merit. c. 8. *Idem videtur deduci ex sententia Gersonis* lect. 1. de vit. Spir. *et Johan. Roffensis* contra artic. 32. Lutheri etc. *At communis theologorum sententia est, omnes animas, quae in purgatorio sunt, habere certitudinem suae salutis*, ita enim definivit Leo X. in bulla sua contra Luther. art. 28. quam tamen certitudinem Bellarminus dicit esse *mediam inter eam, quae est beatorum et in vita aeterna et piorum in hac vita, quam vocat conjecturalem.* Quanta vero haec absurditas majorem salutis certitudinem tribuere animabus, quae in purgatorio a diabolis torquentur, quae justitiam Dei vindicem potius quam gratiam sentiunt, quae puniuntur igne sola duratione ab infernali differente, quae non amplius sunt in statu merendi etc. quam piis in hac vita, quibus in verbo evangelii gratia Dei, remissio peccatorum et vita aeterna offertur, qui habent vitam aeternam, quibus Spiritus sanctus interius confirmat, quod sint Dei filii et heredes vitae aeternae? Quodsi animae in purgatorio sunt certae de sua salute, cur ecclesia Romana pro eis hac precationis forma orat: *Libera Domine animas omnium fidelium defunctorum de poenis inferni et de profundo lacu, libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum.* Bellarminus anxie quaerit varias responsiones, sed nec lectori, nec sibi ipsi satisfacit. Nota etiam illam contradictionem. Poenae purgatorii sola duratione differunt a poenis damnatorum inferni et ex hypothesi Pontificiorum. Atqui poena damnatorum *essentialiter includit desperationem salutis* docente Bellarmino l. 4. de Christo c. 8. quomodo igitur animae in purgatorio possunt esse certae de salute? 6. De *loco purgatorii* Thomas 4. sent. dist. 21: *De loco purgatorii non invenitur aliquid determinatum in Scripturis, nec ad hoc possunt rationes efficaces induci.* Contrarium statuit Becanus de purg.

Calvin. c. 3. p. 32. qui inter ea, quae de purgatorio apud Catholicos certa sunt, etiam hoc numerat, *quod sit in loco subterraneo. De eo ecclesia nihil definivit*, inquit Bellarminus l. 2. de purg. c. 6. (ejus, quod nusquam est, locus definiri non potuit.) *Sunt autem multae opiniones. Prima quorundam, qui putant, ibi animas purgari, ubi peccaverunt, hoc est variis in locis. Et quidem*
XVII. 263. *quod variis in locis animae purgentur, satis probabiliter colligitur ex Gregorio l. 4. dial. c. 40. et 55. qui refert animam Paschasii et cujusdam alterius in balneis fuisse purgatas, nec non ex epist. Petri Damiani de mirac. sui temporis, ubi describit visionem de purgatione animae Severini in quodam flumine. At quod omnes ibi puniantur, ubi peccaverint, non est probabile, nam contingit, aliquem in multis locis peccasse, nec est verisimile, in omnibus illis purgandum. Secunda opinio, loca animarum non esse corporalia. Ita Augustinus l. 12. de Genes. ad lit. c. 33. sed retractavit lib. 2. retract. c. 24. Tertia, loca poenalia animarum esse hunc mundum, in quo animae manent in corpore tanquam in carcere. Hanc refert et refellit Irenaeus in fine lib. 5. Quarta, infernum et purgatorium animae nihil aliud esse, quam conscientiam accusantem et punientem peccata, ita Philo et Origenes. Quinta est, infernum et proinde purgatorium, sunt enim loca vicina, fore in valle Josaphat, ita refert Chrysostomus sensisse veteres aliquos, homil. de praemiis beator. tom. 3. Similem sententiam refert Gregorius lib. 4. dial. c. 42. Sexta, infernum esse statum animae extra corpus, ita refert Theophylactus in c. 16. Luc. Septima est, locum poenalem animarum non esse terram, sed aërem istum caliginosum, ubi daemones versantur, ita Gregorius Nyssenus in lib. de anima et resurr. ac Chrysostomus homil. de praem. beator. et auctor imperf. oper. in Matth. hom. 53. cui sententiae favet historia Fursaei apud Bedam lib. 3. hist. Angl. c. 19. illo enim defuncto cum ab angelis in coelum deduceretur, ostensi sunt maximi ignes supra aërem, qui servabantur, ut angelus dicebat, ad mundi conflagrationem, et interim examinabantur ibi opera hominum. Octava est communis Scholasticorum, purgatorium esse intra terrae viscera inferno ipsi vicinum. In legendis et speculis exemplorum memoratur, quod aliae animae relegatae fuerint in vepres, aliae in montes, aliae in convalles, aliae in puteos, aliae sub umbras arborum, aliae in aërem, aliae sub stillicidia, aliae in glaciem, aliae in flumina, aliae in antrum Patricii* etc. Rationem diversae illius circumgyrationis exponit Bonaventura 4. sent. dist. 4. §. 34: *Diversis diversa loca sunt concessa, vel propter eorum celeriorem liberationem, ut aliis possint suam indigentiam revelare, sicut docet exemplum de Paschasio; vel propter nostram instructionem, ut aliquando recogitemus, magnam post hanc vitam poenam infligi peccatoribus; vel propter cujusdam sancti impetrationem, sicut legimus, quod Patricius impetravit cuidam, quod puniretur in quodam loco in terra.* Albertus 4. sent. dist. 20. sic distinguit, *quod purgatorii locus alius est ex ordine divinae justitiae determinantis receptaculum animae puniendae, alius vero ex dispensatione.* Majolus in dieb. canicul. colloq. 2. p. 61: *Thomas cum Bonaventura dicit, quod particularia purgatorii loca in superficie terrae specialiter Deus ordinavit.* Quaerunt porro, *an praeter coelum et purgatorium sit post hanc vitam aliquis alius locus pro animabus justis?* Bellarminus l. 2. de purg. c. 7. dicit, *hic subesse difficultatem satis magnam, quia ex una parte omnes theologi docent, non esse alia receptacula praeter quatuor enumerata, quae sunt limbus patrum, limbus infantum, purgatorium et infernus, et concilium Florentinum sess. ult. definit, animas, quae nihil purgandum habent, mox recipi in coelum. Ex altera parte narrat Beda lib. 5. hist. c. 13. visionem valde probabilem, cui ipse fidem adhibere non dubitavit, in qua ostensum fuit cuidam animae, quae ad corpus postea rediit, praeter infernum, purgatorium et regnum coelorum, quoddam quasi pratum florentissimum, lucidissimum, odoratum, amoenum, in quo degebant animae, quae nihil patiebantur, sed tamen ibi manebant, quia nondum idoneae erant divinae visioni beatificae, cui revelationi multas alias conformes adducit Dionysius Carthus. in dialogo de judicio particulari art. 31. et Ludov. Blosius in monili spirituali cap. 13.* XVII.
*Videtur mihi dicendum* (ait Bellarminus), *non esse improbabile, talem aliquem locum reperiri, ceterum ejusmodi locum ad purgatorium pertinere* (mirum vero, quod flammae purgatorii illud pratum non exurant ac deturpent). *Etsi enim ibi nulla sit poena sensus, tamen est poena damni. Poena autem non convenit nisi animae, quae nondum plene purgata est, itaque erit locus ille mitissimum purgatorium et quasi carcer quidam senatorius ac honorarius.* (Atqui si omnis locus, in quo est poena damni, pertinet ad purgatorium, etiam limbus patrum, limbus infantum ad purgatorium pertinebunt, sicque duo tantum remanebunt receptacula, infernus scilicet et purgatorium.) 7. De *tempore purgatorii*, tum ratione *initii*, tum ratione *finis*. Salmeron. tom. 14. disp. 25. p. 220. refert, quosdam asserere, *quod ante Christi mortem quidem fuerit purgatorium, quia nondum fuerat consummata iniquitas, nec finem acceperat peccatum, verum post Christi passionem ac mortem sublatum esse de medio*, quibus opponit locum 1. Cor. 3. et ecclesiae confessionem. Dominicus a Soto 4. sent. dist. 19. q. 3. art. 2: disputat, *tempus purgationis non durare ultra decem annos.* Rationem addit hanc, *quia si hic in terris aliquibus poenis brevi tempore liberari possumus ab omni poena, quare non multo citius in purgatorio, cum illae poenae sint poenae in infinitum graviores et intensiores istis? Praeterea hic sunt prolixae poenae, quia non possunt esse multum intensae, nam subjectum destruerent. At post hanc vitam possunt esse intensissimae, quia subjectum est in-*

*corruptibile. Ergo credibile est, Deum illas animas ad gloriam anhelantes brevissimo tempore per intensissimas poenas purgare.* Sed hanc Dominici opinionem Bellarminus l. 2. de purg. c. 9. repudiat eidemque opponit *visiones sanctorum, quae testantur, quasdam animas usque ad diem judicii in purgatorio mansuras, item ecclesiae Romanae consuetudinem, quae anniversaria sacra celebrat pro defunctis, etiamsi constet, eos ante centum vel ducentos annos esse mortuos.* Concludit igitur, *rem esse incertissimam nec nisi temere definiri posse.* Antoninus part. 4. tit. 14. c. 10. §. 6: *Unicuique tempus purgationis ad illud, in quo peccavit, dimensum est.* Quod si ita est, quorsum igitur prodest per centum, ducentos vel plures annos missas, vigilias, septendialia et anniversaria pro defunctis celebrare? *In extremo judicio finem suum habiturum esse purgatorium* asserit Bellarminus l. 1. de purg. c. 12. resp. ad 5. Sed veteres, quorum auctoritatem in hac controversia nobis opponunt (Origenes, Ambrosius, Lactantius), ultra finem seculi extendunt quorundam purgationem. Nec potest dari evidens ratio, cur in fine seculi purgatorium sit exstinguendum, cum tamen multi paulo ante novissimum diem mortui reatu peccatorum venialium et debito poenarum temporalium pro peccatis suis persolvendarum adhuc teneantur obstricti. Sed et pontifices Romani *in multa annorum millia* et sic ultra finem seculi indulgentias suas protendunt, quod imposturae perquam affine, si in fine mundi purgatorium penitus cessabit. 8. De *gravitate poenarum in purgatorio.* Omnes quidem statuunt, *poenas purgatorii esse majores poenis hujus vitae, unde* Antoninus part. 4. tit. 14. c. 10. §. 4. refert, *aliquando aegrotum mutasse suum morbum poena purgatorii, at mox morbum eundem licet acerbissimum repetivisse,* ac dis. de tem. serm. 60. dicit: *Si cui brevissimus dies in purgatorio transigendus esset, mallet is centum annos in acutissimis spinis incedere pede nudo, nihil quam atrum panem vorare, nihil quam fel aceto mixtum potare lapidemque pro pulvinari habere.* Dubitant tamen ac disceptant, *quomodo poenae purgatorii majores sint hujus vitae poenis.* Tom. 4. sent. dist. 20. q. 1. art. 2. docet, *poenam damni esse maximam poenarum, tam quae in purgatorio, quam quae in hac vita reperiri possint, ac minimam poenam purgatorii esse majorem maxima poena hujus vitae, quod utrumque certis rationibus conficere nititur.* Sed Bonaventura in 4. sent. dist. 20. art. 1. q. 2. statuit, *poenam damni in purgato-*
XVII. 265. *rio non esse majorem omni poena sive purgatorii, sive hujus vitae; ac purgatorii poenas esse majores poenis hujus vitae solum in hoc sensu, quia maxima poena purgatorii est major, quam sit maxima poena hujus vitae, licet aliqua poena purgatorii reperiatur minor aliqua poena hujus vitae,* quae sententia Bonaventurae Bellarmino magis probatur l. 2. de purgat. c. 14. Quaerunt etiam, *an poenae purgatorii semper crucient aeque graviter ab initio usque ad finem purgationis, an vero paulatim minuantur, donec finem accipiant?* Bellarminus d. l. respondet, *de eo adhuc superesse quaestionem, interim probabilius esse, quod poenae paulatim remittantur,* quod tamen non nisi ex revelatione quadam facta Malachiae probat. 9. De *liberatione animarum ex purgatorio.* Animas sanctorum defunctorum cum Christo regnantes orare pro animabus in purgatorio laborantibus, ut eo citius ex eo liberentur, negat Dominicus a Soto 4. sent. dist. 45. q. 3. art. 2. contrarium asserunt reliqui Pontificii. Ex purgatorio animas liberari posse, ex inferno non posse, communis est fere omnium sententia. Sed in missae sacrificio pro defunctis hoc modo orant: *Domine, libera animas fidelium defunctorum de poenis inferni et de profundo lacu, libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum;* in quibus verbis dextre explicandis plurimum laborant Bellarminus et Salmeronius, nec tamen sibi ipsis satisfaciunt. Damascenus in orat. pro mortuis dicit, *orationibus Teclae liberatam de inferno animam cujusdam Falconillae feminae paganae, et orationibus Gregorii papae animam Trajani imperatoris,* quam historiam defendit Andradius Payva, imo et Salmeron. t. 14. disp. 27. p. 236. Ranulphus l. 6. in polychr. c. 8. *impii regis Eduini animam Dunstani precibus ab inferno liberatam ac in poenitentium animarum sorte translatam esse* memorat. Gregorius l. 1. dial. c. 12. scribit, *a S. Severo excitatum quendam virum pessimum, qui a daemonibus in infernum deducebatur.* Bellarminus lib. 2. de purg. c. 8. dubius est. *Si haec* (inquit) *Damasceni historia defendi debeat, oportet dicere, Trajanum non fuisse absolute damnatum ad inferos, sed solum punitum in inferno secundum praesentia ejus demerita et suspensam sententiam propter praevisas Gregorii preces et praeterea non immediate ex inferno ad coelum transiisse, sed prius corpori unitum et tunc baptizatum et poenitentiam in hac vita egisse. Ista enim est communis solutio Thomae, Durandi, Richardi et aliorum 4. sent. dist. 45.* Atqui sacrae literae ne ipsius quidem Christi meritum eo extendunt, ut si quis in finali impoenitentia decedat, praesertim hostis Christiani nominis ac sanguinis, ex gehennae flammis rursum eripiatur, unde Bellarminus tandem propendet in Cani et aliorum sententiam, quae hanc historiam rejicit ut confictam, qua ratione apertis tibiis Andradio, Alphonso, Salmeronio, Ciaconio et aliis Pontificiis contradicit. Sic ergo nuspiam inveniunt, ubi pedem figant. Inter remedia, quibus animae in purgatorio aestuantes juvantur, referunt *indulgentias pontificis.* Sed quomodo illae animabus defunctorum *applicentur*, de eo non conveniunt. Quidam existimant, *papae jurisdictionem extendere se in purgatorium, ita ut animabus in purgatorio per modum absolutionis ejus communicare possit.* Quidam vero, inter quos Bellarminus l. 1. de indulgent. c. 14. et l. 2. de purgat. c. 16. Förnerus de jubilaeo p. 207. statuunt, *jurisdictionem papae non extendere se ad purgatorium, ideoque indulgentias*

*defunctis concedi non per modum absolutionis, sed per modum suffragii.* Si quaeras, ubi modus ille suffragii fundatus? quidam recurrunt ad Scripturas male detortas, quidam ad patres, quidam ad Romanae ecclesiae auctoritatem. Antoninus archiepiscopus Florentinus part. 1. tit. 10. c. 3: *De indulgentiis nil expresse habemus ex Scriptura sacra, nec etiam ex dictis antiquorum doctorum, sed modernorum.* Alphonsus de Castro l. 8. contra haereses p. 255: *Inter omnes res, de quibus in hoc opere disputamus, nulla est, quam minus aperte sacrae literae prodiderint et de qua minus vetusti scripto-*
XVII. 266. *res dixerint* (quam indulgentiae). Dissentiunt etiam *de suffragiis particularibus.* Nam Cajetanus tom. 1. opusculor. tract. 16. q. 5. docet, *omnes quidem animas juvari posse et juvari etiam communibus suffragiis. At particularibus, quae pro illis fiunt, non juvari, nisi illas, quae particulariter meruerunt, ut sibi talia prodessent.* Dicit autem, eas peculiariter mereri, quae hisce in terris habuerunt specialem devotionem, ad claves ecclesiae et soliciti fuerunt pro animabus aliorum. Sed Praepositivus presbyter Leodiensis in comp. theol. et alii, quos citat Thomas in 4. sent. dist. 45. q. 2. art. 4. dicunt, *suffragia, quae fiunt pro uno, non ei solum prodesse, verum etiam omnibus aliis, nec minus omnibus aliis quam illi, sicut lucerna accensa pro Domino aequaliter illuminat servos, qui in eo loco sunt, et sicut lectio pro uno prodest omnibus cum illo exsistentibus, quia vox una omnibus communicatur.* Bellarminus lib. 2. de purgat. c. 18. sententiam communem dicit esse *in medio*, quod nimirum *suffragia particularia omni et soli illi prosint in ratione satisfactionis, pro quo fiunt.* Probationis loco addit, *quod applicatio ejusmodi bonorum pendeat ex intentione applicationis* ac proinde non debere comparari ista suffragia lumini lucernae, sed potius *pecuniae*, quae ab uno pro altero solvitur. Quaerunt insuper, *an suffragia praestita ab iis, qui sunt in peccato mortali, prosint defunctis?* Quidam in affirmantem, quidam in negantem abeunt sententiam. Ex quibus omnibus constat, dogma Pontificium de purgatorio meris ac perpetuis contradictionibus esse involutum.

Argumenta Pontificiorum pro stabiliendo purgatorio 1. ex V. T. 1. ex 2. Macc. 12. sancta et salubris cogitatio. etc.

224. Restat, ut fundamenta purgatorii videamus. Bellarminus l. 1. de purg. c. 3. quinque genera argumentorum affert, *1. Scripturas V. T. 2. Scripturas N. T. 3. concilia, 4. patres, 5. rationes.* 1. Ex V. T. primo loco adducit historiam 2. Macc. 12. ubi posteaquam Scriptura narravit, *Judam Maccabaeum misisse in Jerusalem 12 millia drachmarum argenti in sacrificia pro mortuis expendenda*, subjungit: *Sancta et salubris est cogitatio pro defunctis orare, ut a peccatis solvantur.* Ex quo colligit Bellarminus, 1. *posse mortuos a peccatis post hanc vitam solvi, et proinde esse purgatorium; 2. sacrificia et orationes vivorum prodesse defunctis; 3. non expiari semper in morte omnes peccatorum reliquias, nam isti, pro quibus orari jussum, mortui erant morte violenta et pro religione, et tamen credebat Judas, adhuc illos non esse plene purgatos; 4. posse hominem sancte et pie mori et tamen habere debitum aliquod solvendum vel propter venialia peccata non remissa in vita, vel propter satisfactionem pro peccatis mortalibus non plene expletam; dicit enim Scriptura, eos, pro quorum peccatis jussit orari Judas, cum pietate dormitionem accepisse; 5. hoc esse de fide.* Huic argumento, quod Bellarminus habet pro primario ac principali ex V. T. (reliqua enim tantum probabiliter purgatorium suadere asserit), primo omnium respondemus, librum illum non esse in canone, id quod suo loco demonstravimus sequentibus fundamentis: 1. non est scriptus a propheta, quia scriptus est post tempora Malachiae, qui fuit ultimus V. T. propheta. Hieronymus in catal. viror. illustr. et lib. 2. contr. Pelag. et alii statuunt, *Josephum* esse horum librorum auctorem. At Josephus vixit post Christum natum, nec fuit prophetica auctoritate conspicuus. Ergo librum aliquem propheticum scribere non potuit. 2. Auctor hujus libri satis manifeste indicat, se non scripsisse prophetico spiritu, petit enim a lectore veniam, quod a Spiritus s. amanuensibus alienum. c. 15, v. 39: *Et si quidem bene et ut historiae competit* (haec scripsissem), *hoc et ipse velim, si autem minus digne, concedendum est mihi.* v. 40. *Sicut enim vinum semper bibere aut semper aquam, contrarium est, alternis vero uti delectabile; ita legentibus, si semper exactus sit sermo, non erit gratus.* cap. 2, v. 27. conqueritur de difficultate hujus operis. *Et nobis quidem ipsis*, inquit, *qui hoc opus breviandi causa suscepimus, non facilem laborem, imo vere negotium plenum* XVII. 267.
*vigiliarum et sudoris assumsimus.* At Spiritui sancto canonicorum librorum auctori nihil est difficile, nihil laboriosum, nihil molestum. Denique cap. ejusd. v. 24. profitetur, quod in compendium redigere velit quinque libros Jasonis Cyrenaei. At Spiritus sanctus non consuevit in epitomen redigere historiam profani alicujus scriptoris. 3. Liber hic non est scriptus lingua prophetica, scilicet Hebraea, sed constat idiomate Graeco. 4. Continet quaedam libris explorato canonicis et historicae veritati repugnantia. Narratio de sacro igne et arca et tabernaculo et altari in monte quodam a Jeremia positis et absconditis cap. 2, v. 4. non convenit cum historia in canonicis libris annotata. Aut enim haec contigerunt, antequam urbs a Chaldaeis caperetur, quod fieri non potuit, quia Jeremias fuit in carcere usque ad urbis excidium, Jerem. 37, v. 18. cap. 38, v. 28. aut contigerunt, postquam capta est urbs, quod commode dici nequit, quia Chaldaei *omnia vasa templi* diripuerunt 2. Reg. 25, v. 13. 2. Paral. 36, v. 18. Jerem. 52, v. 17. Praeterea in eod. c. 2, v. 8. addit auctor, *quod Jeremias praedixerit, in congregatione populi ea iterum esse manifestanda*, at post captivitatem Babylonicam Judaei illam arcam, illud tabernaculum, illud altare non invenerunt, nec habuerunt, quod ipsimet rabini fatentur. Kimchi ad cap. 1. Hagg. Galatinus lib. 4. de arcan. c. 10. Drusius lib. 15. observat. c. 16. ex Massechath.

Joma. 5. Approbat quaedam cum fidei analogia pugnantia, c. 14, v. 42. 43. et 46. praedicatur Raziae fortitudo, quod sibi ipsi violentas manus intulerit, cum tamen *αὐτοχειρία* pugnet cum praecepto divino, *non occides*. Hoc ipsum, quod de sacrificio pro mortuis oblato ex hoc libro affertur, pugnat cum fidei analogia, quia Deus nuspiam in tota lege sacrificia pro mortuis offerri praescripsit. 6. Continet quaedam cum primi libri historia pugnantia, lib 1. cap. 6, v. 8. et 16. Antiochus dicitur exstinctus prae animi aegritudine, quam ex infausto nuntio conceperat, idque Babylone in lecto, quando filium tradidit Philippo, quem regno praefecerat; cap. 9, v. 28. peregre in montibus miserabili obitu functus dicitur; sed lib. 2. cap. 1, v. 16. in fano Naneae obtruncatus et membratim concisus dicitur. c. 9, v. 9. de ipso refertur, quod mortuus sit dolore viscerum, ita ut vermes ex corpore ejus adhuc viventis erumperent et foetor horribilis in totum paene exercitum redundaret, quae narratio convenit cum eo, quod Dan. 8, v. 25. de Antiocho praedictum, *conteretur sine manu et foedo morbo contabescet*, falsum igitur quod de obtruncatione ejusdem habetur lib. 2. c. 1, v. 16. Sic lib. 1. c. 9, v. 3. Judas dicitur occisus anno 152. regni Seleucidarum; sed lib. 2. c. 1, v. 10. anno 188. literas scribit ad Aristobulum magistratum Ptolemaei, nimirum annis 36, postquam erat mortuus. Lib. 1. c. 4, v. 36. Judas templum purgasse dicitur ante mortem Antiochi post fugatum Lysiam; at lib. 2. c. 10. in princ. post mortem Antiochi dicitur facta templi purgatio. Lib. 2. c. 10, v. 11 Antiochus Eupator Epiphanis filius suscepto regno Lysiam regni negotiis praefecisse dicitur; at lib. 1. c. 6, v. 17. Lysias diu ante reipublicae praefuit et Antiochum regem instituit eumque Eupatorem vocavit. Summatim, cum liber secundus easdem historias, quae in primo descriptae sunt, retexat, multa admiscet, utpote de admirandis apparitionibus in conflictibus, de numeris interfectorum etc. quorum nec primus Maccabaeorum, nec Josephus meminerunt. 7. Non est receptus in canonem ab ecclesia Judaica, cui *τὰ λόγια τοῦ θεοῦ* fuere concredita Rom. 3, v. 2. Augustinus l. 18. de civ. Dei c. 36. l. 2. cont. epist. Gaud. cap. 23. 8. Non habet testimonium Christi vel apostolorum in N. T. 9. A primitivae ecclesiae doctoribus extra canonem ponitur. Videatur Clemens Rom. l. 1. const. c. 7. Origenes apud Eusebium l. 6. c. 25. in Gr. Athanasius in synopsi, concilium Laodicenum can. 59. concilium Carthaginense apud Balsamon. cap. 47. Hilarius in prol. sub. psal. Nazianzenus in carmin. Amphilochius in jambis ad Seleuc. Cyrillus Hierosolym. catech. 4. Ruffinus in symbol. Hieronymus praefat. in lib. Reg. in Proverb. et in Sapient. librum, qui dicitur *Εἰνοδικός*, Richardus Victor. lib. 2. except. cap. 9. etc. 10. Ipsimet Romani pontifices,
XVII. 268. quorum judicium ex hypothesi Papistarum est infallibile, *ἔξω τοῦ κανόνος* hunc librum posuerunt. Gregorius Magnus lib. 19. moralium c. 13. *De qua re*, inquit, *non inordinate agimus, si ex libris non canonicis, sed tamen ad aedificationem ecclesiae editis testimonium proferamus*, cujus dicti perspicuitate motus Melchior Canus lib. 2. locor. cap. 10. fatetur, *Gregorium hos libros a canone removisse.* Gelasius cum 70. episcopis unum tantum Maccabaeorum librum in canonem recipit. 11. Quidam ex Pontificiis canonicam ejus auctoritatem enervant. Occam. part. 3. dial. tract. 1. lib. 3. cap. 16. Lyranus in Esdram c. 1: *Non sunt in canone* (Maccabaeorum libri) *nec apud Judaeos, nec apud Christianos.* Carol. Sigonius in comm. in Sulpic. Sever. *propter dissonantiam* ex libris canonicis eos removet. Bellarminus lib. 1. de verbo Dei cap. 17. citat et approbat sententiam Josephi lib. 1. cont. Apion. *non haberi apud Hebraeos in canone sanctorum scriptorum eos libros, qui post tempora Artaxerxis Longimani scripti sunt, siquidem* (addit Bellarminus) *librorum sacrorum canonem Esdras composuit, cujus vita non extenditur ultra tempora Longimani.* Atqui res in libris Maccabaeorum descriptae longissime post Artaxerxis tempora evenerunt, circa annum 140. monarchiae Graecorum, ita ut Esdras hos libros videre non potuerit, nisi fingatur ad annos prope trecentos vitam produxisse.

225. Excipit Bellarminus, *librum Maccabaeorum non esse canonicum apud Judaeos, sed apud Christianos, siquidem ecclesia universa legit hunc librum in missa et numerat eum cum divinis libris* concilium Carthaginense III. can. 47. Innocentius in epist. ad Exuperium, Augustinus lib. 18. de civ. Dei cap. 36. Ad probationem dicit, *auctorem non petere veniam errorum, sed elocutionis, quo modo etiam Paulus excusat sermonis sui imperitiam.* Respondemus: 1. Si hoc sensu canon Judaeorum a canone Christianorum circa V. T. libros distinguitur, quod praeter libros vere et proprie canonicos, qui soli sunt ad dogmata fidei probanda efficaces, ecclesia Christiana quosdam *ad morum aedificationem* utiliter legendos receperit, distinctionem concedimus, sed addimus, hanc ecclesiae receptionem nequaquam efficere, ut pro canonicis proprie sic dictis et divina inspiratione editis haberi possint, quia teste ipsomet Bellarmino l. 1. de verbo Dei c. 10. §. Itaque etc. *ecclesia nullo modo facere potest librum canonicum de non canonico.* Ut una est ecclesia V. et N. T. ita quoque unum eundemque oportet esse canonem librorum V. T. et veteris et novae ecclesiae judicio, nam populus N. T. a populo Israëlitico canonem V. T. accipit. Confer Augustinum lib. 16. de civ. Dei cap. 37. lib. 12. contra Faustum cap. 23. etc. 2. Si partem aliquam Scripturae canonicae ecclesia Judaica tempore Christi respuisset, utique hoc nomine a Christo et apostolis fuisset taxata, cum de erroribus longe minoribus tam acriter sacerdotes et Pharisaeos reprehendant. Ita concludit Origenes in octav. volumine explanationum Esaiae referente Hieronymo in c. 6. Esaiae. Ipse Bellarminus lib. 3. de ecclesia c. 16. §. Ad tertiam etc. disputat, *ecclesiam Judaeorum ante Christi adventum non defecisse.* Ergo testimonium ejus de libris canonicis

Exceptiones Bellarmini ad hanc responsionem.

repudiari non debet. Quodsi enim libros quosdam *ὄντως* et vere canonicos non recepisset, utique gravissime errasset. 3. Pii veteres non solum *ex canone Judaeorum*, sed etiam ex *canone Christianorum* hos libros excludunt. Concilium Laodicenum praescribit, qui libri pro canonicis in *ecclesia Christianorum* legi debeant. Melito *in Orientem profectus est*, ut libros V. T. canonicos accurate disceret, id vero plane frustraneum fuisset, si alium Judaeorum, alium Christianorum canonem statuisset. Idem ex verbis Athanasii, Cyrilli, Ruffini et aliorum colligitur. Bellarminus ipse respectu ad Hieronymi sententiam habito vanitatem illius distinctionis repudiat lib. 1. de verbo Dei cap. 10. *Non est verum*, inquit, *quod alii respondent*, *Hieronymum dicere*,
XVII. 269. *eos canonicos fuisse apud Judaeos*, *at certe in prologo Galeato Hieronymus numerans librum Pastoris omnes simul dicit non esse in canone*, *non ergo de canone Hebraeorum loquitur*. 4. Augustinus et pauci alii, qui a Christianis libros hos pro canonicis haberi dicunt, nomine *canonici* utuntur in sensu latiore, quem exponit Cajetanus in comm. hist. V. T. *Ne turberis*, inquit, *novitie*, *si alicubi repereris libros illos Judith*, *Tobiae*, *Maccabaeorum* etc. *inter canonicos supputari vel in sacris conciliis*, *vel in sacris doctoribus*. *Nam ad Hieronymi limam reducenda sunt tam verba conciliorum*, *quam doctorum*, *et juxta ejus sententiam libri illi et si qui alii in canone Bibliae similes non sunt canonici*, *hoc est regulares ad firmanda ea*, *quae sunt fidei*, *possunt tamen dici canonici*, *hoc est regulares ad aedificationem fidelium*, *utpote in canone Bibliae ad hoc recepti et auctorisati*. Veritas hujus responsionis patet ex ipso Augustino, qui de libris Maccabaeorum sic loquitur lib. 18. de civit. Dei cap. 36: *Quorum supputatio temporum non in Scripturis sanctis*, *quae canonicae appellantur*, *sed in aliis inveniuntur*, *in quibus sunt et Maccabaeorum libri*, *quos non Judaei*, *sed ecclesia pro canonicis habet propter quorundam martyrum passiones vehementes atque mirabiles*. lib. 2. cont. epist. Gaudent. cap. 23: *Et hanc quidem scripturam*, *quae appellaturMaccabaeorum*, *non habent Judaei*, *sicut legem et prophetas et psalmos*, *quibus Dominus testimonium perhibuit tanquam testibus suis*, *sed recepta est ab ecclesia non inutiliter*, *si sobrie legatur vel audiatur maxime propter illos Maccabaeos*, *qui pro lege Dei*, *sicut veri martyres*, *a persecutoribus tam indigna atque horrenda perpessi sunt*. Ex quibus manifeste apparet, Augustinum nomine canonici libri uti in significatione generaliori pro libro, qui in ecclesia legitur *ad morum aedificationem*, ita tamen ut cum libris reliquis proprie dictis canonicis non habeat parem auctoritatem. Confer lib. 17. de civ. Dei c. 20. ubi dicit, *minus firma esse*, *quae non sunt scripta in canone Judaeorum;* lib. 2. de mirab. Script. ubi libros Maccabaeorum a divino canone distinguit. 5. Nec Paulus 2. Cor. 11, v. 6. nec ullus scriptor canonicus erratorum veniam petit, si quid minus digne vel dextre scriptum sit, sciunt enim, se dictante et inspirante Spiritu sancto scripsisse, ideoque omnia utpote a Spiritu sancto profecta esse *ἀξιόπιστα* et *θεόπνευστα*, proinde nec in rebus, nec in verbis veniam petere necesse habent. Paulus d. l. nequaquam se excusat, *quod tenuiter aut exiliter scripserit*, *aut minus praestiterit*, *quam sibi habuerit propositum*, sed vocat se *ἰδιώτην λόγῳ*, quia talis videbatur pseudoapostolis, cum non sectaretur sermonis subtilitates. Plura de hac exceptione disputantur in quaestione de canonicorum et apocryphorum librorum discrimine. Accedimus ergo ad membrum responsionis secundum.

226. 2. Clausula illa de sacrificio pro defunctorum peccatis oblato videtur adjectitium quoddam glossema, quod ex margine in textum irrepsit, 1. quia eadem narratio exstat in 1. Maccab. 5. sed ibi nulla fit mentio de sacrificiis; 2. nec in Josepho Gorionide Hebraice scripto, ubi eadem historia lib. 3. cap. 19. narratur, quidquam de sacrificio habetur; 3. sed nec apud Josephum Graecum quidquam de eo legitur. 4. Santes Pagninus testatur, se ea non reperisse in autographo. 5. Judaei non fuerunt soliti pro mortuis sacrificia offerre aut precari, cum in propria sede doctrinae de sacrificiis, in Levitico scilicet, nullum hac de re institutum divinum habeatur. Ergo non est verisimile, Judam Maccabaeum contra gentis suae et ecclesiae Israëliticae consuetudinem mandasse, ut Hierosolymis offerretur sacrificium pro peccatis mortuorum, aut sacerdotes in hoc Judae mandatum consensisse. 6. Conclusio illa, *sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur*, non videtur historico convenire, quippe cujus est historiam narrare, non autem de suo *ἐπίκρισιν* adjungere. 7. Eadem verba sententiam reddunt confragosam, quibus demtis tota oratio recte cohaere- XVII. 270
ret. Excipit Bellarminus, *in Graeco textu non haberi particulam ergo*, *sensum Graeci textus ac Latinae versionis esse eundem*, *neque esse historicis insolitum aliquid interdum colligere ex rebus gestis*, *quod ad imitationem et bonos mores pertineat*. Respondemus: 1. Graeca sic habent: *εἶτ' ἐμβλέπων τοῖς μετ' εὐσεβείας κοιμωμένοις κάλλιστον ἀποκείμενον χαριστήριον, ὁσία καὶ εὐσεβὴς ἐπίνοια, ὅθεν περὶ τῶν τεθνηκότων τὸν ἐξιλασμὸν ἐποιήσατο, τῆς ἁμαρτίας ἀπολυθῆναι*, *deinde considerans his*, *qui cum pietate obdormierant*, *optimam repositam gratiam*, *sancta et pia consideratio*, *unde pro mortuis propitiationem fecit*, *ut a peccato solverentur*. Hic cuivis manifestum, verba illa *ὁσία καὶ εὐσεβὴς ἐπίνοια* posse a contextu sejungi, ut sententiae nihil omnino decedat, videntur igitur adjectitia. 2. Non licet Bellarmino ad fontem Graecum provocare, ne incurrat anathema concilii Tridentini. 3. Graecus textus a versione Latina discrepat, ut ipsa collatio manifeste ostendit. 4. Et quis certos nos reddet, quod non in ipsum Graecum textum hoc glossema irrepere potuerit? 5. Spiritus sanctus in libris canonicis nihil quidquam a norma legis divinae

devians laudat, quod cum ab auctore hujus scripti fieri videamus, pro θεοπνεύστῳ illud habere non possumus.

227. 3. Si vel maxime demus, Judam sacrificia pro mortuis offerri jussisse et sacerdotes Hierosolymitanos mandatis sese obsequentes praebuisse, non tamen sequitur, ipsos pie ac laudabiliter egisse, atque hoc ipsorum factum imitatione dignum esse, quia fecerunt illud sine mandati divini suffragio; jam vero in civitate Dei non exemplis hominum, sed legibus Dei est vivendum. Constat exemplo Gideonis idololatriae occasionem bona sua intentione suppeditantis Jud. 8, v. 27. praeclaros duces populi Dei post impetratas victorias quandoque graviter lapsos esse, quale quid etiam Judae Maccabaeo hic contingere potuit. Excipit Bellarminus, *argumentum non sumi ab exemplo unius hominis, sed partim ab antiquo et solenni ritu ecclesiae V. T. partim a testimonio infallibili scriptoris sacri. Quod enim hic fuerit solennis ritus ecclesiae, patet, cum hoc loco dicitur: Omnes, qui cum Juda erant, ad preces conversos, et deinde collatione facta, hoc est singulis conferentibus aliquid, collectam esse multam pecuniam et missam a Juda nomine omnium in Jerusalem ad sacrificia pro mortuis, et hoc quidem magnum est argumentum, sed majus est ad fidem catholicam faciens, quod sumitur a verbis Scripturae sacrae laudantis orationem pro peccatis mortuorum tanquam sanctam, piam et religiosam.* Respondemus: 1. Scriptura haec non pollet auctoritate canonica ac prophetica, ut invictis argumentis superius ostendimus. 2. Verba illa ὁσία καὶ εὐσεβὴς ἐπίνοια in textu Graeco commode referri possunt ad superiora hoc sensu, *quod sit sancta et pia cogitatio statuere his, qui cum pietate obdormierunt, optimum repositum esse χαριστήριον.* Latinus interpres ad sequentia eadem retulit, ut ex Judae exemplo orationem pro mortuis laudaret. 3. A Maccabaeis usque ad Christum tanto temporis intervallo nullus legitur hoc exemplum imitatus. 4. Nec milites illi pro mortuis leguntur orasse, *sed pecuniam ad sacrificium contulisse;* nec militum turba ecclesiam catholicam constituit, nec unus aliquis actus solennem et perpetuum ecclesiae ritum introducit. Frustra igitur Bellarminus gloriatur, ab antiquo et solenni ecclesiae ritu argumentum suum esse petitum. 5. Ritus ecclesiae destitutus manifesto et expresso Dei verbo non potest confirmare dogma catholicum, ad salutem scitu et creditu necessarium. In Levitico sacrificia per genera, per species ad individua usque describuntur, quae pro singulis peccatis et in quibusvis casibus offerenda sint, sed de sacrificio pro mortuis nec in Levitico, nec in ullo canonico V. T. libro ullum exstat verbulum, imo nec ullum exemplum. Judas ergo sine mandato, sine exemplo fecit, quidquid hujus fecit. Precatio et sacrificia sine fide oblata Deo placere non possunt.
:VII. 271. Precatio et sacrificia pro defunctis sine fide offeruntur. Ratio est, quia nullum de hac precatione et de his sacrificiis habetur Dei mandatum, nulla promissio. Ergo 6. auctor libri manifeste indicat, non ex legis divinae praescripto, sed ex humanae rationis dialogismo a Juda illud esse factum. 7. Negari nequit, tunc temporis ex parte labefactatam fuisse in ecclesia Israëlitica doctrinae ac religionis sinceritatem, quia Judaei ex Graecorum ac gentilium consuetudine multa sibi quasi affricuerant. Sic 2. Maccab. 4, v. 10. Jason cum sacerdotium et principatum obtinuisset, statim *ad gentiles ritus contribules suos transferre coepit*, v. 12. *etenim ausus est sub ipsa arce gymnasium instituere et optimos epheborum subornabat, ut ibi se exercerent* etc. 8. Ex eodem fonte, videlicet ex gentilium κακοζηλίᾳ, profluit, quod auctor hujus libri Raziae αὐτοχειρίαν laudat. Bellarminus quidem regerit, *Raziam laudari, quod fortiter et viriliter egerit, non quod pie et sancte, vel si probetur hoc factum ab auctore hujus libri, dicendum esse, quod Razias habuerit peculiarem inspirationem et praeceptum Dei, ut hoc faceret, sicut habuit Simson.* Sed prior exceptio contradicit verbis textus l. 2. cap. 14, v. 42: *Razias gladio se petiit eligens nobiliter mori potius quam subditus fieri peccatoribus et contra natales suos injuriis agi*, v. 43. *praecipitavit se ipsum viriliter in turbas.* v. 46. *Invocans dominatorem vitae ac spiritus, ut haec illi iterum redderet, vita defunctus est.* Posterior exceptio priori contradicit et principium manifeste petit, cum non ad peculiarem Spiritus sancti inspirationem, sed ad gloriae cupiditatem et servitutis fugam causa hujus propositi in textu referatur. 9. A tempore reditus Israëlitarum e Babylone, quando adhuc prophetas habebant, usque ad tempora Judae Maccabaei effluxerant anni 372, quibus nullum habuerant prophetam, qui divini cultus reformationem et sinceritatis doctrinae instaurationem susciperet, quid ergo mirum, quod labis aliquid cultus divini exercitio insederit? 10. Quam exigui fuerit judicii libri hujus auctor, vel ex eo apparet, quod in fine libri c. 15, v. 39. dubitat, an bene vel male historiam scripserit, ac veniam erratorum suorum petit.

228. 4. Illi, pro quibus Judas voluit sacrificium offerri, mortui erant in peccato mortali, acceperant enim ἱερώματα idolis Jamniensium consecrata. Quam vero grave et enorme fuerit istud delictum, apparet non solum ex legis divinae prohibitione Deut. 7, v. 25. sed etiam ex ipsius auctoris exaggeratione. v. 40: *Omnibus manifestum factum est, ob hanc causam eos corruisse.* v. 41. *Omnes itaque benedixerunt justum judicium Dei, qui occultum fecerat manifestum.* v. 42. *Ad supplicationem conversi sunt rogantes, τὸ γεγονὸς ἁμάρτημα, factum delictum, omnino deleri.* Ergo hoc exemplum Judae non est accommodatum ad stabiliendum purgatorium Pontificiorum, negant enim pro iis, qui in peccato mortali decesserunt, sacrificium esse offerendum. Excipit Bellarminus, *peccatum illorum aut fuisse veniale, quia forte ignorabant legis prohibitionem et non acceperunt ex donariis illis in honorem idolorum, sed solum ditescendi cupiditate, quae venialis esse potest*, (petitum hoc ex Thoma 4. sent. dist 45

q. 2.); *aut certe si mortale fuit, in mortis articulo milites illos doluisse de peccato et quoad culpam remissum illis fuisse juxta illud Psalm. 77, v. 34: Cum occideret eos, quaerebant eum et revertebantur; aut saltem Judam Maccabaeum ita existimasse, alioqui non diceret Scriptura, eum considerasse eos, qui cum pietate obdormierant, optimam habere repositam gratiam. Denique saltem incertum fuisse statum illorum et propterea licuisse pro illis orare, etiamsi damnati fuissent.* Salmeron. tom. 14. disp. 25. p. 219. eodem fere modo excipit: *Cum homini non possit citra revelationem constare status mortuorum, an in gratia migraverint, an ullo mortifero delicto inquinati, debet semper in meliorem partem interpretari et de divina misericordia praesumere.* Respondemus: haec omnia meris conjecturis ac suspicionibus nituntur ac sine ullo Scripturae suffragio
XVII. 272. afferuntur. 1. Sub palliis mortuorum inventa fuerunt illa ἱερώματα, ergo in flagranti crimine absque ulla poenitentiae significatione fuere mortui. 2. Justum Dei occulta facinora manifestantis judicium in illorum occisione commendatur. Quodsi poenitentiam egissent, Deus propter illud ipsum peccatum eos e medio non sustulisset. 3. Ne ipsi quidem Pontificii sacrificium missae pro illis offerrent, quos in flagranti crimine mortuos viderent. 4. Quantum peccatum sit coram Dei judicio de anathemate aliquid usurpare, Achanis supplicium ostendit Jos. 7, v. 25. c. 22, v. 20. qui itidem non in honorem idolorum, sed ex ditescendi cupiditate spolia quaedam occultaverat. 5. Ignorantia juris et affectata non efficit, ut delictum aliquod grave et externum legi divinae repugnans et sua natura mortale fiat veniale. Jam vero auctor libri diserte dicit, quod interfecti illi contra legem Dei deliquerint. 6. Dictum Psalm. 78, v. 34. plane ἀπροσδιονύσως adducitur, neque enim de unis iisdemque hominibus dicitur, *quod Dominum quaesiverint, quando eos occidit,* hoc est quod in mortis articulo poenitentiam egerint, ut Bellarminus explicat, sed de hominibus plane diversis, quod scilicet reliqui exemplo occisorum territi ad Deum sese converterint.

229. 5. Nec purgatorii nomen, nec ullum ejus in textu est vestigium. Neque enim mortui illi in purgatorio fuisse dicuntur, nec ut e purgatorio liberarentur, sacrificium pro ipsis oblatum esse dicitur. Ex oratione insuper pro defunctis non posse statim purgatorium inferri, inferius ostendemus. Excipit Bellarminus, *Pontificiorum consequentiam non esse istam, orarunt pro illis, ergo erant in purgatorio, sed orarunt pro quibusdam defunctis. Ergo existimarunt, posse fieri, ut illi essent in purgatorio; vel istam, laudatur in Scriptura oratio pro defunctorum peccatis, ergo purgatorium est in alia vita, nam alioqui frustra oraretur et Scriptura erraret laudando ejusmodi orationem. Quod autem hoc loco laudetur oratio pro expiatione peccatorum et non pro humano affectu ostendendo, patet tum ex eo, quod occasio hujus orationis fuit peccatum illorum mortuorum detectum ob donaria inventa sub vestibus eorum, tum ex eo quod expresse dicitur Judas misisse duodecim millia drachmarum offerri sacrificium pro peccatis mortuorum, ut a peccatis solvantur.* Salmeron. d. l. sic concludit: *In peccato aliquis mortuus est, ita ut haec sibi remitti possint. Ergo est in purgatorio, nam talis non ingredietur coelum, in quod nihil coinquinatum intrabit, nec infernum, ubi nihil remittitur.* Respondemus: tres causae in textu exprimuntur, propter quas Judas sacrificium illud Hierosolymis offerri voluerit. Prima est *irae divinae aversio.* Noverat Judas, peccatum ab interfectis militibus in donariorum illorum idololatricorum furtiva absconsione commissum tam grave et atrox esse, ut propter illud in totum populum vindicis Dei ira desaevierit, Jos. 7, v. 12. orat igitur et sacrificium offerri curat juxta praescriptum legis Lev. 4, v. 13. ut ira Dei a reliquo exercitu, qui superstes manserat, avertatur, nec poenae gravissimi illius delicti subjiciatur. Haec causa exprimitur v. 42. *conversi sunt ad supplicationem rogantes, factum delictum* τελείως ἐξαλειφθῆναι, *perfecte deleri,* hoc est poenae hujus delicti a superstite exercitu averti. Quaedam exemplaria legunt μὴ διὰ τὸ γεγονὸς ἁμάρτημα τελείως ἐξαλειφθῆναι, Biblia Graeca edit. Francof. ann. 1597. quae lectio nostrae sententiae manifestius suffragatur, sensus enim est, superstites in vera conversione Dominum rogasse, ne propter commissum illud delictum sese penitus perderet. Altera est *populi superstitis a simili peccato praeservatio.* Haec causa exprimitur v. eod. in Judae exhortatione ad populum, ὁ δὲ γεννάδας (al. γενναῖος) Ἰούδας παρεκάλεσε τὸ πλῆθος συντηρεῖν ἑαυτοὺς ἀναμαρτήτους εἶναι, ὑπ᾽ ὄψιν ἑωρακότας τὰ γεγονότα διὰ τὴν τῶν προπεπτωκότων ἁμαρτίαν, *generosus Judas hortatus est multitudinem, ut conservarent se sine peccato, sub oculis videntes, quae facta erant ob prostratorum peccatum.* Quia vero non sufficit exhortatio exterior, nisi adsit gratia Dei
interior, quae nos custodiat et praeservet, ne in XVII. 273.
peccata prolabamur, ideo Judas post illam ad populum exhortationem mox confugit ad Deum precibus et sacrificio, ut ista ab eo impetraret, videlicet ne propter peccata demortuorum superstitem populum deleret, sed eundem potius a peccato et poenis peccati praeservaret. Tertia causa est *publica fidei et spei de resurrectionis articulo testificatio.* Ut enim Judas publice testificaretur, et se et populum credere peccatorum remissionem et carnis resurrectionem, ideo curavit, interfectorum cadavera honeste sepeliri ac sacrificium pro mortuis suo tempore in vitam revocandis offerri. Haec causa exprimitur v. 43. πάνυ καλῶς καὶ ἀστείως πράττων, ὑπὲρ ἀναστάσεως διαλογιζόμενος, *valde bene et urbane faciens, de resurrectione cogitans;* v. 44. εἰ μὴ γὰρ τοὺς προπεπτωκότας ἀναστῆναι προσεδόκα, περισσὸν ἂν ἦν καὶ ληρῶδες ὑπὲρ νεκρῶν εὔχεσθαι, *nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos sperasset, superfluum fuisset et vacuum pro mortuis orare.* Salmeron. tom. 14. disp. 25. p. 219. resurrectionem accipit

*pro liberatione a peccatis*, Apoc. 20, v. 6. sed resurrectio illa prima sive liberatio a peccatis per poenitentiam non habet amplius locum post hanc vitam, verum duntaxat liberatio a peccatorum poenis, ut ipsi Pontificii concedunt, unde Bellarminus et alii Romanenses pro resurrectione secunda sive corporum accipi debere fatentur. Quod ergo Judas dicitur pecunias Hierosolymam misisse *προσαγαγεῖν περὶ ἁμαρτίας θυσίαν*, id tum de poena peccati a populo superstite avertenda (quia peccatum phrasi Scripturae pro poena peccati saepius accipitur), tum de futuro peccato vitando accipiendum (vulgata versio addidit *pro peccatis mortuorum sacrificium offerre*, sed vox *mortuorum* non habetur in textu Graeco), ac quod sub finem hujus historiae dicitur, *Judam voluisse fieri περὶ τῶν τεθνηκότων ἐξιλασμὸν τῆς ἁμαρτίας ἀπολυθῆναι*, id hoc sensu intelligi potest, quod Judas piis precibus et sacrificiis Deum placare voluerit, ne peccatum mortuorum populo superstiti imputaretur. Haec Chemnicius in exam. concil. Trident. quae si alicui videbuntur a simplicitate literae paululum abire, eum ad priora responsionis nostrae membra remittimus.

•230. 6. Continetur in hoc ipso textu aliquid, quod purgatorium evertit. 1. Dicitur enim Judas considerasse his, *qui cum pietate obdormiunt*, *κάλλιστον ἀποκείμενον χαριστήριον* v. 45. Hoc Bellarminus accipit de illis interfectis, pro quibus Judas sacrificium offerri voluit. Stante hac hypothesi interfecti illi non fuerunt in purgatorio, quod sic demonstramus. Quibus post mortem optima reposita est gratia, illi non torquentur flammis purgatorii, sed ad coelestem gloriam perveniunt. Quae enim haec foret gratia, quodve praemium, torqueri in purgatorii flammis eodem igni, quo damnati in inferno cruciantur, a beata Dei visione esse remotum et a daemonibus horribiliter excarnificari? Atqui juxta Bellarmini sententiam Judas existimavit, interfectos illos cum pietate mortuos ac optimam gratiam ipsis fuisse repositam. Ergo nequaquam sensit, illos purgatorii flammis torqueri. Ulterius, qui *μετ' εὐσεβείας* obdormiunt, illi non puniuntur in altero seculo. Ratio est, quia *μετ' εὐσεβείας κοιμᾶσθαι* est in Domino mori; jam vero *qui in Domino moriuntur*, *beati sunt ἀπάρτι et requiescunt a laboribus suis* Apoc. 14, v. 13. Qui cum pietate moriuntur, illi etiam in justitia et Dei gratia moriuntur; jam vero *justorum animae* post mortem *sunt in manu Dei*, *et non tangit illas tormentum* Sap. 3, v. 1. Interfecti illi, pro quibus Judas sacrificium offerri voluit, juxta Bellarmini hypothesin *μετ' εὐσεβείας* fuere mortui. Ergo non fuerunt puniti in altero seculo, et per consequens non fuerunt in purgatorio. Denique qui in pietate moritur, non moritur in peccatis, quia haec duo invicem pugnant. Qui non moritur in peccatis, ille etiam non potest in altero seculo puniri propter peccatum. Qui non punitur in altero seculo, non descendit ad purgatorium. Ergo qui in pietate moritur, non descendit
XVII. 274. in purgatorium. 2. Qui pro peccato suo temporali poena a Deo affecti, illi pro eadem culpa non puniuntur post hanc vitam in purgatorio, *quia Deus eandem culpam nunquam bis ulciscitur*, ut docent Pontificii. At milites illi temporali poena ob peccatum suum a Deo affecti erant v. 42. Ergo non fuit alia poena temporali in purgatorio opus.

231. 2. Secundus V. T. locus, ex quo purgatorium succendere cogitant, habetur Tob. 4, v. 18: *Panem tuum et vinum tuum super sepulturam justi constitue et noli ex eo manducare et bibere cum peccatoribus*. *Hujus loci* (inquit Bellarminus) *non potest esse alius sensus, quam is, instrue convivium et voca fideles pauperes, ut ipsi post acceptam eleemosynam orent pro anima defuncti.* Hunc locum urget etiam Costerus in enchir. de purg. prop. 7. Respondemus: 1. liber Tobiae est extra canonem, cum non sit a propheta, nec lingua prophetica scriptus, cum contineat quaedam cum veritate historica et fidei analogia pugnantia, cum ab ecclesia Israëlitica V. et primitiva Christiana N. T. a canone excludatur, ut suo loco plenius fuit demonstratum. 2. Alludit Tobias ad morem in populo Israëlitico receptum, ut demortuo aliquo vicini ac amici ad aedes ejus convenirent, cibos secum afferrent et cum superstitibus in domo ad consolationem comederent. Mandat igitur, ut filius homines pios de obitu amici lugentes convivio funerali excipiat et caritatis officia erga eos exerceat, quem morem in populo Judaico usitatum fuisse ex sequentibus locis colligitur. Deut. 26, v. 14: *Non dedi ex illa* (sanctitate sive cibis sacris) לְמֵת, *mortuo*, Pagninus pro *defuncto*, hoc est non celebravi ex illis convivium apud mortuos, nec dedi aliquid de decimis illis ad procurandum funus defuncti, quia tristibus ac moestis non licebat vesci de cibis sacris. Jer. 16, v. 5: *Non ingrediaris domum feralis epuli*. v. 7. *Non dabunt eis potum calicem consolationum super patre suo*, v. 8. *et domum convivii non ingrediaris*, *ut sedeas cum eis ad comedendum ac bibendum;* in quem locum sic commentatur Hieroymus: *Quin lugentibus cibos ferunt conviviaque praeparant*, *quas Graeci περίδειπνα vocant et a nostris vulgo appellantur parentalia*, *eo quod parentibus justa celebrentur*. Ezech. 24, v. 17: *Ne facias luctum mortuorum*, *ne operias labium superius et panem hominum* (lugentium, ut Pagninus recte addit) *ne comedas*, hoc est ne acceptes convivium, quod amici ad levandum tuum luctum exhibere velint. Hose. 9, v. 4. mentio fit *panis lugentium*. 3. Nequaquam vero cibum ac potum ad sepulcra pie mortuorum posuerunt *propter ipsos defunctos*, ut solatii ac levaminis aliquid ad eos in purgatorio sudantes inde perveniret, vel ut pauperes pro liberatione defuncti ex purgatorio intercederent, sed convivium illud funerale *ob vivorum consolationem* fuit institutum, ut Jerem. 16, v. 7. manifeste docetur. Et quia alias juxta mandatum Dei pauperibus ex conviviis quaedam fuere danda Neh. 8, v. 10. ideo etiam ex convivio illo funerali pro sustentatione pauperum quae-

2. Ex Tob. 4, v. 18: Panem tuum et vinum tuum super sepulturam justi constitue.

dam cibaria forte ad sepulcra fuere delata vel ante aedes defuncti pauperibus distributa, ut superstites ostenderent, sese mortalitatis suae memores pauperum preces expetere, quo et ipsis aliquando feliciter ex hoc mundo emigrare concedatur. Münsterus in hoc loco sic commentatur: *Non sit tibi durum effundere panem*, q. d. *si non paveris, occidisti. Suppeditabis de tua justitia pauperibus justis, ne ob defectum victualium perveniant ad portas mortis.* In argumento igitur Bellarmini: *Veteres panem et vinum super sepulcra constituerunt, ut pauperes reficerentur; ergo hoc fecerunt, ut orarent pro defunctis*, est fallacia consequentis itemque secundum non causam ut causam. 4. Quidam existimant, Tobiam loqui de quadam consuetudine a gentilibus ad populum Dei traducta. Gentilibus enim mos erat, ferales coenas, lentes et offas ad sepulcra eorum deferre, quibus parentare instituebant. Judaeos igitur, ne erga parentes minus officiosi vide-
XVII. 275. rentur, cibos pauperibus distribuisse, Gyraldus syntagm. 17. unde Hugo cardinalis in hoc loco sic commentatur: *Nota, quod non praecipit fieri parentalia, quae prohibita sunt, sed ritum aliquem nobis ignotum innuit.* Sed praestat priorem sequi explicationem Scripturis conformem; unde Hugo ibidem subjungit: *Vel forte ad consolationem parentum post sepulturam jubet fieri convivia, quod est opus misericordiae.* 5. Tobias panes dicit esse *constituendos* vel, ut Grecus textus habet, *fundendos super sepulcrum justorum.* Atqui justi sine peccatis venialibus ac sine reatu poenae temporalis ex hoc seculo discedentes non veniunt in purgatorium ac proinde non indigent orationibus vivorum. 6. Addit Bellarminus locum ex Chrysostomo homil. 32. in Matth.: *Cur post mortem tuorum pauperes convocas? cur presbyteros, ut pro eo velint orare, obsecras?* At Chrysostomus morem illum non magnopere laudat et quaedam ibidem addit, quae purgatorium penitus exstinguunt. Dicit enim, *quod pie defunctos excipiat quies angelica, quod proficiscantur ad requiem et coronas, quod perveniant ad tranquillum omnium miseriarum portum, quod contingat eis μετάστασις πρὸς τὸν οὐρανόν, quod abeant in prata florentia* etc. et concludit, *pie defunctorum gratia non esse plorandum.*

3. Ex 1. Sam. 31: Habitatores Jabes Gilead audita morte Saulis jejunaverunt septem dies. 2. Sam. 1. David flevit et jejunavit pro Saule, Jonatha et aliis occisis.

232. 3. 1. Sam. 31.: *Habitatores Jabes Gilead audita morte Saulis jejunaverunt septem dies*, et 2. Sam. 1: *Davit flevit et jejunavit pro Saule et Jonatha et aliis occisis, quod idem fecit pro Abner*, 2. Sam. 3. *Quamvis enim haec videbantur fieri in signum doloris et tristitiae, tamen credibile est, praecipue facta esse ad juvandas animas defunctorum, id quod colligitur 1. ex eo, quod irrationabile fuisset in signum doloris septem dies jejunare; 2. ex eo, quod David 2. Sam. 12. jejunavit et oravit pro filio suo infantulo, dum aegrotaret, postea vero quando audivit, eum esse mortuum, non amplius jejunavit, quo facto suo ostendit, se jejunare solitum, ut aliquid a Deo impetraret, ideo enim pro morte pueri non jejunavit, quia sciebat, non esse puerum ad vitam rediturum et praeterea eum suffragiis non egere, quo etiam pertinet illa solicitudo patriarcharum, qui cupierunt in terra promissionis sepeliri Genes. 47. et 50. nimirum ut essent participes precum et sacrificiorum, quae ibi offerebantur.* Respondemus: perquam vero jejunum est illud Bellarmini argumentum, quo ex jejunio doloris et tristitiae causa suscepto purgatorium probare satagit. Nam 1. Spiritus sanctus non reliquit nostris conjecturis causam illius fletus et jejunii, sed diserte eandem exposuit. 2. Sam. 1, v. 17: *Planxit David planctum hujusmodi super Saul et super Jonathan filium ejus*, v. 18. *et ait: Considera Israël pro his, qui mortui sunt super excelsa tua vulnerati*, v. 19. *inclyti Israël super montes tuos interfecti sunt, quomodo ceciderunt fortes!* v. 24. *Filiae Israël super Saul flete, qui vestiebat vos coccino decore;* v. 25. *quomodo ceciderunt fortes in proelio!* 2. Sam. 3, v. 32: *Cum sepelissent Abner in Hebron, levavit rex David vocem suam et flevit super tumulum Abner.* v. 35. *Jurat, se ante occasum solis non gustaturum panem*, v. 37. *et cognovit omne vulgus et universus Israël in die illa, quoniam non actum fuisset a rege, ut occideretur Abner.* David igitur hoc fletu, planctu et jejunio testatum reddere voluit, se nec Saulis, nec Abneris interitu delectari, multo minus internecionis illius consortem ac participem esse; quod autem ex purgatorio eorum animas jejunii sui suffragiis redimere voluerit, de eo nec gry nec my in Scripturis exstat. 2. Et planctus et fletus et jejunii et sepulturae in illis exsequiis fit mentio, sed orationis ac suffragiorum pro defunctis plane nulla. Ergo piis in V. T. illa fuere ignota. 3. In epicedio, quod David in obitum Saulis ac Jonathanis composuit, nihil quidquam occurrit, quod ad orationem pro mortuis aut purgatorium alludat. 4. Jejunarunt Gileaditae ob dolorem et reverentiam erga regem, jejunavit David ad testificandum suum erga Jonathanem XVII. 276.
amorem, qui ab incircumcisis misere trucidatus erat. 5. Saul in desperatione mortuus erat ac sibi ipsi violentas manus intulerat, ergo anima ejus non descendit in purgatorium, sed in infernum. 1. Par. 11, v. 13: *Mortuus est Saul propter iniquitates suas* vel in iniquitatibus suis eo *quod praevaricatus erat mandatum Domini.* Quod vero significet *in peccatis suis mori*, colligi potest ex verbis Christi Joh. 8, v. 24: *Si non credideritis, quod ego sim, moriemini in peccatis vestris.* Nequaquam igitur vel David vel Gileaditae jejuniis suis ex purgatorio Saulem liberare sibi propositum habuerunt. 6. David ac habitatores Jabes Gilead non solum propter Saulem, sed etiam propter Jonathanem planxerunt et jejunarunt. Quodsi hoc jejunium ad animas ipsorum juvandas susceptum, utique in uno eodemque loco ac statu, videlicet in purgatorio, ipsos constitutos fuisse oportuit. Sed consequens adversatur non modo diversae conditioni Saulis ac Jonathanis in vita et morte, sed etiam ipsius Bellarmini verbis l. 2. de purg. c. 6. resp. ad 3: *Cum inter filios*

*Saulis esset etiam Jonathas justus*, *non erant descensuri ad eundem locum Saul et Jonathas*. 7. Si irrationabile est in signum doloris septem dies jejunare, quanto magis irrationabile dicendum fuerit, quod Daniel *trium hebdomadarum diebus luxisse*, *panem desiderabilem non comedisse et a carne ac vino abstinuisse memoratur* Dan. 10, v. 3. Sed consequens disertis verbis prophetae contrariatur. Notandum vero, quod pii V. T. per dies complures jejunium continuantes non ab omni plane cibo, sed a delicatiore et lautiore usque ad vesperam abstinuerint, qua ratione per septem ac plures dies jejunii tempus protrahi potuit. 8. Si ex jejunio septem dierum a civibus Jabes Gileaditicis post mortem Saulis ac Jonathae suscepto colligi potest, animas eorum in purgatorium descendisse, utique etiam ex planctu totidem dierum ac fletu septuaginta dierum, quo filii Israël ac Aegyptii exsequias Jacobi patriarchae prosecuti leguntur Genes. 50, v. 3. et 10. colligi poterit, animam Jacobi itidem in purgatorio fuisse detentam ac per suffragia viventium ex eo liberandam. Contrarium statuit ipse Bellarminus, quia l. 1. de Christo c. 11. *in limbum patrum* eandem collocat, qui a purgatorio est distinctus quidam sinus, et ex quo ante Christi ad inferos descensum patriarchae non potuerunt liberari. 9. Idem statuendum de Moyse, quem Israëlitae 30 diebus luxisse dicuntur Deut. 34, v. 8. ac de Aarone, quem totidem diebus luxerunt Num. 20, v. 29. num vero etiam Moysen et Aaronem in purgatorium relegabunt? 10. Ex eo, quod David vivente adhuc filiolo luget ac jejunat, eo vero mortuo a fletu abstinet et cibi assumtione jejunium solvit, contra Bellarminum colligimus, quod nullum crediderit purgatorium. Quodsi enim judicasset, animam infantuli post mortem in purgatorio torqueri, utique fletibus ac jejuniis eo magis indulsisset ac votis ardentioribus pro ipso apud Deum intercessisset, ut eo citius liberatio ipsi contingere potuisset. Si dicere velint, animam hujus infantuli descendisse non in purgatorium, sed in limbum puerorum ac proinde suffragiis non indiguisse, obvertimus illis verba Davidis 2. Sam. 12, v. 23: *Ego vadam ad eum*, *ille vero non revertetur ad me*. Atqui David non descendit in limbum puerorum, sed in limbum patrum vel in purgatorium ex Pontificiorum hypothesi. Ergo nec infantulus ille in limbum puerorum descendit. 11. Jejunium adhiberi solet non solum in seria oratione, ut animus ad Deum in precibus magis elevetur ac spiritus ferventior reddatur, quod vocare possumus *jejunium orationis*, sed etiam in vera ac seria poenitentia, quando prae dolore ac luctu *obliviscimur comedere panem nostrum* Psalm. 102, v. 5. quod vocare possumus *jejunium contritionis*. Ad hoc posterius genus pertinent jejunia in luctu suscepta, quia enim funera amicorum et cognatorum sunt *reales conciones de ira Dei et mortalitate*, ideo conspectus eorum ad poenitentiam et serium de peccatis dolorem nos excitat. Frustra proinde ex jejunio orationem pro defunctis exstruere Bellarminus allaborat. 12. Patriarchas ideo *in terra promissionis sepeliri voluisse*, XVII. 277.
*ut precum et sacrificiorum*, *quae ibi fierent*, *participes redderentur*, figmentum est Pontificium, non solum Scripturae sacrae (ut superius ostendimus), sed ipsi etiam Pontificiorum hypothesi adversum. Patriarchae enim post mortem non descenderunt *in purgatorium*, ex quo per preces et sacrificia erant liberandi, sed *in limbum*, ex quo non nisi per Christi ad inferos descensum liberari potuerunt.

233. 4. Psalm. 38, v. 2: *Domine*, *ne in furore tuo arguas me neque in ira tua corripias me*, quae verba Augustinus sic exponit, *ut in furore argui a Deo sit in aeternum damnari*, *in ira corripi sit severe puniri post hanc vitam*, *ad correctionem tamen et emendationem*, *unde subdit: In hac vita purges me*, *talem me reddas*, *cui jam emundatorio igne non sit opus*. *Eodem modo exponunt Beda*, *Haymo*, *Dionysius Carthusianus*. Respondemus: 1. Bellarminus dicit, *haec verba varie exponi posse*, ergo ad purgatorium fulciendum parum roboris habebunt, quia dogmata fidei ex claris et perspicuis Scripturae dictis probari oportet. 2. Ubi Augustinus secutus LXX interpretes legit *furorem*, ibi Hieronymus Hebraice doctus, quod non erat Augustinus, exponit *iram*, et ubi ille *iram*, hic *furorem*. Quinimo ne ipse Augustinus dissimulat, has duas voces θυμόν et ὀργήν unam censeri, ac monet, exemplaria variare, ita ut in quibusdam *ira* praecedat, in quibusdam *furor*. Sed et voces illas invicem transponit. Citans enim Psalmum sextum, *ne*, inquit, *in ira tua arguas me nec in furore tuo corripias me*. At tricesimum octavum allegat hoc modo: *Ne in indignatione tua arguas me neque in ira tua emendes me*. Quae transpositio indicat, nullam in vocibus illis diversitatem magnopere quaesitam ab Augustino fuisse, id quod ex verbis ipsius manifeste patet. Sic enim scribit in Psalm. 6: *Ego puto*, *unam rem duobus verbis significatam. Nam in Graeco* θυμός, *quod est in versu primo, hoc significat, quod* ὀργή, *quod est in versu secundo. Sed cum Latini vellent etiam ipsi duo verba ponere*, *quaesitum est*, *quid esset vicinum irae*, *et positum est furor*, *ideo varie codices habent. Nam in aliis prius invenitur ira*, *deinde furor; in aliis prius furor*, *deinde ira*, *in aliis pro furore indignatio ponitur aut bilis*, *sed quidquid illud est*, *motus est animi provocans ad poenam inferendam* etc. *in qua ira non solum argui se non vult anima*, *quae orat*, *sed nec corripi*, *id est emendari vel erudiri*, *nam in Graeco est* παιδεύσῃς. 3. Augustinus τὸ *in ira corripi* ad ignem in die extremi judicii, non ad purgatorium Pontificium in judicio exstinguendum accommodat. *Arguuntur*, inquit, *in die judicii omnes*, *qui non habent fundamentum*, *quod est Christus*, *emendantur autem*, *id est purgantur*, *qui huic fundamento superaedificant lignum*, *stipulam*, *foenum*, *detrimentum enim patientur*, *sed salvi erunt tanquam per ignem*. Adde, quod ignis

4. Ex Ps. 38, v. 2: Domine, ne in furore tuo arguas me neque in ira tua corripias me.

ille Augustini *emendatorius* etiam in eo differt a purgatorio igne Pontificiorum, quod in illo locus sit vitae emendationi et correctioni, in hoc vero minime. Denique pro eo quod in Augustino legitur, *talem me reddas, cui emendatorio igne non opus sit*, quaedam exemplaria legunt *cui jam emendato igne non opus sit.* 4. Augustino ac paucis quibusdam recentioribus opponimus nubem veterum ac recentiorum interpretum, qui *iram ac furorem* pro verbis unam eandemque rem significantibus accipiunt. Origenes homil. 1. in Ezech. Arnobius in Psalm. 6. et Psalm. 38. Hieronymus ib. Chrysostomus, Theodoretus in Psalm. 6. Basilius in Psalm. 38. Euthymius in Psalm. 6. Bernhardus in Cant. serm. 69. Lombardus in Psalm. 6. et Psalm. 38. Lyranus in Psalm 6. Cajetanus, Eugubinus', Folengius, Genebrardus, Jansenius et alii in Psalm. 6. 5. Hanc sententiam probat phrasis in Scriptura praesertim Davidica usitatissima, qua membrum posterius in uno eodemque versiculo est ἐξηγητικὸν prioris; probat vocum Hebraicarum proprietas. Sic
XVII. 278. enim ad verbum habent Hebraea Psalm. 6, v. 2: *Domine, ne in naso tuo arguas me neque in excandescentia tua corripias me.* Psalm. 38, v. 2: *Domine, ne in fervore tuo arguas me nec in excandescentia tua corripias me*, ut sit sensus interprete Theodoreto: *pater ne me corripias, non judicis ritu; medici more, non tortoris; ne metiaris vindictam peccato, sed benignitate justitiam tempera; ne me castiges, ut merui, a facie tua me abjiciendo, sed potius paterne castigando, non enim deprecatur prorsus correptionem, sed eam petit paterna castigatione emendari*, ut Genebrardus in comm. recte admonet. *6. Post hanc vitam non erit locus, ubi flagitiosi convertantur et mores suos corrigant*, fatente Bellarmino l. 1. de purg. c. 13. resp. ad 8. Ergo post hanc vitam non amplius locum habebit castigatio illa ad correctionem et emendationem, de qua psaltes loquitur.

5. Ex Ps. 66, v. 12: Transivimus per aquam et ignem.

234. 5. Psalm. 66, v. 12: *Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium*, ubi Origenes homil. 25. in Num. et Ambrosius in Psalm. 36. ac serm. 3. in Psalm. 118. exponit per aquam *baptismum*, per ignem *purgatorium.* Respondemus: 1. Bellarminus diserte asserit, *hunc locum posse varios habere sensus*, quomodo igitur immotum purgatorio substernere poterit fulcrum? Quidam interpretes accommodant *ad servitutem Aegyptiacam*, qua Israëlitae misere pressi et afflicti fuerunt. Chaldaeus paraphrastes: *Humiliasti nos, jussisti equitare auctorem exactionis super caput nostrum, judicasti nos tanquam fornace et aqua et eduxisti nos in latitudinem.* Lyranus in comm.: *Transivimus per ignem, id est laborem ignis ad coquendum et aquam, quam portabant propriis humeris ad commiscendum cum terra, ut inde lateres formarentur.* Quidam ad tribulationes populi Israëlitici, quas tum *in Aegypto*, tum *in deserto* sustinuit. Cajetanus hoc loco: *Reliquas omnes tribulationes tum in Aegypto, tum in via usque ad Jordanem summarie describens colligit ad duo contraria, ignem et aquam, ita ut metaphoricus sit sermo describens universa mala per ignem et aquam.* Genebrardus in comm.: *Transivimus per contraria mala, at ex iis nos eripuisti in refrigerium, Hebraice in irrogationem, id est in refocillationem. Allusio ad terram promissionis, quae erat irrigua, fertilis et foecunda.* Quidam ad *martyria* sanctorum accommodant. Hieronymus in comm.: *Martyrum hic ostendit victorias, quas in diversis passionibus meruerunt, et ad unum eos ducit refrigerium, id est Christum Dominum per laqueos, per cruces, per verbera, per ignes aestusque et alia diversa supplicia, per quae et holocaustum acceptum effecti sunt, pervenisse.* Hilarius eodem fere modo; Haymo in hunc locum: *Quia multi martyres aquis submersi sunt, nec tamen igne vel aqua eorum cursus potuit impediri.* Glossa ord.: *Transivimus per ignem, ut Laurentius et plures alii, per aquam, ut Clemens et plures alii.* Quidam de *baptismo* locum explicant. Arnobius hoc loco: *Transivimus per ignem martyrii et aquam baptismatis, et induxisti nos in refrigerium, nam et in baptismo sacrosancto et igne censiti sumus, quando intravimus domum tuam in holocaustis.* Quidam in genere de *passionibus* et adversitatibus accipiunt, ut sit metaphora ab auri et argenti excoctione desumta. Cyrillus Hieros. catech. 5: *Vides ipsos libere de transitu tentationis loquentes ac profitentes, se in illa non haesisse, educi enim in refrigerium est liberari a tentatione.* Euthymius hoc loco; *Per ignem et aquam varias calamitates intellige, et quia animam incendunt, et quia demergunt ac suffocant.* Chrysostomus hom. 5. oper. imperf. in Matth.: *Sicut aurum vel argentum combustis in fornace sordibus colatur, sic homo in fornace tentationis depositis peccatis sanctificatur.* Beda hoc loco: *Fecisti nos incudem omnium tribulationum et eduxisti nos in refrigerium, id est ut refrigeratam habeamus conscientiam.* Haymo hoc loco: *A similitudine viatoris hic loquitur, quia sicut viator neque per aestum, neque propter pluviam vult dimittere, quin viam suam pergat, sic iste justus* XVII. 279.
*non potest impediri, quin cursum suum perficiat.* Quidam per ignem *adversa*, per aquam intelligunt *prospera.* Augustinus hoc loco: *Ignis urit, aqua corrumpit, utrumque metuendum, et ustio tribulationis, et aqua corruptionis. Quando sunt res prosperae et abundantia seculi circumfluit, quasi aqua est.* Ruffinus, Cassiodorus, Hugo cardinalis Augustinum sequuntur. Bernhardus serm. in transit. Malach.: *Transivit per ignem et aquam, quem non tristia frangere nec detinere mollia potuerunt.* Hanc interpretationem approbat Blasius de Viega in c. 10. Apoc. p. 418. 2. Simplicissima ac textui accommodatissima est interpretatio illa (quam ex ipsis Pontificiis sequuntur Ribera in comm. Zach. 13. n. 17. et Hector Pintus in comm. Esa. 43.), qua per *ignem et aquam* metaphorica loquendi consuetudine omnis generis adversitates intelliguntur, quibus David, Israëlitae et omnes pii in hac vita sunt subjecti, sed divina be-

nignitate in illis conservantur atque ex illis tandem liberantur, praecedit enim v. 10: *Probasti nos, examinasti nos, sicut examinatur argentum.* Ac Spiritus s. alibi similibus verbis piorum calamitates describit, Esa. 43, v. 2: *Cum transieris per aquas, tecum ero, et per flumina, non operient te; cum ambulaveris per ignem, non combureris et flamma non ardebit in te.* 2. Sam. 22, v. 17: *Extraxit me de aquis multis.* Psalm. 124, v. 5: *Pertransivit anima nostra aquam.* Psalm. 17, v. 3: *Igne me examinasti.* Dan. 12, v. 10: *Quasi ignis probabuntur.* 1. Petr. 4, v. 12: *μὴ ξενίζεσθε τῇ ἐν ὑμῖν πυρώσει* etc. 3. Bellarminus sequitur Origenem et Ambrosium, qui ad ignem purgatorium haec accommodant. At qua fronte illorum auctoritatem nobis opponere potest, quorum sententiam, quod scilicet *omnes tam boni, quam mali post hanc vitam igne illo purgari debeant*, inter errores recenset lib. 2. de purg. c. 1. ac diserte addit, *verba Origenis non pati commodam expositionem?* *Omnes*, inquit Origenes homil. 25. in Num. *purificatione indigemus.* *Omnes*, ait Ambrosius in Psalm. 36. *igne examinabimur, igne purgabuntur filii Levi, igne Ezechiel, igne Daniel.* 4. Ambrosius non de igne quodam *purgatorio*, qui post hujus vitae decursum animas excipit, sed de *igne extremi judicii* loquitur. Sic enim scribit serm. 3. in Psalm. 118: *Post consummationem seculi missis angelis, qui segregent bonos et malos, hoc futurum est baptisma, quando per caminum ignis iniquitas exuretur, ut in regno Dei fulgeant justi sicut sol, in regno patris sui, adeo ut si aliquis ut Petrus sit, ut Johannes, baptizatur hoc igni.* Neutrum horum de purgatorio suo dicunt Pontificii; fingunt enim, in illud non descendere sanctos prophetas et alios valde bonos, sed tantum mediocriter bonos, neque in extremi judicii die illud succendendum, sed potius exstinguendum fore autumant. 5. Psaltes non modo *ignis*, sed etiam *aquae* mentionem facit. Num vero ut ignis quidam purgatorius, ita etiam aqua purgatoria datur? num ignis purgatorii incendia aquae affusione, velut in balneis mitigantur? an non metuendum, ne aqua purgatorii flammas exstinguat? 6. Psaltes de se ipso dicit: *Transivimus per ignem et aquam.* Quodsi ergo de purgatorio loquitur, etiam sanctissimis prophetis in purgatorium erit descendendum. 7. Nec in futuro demum se per ignem illum transiturum dicit, sed in praeterito se *transiisse* asserit. Ergo jamdum in hac vita purgatorii poenas sustinuit. 8. Ordo verborum non admittit Bellarmini expositionem. Quodsi namque per *ignem* intelligitur purgatorium, per *aquam* baptismus, consequens fuerit, nos prius purgatorii igne, quam baptismi aqua mundari. Praeterea si ignis significat purgatorium, aqua baptismum, consequens fuerit, etiam in V. T. per baptismum non minus quam per purgatorium peccata fuisse emundata et expurgata. 9. Apud psalten sequitur: *Introibo in domum tuam cum holocaustis.* At num ex purgatorio patet reditus in Hierosolymitanum templum ad offerenda sacrificia? *λῆρος ληρώδης.* 10. In eodem psalmo additur: *Imposuisti homines super caput nostrum.* At animae in purgatorio non ab hominibus, sed a daemonibus cruciantur. XVII. 280. Merito igitur hunc locum deserit Fischerus Roffensis art. 37. scribens: Quod alii sic nugantur (purgatorium ex hoc dicto eliciendo), ego non probo. Roffensis igitur judicio nugatorem Bellarminus agit.

235. 6. Esa. 4, v. 4: *Purgabit Dominus sordes filiorum et filiarum Sion et sanguinem emundabit de medio eorum spiritu judicii et spiritu combustionis.* Hunc locum Augustinus lib. 20. de civ. Dei c. 25. de poena purgatorii exponit. Respondemus: 1. Nec hic consentientem et unanimem veterum interpretationem Bellarminus urgere poterit, cum in hujus loci explicatione plurimum varient. Quidam referunt ad *acquisitionem*, quidam ad *applicationem* beneficiorum Christi, sed quae fit in hac vita per evangelii praedicationem, baptismi administrationem, Spiritus sancti donationem, non autem ad peccatorum ablutionem post hanc demum vitam a Christo exspectandam. Irenaeus lib 4. adv. haer. c. 39: *In novissimis temporibus cum venit plenitudo temporis libertatis, ipsum Verbum per se ipsum sordes abluit filiorum Sion manibus suis lavans pedes discipulorum* etc. *Qui enim pedes lavit discipulorum, totum corpus sanctificavit et emundationem adduxit.* Clemens Alexandr. lib. 3. paedag. c. 9: *Optimum lavacrum expurgat sordes animae estque spirituale, de quo aperte dicit propheta: Abluet Dominus sordes filiorum Israël.* Hieronymus in comm.: *Quod leve est, lavatur; quod gravius, exuritur, de quo judicii et combustionis spiritu Johannes Baptista in evangelio loquebatur: Ego baptizo vos in aqua, qui autem post me venit, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igne, ex quo discimus, quod homo tantum aquam tribuat, Deus autem Spiritum s. quo et sordes abluuntur et sanguinis peccata purgantur.* Chrysostomus in comm. dicit, *esse metaphoram ab his, qui conflant metallicas materias, derivatam.* Cyrillus Alexandr. lib. 1. in Esa. orat. 3. cap. 4: *Judicii spiritum dicimus ex judicio recto et justitia latum in nos Dei calculum* etc. *ardoris vero gratiam in sacrosancto baptismo non absque spiritu nobis ingeneratam. Baptizati enim et loti sumus, non aqua nuda* etc. *sed spiritu et igne divino ac intelligibili, qui sordes vitiositatis in nobis deterit et absumit, et peccati inquinationem liquat et excoquit.* Haymo in hunc locum: *Idem spiritus dicitur spiritus judicii et spiritus ardoris. Spiritus judicii, quia in eo baptismate diabolus judicatur et quasi damnatur, dum potestate hominis privatur. Spiritus ardoris, quia accendit corda hominum in dilectionem conditoris ac consumit peccatorum rubiginem.* Lyranus ibid.: *Abluit sordem filiarum Sion, id est ecclesiam, spiritu judicii, quia Christus per viam justitiae pro nobis satisfecit, et spiritu ardoris, quia hoc fecit ex maximo fervore caritatis.* 2. Ex contextu apparet, prophetam vaticinari de Messia (in versu enim proxime praecedente dicitur: *In die illa erit germen*

6. Ex Esa. 4, v. 4: Purgabit Dominus sordes filiorum et filiarum Sion.

*Domini pulchrum et gloriosum*, ubi per germen paraphrastes Chaldaeus et R. D. Kimchi recte intelligunt *Messiam)* ac de ipsius beneficiis, inter quae eminet mundatio ab inquinamentis peccatorum, quae per *sanguinem* in Scripturis saepius denotantur, Psalm. 51, v. 16. Esa. 1, v. 15. Ezech. 16, v. 6. illa vero expurgatio fit *in spiritu judicii et ardoris*, quia Christus ardentissimo ac igneo zelo Satanam in passione aggressus potenter eum devicit et justo judicio infernalibus cruciatibus addixit, ecclesiam vero ab ejus tyrannide liberavit, Esa. 9, v. 7. Johan. 12, v. 31. c. 16, v. 11. etc. ac a peccatorum sordibus mundavit, 1. Cor. 6, v. 11. Eph. 5, v. 27. etc. 3. Augustinus nequaquam ad purgatorium Pontificium hunc locum propheticum applicat, ut mala fide Bellarminus ipsi tribuit, sed ad *ignem extremi judicii*, sic enim loco citato loquitur: *Propheta Malachias judicium novissimum prophetavit, dicens, ecce venit Dominus omnipotens. Et quis*
XVII. 281. *sustinebit diem introitus ejus? quia ipse ingredietur quasi ignis conflatorii* etc. *Dicit tale aliquid et Esaias: Lavabit Dominus sordes filiorum et filiarum Sion* etc. *nisi forte sic eos dicendum est emundari a sordibus et eliquari quodammodo, cum ab eis mala per poenale judicium separantur, ut illorum segregatio atque damnatio purgatio sit istorum, quia sine talium de cetero commixtione victuri sunt.* At Pontificium purgatorium in die judicii exstinguetur. 4. Per *sanguinem* non intelliguntur venialia ac levia quaedam peccata, sed gravia ac mortalia. Ea vero juxta Pontificiorum hypothesin non abluuntur in purgatorio, sed per poenitentiam in hac vita sunt delenda et expianda. 5. Purgatio illa, de qua propheta loquitur, insignis beneficii loco promittitur, sed purgatorium Pontificiorum non tam beneficii quam supplicii loco habendum.

**7. Ex Esa. 9, v. 18: Succensa est quasi ignis impietas.**

236. 7. Esa. 9, v. 18: *Succensa est quasi ignis impietas et spinas devorabit. Basilius in hunc locum dicit, per confessionem peccatum arefieri, ut igne purgatorio post hanc vitam absumi possit.* Respondemus: 1. Basilii quidem interpretationem audimus, sed clara et perspicua Scripturae dicta pro hoc articulo fidei stabiliendo desideramus. Si ad excitandum et inflammandum purgatorium adversariis sufficit adducere Scripturae loca, in quibus mentio fit ignis, nobis vicissim integrum erit adducere ea, in quibus fit mentio aquae ad purgatorium illud exstinguendum. 2. Textui nihil minus convenit, quam de *purgatorii igne* eundem interpretari. Vaticinatur propheta de *interitu regni Israëlitici* et causam illius exitii, impietatem scilicet ac impoenitentiam populi, exponit, unde quidam ad *causam exitii*, videlicet ad culpam illam ignis, succensionem referunt hoc sensu, quemadmodum ignis, si vepretum aliquod aridum vel sylvam corripuerit, subito vires acquirit et obvia quaeque absumit, ut fumus densus ac magnus in sublime elevetur; sic impietas, injustitia et omnis generis atrocia delicta in populo Israëlitico ubivis exarserunt ac tantas vires apud omnes acquisiverunt, ut perniciosissimus ille scelerum ignis restingui vix possit. 3. Quidam vero rectius *ad ipsum exitium*, videlicet ad scelerum istorum poenam, hunc locum accommodant. Comparat enim propheta iram Dei igni absumenti ac devoranti, quo non solum magistratus ac proceres populi, sed etiam promiscuum vulgus, quod dumeto ac sylvae comparatur, sit succendendum ac exscindendum, quae interpretatio congruit non solum cum aliis Scripturae locis, Deuter. 32, v. 22. Job. 31, v. 12. Esa. 26, v. 11. Thren. 4, v. 11. etc. sed etiam ex ipsis visceribus textus colligitur. v. 14: *Disperdet Dominus ab Israël caput et caudam, ramum et truncum die una.* v. 19. *In ira Domini exercituum obtenebrata est terra, et erit populus quasi esca ignis, non parcet vir fratri suo.* 4. Eodem modo probati interpretes exponunt. Hieronymus in comm.: *In tali populo nullius personae Deus miserebitur, non pupilli, non viduae.* Cyrillus lib. 1. in Esa. cap. 6: *Iniquitatem appellat non rem ipsam, hoc enim vel intellectu, vel dictu ineptum est, sed iniquitatibus implicatos, qui eo demum improbitatis morum veniunt, ut jam non iniqui, sed verius iniquitas debeant nominari. Hi igitur quasi ignis ardebunt, id est sibi ipsi ignis erunt, nemo enim alius flammam illis inferet, sed ipsi ad hoc sibi inter se sufficient, quod Judaeis accidit in obsidione Hierosolymorum.* Lyranus hoc loco: *Impietas populi Israël provocavit iram Dei contra se quasi ignem ardentem, qui consumit vepres, id est populum omnem.* Confer Procopium, Haymonem et alios. Hector Pintus scriptor Pontificius in comm. hoc loco: *Sensus est, impietas hostium Israëlis accensa est et non populum aliquem pium et Deo devotum, sed vepres et spinas, hoc est Israëlitas sceleratos, devorabit. Comparat enim propheta Israëlem vepribus et spinis.* 5. Qui ad ignem post hanc vitam urentem applicant, non de purgatorio temporali, sed infernali et aeterno igne hoc loco explicant. Hugo Cardinalis: *Impii succendentur igne aeterno pro impietate sua. Vepres et spinam, hoc est ipsos duros et asperos peccatores, vorabit ignis gehennae,* XVII. 282.
*quos prius voraverat ignis culpae.* 6. Propheta loquitur de igne impietatem succendente et spinas devorante ibidemque atrocia et gravissima populi peccata enumerat. At purgatorius ignis non impietatem, hoc est mortalia peccata, sed leves venialium peccatorum maculas purgat, teste Bellarmino lib. 2. de purg. cap. 1. in fine, nec devorat et consumit, sed tantum abluit. Propheta loquitur de igne non vero, sed similitudinario, dicit enim, *succensa est quasi ignis impietas.* At purgatorius ignis ex hypothesi Bellarmini est verus et corporeus ignis. Propheta addit v. 21: *In hoc toto non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta.* At Pontificii dicunt, per poenas purgatorii Deo satisfieri, ut furor ejus avertatur. 7. Purgatorius ille ignis, ad quem Basilius locum propheticum applicat, non convenit omni ex parte cum purgatorio Pontificio, addit enim Basilius, hunc ignem depascere

omnia terrena, ac de eodem dixisse Christum Luc. 12, v. 49: *Ignem veni mittere in terram.* At Pontificium purgatorium non tollit omnia peccata, nec super terram, sed sub terra ardere statuitur.

8. Mich. 7, v. 8: Iram Domini portabo.

237. 8. Mich. 7, v. 8: *Ne laeteris inimica mea, nam si cecidi, resurgam; cum sedero in tenebris, iram Domini portabo, donec causam judicet, adducet me in lucem, videbo justitiam ejus. Hunc locum afferri solitum pro purgatorio docet Hieronymus in cap. ult. Esa. et glossa ordinaria exponit, iram Domini portabo vel hic, vel in purgatorio.* Respondemus: 1. Proponitur in verbis prophetae consolatio, quam pii Israëlitae in captivitate Babylonica vera fide amplecti et contra insultus ac sarcasmos hostium eadem sese erigere debeant, quod videlicet ex tenebris captivitatis ac miseriae in lucem libertatis ac laetitiae sint reducendi, de purgatorio verbum nullum additur. 2. Ita exponunt Hieronymus, Theodoretus, Lyranus, glossa interlinearis, Hugo Cardinalis et alii, ex quibus quidam mystice applicant *ad animam tentatam.* Ne insultetis mihi caro, mundus ac daemones, quod ceciderim peccando, resurgam enim poenitendo, post tenebras culpae et tristitiae spero lucem gaudii et justitiae, Christum scilicet, qui factus mihi a Deo justitia ac redemtio. 3. Benedictus Arias late hunc locum explicat, purgatorii vero non meminit. Ribera Jesuita in comm. hoc loco: *Loquitur in persona populi propheta, id est in persona Jerusalem, quae Babylonem inimicam suam, a qua vastata est, exsultare prohibet, eo quod sit iterum post captivitatem aedificanda et habitanda. Ita Hieronymus et alii. Ne laeteris o Babylon de ruina mea, quae mihi nunc a propheta praedicta est, eadem a te expugnata, sed iterum aedificabor.* In sensu allegorico applicat ad Christi ex mortuis resurrectionem. 4. Quomodo ad purgatorium applicari potest, quod sequitur apud prophetam v. 10: *Adspiciet inimica mea, operietur confusione, quae dicit ad me, ubi Dominus Deus tuus?* v. 11. *dies* (venient), *ut aedificentur maceriae tuae.* Glossa ordin. accommodat *ad reparationem ruinae angelicae*, sed quilibet videt, hoc esse perquam durum et coactum. 5. Hieronymus nequaquam ad purgatorium dictum propheticum accommodat, sed dicit, *eos, qui volunt supplicia damnatorum aliquando finiri, et licet post multa tempora, tamen terminum habere tormenta, inter alia etiam hoc testimonio uti* vel potius abuti. Origenico igitur errori affines sunt, qui ad statum et poenas futuri seculi hunc locum accommodant.

9. Ex Zach. 9, v. 11: Eduxisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.

238. 9. Zach. 9, v. 11: *Tu in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. Etsi*, inquit Bellarminus, *hunc locum adducunt passim pro liberatione patrum ex limbo, tamen melius convenit liberationi animarum ex purgatorio, quas Christus eduxit, cum eo descendit post mortem suam, 1. quia isti rectius dicuntur vincti,*
XVII. 283. *2. quia in purgatorio non est aqua consolationis, quae est in limbo. Unde Augustinus lib. 12. in Gen. cap. 33. et epist. 99. ad Evodium contendit, Christum, cum descendit ad inferos, non solum patres invisisse, sed etiam eos, qui cruciabantur in inferno, id est in purgatorio, et multos eorum inde liberasse.* Eundem locum pro purgatorio stabiliendo adducit Salmeron. comment. 1. Cor. 15. disp. 26. §. Vocatur etc. Respondemus: 1. Bellarminus ipse lib. 4. de Christo cap. 11. ex hoc dicto prophetico *limbum* fulcire conatur; cur ergo hoc loco ad purgatorium illud applicat, cum limbus ac purgatorium sint duo distincti sinus inferni? Becanus in disp. de purg. Calvinist. p. 25. itidem ambiguus est, an ad limbum patrum, an ad purgatorium hic locus propheticus referri debeat. *Catholici* (inquit) *aut limbum antiquorum patrum aut certe purgatorium intelligi putant.* Costerus in enchir. p. 492. et conc. part. 3. tom. 1. p. 604. accipit de *purgatorio*, Grodic. conc. 2. in festo paschatos *de limbo.* 2. Ostendimus autem superius §. 176. nec de *limbo*, nec de *purgatorio* vaticinium illud accipi posse, sed de ipso inferno, ex quo Christus sua passione et sanguinis sui effusione nos eduxit, quando Patri suo coelesti nos reconciliavit et a potestate Satanae liberavit. 3. Hanc interpretationem probant ipsimet evangelistae Matth. cap. 21, v. 5. et Johannes c. 12, v. 14. quando vaticinium illud referunt ad Christi in Hierosolymarum urbem ingressum eundemque insecutam passionem, per quam ecclesiae redemtio obtigit. 4. Eadem interpretatio patrum suffragio stabiliri potest. Theodoretus in comm.: *Quos tuo pretioso sanguine redemisti et liberasti, hos cum salutaribus testamenti tui tabulis emisisti, ut omnibus hominibus libertatem testarentur ac declararent. Liberasti eos a lacu non habente aquam, hunc autem lacum sive de morte aeterna, sive de errore idolorum velit quis intelligere, non aberrabit a veritate.* Hieronymi et Augustini lib. 18. de civ. Dei cap. 35. expositionem adduximus §. citato. 5. Ad purgatorium non posse applicari locum propheticum, demonstramus hisce argumentis. Primo in lacu illo, e quo Christus vinctos eduxisse dicitur, *non erat aqua*, sed in purgatorio esse aquam colligi potest ex eo, quod dictum Psalm. 66, v. 12. *transivimus per aquam et ignem* etc. ad illud applicant. Secundo, ex lacu illo Christus dicitur nos eduxisse *suo sanguine*, sed ex purgatorio liberantur homines suis passionibus ac satisfactionibus. Tertio in lacu illo, e quo Christus nos eduxit, tenebamur *vincti*, sed animae in purgatorio non sunt vinctae, quia *possunt ex eo ad nos in terris adhuc viventes* proficisci, ut ex Gregorii dialogis disputat Bellarminus lib. 2. de purg. c. 8. Quarto, in lacu illo non animae duntaxat, sed *homines* corpore et anima vincti tenentur, sed in purgatorio animae tantum torrentur. Quinto, ubi est certa spes liberationis ac salutis, ibi adhuc est aqua aliqua consolationis; sed *in purgatorio est certa spes liberationis ac salutis*, teste Bellarmino lib. 2. de purgat. c. 4. ergo ibidem adhuc est aqua consolationis. Jam vero in lacu illo, e quo Christus nos liberavit, nulla est aqua. 6. Augustinus de purgatorio dubius fuit, ut

suo loco ostendemus. 7. Quod Augustinus disputat, *Christum in suo ad inferos descensu, quosdam ex inferno liberasse*, id ne ipsi quidem Pontificii acceptare possunt, agnoscunt enim nobiscum, ex inferno nullam esse liberationem. De purgatorio id ipsum exponi nequit, cum Augustinus de inferno specialiter sic dicto, id est damnatorum loco, illud asserat.

10. Ex Malach. 3, v. 3: Sedebit quasi ignis conflans.

239. 10. Malach. 3, v. 3: *Ipse sedebit quasi ignis conflans et purgabit filios Levi et colabit eos. Hunc locum exponunt de poena purgatoria Origenes homil. 6. in Exod. Ambrosius in Psalm. 36. Augustinus lib. 20. de civ. Dei c. 25. et Hieronymus in hunc locum. Et quamquam poena illa purgatoria non est ea, de qua nunc agimus, nam illa purgabit viventes, nos autem agimus de poena* XVII. 284. *mortuorum, tamen inde recte infertur purgatorium. Nam ideo tunc praecedet tribulatio gravissima, et postea etiam ignis descendet et purgabit celerrime omnes reliquias peccatorum in hominibus justis, quia ut Irenaeus etiam notat in fine lib. 5. tunc repente ecclesia, quae est in terris, assumenda erit ad sponsum, nec erit tempus purgationis ulterioris, ut nunc est post mortem ante judicium.* Respondemus: 1. non de *secundo* Christi adventu ad judicium, sed de *primo* adventu ad opus redemtionis in his terris peragendum propheta loquitur, ut constat ex infallibili evangelistarum expositione. Matth. 11, v. 10. Marc. 1, v. 2. Luc. 1, v. 76. cap. 7, v. 27. 2. Id ipsum colligitur ex integro contextu hujus vaticinii, v. 1: *Ecce ego mitto angelum meum* (legatum meum, Johannem Baptistam), *qui praeparabit viam ante faciem meam*, v. 2. *et statim veniet ad templum suum* (Hierosolymitanum) *dominator, quem vos quaeritis* (Messias, quem cupide exspectatis), *et angelus testamenti, quem desideratis. Ecce veniet, dicit Dominus exercituum.* v. 3. *Et quis poterit sustinere diem adventus ejus?* (illius scilicet, de quo in praecedentibus actum, cujus praecursor erat futurus Johannes Baptista.) *Et quis stabit, cum apparuerit?* (pontificibus, sacerdotibus, Levitis, Pharisaeis etc. Hierosolymitanis Christi adventus erat parum gratus et acceptus propter acrem corruptelarum reprehensionem et institutam ecclesiae reformationem, de qua propheta porro sic vaticinatur:) *Ipse enim erit quasi ignis conflans et quasi sapo fullonum* (quo lintea ac panni purificantur), *sedebit* (ut aurifaber) *conflans et emundans argentum et purgabit filios Levi et fundet eos quasi aurum et argentum, et erunt Domino offerentes in justitia, et placebit Domino sacrificium Juda et Jerusalem sicut in diebus antiquis et sicut in annis prioribus* (post repurgatam a corruptelis et traditionibus Pharisaicis doctrinam pristinus ejusdem nitor elucescet, et qui ex sacerdotibus, scribis, Pharisaeis ac reliquis Judaeis patientur se verbo emendari, illi salutaria ecclesiae Christianae membra fient ac spiritualia sacrificia Deo offerent). 3. Huic interpretationi ex ipsis textus visceribus erutae assurgunt multi ex veteribus, dum non ad purgatorium post hanc vitam, sed ad ignem verbi et tribulationum in hac vita locum propheticum referunt. Cyprianus ad Quirinum lib. 3. advers. Judaeos c. 57: *Emendans emendavit me Dominus et morti non tradidit me* etc. *Item apud Malachiam, et sedebit conflans et expurgans sicut aurum et argentum et emundabit filios Levi.* Hieronymus in comm.: *Ipse his, qui peccant graviter, ignis consumens est, qui autem levia peccata committunt, herba fullonum, ut lotis munditiam restituat* etc. *unde et Dominus in evangelio loquitur, ignem veni mittere super terram. Et purgabit filios Levi. Tempus enim est, ut judicium incipiat a domo Dei.* (At ignis ille, de quo Christus loquitur, et judicium, de quo Petrus, non est purgatorium subtus terram, sed in hac vita super terram. Cyrillus Alexandr. lib. 1. in Esaiam orat. 3. c. 4: *Regeneratos a Spiritu sancto et igne intelligibili hic intelligit, qui sortes vitiositatis in nobis deterit et absumit et peccati inquinationem liquat et excoquit;* (at in purgatorio non est ignis intelligibilis, sed corporeus, ut disputat Bellarminus lib. 2. ad purgat. cap. 11.). Theodoretus in comm.: *Hoc loco propheticus sermo Dominum tanquam quendam opificem nobis ostendit, sordes peccatorum veluti herba quadam expurgantem et ceu igne quodam animas nostras ejusmodi veneno liberantem* (si de vero et corporeo purgatorii igne locum accepisset, nequaquam particulam similitudinis adhibuisset). Lyranus in comm.: *Ipse quasi ignis conflans ad probationem electorum, et purgabit filios Levi, hoc est apostolos, quorum aliqui fuerunt de tribu Levi et omnes fuerunt novae legis episcopi.* Hugo Cardinalis in comm.: *Purgavit filios Levi igne passionis vel Spiritus sancti.* Eodem fere modo Arias Montanus in comm.: *Evangelio describendo varia et illustria ex effectu nomina in sacris literis imposita sunt, ex iis unum est ignis, alterum herba fullonum. Utraque autem res natura sua impuritati adversatur* XVII. 285 *atque elegantiae et rerum nitori puritatique conducit.* Ribera in comm. hoc loco: *Ego Theodoreto assentior, qui de expiatione cordium per Spiritum s. datum a Christo prophetam loqui arbitratur. Christus igitur igne Spiritus sui calefaciet animas suorum et expurgabit ut ignis metalla* etc. *de quo dictum est Matth. 3. baptizabit in Spiritu s. et igne. Luc. 12. ignem veni mittere in terram* etc. 4. Propheta non de poena *mortuorum*, sed *viventium* in hoc dicto agit, fatente Bellarmino. At purgatorium est poena mortuorum, non viventium, eodem docente. Ergo hic locus propheticus non agit de purgatorio. Quod per *quandam consequentiam* ex igne judicii ignem purgatorium ante judicium cruciantem inferri posse arbitratur, de eo quid statuendum sit, ostendimus superius. 5. Augustinus non ad purgatorium Pontificium, sed ad *ignem extremi judicii* vaticinium accommodat. *Propheta Malachias* (inquit) *judicium novissimum prophetavit*, et postea: *Ex his quae dicta sunt, videtur evidentius apparere, in illo judicio quasdam quorundam purgatorias poenas futuras.* Eodem modo exponunt Chrysostomus in

hom. quod Christus Deus, Ruffinus in expos. symb. sed ex illa vivorum per ignem judicii purgatione ignis purgatorius mortuorum animas excrucians inferri nequit, ut ostendimus superius. 6. Origenes et Ambrosius de tali purgatorio loquuntur, quod *omnes omnino*, etiam prophetae et apostoli subire coguntur. Sed hanc sententiam Bellarminus lib. 2. de purg. cap. 1. *inter errores* refert, quorsum igitur eorum expositionem affert?

Dicta Scripturae, quae alii Pontificii pro purgatorio adstruendo ex V. T. producunt. 1. Ex Lev. 12, v. 4: Puerpera non ingredietur sanctum, donec compleantur dies purgationis.

240. Atque haec sunt, quae *Bellarminus* ex V. T. pro purgatorio stabiliendo adducit. Ubi merito quis miretur et misereatur illas ambages et viarum anfractus, per quos piis V. T. fuit oberrandum, antequam in coelum pervenire potuerint. Primum enim in purgatorium ipsis fuit descendendum, in quo poenam damni et sensus experti fuere, ex purgatorio traducti fuere in limbum, in quo poenae *damni*, non tamen *sensus* fuere adhuc obnoxii, ex limbo in Christi ad inferos descensu tandem fuere liberati et ad coelestis vitae gaudia introducti, si Pontificiis figmentis fides est habenda. Videamus etiam reliqua V. T. dicta, quae alii ex Pontificiis pro purgatorio asserendo adducunt. 1. Levit. 12, v. 4: *Omne sanctum non tanget* (puerpera) *nec ingredietur in sanctuarium, donec impleantur dies purgationis suae*, ex quo colligunt, *animabus defunctorum non patere ad paradisi sanctuarium aditum nisi post impletas in purgatorio sanctificationes.* Respondemus: 1. Ex allegoriis non possunt probari fidei dogmata, nisi ipse Spiritus s. in Scripturis applicationem monstret. 2. Si hunc locum ἀλληγορικῶς ad purgatorium transferre velint, quomodo quaeso illud explicabunt, quod ea, quae feminam peperit, longiori tempore ab ingressu in sanctuarium abstinere debuit, quam quae marem enixa est? 3. Nullus ex veteribus in hujus loci explicatione allegorica de purgatorio quidquam somniavit. Conf. paraphrasten Chaldaeum, Origenem homil. 8. in Levit., Hieronymum in cap. 47. Ezech., Theodoretum, Bedam et alios in cap. 12. Levit. 4. Proponitur in hac lege admonitio de peccato originali per carnalem generationem in liberos propagato, a quo post exactum hujus vitae septenarium *die octavo*, hoc est in resurrectione universali, plene liberabimur. Duplum tempus immundiciei post editam in lucem feminam a matre observandum monitorium erat, per feminam astu Satanae deceptam peccatum in mundum esse introductum. In his et similibus allegoriis fidei analogiae congruis acquiescendum, non autem praeter, imo contra Scripturam purgatorium ex hac Levitica constitutione exsculpendum.

XVII. 286. 2. Ex 1. Sam. 2, v. 6: Jehovah mortificat et vivificat.

211. 2. 1. Sam. 2, v. 6: *Jehovah mortificat et vivificat, Jehovah ducit ad inferos et reducit. Jam vero ex inferno inferiore damnatorum loco non datur regressus, ergo de superiore inferni parte, videlicet de purgatorio, id accipiendum.* Huc referenda similia Scripturae dicta, quae de liberatione ex inferno loquuntur. Respondemus: 1. Quidam per שְׁאוֹל intelligunt sepulcrum ac de restitutione sanitatis ad hanc vitam vel resuscitatione ex sepulcro ad futuram vitam interpretantur. Tertullianus lib. de resurrect. carnis c. 18. ex hoc loco sic colligit: *Caro est, quae occiditur per mortem, caro itaque et vivificabitur per resurrectionem.* Lyranus in comm.: *Deducit ad inferos. In Hebraeo habetur ad fossam, id est sepulcrum, et reducit, quia aliquando contingit, quod aliqui, de quorum sepultura jam tractatur, ad vitam reservantur, sicut de Ezechia habetur.* Chaldaeus paraphrastes: *Descendere facit ad infernum etiam futurus ad educere faciendum ad vitas seculi.* 2. Quidam exponunt *de redemtione ex inferno* per Christum nobis parta. Sophronius Constantinopol. lib. de monarchia Dei: *Redemtor noster maledictionem Adae vertit in benedictionem, mortem in vitam, casum in resurrectionem.* Glossa ordinaria: *Deducit ad inferos, Judaeos obstinatos dimittendo eos deduci, et reducit gentiles ab idololatria, per quam digni erant inferni poena, revocando.* 3. Augustinus lib. 17. de civ. Dei cap. 4. accommodat ad Christi descensum ad inferos: *Deduxit ad inferos et reduxit. Hoc utrumque videmus in capite nostro impletum, quia in propheta vox ejus agnoscitur, non derelinques animam meam in inferno, eundem deduxit ad inferos et reduxit.* 4. Cajetanus in comm. de liberatione ex carcere accipit. *Ex eo*, inquit, *quod in Hebraeo verbi praeteriti temporis dicit et fecit adscendere, cogor nomine foveae nec infernum, nec sepulcrum, sed carcerem intelligere. A principio namque mundi usque ad tempus Hannae nullus adscenderat ex inferno, nullus surrexerat a mortuis, sed multos liberos et innocentes fecerat Deus descendere in carcerem et vinctos multos fecerat inde adscendere.* 5. Simplicissime exponitur *de terroribus et horroribus inferni*, quos in hac vita pii quandoque sentiunt, sed divinitus ex illis iterum liberantur. Quae interpretatio ex contextu et ex aliis Scripturae locis probari potest. *Dominus* (inquit Hanna) *mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit, pauperem facit et ditat, humiliat et sublevat*, hoc est, quos Deus vult vivificare et recreare, illos prius in extremas angustias et mortis pericula conjicit; quos vult coelestis gaudii sensu perfundere, illos prius inferni horrores sentire permittit; quos vult locupletare, illos prius ad extremam paupertatis lineam redigit; quos vult evehere, illos prius deprimit. Psalm. 30, v. 4: *Eduxisti ab inferno animam meam, vivificasti me a descendentibus in sepulcrum.* Psalm. 49, v. 16: *Deus redimet animam meam de manu inferni, cum susceperit me.* Psalm. 71, v. 20: *Ostendisti mihi angustias multas et magnas, conversus vivificabas me et ex voraginibus terrae adscendere me faciebas.* Psalm. 86, v. 13: *Eruisti animam meam ex inferno inferiori.* Psalm. 116, v. 3: *Angustiae inferni invenerunt me*, v. 4. *erue animam meam.* Gregorius lib. 2. exposit. in 1. Regum: *Ut mortificet Deus, ducit ad inferos, et ut vivificet, reducit ab inferis. Omnipotenti etenim Deo ad inferos ducere est peccatorum corda aeter-*

*norum cruciatuum consideratione terrere, et quoque ab inferis reducere est territas poenitentium atque commissa lugentium mentes spe vitae indeficientis attollere.* Hugo Cardinalis in hunc locum metaphorice loquitur: *Dominus deducit ad inferos, id est ad summam afflictionem, quod enim nomine inferni intelligatur gravis afflictio, habemus Ecclesiastici ultimo.*

**3. Ex Ps. 39, v. 12: Si reprehensionibus pro iniquitate castigas quempiam, liquescere facis desiderium ejus.** XVII. 287.

242. 3. Psalm. 39, v. 12: *Si reprehensionibus pro iniquitate castigas quempiam, liquescere facis ut tineam desiderium ejus. Hoc in purgatorio fieri arbitrantur.* Respondemus: 1. non de purgatorio post hanc vitam, sed de castigatione in hac vita loquitur psaltes hoc sensu, si Deus propter peccata morbo quodam hominem corripit, tunc pulchritudo ejus consumetur, ac si a tinea esset corrosa. Chaldaeus paraphrastes: *Liquefactum est instar limacis corpus ejus.* 2. Eodem modo probatissimi interpretes exponunt, apud quos de purgatorio altum in explicatione hujus phraseos silentium. Confer Hieronymum, Arnobium, Chrysostomum, Augustinum, Theodoretum, Ruffinum, Euthymium, Bedam, Haymonem, Lyranum et alios in comm. 3. Nec Pontificii interpretes purgatorii hoc loco meminerunt. Confer Cajetanum, Eugubinum, Folengium Genebrardum, Jansenium et ipsum Bellarminum in comm. 4. Proferunt pro stabilienda interpretatione Origenem homil. 2. in tres Psalmos. Atqui primo unius interpretis auctoritas reliquis non est praeferenda. Secundo allegorica expositio sine Scripturae suffragio excogitata non praebet solidum fidei fundamentum. Tertio Origenes ob nimium ac praeposterum allegoriarum studium male audit. Quarto ipsimet Pontificii Origeni non multum tribuunt, ut suo loco monebimus. Quinto Origenis purgatorium bonos et malos, adeoque omnes homines suscipit, quod Bellarminus lib. 2. de purg. cap. 1. numerat inter errores. Sexto homiliae istae judice Erasmo non sunt *Origenis*, sed *auctoris Latini* aliquot seculis Origene posterioris.

**4. Ex Ps. 107, v. 13: Eduxit eos ex tenebris et umbra mortis.**

243. 4. Psalm. 107, v. 13: *Clamaverunt ad Dominum in angustia et de coarctationibus servavit eos;* v. 14. *eduxit eos ex tenebris, ex umbra mortis et vincula eorum disrupit, id est liberavit eos ex purgatorio.* Resp. 1. v. 12. proxime praecedente dicitur: *Impegerunt, et non fuit, qui adjuvaret,* consequens igitur fuerit, animas in purgatorio nec missis, nec suffragiis, nec indulgentiis juvari posse. 2. Et antecedentia et consequentia ostendunt, Davidem loqui *de liberatione ex necessitatibus* et *angustiis, quae in hac vita clamantibus ad Dominum et fide ad eum confugientibus obtingit.* 3. Pii veteres nihil de purgatorio in expositione hujus loci addunt. Confer Hieronymum, Augustinum, Cassiodorum etc. in comm. Theodoretus sic exponit: *Liberavit ab ignorantiae tenebris servitutisque vincula perfregit.* Euthymius *a tenebris, erroris.* Haymo: *Sedentes in umbra mortis, id est turpi vita, quae esset excoecatio eis et umbra ducens ad mortem.* Hugo: *In tenebris, ecce ignorantia, et umbra mortis, ecce culpa, vinctos, ecce poena.* Lyranus: *Per umbram mortis pericula mortis intelligit.*

**5. Ex Eccl. 4, v. 14: Est qui ex vinculis prodit ad regnandum.**

244. 5. Eccles. 4, v. 14: *Est, qui e vinculis prodit ad regnandum, id est de purgatorio ad regnum coelorum.* Respondemus: non de statu animae *post hanc vitam*, sed de rerum humanarum vicissitudine *in hac vita* agitur, ut integer contextus ostendit, statim enim additur, *quia etiam in regno suo natus est pauper.* Atqui talis *μεταβολή* post hanc vitam non amplius habet locum, qui enim semel in regnum coeleste receptus, nunquam iterum detrudetur ad purgatorium. Interpretes in sensu literali referunt ad Josephum ex carcere ad gubernacula Aegypti evectum, in sensu allegorico *ad Christum* ex vinculis in regnum Patris exaltatum.

**6. Ex Es. 8, v. 19: Numquid non populus a Deo suo requirit pro vivis ac mortuis?** XVII. 288.

6. Esa. 8, v. 19: *Numquid non populus a Deo suo requirit pro vivis ac mortuis?* hunc locum Petrus Cluniacensis lib. 1. epist. f. 32. ad purgatorium ex apparitionibus et revelationibus mortuorum exstructum accommodat. Respondemus: Fontes veritatis sic habent: *Nonne populus Deum suum requiret? pro vivis ad mortuos?* (subintellige consulet.) v. 20. *Ad legem et ad testimonium.* Chaldaeus paraphrastes: *Unusquisque populus ab idolo suo requirit, vivi a mortuis.* LXX interpr. *οὐκ ἔθνος πρὸς θεὸν αὐτοῦ ἐκζητήσουσι; τί ἐκζηττήσουσι περὶ τῶν ζώντων τοὺς νεκρούς;* Redarguit propheta populum a pythonibus et hariolis veritatem quaerentem ac revocat eum ad legem Domini, quo modo Origenes, Basilius, Hieronymus, Cyrillus et alii dictum propheticum recte exponunt, quae interpretatio fundamentum purgatorii ex apparitionibus mortuorum suffultum penitus diruit.

**7. Ex Esa 54, v. 8: In momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te.**

7. Esa. 54, v. 8: *In momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te et in misericordia sempiterna misertus sum tui.* Hoc itidem ad liberationem ex purgatorio applicant. Respondemus: De afflictionibus hujus vitae, quae respectu aeternae felicitatis sunt *leves ac momentaneae* 2. Cor. 4, v. 17. non de purgatorii tormentis post hanc vitam sustinendis sermo est. Statim enim additur: *Sicut in diebus Noae hoc mihi est, cui juravi, quod non transirent aquae ultra super terram, sic juravi, ut non irascar tibi nec increpem te.* Nullus ex veteribus interpretibus purgatorii in explicatione hujus dicti meminit. Lyranus in comm.: *Ad punctum abscondi faciem meam, quia quaecunque tribulatio vitae praesentis quasi momentanea est respectu consolationis coelestis.*

**8. Ex Jer. 1, v. 13: Video ollam succensam.**

8. Jer. 1, v. 13: *Quid vides? et dixi, ollam succensam ego video et faciem ejus a facie aquilonis.* In hac olla succensa animas purgari somniant. Respondemus: versus sequens addit explicationem. *Et dixit Dominus ad me, ab aquilone pandetur omne malum super omnes habitatores terrae,* v. 15. *quia ecce ego voco omnes cognationes regnorum aquilonis, dixit Dominus, et venient et ponent unusquisque solium suum in introitu portarum Jerusalem et super omnes muros ejus et super universas urbes Juda.* Haec ergo olla bulliens ac fervens, perinde ut *virga vigilans* v. 12.

significabat angustias et afflictiones, quibus Deus per Babylonios populum suum voluit castigare et excoquere, Babylonii respectu terrae Canaan erant Israëlitis aquilonares sive septentrionales. Confer Hieronymum et Theodoretum in comm. Gregorius lib. 33. moral. cap. 27. mystice sic explicat: *Ab aquilonis facie humani cordis olla succenditur, dum instigatione adversarii spiritus illicitis desideriis inflammatur.* Origenes homil. 2. in Psalm. 38. ad purgatorium applicat, sed quid de eo statuendum sit, ex antecedentibus patere potest.

2. Ex N. T. 1. ex Matth. 12, v. 32: Peccatum in Spiritum s. non remittetur neque in hoc, neque in futuro seculo.

245. Ex N. T. Bellarminus haec producit dicta. 1. Matth. 12, v. 32. *dicit Dominus, esse quoddam peccatum, quod non remittitur neque in hoc seculo, neque in futuro. Hinc colligunt sancti patres, quaedam peccata remitti in futuro seculo per orationes et suffragia ecclesiae.* Augustinus lib. 21. de civ. Dei c. 24. lib. 6. in Julianum cap. 5. Gregorius lib. 4. dialog. c. 39. Beda in cap. 3. Marci, Bernhardus homil. 66. in Cant., Petrus Cluniacensis in epist. contra Petrobrusianos, Rabanus lib. 2. instit. cleric. cap. 41. glossa interlinearis et ordinaria. Respondemus: 1. collatio evangelistarum ostendit, *non remitti neque in hoc, neque in futuro seculo* idem omnino esse, quod *non habere remissionem in aeternum.* Quod enim apud Matthaeum dicitur, *non remittetur illi peccatum nec in hoc seculo, nec in futuro,* id apud Marcum sic exprimitur c. 3, v. 31: *Non habebit remissionem in aeternum, sed reus erit aeterni delicti,* et apud Lucam c. 12, v. 10: *Non remittetur.* Hieronymus in comm. c. 22. Matth.: *Qui dixerit, Filium Dei habere spiritum immundum, huic nullo tempore blasphemia remittetur.* Augustinus de verb. Dom. serm. 11: *Quod scriptum est, non habet remissionem in aeternum, sed reus erit aeterni delicti, quid est aliud quam id, quod secundum Matthaeum legitur, non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro?*
XVII. 289. Est ergo in verbis Christi exaggeratio comminatoria, qua peccato in Spiritum s. remisso ἀποτόμως ac penitus denegatur, perinde ut Joh. 13, v. 8. dicit: *Non lavabis mihi pedes in aeternum.* Excipit Bellarminus, *1. hoc modo posse etiam nos tollere infernum ac dicere, esse exaggerationem, cum dicitur, ite in ignem aeternum.* Respondemus: Est dispar ratio inter peccatorum remissionem in futuro seculo sperandam et inter aeternam poenarum infernalium durationem. Quod enim poenae infernales futurae sint aeternae, illud claris et perspicuis Scripturae dictis asseritur, quae ostendunt non nudae exaggerationis, sed certae asseverationis, ergo ignem infernalem dici aeternum. Sed in futuro seculo quorundam peccatorum remissionem sperandam esse, Scriptura non solum nuspiam dicit, sed etiam diserte contradicit. *Quidquid in terra solveritis, in coelo solutum erit, quidquid in terra ligaveritis, in coelo erit ligatum* Matth. 18, v. 18. *2. Exaggerationem non debere esse ineptam, qualis est, cum fit partitio et uni membro nihil respondet.* Respondemus: imo vero, quia est exaggeratio, ideo non est accurata et logica quaedam partitio. Sic quando Christus ficui maledicens ait: *Nunquam ex te fructus nascatur in aeternum* Matth. 21, v. 19. Marc. 11, v. 14. non potest inde inferri, quod quaedam arbores in futuro seculo in aeternitate scilicet, fructus sint allaturae. Quando Petrus Joh. 13, v. 8. dicit ad Christum: *Non lavabis mihi pedes in aeternum,* ex eo inferri non debet, quod Christus in futuro seculo quorundam pedes sit abluturus. *3. Non debere exponi Matthaeum per Marcum, sed potius Marcum per Matthaeum, cum Matthaeus pluribus verbis utatur, et constet, Matthaeum copiosius scripsisse et Marcum fecisse quasi compendium ex evangelio Matthaei.* Respondemus: Marcus post Matthaeum scripsit, ut ex historia ecclesiastica constat et ex verbis Bellarmini colligitur, nisi enim post Matthaeum scripsisset, ex ejus evangelio epitomen conficere nequaquam potuisset. Ne quis ergo verbis Christi apud Matthaeum abuteretur ad probandum, quaedam peccata remitti in futuro seculo, ideo Marcus verum eorum sensum exprimere voluit, quod peccati in Spiritum s. nulla speranda sit remissio. Nequaquam igitur absurdum vel praeposterum censeri debet Matthaeum explicare per Marcum, quod in alia quaestione facit Gregorius de Valentia libr. de indissol. matrim. vinc. c. 4. §. tertio etc. *Marcus,* inquit, *hoc in loco,* ubi de divortio agitur, *tanquam Matthaei interpres est adhibendus.* Nec absolute ac simpliciter verum est, quod Bellarminus asserit, *eum qui pluribus verbis utitur et copiosius scribit, non posse exponi per eum, qui paucioribus verbis utitur.* Nam David Psalm. 110, v. 1. describens exaltationem Christi pluribus verbis utitur: *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis* etc. et tamen recte exponitur ex Paulo 1. Cor. 15, v. 25: *Oportet eum regnare.* Quodsi Bellarminus ex Marco interpretationem petere nolit, cum sit epitomator Matthaei, conjungat explicationem ipsius Lucae, qui aeque copiose historiam evangelicam descripsit ac Matthaeus, et quidem post Matthaeum ac Marcum. Sed nec *absolute* et simpliciter verum *secundum quid* duntaxat accipiendum, quod ex Hieronymo dicitur, *Marcum confecisse epitomen evangelii a Matthaeo scripti,* quia ab initio historiae in tractandi ratione est dissimilis, in progressu alium ordinem sequitur, partim res uberius tractando, partim novas interserendo. Unde ipse Bellarminus lib. 2. de Rom. pontif. cap. 2. scribit, *gravissimos auctores constanter affirmare, Marcum Romae scripsisse evangelium, prout ibidem Petrum praedicantem audiverat.* At si Marcus excepit evangelium ex ore praedicantis Petri, non fuit epitomator Matthaei. *4. Aut Christus dixit, ut habet Matthaeus, vel ut habet Marcus, vel utroque modo. Si primum vel tertium, haberi intentum; si secundum, quanquam hoc non sit probabile, tunc Matthaeum duce Spiritu s. exposuisse verba Christi, et nisi inepte exposuerit, indicasse, in alio seculo dimitti aliqua peccata.* Respondemus: Matthaeus concioni Christi ipsemet interfuit, Marcus ex Petri relatione et Spiritus sancti inspiratione eandem didicit.

XVII. 290. Eusebius libr. 6. hist. cap. 13. Hieronymus in catal. illust., Nicephorus lib. 2. hist. eccl. c. 15. Utroque igitur modo Christus loqui potuit. Neque ex eo quidquam sententiae nostrae decedit. Si eo modo locutus est, ut refert Matthaeus, tunc Marcus divina inspiratione explicationem addidit; si utroque modo locutus est, ut Matthaeus et Marcus referunt, tunc Christus ipse verborum suorum detorsionem praevidens sanam eorum sententiam expressit. *5. Non ita accepit Marcus vocem in aeternum, sicut Petrus apud Johannem. Nam inepte dixisset Petrus, non lavabis mihi pedes neque in hoc seculo, neque in futuro, cum in futuro non laventur pedes. Non autem inepte dixit Dominus apud Matthaeum, non remittetur neque in hoc seculo, neque in futuro. Itaque Petrus apud Johannem accepit vocem in aeternum improprie pro solo, tempore hujus vitae, Marcus autem proprie pro toto spatio hujus seculi et futuri.* Respondemus: Principium petit Bellarminus, quando infert, Christus apud Matthaeum proprie loquitur, quod peccatum in Spiritum s. non remittatur neque in hoc seculo, neque in futuro. Ergo in futuro seculo quaedam peccata remittuntur, quae enim sit ratio hujus phraseos, paulo post expeditum dabimus. Ac unde probat Bellarminus, *vocem in aeternum improprie pro solo tempore hujus vitae in verbis Petri accipi?* aeque enim probabile est, Petrum exaggerationis et αὐξήσεως gratia et hujus et futuri seculi spatium exprimere, quod in omnem aeternitatem concedere nolit, pedes a Christo sibi ablui?

246. 2. In verbis Christi est absoluta negatio, non privatio, quae praesupponat affirmationem in potentia, hoc est in verbis Christi est potius illatio subordinatorum absolutam negationem includens, quam partitio affirmationem tacitam praesupponens, sensus enim est, quia peccatum in Spiritum s. non remittitur in hoc seculo, ideo etiam in futuro non remittitur, sicque in aeternum non remittitur, quorum enim peccatorum remissio non obtingit in hoc seculo, illorum remissio frustra speratur in futuro. In hoc seculo per ministerium ecclesiae Deus ligat vel solvit peccata, in futuro seculo non amplius per ministerium ecclesiae cum peccatoribus aget, sed quae per ecclesiam ligata vel soluta sunt, pro ligatis vel solutis a se haberi ipso facto scilicet poenarum irrogatione ac praemiorum distributione, declarabit, ac proinde quod in hoc seculo super terram non remittitur, illud in futuro seculo, id est in coelo, non remittetur. Constabat enim Judaeis ex lege et nobis ex evangelio, peccata, quae in hoc seculo non remittuntur, ligata manere etiam in futuro seculo. Nequaquam vero hic sensus est, quod peccatum in Spiritum s. non remittatur quidem, neque in futuro seculo, interim esse alia quaedam peccata leviora, quorum remissio in futuro seculo obtineri possit, talis enim sensus fidei analogiae et manifestis Scripturae ac piorum veterum dictis de peccatorum remissione in hac vita duntaxat speranda diserte repugnat. Hoc membrum responsionis alii sic efferunt, *ex negatione non sequi affirmationem*, ac proinde non debere eo modo concludi: Peccatum in Spiritum s. non remittitur in futuro seculo, ergo quaedam alia peccata in eo remitti possunt. Non est enim consequens, quod Christus de peccato in Spiritu s. negavit, illud eum affirmasse de aliis peccatis. Potest aliquid negari de una specie, quod tamen constat non convenire ulli speciei ejusdem generis. Sic de superbia dicere possumus, eam Deo ita exosam esse, ut non possit eam ullo modo ferre, ex quo tamen inferri nequit, ipsum reliqua peccata ferre posse. Sic quando vindictae cupidus dicit, non remittam hanc injuriam neque in hac, neque in futura vita, ex eo nec debet, nec potest inferri, quod quaedam injuriarum remissio futura sit in vita altera, sed sensus est, quod quia in hac vita remittere nolit injuriam, ideo etiam in futura vita eandem non sit remissurus. Potuisset Christus dicere, hoc peccatum neque in hoc seculo, neque in inferno remittetur, ex quo tamen colligi non posset, quaedam peccata in inferno remitti. Excipit Bellarminus, *non sequi secundum regulas dialecticorum, id quod* XVII. 291. *ex verbis Christi (a Pontificiis) infertur, sed tamen sequi secundum regulam prudentiae, quia alioqui ineptissime fuisset Dominus locutus. Inepte enim diceres, hoc peccatum non remittetur neque in hoc seculo, neque in futuro, si in futuro, nullum remittitur, sicut inepte loqueretur, qui diceret, rex Philippus non absolvet te neque in aula Hispaniae, neque in aula Franciae; non autem loqueretur inepte, si diceret, neque in aula Hispaniae, neque in aula Brabantiae, unde Joh. 19. cum dixisset Christus: Regnum meum non est de hoc mundo, intulit Pilatus: Ergo rex es tu? nec respondit Christus, non bene sequi ex negativo affirmativum, sed approbavit. Neque valet similitudo allata. Nam Christus non potuit dicere, neque in hoc seculo, neque in futuro, nisi inepte loqui voluisset, tum quia seculum tempus est, infernus vero locus, proinde non opponuntur, sicut seculum praesens et futurum, tum etiam quia in inferno constat, nullam fieri remissionem.* Respondemus: 1. si id quod ex verbis Christi infertur, non sequitur secundum regulas dialecticorum, utique non infert a legitima et necessaria consequentia, quia omnem omnino legitimam consequentiam regulis dialecticorum conformem esse oportet. 2. Regula illa prudentiae est valde irregularis, nititur enim praeconcepta opinione de remissione quorundam peccatorum in futuro seculo speranda, quam *prudentia sanctorum* verbo revelato innitens penitus repudiandam esse docet, Luc. 1, v. 17. Quiquid extra et praeter verbum in fidei articulis asseritur, non pertinet ad prudentiam spiritualem, sed carnalem. *Ex solo Domini verbo sapientia vera.* 3. Christum inepte locutum esse, si non datur quorundam peccatorum in futuro seculo remissio, inepte a Bellarmino infertur, quia in ejusmodi exaggerationibus absolutam negationem continentibus non licet ad affirmationem procedere. 4. Nequaquam inepte loqueretur, qui in exaggeratione rhetorica diceret, *rex Hispaniae non absolvet*

*te in aula Hispaniae, neque in aula Franciae*, quia quos rex Hispaniae non absolvit in aula Hispaniae, illos etiam non absolvit in aula Franciae, cum in ea nullam obtineat jurisdictionem. Sic recte dicit Christus, peccatum in Spiritum sanctum non remitti neque in hoc, neque in futuro seculo, quia quod Deus non remittit in hoc seculo, illud etiam non remittit in futuro, cum futurum seculum ecclesiae jurisdictioni et clavibus ecclesiasticis, per quas Deus vult peccata remittere, non sit subjectum. Adde, quod sit in allata similitudine maxima disparitas. Non enim Hispanus regnat in utraque aula Hispaniae et Galliae, sicut Deus regnat in utroque seculo, et quod in hoc seculo remittit, in futuro remissum esse declarabit. 5. In verbis Pilati non ex negatione affirmatio infertur, sed ex relatione et conjugatis concluditur. Cum enim Christus regnum sibi tribueret, Pilatus ex eo recte intulit, ipsum regem esse, quisquis enim regnum habet, ille rex est. 6. Optima ratione Christus dicere potuisset, peccatum in Spiritum sanctum neque in hac vita, neque in inferno remitti ad significandum, peccatorum eorum, quae in hac vita non remittuntur, remissionem in inferno frustra sperari. Quamvis enim infernus sit locus, vel potius certum πού, in quo damnati torquentur, tamen praesenti seculo, quod super terram exigimus, recte opponitur, quippe cum etiam damnatorum statum hujus vitae statui oppositum denotet.

247. 3. Dogmata fidei ad salutem omnibus scitu necessaria non debent niti obscuris, longe petitis ac infirmis consequentiis, sed apertis ac perspicuis Scripturae dictis. Jam vero in hoc Christi dicto nullum de purgatorio exstat verbum, nec potest nisi per obscuram, longe petitam et infirmam consequentiam dialecticorum regulis minus congruam ex ipso ad speciem probari. Etenim si vel maxime concederemus, ex dicto Christi inferri posse, quod quaedam peccata in futuro seculo remittantur, nondum tamen statim accensum esset purgatorium, quia Origenes et alii *in futuro seculo* peccatorum remis-
XVII. 292. sionem statuunt, neque tamen per omnia cum Pontificiorum doctrina de purgatorio consentiunt. Praeterea Pontificii existimant, in purgatorio non solum culpas veniales remitti, sed etiam poenas temporales pro peccatis mortalibus persolvi. Ergo non sufficit ex dicto Christi ostendere, quaedam peccata in futuro seculo remitti, nisi etiam demonstretur, poenas temporales pro peccatis post mortem posse exsolvi. Quodsi igitur ex eo, quod Christus exaggerationis causa de peccato in Spiritum s. asserit, illud nec in hoc, nec in futuro seculo remitti, inferre licet, quaedam peccata in futuro seculo remitti, consequens fuerit, 1. soli peccato in Spiritum s. hoc convenire, quod nec in praesenti, nec in futuro seculo remittatur, reliqua vero peccata omnia praeter illud in Spiritum s. in futuro seculo remitti. At hoc consequens repugnat ipsorummet Pontificiorum hypothesi. Statuunt enim, venialium duntaxat, non autem mortalium peccatorum remissionem in futuro seculo contingere. Connexio majoris stabiliri posset ex eo, quod Christus peccatum in Spiritum s. comparet cum gravissimis delictis, cum blasphemia scilicet in Filium, quam constat esse peccatum mortale, cujus nulla in futuro seculo speranda est remissio. Excipit Bellarminus, *Christum loqui de perfecta remissione, quae complectitur remissionem culpae et poenae, quo modo peccata gravissima remittuntur etiam in alio seculo, quia ibi completur eorum remissio.* Respondemus: Aliud est remissio culpae, aliud relaxatio poenae. Ex hypothesi Pontificiorum non mortalium, sed venialium duntaxat peccatorum remissio in futuro seculo speranda. Bonaventum part. 2. centiloq. c. 3: *Tria sunt receptacula post hanc vitam ad peccata hominum punienda secundum triplex genus peccati. Est enim locus purgatorius, et hic debetur peccato veniali; est limbus, et hic debetur originali; est infernus, et hic debetur mortali.* Cui contradicit Bellarminus, quando *etiam mortalium peccatorum* remissionem ex parte et ratione complementi in futuro seculo sperandam esse hoc loco asserit. Recognoscat Bellarminus sua verba lib. 1. de purg. cap. 13. resp. ad 2: *Nemo Catholicorum docet, culpas letales remitti in purgatorio.* lib. 2. de purg. cap. 1: *Purgatorium pro iis tantum est, qui cum venialibus culpis moriuntur, et qui decedunt cum reatu poenae culpis jam remissis.* 2. Graviora peccata remitti in futuro seculo, in hoc autem sola leviora, si aliqua ibi remitti vellet, alioquí non diceret. Neque in hoc seculo, neque in futuro, sed e contrario dixisset, non dimittetur neque in futuro, neque in hoc seculo, ut oratio cresceret. Excipit Bellarminus *orationem crescere, quia in futuro majus spatium est diluendi peccata quam hic, et praeterea praeponitur hoc seculum, quia hic inchoatur, ibi perficitur remissio delictorum.* Respondemus: utrobique principium petitur, quia in futuro seculo nullum amplius restat spatium diluendi peccata, ut ex Scripturae et patrum dictis superius fuit demonstratum, neque in hoc seculo duntaxat inchoatur, sed etiam perficitur remissio peccatorum, quod itidem superius fuit comprobatum. 3. Ea quae de remissione culpae a Christo dicuntur, ad remissionem poenae applicari posse, cum tamen culpa et poena ex Pontificiorum hypothesi sint distincta, ac per consequens etiam remissio culpae ac remissio poenae. Excipit Bellarminus, *in purgatorio remitti etiam culpas saltem veniales.* At Christus hic non de venialibus, sed de mortalibus et gravissimis peccatis, cum quibus peccatum in Spiritum sanctum tanquam gravissimum et prorsus irremissibile comparat. Aliter igitur excipit Bellarminus, *Christum hic non loqui de sola culpa, sed sensum dicti esse eum, peccatum in Spiritum sanctum non remittitur, nec in hoc seculo, nec in futuro, neque quantum ad culpam, neque quantum ad poenam, cum alia peccata vel in hoc seculo remittantur et alio interdum quoad poenam, ut mortalia; vel et hic et ibi quoad culpam et quoad poenam, ut venialia.* Respondemus: Scriptura unicam tantum novit peccatorum remissionem, quae fit in hoc seculo, non tantum ratione culpae, sed etiam ratione poenae, cui doctrinae

quidquid repugnat, non potest ex Christi verbis
XVII. 293. legitima consequentia esse deductum. Remittere et punire sunt contraria, teste Chrysostomo homil. de poenit. ubi sic colligit, *quod Deus remittit, illud non punit.* At qui in purgatorio sudant, illis infligit Deus poenas propter peccata venialia, ut volunt Pontificii. Ergo venialium remissio non datur in purgatorio, sed exigitur pro illis satisfactio. Denique quo modo sumitur vox remissionis in uno membro, eo etiam modo sumitur in altero verborum Christi membro. Sed in uno membro de remissione culpae accipitur, ergo etiam in altero.

248. 4. In dicto Christi aliquid habetur, quod purgatorium prorsus evertit, quod sic probamus. Quidquid est vel esse statuitur, id aut ad praesens aut ad futurum seculum referendum, ut constat ex immediata oppositione, quam in verbis Christi agnoscunt Pontificii. At purgatorium nec ad praesens, nec ad futurum seculum referri potest. Prius concedunt Pontificii, posterius hoc modo probamus. Seculum futurum est aeternum nec unquam habebit finem. Eccles. 12, v. 5: *In morte abit homo in domum aeternitatis suae.* cap. 11, v. 3: *Lignum ubi ceciderit, ibi erit.* Luc. 16, v. 26: *Magnum chasma inter beatos ac damnatos firmatum.* 2. Cor. 4, v. 18: *Quae videntur, temporalia sunt, quae non videntur, aeterna.* Testatur universa Scriptura, post hujus vitae decursum nihil temporale amplius superesse, sed meram aeternitatem. Damascenus lib. 2. orth. fid. c. 1: *Aeterna vita et aeternum supplicium, quod sine fine futurum seculum ostendunt.* At purgatorium ex hypothesi Pontificiorum continet temporales poenas et finem in extremo judicio est habiturum. Ergo non pertinet ad futurum seculum. Ergo est figmentum papisticum; non ens aliquod verum et reale, sed imaginarium et fictitium. Hoc argumento utitur Mentzerus disp. 12. antipistorian. th. 85.

249. 5. Possunt etiam verba Christi exponi juxta idiotismum Hebraeum, quo *verba negantia ponuntur pro contrariis affirmantibus per quandam μείωσιν.* Quidam hanc regulam sic efferunt: *Adverbia negandi saepe ejus, quod exprimunt, contrarium affirmatum cum ἐμφάσει exprimunt.* Qui peccat in Spiritum s., non remittetur ei, id est citra ullam remissionem punietur tum in hoc, tum in futuro seculo. Haec explicatio probari potest ex Marco, qui c. 3, 29. verba Christi sic παραφράζει, *qui blasphemaverit in Spiritum s., non habet remissionem in aeternum, sed reus erit aeterni judicii* (Vulgata reddidit *delicti)*, hoc est sustinebit reatum divini judicii, non solum in hac, sed etiam in futura vita, quia testatur experientia, tales apostatas in Spiritum s. peccantes gravissimos conscientiae morsus sustinere et infernalium dolorum primitias etiamnum in hac vita praesentiscere. Similis idiotismus in aliis Scripturae dictis observari potest. Exod. 20, v. 7: *Non habebit Deus innocentem eum, qui assumserit nomen ejus in vanum*, id est gravissimis poenis temporalibus et aeternis eum afficiet. Prov. 11, v. 21: *Manus ad manum non faciet malum innocentem*, id est non defendent eum a promeritis poenis. Prov. 12, v. 3: *Non stabilitur homo in improbitate*, id est radicitus evertitur. Prov. 28, v. 20: *Qui festinat ditari, non erit innocens*, id est multis peccatis et peccatorum poenis sese involvit, *incidit in tentationem et laqueum et desideria multa irrationalia et noxia, quae mergunt homines in exitium*, ut exponit apostolus 1. Tim. 6, v. 9. Congruit etiam haec explicatio verborum Christi cum fidei analogia. Quaedam enim peccata punit Deus in hac vita, ut peccatoribus per castigationem emendatis parcat in futura, 1. Cor. 11, v. 32. sed peccatum in Spiritum s. tam grave atque atrox Christus esse pronuntiat, ut qui illud committant, judicium aeternae irae sentiant, nec in hoc solum, sed etiam in futuro seculo gravissimis poenis judicii divini signis torqueantur. Eo remittit nos Chrysostomus, quando hom. 41. in c. 12. Matth. sic commentatur: *Universorum hominum alii et hic, et ibi supplicia dabunt, ut Sodomitae; alii in praesenti solummodo vita, ut*
*fornicator Corinthius; alii in futura tantum vita, ut* XVII. 294.
*dives epulo; alii nec in praesenti, nec in futura vita, ut prophetae et apostoli.* Theophylactus in comm.: *Multi sunt, qui hic puniuntur, sed alibi poenae immunes sunt, ut pauper Lazarus; alii autem et hic, et alibi, ut Sodomitae, et hi, qui in Spiritum s. blasphemant; alii vero neque hic, neque alibi, ut apostoli et praecursor.* Joh. Ferus in c. 12. Matth.: *Minus dicendo plus significat, vult enim quod non solum in futuro, sed etiam hic punitur tale peccatum.* Chrysostomi verba adducit Jansen. in concord. evang. Matth. 19.

250. 6. Quidam *remissionem in futuro seculo* per manifestationem remissionis explicandam esse existimant, juxta vulgatam regulam, *quaedam tunc fieri dicuntur, quando facta esse manifestantur.* Sensus igitur erit, peccatum in Spiritum sanctum non remittitur nec in hoc seculo, nec in futuro, quando coram angelis et electis Christus judex manifestum faciet, quibus peccata sint remissa, quibus vero retenta. Hoc sensu concedimus, *peccata quaedam remitti in futuro seculo*, id est in die novissimo remissa ostendi, quando scilicet illis, quibus peccata propter Christum in hac vita sunt remissa, aeterna praemia distribuuntur; illis vero, quibus remissa non sunt, aeterna supplicia adjudicantur. Conjungit ergo Christus utrumque seculum, praesens et futurum, quia quando judicium Dei de peccato in hoc praesenti seculo pronuntiatur, tum mundus non magnopere illud curat, dicit igitur Christus, si quis impoenitens in hoc seculo officium Spiritus sancti, quod in ministerio peragit, aspernatus fuerit, ac proinde peccata non remissa, sed ligata fuerint, tum etiam futurum, ut in altero seculo in die judicii ipse non justus, sed condemnatus pronuntietur. Harm. evang. cap. 59. fol. 213. Excipit Bellarminus: *Quinam erunt illi, quibus non est remissum et in judicio remittitur? nonne illi, qui aut venialium purgatione indigebunt, aut solius poenae debitores erunt?* Respondemus: purgatorium in

extremo judicio habebit finem ex hypothesi Bellarmini. Ergo in judicio nulli supererunt, qui vel venialium peccatorum purgatione indigeant, vel poena alicujus temporalis sint debitores. Nequaquam vero in hac explicatione quorundam ex nostris asseritur, quaedam peccata, quae in hac vita non sunt remissa, in judicio remitti, sed quae in hac vita remissa sunt, remitti etiam in judicio, id est remissa ostendi, quae remissionis manifestatio erit publica et solennis remissionis in hac vita factae confirmatio.

251. 7. Sunt qui in verbis Christi hypothesin quandam ἀδύνατον agnoscunt, qualis etiam occurrit alibi in Scripturis. Matth. 24, v. 24: *Pseudoprophetae dabunt prodigia multa*, *ita ut in errorem inducantur*, *si fieri posset*, *etiam electi*. Galat. 1, v. 8: *Si angelus e coelo aliud evangelizet*, *praeterquam evangelizavimus vobis*, *anathema sit*. 1. Cor. 13, v. 2: *Si habuero omnem fidem*, *caritatem non habeam*, *nihil sum*. Brentius peccatum in Spiritum sanctum dicit esse, quod fit justitiae fastidio ex malitia, illud nec *in hoc seculo*, id est judicio humano, neque *in futuro*, id est in judicio divino excusari potest. Contra vero peccatum in Filium dicit esse, quod ex infirmitate commissum est, illud licet non coram divino, coram humano tamen excusari potest judicio; quae interpretatio non solum a Brentio homil. 105. in Luc. p. 1095. et in Matth. p. 253. sed etiam communi theologorum Tubingensium nomine proponitur in apologia contr. Sotum pag. 671. ac defensorem nacta est Carolum Molinaeum in collat. evangel. pag. 130. At Marcus verba Matthaei simpliciter interpretatur, *non habebit remissionem in aeternum*. Alii existimant, haec accipienda καθ' ὑπόληψιν, secundum opinionem illorum, qui tandem aliquando omnium peccatorum remissionem in futuro seculo subsecuturam arbitrantur, postquam damnati in inferno satis diu excarnificati. Quidam respondent, *ipsum mortis articulum*, *in quo beneficium absolutionis quibusdam contingit*, *futuro seculo annumerari*, cum sit quasi
XVII. 295. communis terminus utriusque seculi, ejusdemque in praesente et pereunte seculo nullus amplius sit usus. Sed hisce explicationibus nos non utimur, verum in datis responsionis membris acquiescimus.

252. 8. Augustini explicatio contra nos urgeri nequit, 1. quia ante Augustinum non fuit interpretatio illa in ecclesia recepta, Athanasius in hunc Matthaei locum integrum tractatum scripsit, sed nuspiam peccatorum quorundam in purgatorio remissionem fore innuit. Hilarius in Matth. cap. 12: *Pharisaeorum perversitatem severissima definitione condemnat*, *peccatorum omnium veniam promittens et blasphemiae Spiritus indulgentiam abnegans. Nam cum cetera dicta gestave liberali venia relaxentur*, *caret misericordia*, *si Deus negetur in Christo etc.. omnino peccata cujuscunque generis remittenda*, *blasphemiam in Spiritum non remittendam.* Hieronymus in comm.: *Illud de Marco evangelista sumamus exemplum*, *huic nullo tempore blasphemia remittetur.* Ambrosius de Spiritu sancto lib. 1. cap. 3: *Nec hic*, *nec in futurum remittetur.* libr. 2. de poenit. cap. 4. *non remittetur hominibus.* Eodem modo Chrysostomus explicat. 2. Augustinus ex Christi verbis vel tanquam necessarium πόρισμα collegit, peccata quaedam in futuro seculo remitti, vel tanquam opinionem quandam probabilem. Si posterius non potest purgatorium haberi pro fidei articulo, quia fides est de necessariis, non de probabilibus; fides est certa scientia, non vacillans opinio. Si prius, cur ipse Augustinus de tali quodam purgatorio dubitavit ac titubanter de eo etiam post illam collationem locutus est? Statim enim subjicit cap. 26. seq. *non redarguo*, *quia forsan verum est*, de qua loquendi formula c. 24. sic pronuntiat, *quod quidem non ideo confirmo*, *quia non resisto* (ubi de mitigatione poenarum infernalium per Dei misericordiam loquitur). Conf. lib. de fid. et operib. c. 14. in ench. c. 69. At de dogmate ad salutem scitu ac creditu omnibus necessario, quod qui non credunt, aeternis inferni flammis cruciandi sunt, Augustinus nunquam fuisset eo modo locutus. 3. Augustinus hunc locum accommodat non ad purgatorium post mortem statim sustinendum, sed ad poenas purgatorias per ignem die novissimo futuras, per futurum igitur seculum intellexit diem novissimum, unde etiam lib. 6. contr. Julian. c. 5. disputat, *quaedam peccata in novissimo judicio remissa iri.* At Pontificii statuunt, purgatorium suum in die judicii exstinguendum. 4. Idem serm. 11. de verb. Domini locum illum non accommodat ad purgatorium, sed de negatione absoluta nobiscum recte explicat. *Quod scriptum est*, inquit, *non habebit remissionem in aeternum*, *sed reus erit aeterni delicti*, *quid aliud est*, *quam id quod secundum Matthaeum legitur? non remittetur ei*, *neque in hoc neque in futuro seculo.*

253. 2. Secundum argumentum petit Bellarminus ex 1. Cor. 3, v. 12: *Si quis superaedificat super fundamentum hoc aurum*, *argentum*, *lapides pretiosos*, *ligna*, *foenum*, *stipula*, v. 13. *uniuscujusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit*, *quia in igne revelabitur et uniuscujusque opus quale sit ignis probabit.* v. 14. *Si cujus opus manserit*, *quod superaedificavit*, *mercedem accipiet;* v. 15. *si cujus opus arserit*, *detrimentum patietur*, *ipse autem salvus erit quasi per ignem.* Ex hoc loco Bellarminus dicit, Catholicos statuere duo dogmata ecclesiastica, *purgatorium* et *venialia peccata.* Applicationem proponit hujusmodi: *Utitur apostolus similitudine duorum architectorum*, *quorum unus super fundamentum lapideum et solidum erigit domum ex pretiosa materia et quae ignem non timet*, *qualia sunt aurum et argentum*, *lapides pretiosi*, *ut jaspis*, *porphyreticus*, *Parius lapis. Nam ex auro et argento fiunt laminae et columnae*, *ut de templo Salomonis legimus*, *ex lapide Pario et porphyretico etiam integri parietes erigi possunt. Alter vero super simile fundamentum*, *id est lapi-*

XVII. 296. 2. Ex 1. Cor. 3, v. 12: Salvus erit quasi per ignem.

*deum et solidum*, *erigit domum more pauperum rusticorum ex asseribus et stipitibus eamque tegit foeno et stipulis. Hac posita similitudine fingamus, utrique domui adhiberi ignem*, *videbimus priorem nihil penitus laedi*, *et si architectus intus fortasse sit*, *similiter nihil pati. At posteriorem domum videbimus continuo ignem concipere et brevi tempore totam consumi*, *et si architectus intus sit et velit salvus egredi*, *videbimus*, *eum exire non posse nisi per ignem*, *in quo transitu non quidem morietur*, *sed tamen barba et capilli non egredientur hinc incolumes*, *nisi fortasse fiat miraculum trium puerorum*, *qui in fornace Babylonica non comburebantur.* In explicatione textus 1. per *architectos* superaedificantes putat intelligi posse *omnes Christianos*, interim tamen magis literalem expositionem esse, qua per architectos non nisi *doctores et praedicatores evangelii* intelliguntur. 2. Per *fundamentum* intelligit *Christum a primis praedicatoribus annuntiatum*, quales erant apostoli. Nomine *auri*, *argenti*, *lapidum pretiosorum* doctrinam utilem et salutarem aliorum praedicatorum, qui eos docent, qui jam fidem receperunt et docent non solum verbo, sed etiam exemplo. Nomine *ligni*, *foeni ac stipulae* intelligit doctrinam non quidem haereticam vel malam, sed tamen curiosam, inutilem, supervacaneam eorum praedicatorum, qui ad Catholicum populum catholice concionantur, sed absque eo fructu et utilitate, quam Deus requirit, ita ut non solum sine magno merito, sed etiam non sine peccatis venialibus concionentur. 3. Per *diem Domini* revelantem ac manifestantem accipit diem ultimi judicii. 4. Per *ignem*, qui in die Domini uniuscujusque opus probabit, intelligendum esse statuit ignem severi et justi judicii Dei, qui non est ignis purgans vel affligans, sed probans et examinans. 5. Denique per ignem, de quo dicitur, *ipse autem salvus erit*, *sic tamen quasi per ignem*, intelligit poenam aliquam purgatoriam et temporalem, ad quam post mortem adjudicantur, qui in judicio particulari inveniuntur aedificasse lignum, foenum aut stipulam, id est ut uno dicam verbo, purgatorium.

254. Respondemus: 1. Ex locis Scripturae figuratis ac metaphoricis non possunt in articulis fidei peti argumenta apodictica, nisi ipsa Scriptura metaphoram alibi clare et perspicue exponat. Lyranus in cap. 1. Hebr.: *Licet Scriptura habeat multiplicem sensum*, *non tamen habet efficax argumentum nisi per sensum literalem*, *quia in argumento semper esset aequivocationis vel amphibologiae fallacia propter sensuum multiplicitatem.* Thomas part. 1. q. 1. art. 10: *Solus sensus literalis est argumentativus.* Bellarminus lib. 3. de verb. Dei c. 3. §. Sed quanquam etc.: *Convenit inter nos et adversarios*, *ex solo sensu literali peti debere argumenta efficacia.* Atqui locus hic apostolicus totus est figuratus ac metaphoricus, imo allegoricus. Ergo. 2. Omnis fidei articulus habet genuinam ac propriam sedem,
XVII. 297. in qua verbis propriis, claris ac perspicuis proponitur. Ratio pendet ex perfectione et fine Scripturae sacrae. Sed hic locus apostolicus multis obscuritatibus ac difficultatibus circumseptus est. Ergo non potest esse genuina et propria sedes dogmatis de purgatorio. Assumtum probatur tum ex verbis Augustini lib. de fid. et operib. c. 15: *Diligenter oportet attendere*, *quomodo accipienda sit illa apostoli Pauli sententia plane ad intelligendum difficilis*, *ubi ait*, *si quis autem aedificat super fundamentum hoc;* et paulo post numerat hunc locum inter ea, *de quibus Petrus dicit*, *esse in scriptis Pauli quaedam intellectu difficilia.* c. 16. dicit, *se malle alios intelligentiores atque doctiores de ejus explicatione audire;* tum ex confessione ipsius Bellarmini, *nota*, inquit, *locum istum esse unum ex difficillimis;* tum ex consideratione omnium membrorum in specie. Sic enim Bellarminus subjungit: *Quinque sunt hujus loci difficultates. Prima quid intelligatur per architectos; Augustinus*, *Chrysostomus*, *Theodoretus*, *Theophylactus et Oecumenius censent*, *omnes Christianos hic ab apostolo dici architectos; Hieronymus*, *Ambrosius*, *Sedulius*, *Anshelmus*, *Thomas*, *Dionysius Carthusianus*, *Lyranus*, *Cajetanus et alii solos evangelii praecones. Altera difficultas est gravior*, *quid intelligatur per fundamentum*, *aurum*, *argentum*, *lapides pretiosos*, *ligna*, *foenum et stipulas. De eo sex sunt sententiae. Chrysostomus et Theophylactus nomine fundamenti intelligunt fidem veram*, *sed informem; nomine auri argenti*, *lapidum pretiosorum*, *opera bona*, *nomine ligni*, *foeni*, *stipulae peccata mortalia. Ambrosius et Hieronymus nomine fundamenti intelligunt Christum seu fidei praedicationem*, *nomine auri*, *argenti*, *lapidum pretiosorum catholicas expositiones*, *nomine ligni*, *foeni et stipulae*, *dogmata haeretica. Augustinus nomine fundamenti intelligit fidem vivam*, *nomine auri*, *argenti et lapidum pretiosorum opera supererogationis; nomine ligni*, *foeni et stipulae omissiones consiliorum et affectum quendam carnalem ad bona hujus mundi licitum quidem*, *sed qui dolorem adfert*, *cum bona illa amittuntur. Gregorius et alii per aurum*, *argentum etc. bona opera; per stipulam*, *foenum etc. peccata venialia accipiunt. Theodoretus et Oecumenius per aurum*, *argentum bonos auditores*, *per stipulas malos auditores intelligunt*, *quam expositionem refellit Chrysostomus.* Bellarminus nomine *fundamenti* intelligit *Christum a primis praedicatoribus annuntiatum; nomine auri*, *argenti etc. doctrinam utilem et salutarem aliorum praedicatorum*, *qui eos docent*, *qui jam fidem receperunt*, *et docent non solum verbo*, *sed etiam exemplo. Nomine ligni*, *stipulae etc. doctrinam non haereticam*, *sed tamen curiosam*, *inutilem*, *supervacaneam*, *cujus tamen interpretationis auctorem ac ducem neminem ex antiquitate nominat.* Vasquez in Thom. f. 1. disp. 147: *Haec verba*, *lignum*, *foenum*, *stipulae*, *aperte significant peccata venialia.* Suarez tom. 4. in Thom. disp. 45. sect. 1. nu. 15: *Aliqui haec verba de peccatis mortalibus exponunt*, *et hanc expositionem nonnullis testimoniis Turrianus con-*

*firmat. Tertia difficultas est de die Domini. Augustinus et Gregorius intelligunt nomine diei praesentem vitam sive tempus tribulationis, in quo discernuntur saepe boni a malis, quam sententiam* Bellarminus *negat esse ad mentem Pauli. Cajetanus et alii volunt, apostolum loqui de die judicii particularis, quod similiter refellit* Bellarminus *amplexus sententiam Theodoreti, Theophylacti et Anshelmi, qui de die ultimi judicii hanc diem accipiunt. Quarta difficultas est, quis sit ignis, qui in die Domini uniuscujusque opus probabit. Augustinus et Gregorius intelligunt tribulationes hujus vitae; alii intelligunt ignem aeternum; alii ignem conflagrationis hujus mundi, qui judicium universale praecedet; alii de poenis purgatorii intelligunt.* Illos omnes refellit Bellarminus ac statuit, *apostolum loqui de igne severi et justi judicii Dei. Quinta difficultas est, quid per ignem intelligatur, quando apostolus dicit, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. Augustinus et Gregorius intelligunt tribulationes hujus vitae;*
XVII. 298. *Chrysostomus et Theophylactus intelligunt ignem aeternum; alii ignem conflagrationis mundi; alii judicium Dei, quod doctrinam veram approbat, falsam confutat.* Bellarminus illis omnibus rejectis accipit de igne purgatorii. At quis purgatorium ex obscuro ac difficili illo Scripturae loco tot ac tam diversis, imo adversis patrum expositionibus obnoxio ἀποδεικτικῶς καὶ ἀναντιῤῥήτως demonstrari posse affirmabit?

Explicatio singulorum membrorum in loco apostolico 1. Cor. 3. Quinam sint architecti.

255. 3. Locus hic non probat purgatorium, ut ex consideratione singulorum membrorum apparet 1. Per *architectos* intelliguntur non omnes Christiani in genere, sed doctores ecclesiae in specie. Probatur hoc 1. *ex integro contextu.* Tractat apostolus de munere docendi in ecclesia, de ministerio apostolorum et aliorum ecclesiae doctorum, quod non sint fidei nostrae magistri, sed ministri v. 5. quod ab illis tanquam magistris non debeamus denominari v. 5. quod omne incrementum in eorum ministerio pendeat a solo Deo v. 6. unde porro ecclesiam sive auditores, qui ab apostolis et aliis ecclesiae doctoribus informantur, confert tum agriculturae, tum aedificationi v. 9. in qua utraque ministerialem operam doctores ecclesiae Deo praestent tanquam fideles ipsius συνεργοί. Praetermissa autem uberiore prioris metaphorae explicatione diutius immoratur in posteriore ac meminit ejus, qui fundamentum ponit, et eorum, qui superaedificant v. 10. *2. Ex appellationibus*, quibus ad ecclesiae doctores nos remittit. Confert eos *parentibus* ac nutricibus v. 1. et 2. hortulanis, *plantantibus ac rigantibus* v. 7. *agricolis* v. 9. *architectis* aedificantibus v. 10. vocat διακόνους v. 5. θεοῦ συνεργούς v. 9. *3. Ex officio et effectu*, quem de architectis illis praedicat, dicit enim, sese *ut sapientem architectum per Dei gratiam posuisse fundamentum, alios autem ἐποικοδομεῖν, super illud fundamentum aedificare* v. 10. Jam vero auditores aedificantur, doctores vero aedificant. Illi sunt aedificatio sive ipsa structura, hi vero sunt operarii aedificantes. *4. Ex speciali quorundam architectorum denominatione;* v. 4. *alius dicit, ego sum Pauli, alius ego Apollo* v. 6. *ego plantavi, Apollo rigavit;* v. 10. *ut sapiens architectus fundamentum posui.* Loquitur igitur de se, non ut Christiano in genere, sed ut apostolo in specie ac proinde per architectos etiam non intelligit Christianos in genere, sed doctores ecclesiae in specie. *5. Ex collatione aliorum Scripturae locorum.* Psalm. 118, v. 22: *Lapis, quem reprobaverunt aedificantes, factus est in caput anguli.* Hoc Christus Matth. 21, v. 42. Luc 20, v. 17. applicat ad sacerdotes et Pharisaeos ecclesiae Israëliticae doctores ac spirituales agricolas Christum angularem lapidem ex sua οἰκοδομῇ praepostere repudiantes. Eph. 2, v. 20: *Superaedificati estis super fundamentum apostolorum et prophetarum, angulari lapide exsistente Christo*, v. 21. *in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum Domino*, v. 22. *in quo et vos coaedificamini in habitaculum Dei in Spiritu*, ubi Ephesios non aedificantibus sed aedificatis, adeoque ipsi aedificio confert. Actor. 4, v. 11. dicit Petrus ad sacerdotes Judaicos: *Hic est lapis a vobis aedificantibus reprobatus.* Cumprimis huc referri potest locus apostolicus 1. Petr. 2, v. 5. in quo ad hunc Paulinum digitus intendi videtur. Ut enim Paulus 1. Cor. 3, v. 2. inquit: *Lac vobis in potum dedi, non escam*, ita Petrus ait 1. epist. 2, v. 2: *Sicut modo geniti infantes lac rationale ἄδολον concupiscite.* Ut Paulus inquit 1. Cor. 3, v. 9. θεοῦ οἰκοδομή ἐστε, ita Petrus inquit 1. epist. 2, v. 5: *Et ipsi tanquam lapides vivi aedificamini, domus spiritualis. 6. Ex patrum interpretatione.* De doctoribus locum Paulinum accipiunt Hieronymus lib. 2. adv. Jovin., Ambrosius, Sedulius, Anshelmus in comm. quos sequuntur Thomas, Dionysius Carthusianus, Lyranus et alii. *7. Ex ipsorum Pontificiorum confessione.* Cajetanus fatetur, de doctoribus duntaxat apostolum agere. Bellarminus hoc loco: *Per architectos quidam intelligunt omnes Christianos, quidam solos ecclesiae doctores. Utraque expositio est bona, tamen magis* XVII. 299.
*literalis est posterior, id quod manifeste patet ex verbis praecedentibus et sequentibus ejusdem capitis.* Ex hac hypothesi contra Pontificios sic concludimus: Si per architectos in textu apostolico intelliguntur soli ecclesiae doctores, non potest ex hoc loco purgatorium demonstrari. Sed verum prius. Ergo et posterius. Bellarminus negat connexionem majoris, existimat enim, *etiam ex hac interpretatione ad literam magis congrua purgatorii assertionem deduci posse*, sed contrarium sic ostendimus. Illi duntaxat in purgatorium ablegandi, quos per architectos lignum, foenum et stipulas superaedificantes apostolus intelligit. Sed per architectos illos ex hypothesi jam probata intelligit solos ecclesiae doctores. Ergo solis ecclesiae doctoribus paratum est purgatorium. Conclusio est absurda. Ergo aliqua ex praemissis. Non major, quam probat ipse contextus, architectorum enim duntaxat opus

igne probari et examinari asserit. Addimus etiam istud. Si in hoc loco tanquam in propria sede fundatur purgatorium, non debuit apostolus praetermittere determinationem principalis quaestionis, quam Bellarminus in circumstantias purgatorii primo loco ponit, *quibus scilicet personis post hanc vitam purgatio conveniat*, sed si apostolus per architectos solos ecclesiae doctores intelligit ac nihilominus purgatorium stabilit, utique determinationem hujus quaestionis praetermittit. Ergo tractatio hujus dogmatis in propria sede est manca, mutila et imperfecta, quod cum sit absurdum, ideo etiam absurdum censendum illud, ex quo id ipsum sequitur, videlicet apostolum in hoc loco tanquam in propria sede de purgatorio agere.

**2. Quodnam sit fundamentum.** 256. 2. Per *fundamentum* intelligit ipsum Christum, quod probatur 1. *ex apostolica explicatione*, sic enim se ipsum apostolus interpretatur v. 11: *Fundamentum aliud nemo ponere potest praeter id, quod positum est, qui est Christus Jesus*, hoc fundamentum a *se tanquam sapiente architecto* jactum esse dicit, quia praecedente cap. 2, v. 2. dixerat, quod *non judicarit, se quidquam scire inter Corinthios nisi Christum, et eum crucifixum*. *2. Ex aliorum Scripturae locorum collatione.* Psalm. 118, v. 22: *Lapis, quem reprobaverunt aedificantes, factus est in caput anguli;* v. 23. *a Domino factum est illud.* Esa. 28, v. 16: *Ecce ego pono in Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, bene fundatum.* Matth. 16, v. 18: *Super hanc petram aedificabo ecclesiam.* Act. 4, v. 11: *Christus est lapis ille, qui in caput anguli factus.* Ephes. 2, v. 20: *Christus est ἀκρογωνιαῖος*, v. 21. *ἐν ᾧ πᾶσα οἰκοδομὴ συναρμολογουμένη.* 1. Petr. 2, v. 4: *Accessistis ad Christum lapidem vivum ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum, pretiosum.* Neminem vero turbet, quod apostolus dicit, *fundamentum* illud, quod ponit, jam ante *esse positum*, loquitur enim de Christo per prophetas et apostolos praedicato et annuntiato. Deus posuit illud fundamentum ratione *decreti*, quatenus aeterno consilio decrevit spiritualem hanc aedificationem super Christum tanquam fundamentalem et angularem lapidem exstruere; Paulus et reliqui apostoli ponunt hoc fundamentum ratione *exsecutionis*, quatenus aeternum illud Dei decretum per praedicationem evangelii manifestant et exsequuntur. Confer. 1. Petr. 1, v. 20. Deus ponit hoc fundamentum ut *causa principalis* ac summa, a quo omnis vis et efficacia hujus spiritualis aedificationis dependet, a quo eadem firmatur, conservatur, inchoatur ac perficitur; Paulus et reliqui apostoli ponunt hoc fundamentum tanquam *διάκονοι καὶ συνεργοὶ τοῦ θεοῦ*, ut ipse apostolus explicat 1. Cor. 3, v. 5. et 9. tanquam *causae ministeriales* et instrumentales, ex quo etiam intelligitur, cur murus coelestis Hierosolymae dicatur habere *duodecim fundamenta et in illis nomina duodecim apostolorum Agni*, Apoc. 21, v. 14. cum tamen *unicum* duntaxat *fundamentum prophetarum et apostolorum* dicatur, super quod ecclesia est exstructa. Ephes. 2, v. 20. Duodecim sunt fundamenta respectu *causae instrumentalis*, per quam Deus agit in spiritualis hujus aedificationis structura, duodecim scilicet apostoli, quorum opera in ecclesiae N. T. fundamento ponendo usus est. Unicum est fundamentum *ratione objecti et effecti*, quia unus est Christus, quem apostoli in evangelio praedicant. Prophetae et apostoli sunt fundamenta ecclesiae *ratione doctrinae* et praedicationis de Christo, quod idem est, doctrina prophetarum et apostolorum est fundamentum ecclesiae, quatenus super solum et unum Christum tanquam super petram firmissimam ecclesiam superstruit Matth. 16, v. 18. Christus est fundamentum ecclesiae per doctrinam prophetarum et apostolorum, per quam solam ipse ecclesiam super se ipsum fundat. Christus est fidei apostolicae et ecclesiae catholicae fundamentum essentiale. Prophetae et apostoli habent se ad Christum *διακονικῶς*, *ὀργανικῶς* ac ministerialiter, sicut architecti sese habent ad fundamentum. *3. Ex communi interpretum consensione.* Plerique enim interpretes veteres ac recentiores moti evidentia verborum apostolicorum, v. 11. per fundamentum intelligunt Christum a prophetis et apostolis praedicatum. Ambrosius vel quicunque alius auctor in comm. hoc loco: *Ideo nemo potest ponere aliud fundamentum, quia quamvis haeretici sint aliqui, non tamen docent nisi sub Christi nomine. Aliter enim commenta erroris commendare non possunt, nisi interposito Salvatoris nomine praedicent, ut res contrarias et absurdas nominis dignitas faciat acceptabiles.* XVII. 300.

**3. Quinam sint superaedificantes.** 257. 3. Per *τοὺς ἐποικοδομοῦντας* sive *superaedificantes* intelligit alios doctores et ministros ecclesiae, qui velut spirituales operarii super hoc fundamentum doctrinae de Christo aedificant. Probatur hoc 1. *ex collatione cum architectis fundamentum ponentibus.* Quales sunt architecti ponentes fundamentum, tales etiam sunt *ἐποικοδομοῦντες*, alias non subsisteret metaphorae continuatio. Sed architecti ponentes fundamentum sunt Paulus et reliqui apostoli in ipso praedicandi munere considerati. Ergo etiam *ἐποικοδομοῦντες* sunt ecclesiae doctores in ipso docendi officio considerati. *2. Ex consideratione scopi.* Apostolo hic propositum est de distinctione muneris apostolici ab officio reliquorum ecclesiae doctorum agere. Apostolorum proprium esse dicit *ponere fundamentum*, id est, ut exponitur Rom. 15, v. 20. *praedicare evangelium, ubi Christus non est nominatus;* reliquorum ecclesiae doctorum est *super hoc fundamentum* doctrinae propheticae et apostolicae de Christo *aedificare*, hoc est, ut apostolus d. l. loquitur, *ἐπ' ἀλλότριον θεμέλιον οἰκοδομεῖν, fundamento ab aliis structo superaedificare.* Per *ἀλλότριον* enim intelligit non a Christo et veritate apostolica alienum, sed ab alio positum, ut contextus ostendit. *3. Ex testificatione interpretum.* Ambrosius in comm.: *Superaedificia sunt, quae post praedicationem apostolorum a supervenientibus traduntur aut bonis, aut malis doctoribus. Unus-*

*quisque videat, quomodo superaedificet, hoc est ut superaedificia congruant fundamento, ne si obliqua fuerint et frivola, ruinam faciant, manente incolumi fundamento, quia si male docuerit, Christi nomen permanet, quod est fundamentum, doctrina autem mala peribit, sicut dicit Dominus, omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus coelestis, eradicabitur.* Hieronymus in comm. c. 5. Esa. super verba *Vae, qui conjungitis domos domibus: Juxta tropologiam quidam contra haereticos hoc dictum arbitrantur. Isti domos domibus, id est dogmata conjungunt dogmatibus, quibus dicitur per Micheam c. 1. nolite aedificare in domo derisum, ne super fundamentum Christi, quod apostolus Paulus posuit, et in quo debuerant aedificare aurum, argentum, lapides pretiosos, e contrario aedificent ligna, foenum, stipulam, quorum finis incendium est,* quam tamen interpretationem non *absolute* et simpliciter acceptamus, quatenus ad haereticos partem posteriorem accommodat, sed *secundum quid*, quatenus in genere per ἐποικοδομοῦντας doctores ecclesiae intelligit. Bellarminus non inconcinne sic explicat:
XVII. 301. *Nomine fundamenti intelligitur Christus a primis praedicatoribus annuntiatus, quales erant apostoli, qui fidem Christi et evangelium detulerunt ad eos populos, qui nihil unquam de Christo audiverant, per superaedificantes praedicatores alii.*

4. Quid aurum, argentum et pretiosi lapides. Itemque 5. quid lignum, foenum et stipula.

258. 4. Per *aurum, argentum et pretiosos lapides* intelligitur sana, sincera et solida doctrina de reliquis Christianae fidei articulis ex propheticis et apostolicis scriptis unice petita. 5. Per *lignum* vero, *foenum ac stipulas* opiniones humanae in Christianae religionis capitibus praeter fundamentum doctrinae de Christo, itemque otiosae, curiosae, supervacaneae et inutiles quaestiones in ecclesiam illatae, non quidem fundamentum evertentes, ab eodem tamen heterogenae et discedentes. Probatur hoc 1. *ex metaphorae continuatione.* Ut enim per fundamentum intelligitur Christus ab apostolis praedicatus sive, quod idem est, doctrina de persona et officio Christi; ita quoque per aurum, argentum, lapides pretiosos etc. oportet intelligi doctrinam de reliquis Christianae religionis partibus ab aliis praedicatoribus propositam, ut series textus et metaphorae continuatio sibi constet. 2. *Ex operis appellatione.* Quod enim v. 12. dixerat apostolus *aurum, argentum, foenum, stipulas* etc. id v. 13. vocat ἔργον, *opus.* Jam vero opus superaedificantis sive doctoris *quatenus talis* est ipsius doctrina. Ergo etiam per aurum, argentum, foenum etc. intelligitur concionatorum doctrina. 3. *Ex textus connexione.* Utitur apostolus triplici similitudine, qua conditionem et qualitatem doctorum ecclesiae describit. Prima petita est *a plantantibus et rigantibus* v. 6. altera *ab aedificantibus super fundamentum* v. 10. tertia *a violatoribus ac destructoribus templi* v. 17. Qui sanam doctrinam de Christo docent ac reliqua Christianae religionis capita sincere tractant, intra verbi cancellos unice sese continentes, opiniones autem humanas et quaestiones inutiles repudiantes, illi *plantant ac rigant, et Deus dat incrementum* v. 7. illi etiam *super fundamentum aedificant aurum, argentum, lapides pretiosos.* Qui doctrinam de persona et officio Christi retinent, interim opiniones humanas eidem adjungunt, illi *super fundamentum aedificant lignum, foenum ac stipulas.* Qui doctrinam de Christo evertunt, haereses pertinaciter propugnant, illi templum Dei diruunt ac destruunt. 4. *Ex aliorum Scripturae locorum collatione.* Constat, in aliis etiam Scripturae locis doctrinae Christianae puritatem et praestantiam, ex verbo Dei sine opinionum humanarum admixtione unice petitam, nomine *auri, argenti ac lapidum pretiosorum* commendari, Psalm. 19, v. 11: *Judicia Domini desiderabilia super aurum et super aurum obryzum.* Psalm. 119, v. 72: *Bonum mihi lex oris tui super millia auri et argenti.* v. 127: *Dilexi mandata tua super aurum et aurum purissimum.* Prov. 8, v. 10: *Accipite disciplinam meam et non argentum, doctrinam magis quam aurum eligite.* v. 11. *Melior est enim sapientia margaritis;* v. 19. *melior est fructus meus auro purissimo et proventus mei argento electo.* c. 16, v. 16: *Posside sapientiam, quia auro melior est, et acquire prudentiam, quia pretiosior est argento.* Matth. 13, v. 45: *Simile est regnum coelorum homini negotiatori quaerenti bonas margaritas,* v. 46. *inventa autem una pretiosa margarita abiit et vendidit omnia, quae habuit, et emit eam;* contra vero opiniones humanas puritati doctrinae coelestis additas foeno et stupae sive stipulis conferri. Sic per *paleas*, quas Israëlitae jussu Pharaonis in Aegypto colligunt, Ex. 5, v. 11. interpretes onera traditionum humanarum, quibus conscientiae premuntur, intelligunt. Es. 1, v. 31: *Erit fiducia vestra ut stupa.* c. 40, v. 6: *Omnis caro foenum,* v. 7. *exsiccatum est foenum* etc. 2. Tim. 2, v. 20. mentio fit *vasorum ligneorum.* 5. *Ex interpretum expositione.* Ambrosius in comm.: *Tria genera posuit praeclara in mundo, aurum, argentum et lapides pretiosos, in quibus bonam doctrinam significavit. Tria alia genera posuit, sed frivola, ligna, foenam et stipulam, in his* XVII. 302.
*corrupta et vana doctrina designata dignoscitur.* Et postea: *Mala adultera doctrina idcirco in ligno, foeno et stipula significata est, ut ostenderetur ignis esse esca.* Bellarminus ipse per foenum, lignum, stipulas intelligendam esse ait *doctrinam non quidem haereticam vel malam, sed tamen curiosam, inutilem, supervacaneam eorum praedicatorum, qui absque eo fructu et utilitate quam Deus requirit, concionantur.* Vi ergo oppositionis per *aurum, argentum et lapides pretiosos* intelligere cogitur doctrinam salutarem, verbo Dei per omnia congruam. Quae omnia probant per *aurum, argentum, lapides pretiosos, lignum, foenum ac stipulas* doctrinam fundamento superstructam significari, interim δευτέρως ac consequenter haec omnia accommodari possunt ad opera quae ex doctrina proficiscuntur. Quae enim opera fiunt juxta normam verbi ex vera in Christum fide et ad gloriam Dei ac salutem proximi

comparata sunt, ea placent Deo et ab ipso ornantur praemiis temporalibus et aeternis, unde *auro, argento et lapidibus pretiosis* vim ignis sustinentibus conferuntur. Quae vero non habent Dei mandatum, sed suscipiuntur ex privato arbitrio bona intentione, juxta traditiones hominum et consuetudinem majorum, ea in examine ignis non subsistunt, unde *ligno, foeno et stipulis* super fundamentum fidei de Christo aedificatis comparantur. Ab hac explicatione non multum discrepat eorum interpretatio, qui *per aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, foenum, stipulas* intelligunt homines, qui per praedicationem evangelii ad Christum vocantur et membra aedificii catholicae ecclesiae visibilis fiunt. v. 9: *Dei aedificium estis.* v. 16. *An nescitis, vos esse templum Dei?* v. 17. *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Confer. Matth. 16, v. 18. Eph. 2, v. 20. Col. 2, v. 7. 1. Petr. 2, v. 5. Hieronymus et Theodoretus in comm. Athanasius orat. 3. contr. Arian. p. 20. Bernhardus serm. de lign. foen. et stipula p. 381. *Cujusque opus* dicunt itidem esse discipulos sive homines ipsos per evangelii praedicationem ecclesiae Christi adjunctos, 1. Cor. 9, v. 1: *Nonne opus meum vos estis in Domino?* Confer 1. Cor. 16, v. 10. Per *ignem* intelligi statuunt afflictionem, persecutionem, tentationem, in quo tum conflantur et formantur, tum etiam reformati probantur credentes. Per hunc ergo ignem afflictionis ac persecutionis retegitur, *quale sit cujusque opus*, id est quales sint discipuli cujusque, quos Christo lucratus est. *Si cujus opus manserit, quod superaedificaverit, mercedem accipiet.* id est se ipsum servabit et eos, qui ipsum audierunt, 1. Tim. 4, v. 16. *si vero cujus opus exustum fuerit, damnum faciet*, id est in vanum laboraverit in illo instituendo, erudiendo, hortando, monendo. Gal. 4, v. 11: *Metuo de vobis, ne frustra fatigatus sim apud vos.* Ipse vero *servabitur*, id est discipulorum vera fide apostasia non oberit doctori, quin ipse aeternum servetur, ita tamen ut quasi *per ignem*, id est si modo et ipse in persecutionibus, afflictionibus ac tentationibus perseveraverit usque ad finem Matth. 24, v. 9. et seqq.

6. Quid dies cujusque opus manifestans.

259. 6. Per *diem cujusque opus manifestantem* v. 13. Bellarminus diem ultimi judicii accipiendum esse statuit, *1. quia ubique dies Domini significat diem ultimi judicii. 2. Quia dicitur in illa die, quo designatur una certa quaedam dies, qua omnium hominum opera simul probantur. At dies judicii particularis non est una, sed multiplex, neque in ea probantur omnium hominum opera. 3. Quia dicit apostolus, dies Domini declarabit, q. d. tunc erunt omnia omnibus manifesta* 1. Cor. 4, v. 5. *id autem non fiet nisi in judicio novissimo. 4. Quia sequitur, quia in igne revelatur. Dicitur enim dies judicii revelari in igne, quia ultimum signum et omnium novissimum erit conflagratio totius mundi.* Sed praestat per diem hoc loco vel *generatim* intelligere progressum temporis, vel *speciatim* tempus tribulationis ac probationis, in quo omnia, quae super

XVII. 303. fundamentum exstructa sunt, manifestantur, 1. quia in Graeco non est ἡ ἡμέρα τοῦ Κυρίου, ut in versione Latina *dies Domini*, sed simpliciter dicitur ἡ ἡμέρα. 2. Dies ultimi judicii manifestabit quidem omnia, non autem eo fine, ut per ignem quidam purgentur, sed ut electi ad gloriam aeternam producantur, damnati vero igni infernali adjudicentur. 3. αἰτιολογικῶς apostolus addit, ὅτι ἐν πυρὶ ἀποκαλύπτεται, *quia in igne revelatur*, scilicet cujusque opus (non autem dies Domini), ubi verbum praesentis temporis deducit nos ad particulare judicium hujus vitae. Bellarminus frustra suspicatur, *in textibus correctioribus fuisse verbum temporis futuri* ἀποκαλύψεται, quia omnes codices constanter legunt ἀποκαλύπτεται. 4. Non agitur hoc loco de manifestatione omnium omnino operum ab omnibus hominibus factorum, sed de manifestatione doctrinae, quam per ἔργον hoc loco intelligi, ex antecedentibus patet, quae in particulari cujusque judicio et examine probatur. 5. In aliis Scripturae locis dies pro temporis progressu ac tribulationis die ponitur. 6. Cajetanus, Pistorius et alii ex Pontificiis non diem extremi judicii, sed diem judicii particularis intelligunt, quos hoc nomine Bellarminus refellit. Sed cum ad quaestionem de purgatorio (fatente Bellarmino) parum intersit, quocunque modo diei nomen explicetur, ideo nolumus in membri hujus explicatione prolixius immorari.

7. Quid ignis.

260. 7. Per *ignem* in textu apostolico purgatorium intelligendum esse, summo conatu evincere nituntur Pontificii, unde appellationem ignis purgatorii et poenas animarum in illo purgatorio post hanc vitam sustinendas in hoc textu apostolico describi arbitrantur. Cui opinioni sequentia fundamenta opponimus. 1. Ipsimet Pontificii non consentiunt in hac interpretatione. Cum enim vocabulum *ignis* in textu apostolico ter usurpetur, bis v. 13. et semel v. 15. quidam utrobique intelligunt *ignem corporeum ac materialem* post hanc vitam animas exurentem, quidam vero in versu duntaxat posteriore hanc significationem urgent, in priore vero *metaphorice* ignis nomen accipi concedunt. Annotabo hac de re verba ipsius Bellarmini. *Quarta*, inquit, *difficultas est, quis sit ignis, qui in die Domini uniuscujusque opus probabit. Aliqui intelligunt tribulationes hujus vitae, ut Augustinus et Gregorius; alii intelligunt ignem aeternum; alii videntur intelligere ignem conflagrationis mundi, qui judicium universale praecedet; alii intelligunt de poenis purgatorii.* Sed hasce explicationes omnes ac singulas Bellarminus repudiat ac tandem concludit, *apostolum loqui de igne severi et justi judicii divini, qui non est ignis purgans vel affligens, sed probans et examinans*, quod probat triplici ratione, *1. quia non aliter potest intelligi, quomodo ignis probet eos, qui aurum et argentum aedificarunt; 2. quia haec expositio optime convenit verbis apostoli, cum ait: Uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit, mercedem accipiet; si cujus opus arserit, detrimentum patietur. Licet enim opera transierint ab oculis hominum et igne materiali examinari non possint, tamen*

*non transierunt ab oculis Dei, sed ut dicitur Eccl. 12, v. 14: Cuncta quae fiunt, adducet Deus in judicium et ea examinabit, et si cujus opus manserit, id est si cujus opus judicium Dei sustinere potuerit, sicut aurum sustinet ignem, mercedem accipiet, probabitur et coronabitur a Deo. Si cujus opus arserit, id est si cujus opus judicium Dei non sustinuerit, sicut foenum et stipula non sustinent ignem, detrimentum patietur, reprobabitur et rejicietur. 3. Quia judicium Dei rectissime vocatur ignis, cum sit purissimum, celerrimum, efficacissimum et maxime penetrativum, unde Dan. 7: Fluvius igneus egredietur de ore ejus. Et quoniam Deus totus est justitia, totus judicium, inde etiam in Scripturis vocatur ignis.* Mal. 3. Hebr. 12. Haec Bellarminus, quae non probantur omnibus Pontificiis. Suarez in Thom. tom. 4. disp. 45. §. 1. num. 25:
XVII. 304. *Propter haec verba, quia in igne revelabitur, et uniuscujusque opus ignis probabit, Sedulius, Cajetanus, Lyranus et alii existimant, hunc locum esse metaphoricè accipiendum pro ipso judicio et sententia judicis, quae omnes, tam justos, quam injustos, omniaque eorum opera probabit, eaque opera dici manere, quae Deus approbat, ea autem comburi, quae reprobabuntur et tunc persona dicitur detrimentum pati, quia sua opera amittit et poenam potius quam praemium propter illa se mereri intelligit.* Bened. Arias Montanus in comm. hoc loco: *Ignis ille divini judicii probabit uniuscujusque opus et cujus probatissimum manserit, is operarius mercedem accipiet a Domino operis. Si cujus opus exustum fuerit, positi operis temporis, curae, industriae atque spei damnum faciet operarius ille. Operarius autem ipse igne illo* (nota) *divini judicii correptus servabitur, ita nimirum quasi per ignem.*

261. 2. Quo sensu accipit apostolus vocabulum *ignis* in v. 13. eodem etiam accipit illud in v. 15. ut ostendit indivulsa connexionis series. Jam vero fatente Bellarmino vocabulum *ignis* in v. 13. accipitur non *proprie* pro igne materiali et corporeo, sed *metaphorice* pro igne judicii ac examinis divini. Ergo eodem modo accipitur in v. 15. et per consequens non potest ex hoc loco purgatorium probari. Nimirum persistit apostolus in proposita allegoria hoc sensu. Quemadmodum ignis materialis naturam eorum, quae super fundamentum exstructa sunt, probat et examinat, neque enim aurum, argentum et lapides pretiosos absumit aut corrumpit, sed potius purgat, lignum vero foenum et stipulas in cineres ac favillas redigit; sic ignis ille spiritualis, ignis judicii ac Spiritus divini, qui tum demum accenditur, quando vel externa persecutio imminet, vel judicium Dei in conscientia sentitur, vel clarior manifestatio veritatis ex verbo succedit, spiritualis inquam ille ignis quaevis dogmata super fundamentum doctrinae de Christo exstructa probat, examinat ac manifestat; quae si inventa fuerint sincera ac praestantia, ex ipsis Scripturae venis petita, adeoque *auri, argenti ac lapidum pretiosorum* instar se habentia, tum eadem immota persistunt, quin et magis magisque purgantur; sin vero sint opiniones humanae, ex propria intentione, longa consuetudine, majorum traditione etc. extra et praeter verbum excogitatae, *ligni, foeni* ac *stipularum* naturam imitantes, tum non poterunt vim illius examinis sustinere, sed absumentur et instar lignei ac straminei aedificii igne illo exurentur. Quodsi ergo *alicujus opus manserit, quod superaedificavit, is mercedem accipit* v. 14. hoc est si quis praeter fundamentum apostolicae de Christi persona et officio doctrinae dogmata vere Christiana et solidam verbi coelestis doctrinam de omnibus religionis ac vitae Christianae partibus absque admixtis humanis opinionibus ac traditionibus longa consuetudine roboratis tradiderit, quae doctrina aestum persecutionum et tentationum ac judicii divini examen sustinere potest, ille gratuitam operis sui mercedem a Domino accipiet. *Si vero alicujus opus arserit, detrimentum patietur* v. 15. hoc est si opinionum et traditionum humanarum aedificium igne judicii ac Spiritus divini conflagrat, tum dogmatum et laborum suorum detrimentum patitur, quaeque tanto tempore exstruxerat, uno momento omnia amittit, *ipse vero salvus erit,* retento scilicet fundamento, sic *tamen tanquam per ignem*, id est exustis in illo probationis igne stramineis et stupeis opinionibus, ac si conflagret ligneus paries et stramineum tectum fundamento lapideo salvo atque integro permanente. Talis significatio vocabuli ignis etiam in aliis Scripturae locis occurrit, Psalm. 12, v. 7: *Eloquia Domini eloquia pura, argentum igne examinatum, purgatum, septuplum.* Psal. 17, v. 3: *Probasti cor meum, igne me examinasti et nihil invenisti.* Psalm. 66, v. 10: *Probasti nos Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.* Thren. 1, v. 13: *De excelso misit ignem in ossa mea et erudivit.* Dan. 12, v. 10: *Purificabuntur et dealbabuntur et quasi ignis probabuntur multi.* Zach. 13, v. 9: *Et inducam tertiam istam partem in ignem, conflansque eos, ut conflatur* XVII. 305.
*argentum, probabo eos, quantum probatur aurum.* Mal. 3, v. 3: *Sedebit Christus conflans et mundans argentum et purgabit filios Levi et fundet eos quasi aurum et argentum.* Luc. 12, v. 49: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur?* 1. Petr. 1, v. 7: *Ut probatio vestrae fidei multo pretiosior sit auro, quod per ignem probatur.* c. 4, v. 12: *Dilecti, ne tanquam peregrini exploratione illa per ignem, quae fit in vobis ad vestri experimentum percellimini.* Eodem modo exponunt quidam ex patribus. Ambrosius in Psalm. 118: *Veniat verbum Dei, intret in ecclesiam, fiat ignis consumens, ut exurat foenum et stipulam et quidquid est seculare consumat* etc. Augustinus in ench. c. 68: *Est quidem ignis tentatio tribulationis, de quo aperte alio loco scriptum est. Vasa figuli probat fornax et justos homines tentatio tribulationis. Iste ignis in hac vita interim facit, quod apostolus dicit* etc. Gregorius lib. 4. dial. c. 39: *Potest intelligi ignis tribulationis in hac vita adhibitus.*

262. 3. Si per *ignem* intelligeretur purgatorium, consequens foret, omnes homines, etiam sanctissimos, transire per purgatorium et salvari per ignem purgatorii. Apostolus enim in genere pronuntiat v. 13: *Uniuscujusque opus manifestum erit, quia dies declarabit, quia in igne revelatur, et uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit.* At consequens apud ipsos Pontificios est absurdum. Bellarminus enim l. 2. de purgat. c. 1. inter errores refert hanc opinionem, *quod omnes omnino homines tam boni, quam mali, uno Christo excepto, post hanc vitam purgari debeant,* ac l. 1. de purg. c. 5. scribit: *Omnes transire per ignem purgatorii et salvari per ignem, est aperte falsum. Ecclesia enim perpetuo sensit, sanctos martyres et infantes post baptismum morientes mox in coelum recipi sine ullo transitu per ignem.* 4. Ignis purgatorii ex hypothesi Pontificiorum non probat omnia omnium hominum opera, sed eorum duntaxat, qui *cum venialibus peccatis* hinc excesserunt, maculas ac labem abstergit. At ignis, de quo apostolus loquitur, omnium omnino ecclesiae doctorum opus sive dogmata probat. 5. Ignis purgatorii ex hypothesi Pontificiorum urit operantes, animas scilicet eorum, qui cum culpis venialibus vel reatu poenae temporalis hinc decesserunt, Alexander Alensis part. 4. q. 65. memb. 4. art 4. At ignis, de quo apostolus loquitur, non operantes, sed opera comburit. 6. Denique ignis purgatorii ex hypothesi Pontificiorum *est verus, corporeus et materialis ignis;* sed ignis, de quo apostolus loquitur, non est ignis materialis ac corporeus, sed spiritualis et mysticus, dicit enim *ὡς διὰ πυρός, tanquam per ignem.*

263. Hisce argumentis ex ipsis textus apostolici visceribus petitis non potuit Bellarminus aliter occurrere, quam ut statueret, *apostolum in una eademque sententia varie accipere nomen ignis, semel pro judicio et semel pro vero igne purgatorio.* Sed cum *συνάφεια* textus et connexio singulorum membrorum huic commento adversetur, ideo colorem aliquem huic opinioni inducere laborat. *1. Ab ipso* (inquit) *textu cogimur ad aequivocationem non unam sed duas admittendas. Cum enim dicit apostolus, diem judicii manifestari per ignem, videtur omnino loqui de igne conflagrationis; cum addit, cujusque opus ignis probabit, non potest loqui de igne materiali, qui non potest probare opera, quae transierunt; rursum cum secundo isto igne dicat apostolus omnia opera examinanda; tertio vero non opera sed operarios, et eos non omnes sed illos solum, qui aedificant lignum, foenum, stipulam, necessario diversi ignes esse debent.* Respondemus: 1. *οὐ διαλεκτέον ταῖς μεταφοραῖς, ac erroris genitrix est aequivocatio semper,* absit igitur, ut apostolum aequivocationibus lusisse suspicemur. 2. Omnia membra in toto hoc argumento apostolico exactissime cohaerent et unum ex altero deducitur, ergo non habet locum diversa illa vocabuli ignis significatio. 3, Si tot ac tam diversae sunt vocabuli
XVII. 306. ignis significationes, nulla erit in textu *συνάφεια*, nulla *συνέχεια*, quod absit. 4. Agnoscit ipse Bellarminus, perquam durum esse, si quis apostolo tribuere velit, quod duplici aequivocatione utatur, unde stylum inflectens, quod prius dixerat, corrigit. *Nec tamen* (inquit) *proprie aequivocatio, sed elegans allusio mihi videtur esse in verbis Pauli.* 5. Nulla nos cogit necessitas, ut unam vel duas aequivocationes hic statuamus. Non enim dicit apostolus, ut Bellarminus somniat, *diem judicii manifestari per ignem,* sed uniuscujusque opus *in igne* vel *per ignem* manifestari, sicut ipsemet in verbis immediate sequentibus clarissime id exponit. Neque pugnant inter se haec duo, *quod uniuscujusque opus quale sit, ignis probet,* et *quod quasi per ignem salvandus sit is, cujus opus arserit,* quia duplex est hujus ignis, de quo apostolus loquitur, officium videlicet probationis ac purgationis per exustionem, illud est commune omnibus, qui super fundamentum aedificant sive aurum, argentum et lapides pretiosos, sive lignum, foenum et stipulas, hoc vero illis proprium est, qui super fundamentum exstruunt ligna, foenum et stipulas.

264. *2. Non est apostolo insuetum, in eadem sententia uti varie aliquo nomine, varie enim accipit vocem peccati, cum ait* 2. Cor. 5. *eum, qui non noverat peccatum, pro nobis fecit peccatum, et* Rom. 8. *de peccato damnavit peccatum.* Respondemus: 1. tum demum una eademque vox in una eademque sententia diversimode accipi debet, quando ipsa necessitas ac rei evidentia a litera discedere nos cogit. Atqui talis necessitas hoc loco nondum demonstrata. 2. Quando unum membrum ex altero dependet et alterum ex altero per illationem deducitur, non potest diversa significatio locum habere, alias in argumento essent quatuor termini. Jam vero in hoc loco apostolico unum membrum ex altero dependet et alterum ex altero per illationem deducitur, ut ostendit connexio. Idem vero in exemplis adductis non conspicitur, est ergo dissimilitudo. 3. In dicto apostolico 2. Cor. 5, v. 21. quando Christus dicitur *pro nobis factus peccatum,* non tantum intelligitur impositio poenae (ut Bellarminus praesupponit), sed etiam imputatio culpae. Quo modo enim nos in Christo reddimur justitia, eo modo Christus factus est pro nobis peccatum, et vice versa. Sed nos reddimur in Christo *justitia,* id est perfecte justi per imputationem justitiae Christi. Ergo Christus factus est pro nobis *peccatum* per imputationem nostrae injustitiae. Conf. Esa. 53, v. 6. et ex ipsis Pontificiis Ruard. Tapperum decanum Lovan. art. 8. tom. 2. p. 27. Barrad. tom. 4. conc. evang. l. 6. c. 3. in sept. passion. praecell. 4. Rom. 8, v. 3. quidam vocem *ἁμαρτίας* in priore dicti apostolici membro pro *sacrificio* peccati expiatorio positam arbitrantur, in qua significatione a Moyse in Levit. et alibi in Scripturis usurpatur, Ex. 29, v. 14. c. 30, v. 10. Ps. 40, v. 7. Es. 53, v. 10. qua ratione diversa significatio in voce *ἁμαρτίας* in membro posteriore agnoscenda. Quidam vero subintelligunt vocem *θυσία* per hostiam piacularem pro peccato

oblatam, *peccatum in carne damnavit*, quando Filius Dei carnem suam pro peccatis nostris in ara crucis obtulit, qualis ellipsis Hebr. 10, v. 6. occurrit. Quidam verba apostoli sic explicant, *Deus peccatum condemnavit de peccato*, id est peccati illud condemnavit, propterea quod in Christum peccavit, afferens illi mortem, cum tamen esset innocens, ac proinde Deus peccato ademit jus suum adversus credentes, ut non possit eos in posterum damnare. Joh. 16, v. 9: *Spiritus s. arguet mundum de peccato*, id est peccati totum genus humanum arguet, qua ratione vox ἁμαρτίας utrobique in eadem significatione usurpatur.

265. *3. Si quis omnino non vellet significationum varietatem admittere, sed ubique acciperet ignem pro judicio, adhuc non efficeret, quin ex hoc loco purgatorium statueremus. Tunc enim esset hic sensus, si cujus opus arserit, detrimentum patietur,*
XVII. 307. *ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem, id est si cujus opus judicium Dei sustinere non poterit, opus quidem reprobabitur, ipse vero salvus erit, sed sic tamen quasi is, qui per ignem divini judicii transiit, quod judicium, cum sit justissimum, omnino aliqua poena eum affecit.* Respondemus: 1. nullius hominis opus judicium Dei sustinere poterit, si juxta rigorem justitiae cum ipso agere velit, sed omnes coguntur severitatem judicii divini deprecari dicentes cum Davide Psalm. 143, v. 2: *Ne intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* 2. Ignis divini judicii aliquam ζημίαν irrogat illis, qui super fundamentum exstruunt *lignum, foenum et stipulas*, sed ex eo non potest inferri, post hanc vitam in purgatorio poenas esse sustinendas. 3. Apostolus ipse exponit, cui et quali igni talis architectus sit subjiciendus, videlicet igni illi probationis, tentationis et examinis in hac vita, de quo dixerat v. 13: *Uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit.*

266. *4. Particula ὡς similitudinem significat non ignis, quasi ignis ille non sit verus sed phantasticus, sed transeuntis per ignem, ita ut sit sensus, ad salutem perveniet, qui aedificavit foenum, sed ad eum modum perveniet, quo pervenit ad aliquem locum is, qui transit per ignem, sicut dicitur Joh. 1: Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, id est vidimus eum gloriosum ad eum modum, quo decet gloriosum esse Filium Patris unigenitum.* Respondemus: 1. fatemur, particulam ὡς perinde ut Hebraeum כ esse particulam non solum *similitudinis*, verum etiam *veritatis*, sed quod hoc loco sit particula similitudinis, patet ex textu, qui totus est metaphoricus et allegoricus. 2. Perquam absurdum foret, voces *architecti, fundamenti, auri, argenti, lapidum pretiosorum, ligni, foeni, stipularum*, adeoque reliqua membra omnia in sensu metaphorico accipere ac solam ignis vocem proprie, pro materiali scilicet et corporeo igne, usurpatam statuere. 3. Concedimus, *eum, qui aedificavit super fundamentum lignum, foenum et stipulas, ad salutem eo modo pervenire, quo pervenit ad aliquem locum is, qui per ignem transit.* Sed ex eo non potest inferri, architecto illi per verum et corporeum ignem esse transeundum; quin potius ut reliqua membra in ἀποδόσει sunt metaphorica, ita quoque materiali igni respondere debet ignis aliquis spiritualis ac metaphoricus, examen scilicet divini judicii. Quae contra hanc interpretationem nostram Bellarminus affert, ex dictis facile habent explicationem.

267. Ad *patrum expositiones* frustra provocat Bellarminus, quasi communi suffragio purgatorium papisticum nomine ignis in textu apostolico significari statuunt. 1. fatetur enim ipsemet, diversas sibique adversas esse patrum expositiones. *Aliqui* (inquit) *per ignem intelligunt tribulationes hujus vitae, ut Augustinus et Gregorius; alii intelligunt ignem aeternum, ut Chrysostomus et Theophylactus; alii ignem conflagrationis mundi.* 2. In illis ipsis patrum explicationibus, quas pro se adducit Bellarminus, jure aliquid desiderari potest. Cyprianus l. 4. ep. 2. non meminit hujus loci, ac quod *de purgatione per ignem* dicit, ad vitae praesentis tribulationes referri potest. Origenes hom. 6. in Exod. de tali igne apostolicum textum interpretatur, per quem *omnibus hominibus* transeundum, quam sententiam Bellarminus inter errores recenset. Suarez in Thom. tom. 4. disp. 45. §. 1. num. 7: *Animadvertendum est, licet haec loca Origenis* (hom. 6. in Exod. et hom. 12. in Jer.) *expositionem hanc confirment, non tamen veritatem purgatorii, quia ille omnem ignem futurae vitae purgatorium facit.* Ambrosius in comm. per *ligna, foenum, stipulas*, intelligit doctrinas, quas doctores superstruunt Christo fundamento seu ipsi evangelio, quas examinandas esse dicit *igne divini judicii*, ac subjicit: *Semper erubescat necesse est, qui se videt falsum defendisse pro vero.* At in purgatorio nec poenitentiae, nec erubescentiae locus est, sed poenae XVII. 308.
ignis. serm. 20. in Psalm. 118. loquitur de igne, per quem omnes transituri sint. *Omnes*, inquit, *oportet transire per flammas, sive ille Johannes Evangelista sit, sive ille Petrus sit* etc. Hieronymus accipit de igne, examinis divini judicii, quod fiet *in fine mundi*, per quod examinabitur cujusque opus, quale sit, non autem purgabitur vel delebitur, si iniquum fuerit inventum. In c. 4. Amos accipit de impiorum ac sceleratorum liberatione in hac vita, quando post magnas clades erepti tanquam torris ex incendio ad Dominum per poenitentiam revertuntur. In comm. in c. 66. Esa dicit, eos, qui aedificaverunt super fundamentum Domini foenum, ligna, stipulam, fore *ignis pabulum sempiterni.* Augustinus l. 21. de civ. Dei c. 26. de igne tribulationis in hoc seculo accipit; in enchir. c. 86. de tali igne intelligit, per quem transeant universi, tam qui aedificant aurum, argentum, lapides pretiosos, quam qui foenum, stipulas, ligna; in comm. Psalm. 37. quem locum pro se adducit Bellarminus, exponit de igne emendatorio. Gregorius l. 4. dial. c. 39. diserte addit, posse intelligi *de igne tribulationis* in hac vita nobis adhi-

bita. Oecumenius quandoque *ignem ultimi judicii*, quandoque *ignem inferni* intelligit. De Basilio dicit, quod per ignem intellexerit *purificationem*. Theodoretus interpretatur de *igne judicii finalis*. Gregorius de Valentia l. de purg. c. 3. p. 898. analysi adjuncta: *Oecumenius et Theodoretus hunc locum exposuerunt de purgante igne conflagrationis divini judicii.* Quae omnia ostendunt, Bellarminianam expositionem communi patrum suffragio nequaquam gaudere.

3. Ex 1. Cor. 15, v. 29: Quid facient, qui baptizantur pro mortuis.

268. 3. 1. Cor. 15, v. 29. *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgunt? et quid baptizantur pro illis? Loquitur apostolus de baptismo lacrymarum et poenitentiae, qui suscipitur orando, jejunando, eleemosynas faciendo, ut sit sensus, quid facient, qui orant, jejunant, gemunt, affligunt se pro mortuis, si mortui non resurgunt? Ita exponunt Ephrem in suo testamento, Petrus Cluniacensis in l. contra Petrobusianos, Dionysius, Hugo, Gagneius et alii in hunc locum. Haec expositio verissima est, 1. quia baptizari passim in Scriptura et patribus accipitur pro affligi. Marc. 10, v. 38: Potestis baptismo, quo ego baptizor, baptizari? Luc. 12, v. 50: Baptismo habeo baptizari. Patres passim vocant poenitentiae afflictionem baptismum laboriosum et secundam tabulam. 2. Ipsa poena purgatorii a Scriptura et patribus vocatur baptisma. Matth. 3, v. 11: Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igne, id Hieronymus exponit in Spiritu sancto in hac vita, igne vero in futura. Eodem modo exponunt Basilius l. de Spirit. s. c. 15. Beda in c. 3. Luc. Gregorius Nazianz. in orat. de Epiph. vocat ignem purgatorii in alia vita ultimum baptisma. Itaque elegantissime apostolus dixit, eos baptizari pro mortuis, qui affligentes se oratione et jejunio sumunt in se partem illius baptismi ignei, quo animae baptizantur in purgatorio. 3. Quia haec expositio maxime quadrat cum sequentibus. Ut quid et nos periclitamur tota die? quo dicitur cur quidam se affligunt orando pro mortuis et ego affligo me praedicando evangelium, si mortuorum resurrectio non est? 4. Quia ista sententia eadem est cum illa 2. Maccab. 12: Si mortui non resurgunt, superfluum est et vanum orare pro mortuis.* Eundem locum urgent Stapletonus in antid. Salmeron. in com. Turrianus et alii. Respondemus: 1. fatetur ipse Bellarminus, locum hunc apostolicum *diversimode* a veteribus exponi, proinde non poterit immotum ac solidum fundamentum purgatorio suppeditare. *Sex* (inquit) *invenio hujus loci expositiones. Prima est, quod apostolus probet futuram resurrectionem ex errore quorundam, qui baptismum suscipiebant nomine alicujus amici sui defuncti sine baptismo. Existimabant enim, quod baptismus defunctis prodesset. Ita exponunt Tertullianus l. 5. in Marcion.*
XVII. 309. *et libr. de resurrect. Ambrosius, Anselmus et Haymo. Altera expositio est, quod apostolus nomine mortuorum intelligat peccata, cum dicit, qui baptizantur pro mortuis, quasi dicat, quid facient, qui baptizantur pro mortuis, id est pro peccatis diluendis? Ita Sedulius et Thomas in hoc loco, Chrysostomus homil. 23. in epist. Cor. Tertia expositio est, baptizari pro mortuis esse baptizari simpliciter baptismo Christi, sed ideo dici baptizari pro mortuis, qui baptismum suscipiunt, quia antequam baptizentur, recitant symbolum, in quo est unus articulus credo resurrectionem. Ita illud pro mortuis significet pro spe resurrectionis vel pro corporibus mortuis, id est in eum finem, ut corpora nostra, quae moritura sunt, aliquando immortalia resurgant. Ita Chrysostomus, Oecumenius et Theophylactus. Quarta expositio est, baptizari pro mortuis esse baptizari baptismo Christi, dici autem baptismum pro mortuis, quia dum baptizamur, agimus et repraesentamus personam mortui, dum mergimur in aquam; et resurgentis, dum surgimus ab aquis, et sic profitemur resurrectionem, et ex hac professione probat apostolus futuram resurrectionem. Ita exponunt Theodoretus et Cajetanus. Quinta expositio est Epiphanii haeres. 28. quod Paulus loquatur de baptismo eorum, qui baptizabantur in lecto, cum essent in extremis, qui olim dicebantur clinici, ut sit sensus, quid facient, qui baptizantur pro mortuis? id est, qui baptizantur, quando habentur magis pro mortuis quam viventibus, et quando certum est, eos non baptizari pro ullo commodo hujus vitae cum pro mortuis habeantur. Sexta expositio est illa,* quam Bellarminus amplectitur. De eadem difficultate et obscuritate hoc loco conqueritur Salmeron. tom. 14. com. disp. 24. in princ. *Locus hic* (inquit) *sane perdifficilis quibusdam videtur, et variae ac diversae patrum intelligentiae satis indicant, non adeo perspicuum esse, ad quem morem et ad quem ritum alludat apostolus, etsi scopus obscurus non sit.* Conf. Suarez part. 3. q. 56. disp. 50. sect. 1. Cornelius a Lapide in com. 1. Cor. 15. ubi diversas illas patrum interpretationes recensent. 2. Potuisset etiam alias expositiones Bellarminus addere. Constat enim ex concilio Carthaginensi III. c. 6. in primitiva ecclesia consuetudinem *baptizandi mortuos* a quibusdam receptam fuisse, quam perversam consuetudinem ex hoc loco apostolico fulcire conati fuere. Chrysostomus hom. 1. in Act. apost. refert, *a quibusdam suo etiamnum tempore mortuis infusam baptismi aquam*, quod ibidem graviter reprehendit, quia νεκροβαπτισμὸς ille procul dubio a Cerinthianis originem duxit, qui teste Epiphanio haer. 28. mortuos non minus ac vivos baptizabant. Isidorus Pelusiota l. 1. ep. 221: *Pro corporibus natura mortuis et exstinctis baptizamur, ea in immortalitatem ac statum a corruptione alienum mutari credentes. Atque horum verborum haec est sententia: Omnino, inquit, si corpora nostra ad vitam minime redeunt, quid adferri potest, quamobrem cum baptizamur, ea in statum corruptionis atque interitus expertem mutari credimus?* Claud. Guillaud. *baptizantur*, inquit, *pro mortuis martyres, qui patiuntur et affliguntur pro fide et articulo resurrectionis mortuorum.* Quidam apostoli verba accipiunt de iis, qui

mortem potius oppetere quam baptismo carere voluerunt, hoc sensu, si non est resurrectio, quid faciunt illi, qui baptizantur super mortuos, id est qui baptizantur morti jamdum a persecutoribus destinati? Quidam referunt verba apostoli ad consuetudinem Judaeis usitatam abluendi cadavera defunctorum, quae etiam ad primitivae ecclesiae Christianos promanavit, ut constat ex Act. 9, v. 37. Eusebius lib. 8. hist. eccles. c. 21. ut hac ablutione testatum redderent, se credere corporum resurrectionem. Quidam putant, apostolum ad baptismata V. T. respectum habuisse, quod pro peccatis eorum, qui cum pietate mortui fuerant, sed sine adspersione vel baptismate discesserant, alii postea de illis soliciti, fuerint baptizati et sacerdotes adhiberi curave-
XVII. 310. rint ad satisfaciendum pro illis. Huic interpretationi Salmeron. recte opponit, quod Judaei nullibi legantur pro aliis mortuis aut viventibus baptizati, quod nullum in Scripturis exstet vestigium, quod unus pro altero ceremonias illas legales observare potuerit, quod apostolus ne verbulo quidem indicet, se ad legem alludere. Tilenus part. 2. disp. 65. th. 28. talem hujus loci interpretationem profert, quid faciunt illi, qui baptizantur, hoc est in pericula et mortem ipsam se conjiciunt Matth. 20, v. 22. ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, *super praeter et ultra* illos, qui jam ante propter confessionem Christi vel saltem in ea mortui sunt, quid causae est, quod tot labores, dolores, pericula, mortem denique ipsam perpetiantur, si omnino mortui non resurgunt? cur super et praeter illos mortuos eandem sine spe resurrectionis aleam subire atque ita baptizari et in afflictiones demergi velint? Huic expositioni robur quaeritur ex eo, quod v. 30. τὸ baptizari explicari videatur per κινδυνεύειν, v. 31. per ἀποθνήσκειν, quod per particulam copulativam καί apostolus insinuet, idem argumentum v. 29. et v. 30. tractari, quia de se in prima persona loquitur v. 30. cum prius tertia fuisset usus v. 29. quodque totum hoc argumentum concludat v. 32. *si mortui non resurgunt*, ac nihil utilitatis ad nos redit, stulti sumus, quod non mundo cum mundo utamur. Sed talis significatio particulae ὑπέρ pro ultra et praeter videri posset paulo coactior, ac distinguit apostolus factum eorum, qui super mortuos baptizabantur, a tropico illo baptismo crucis et calamitatum, de quo v. 30. agere incipit, ubi novum et a priore distinctum pro resurrectione argumentum profert. Quodsi enim de baptismo crucis et mortis v. 29. egisset, non in tertia persona dixisset, *quid faciunt qui baptizantur*, sed in prima persona se ipsum iisdem annumerasset, cum et ipse periculis mortis propter Christi confessionem quotidie fuerit expositus. Liberum tamen cuique relinquimus, si hanc interpretationem, quae nihil quidquam fidei analogiae repugnans continet, amplecti velit. 5. Nos amplectimur Lutheri explicationem, quod apostolus loquitur de ritu baptizandi Christianos ad sepulcra mortuorum, qui fuit symbolum fidei et confessionis de resurrectione mortuorum ac de collectione et consociatione baptizatorum vivorum spirituali cum membris unius ejusdemque corporis mystici, quin et publica professio de morte pro Christi gloria et articulo resurrectionis obeunda. νεκρός proprie significat cadaver hominis, et praepositio ὑπέρ cum genitivo pro *super* vel *supra* ad notandum locum apud Graecos saepius usurpatur, ut significet idem quod ὑπεράνω. Huic interpretationi opponitur, quod *nec in sacris, nec ecclesiasticis historiis hujus ritus fiat mentio, quin potius ex historia evangelica et Actis apostolicis colligi, quod in aedibus privatis vel in flumine baptismus fuerit administratus.* Respondemus: nequaquam dicimus, ritum hunc fuisse universalem in quavis baptismi administratione receptum, sed duntaxat particularem, a quibusdam piis ob certam spem resurrectionis demonstrandam usurpatum. Refert enim Eusebius lib. 4. hist. eccles. cap. 15. ex epistola ecclesiae Smyrnensis, quod *ibi condiderint martyris Polycarpi ossa, ubi Christiani ad cultus divini exercitium convenire soliti fuerint;* jam vero constat ex antiquitate, baptismum administrari fuisse solitum in publicis ecclesiae conventibus, sicut verbi praedicatio et eucharistiae celebratio in publico conventu fuit instituta, 1. Cor. 11, v. 20. cap. 14, v. 26. Quidam etiam huc accommodant locum Augustini lib. 20. de civ. Dei cap. 9: *Animae piorum mortuorum non separantur ab ecclesia, quae etiam nunc est regnum Christi. Alioquin nec ad altare Dei fieret eorum memoria in communione corporis Christi, nec aliquid prodesset ad ejus in periculis baptismum currere, ne sine illo finiatur haec vita, nec ad reconciliationem, si forte per poenitentiam malamve conscientiam quisque ab eodem corpore separatus est. Cur enim fiunt ista, nisi quia fideles etiam defuncti ejus membra sunt?* 4. Bellarmini expositioni, qua per baptismum pro mortuis intelligit baptismum lacrymarum et poenitentiae, qui suscipitur orando, jejunando et eleemosynas faciendo
pro defunctis ex purgatorio liberandis, opponimus XVII. 311.
haec fundamenta. 1. Destituitur haec interpretatio Scripturae suffragio, quippe in qua nullibi orationes pro defunctis commendantur, sed omnes mortui in duas classes distribuuntur, in beatos scilicet et damnatos, pro neutris orationes ad Deum fundendae, quia beati illis non indigent, damnatis eaedem nihil prosunt. Adde quod nullibi in Scripturis *τὸ baptizari* significet lacrymari, poenitentiam agere, orare, jejunare, eleemosynas facere. Producit quidem Bellarminus dicta Marc. 10, v. 38. Luc. 12, v. 50. sed ibi baptizari non significat, se ipsum passionibus proprio arbitrio susceptis affligere per jejunia, per opera laboriosa poenitentiae, sed afflictiones ab aliis illatas patienter suscipere. Ut enim nemo debet se ipsum baptizare, sed ab alio baptismi sacramentum suscipere; ita quoque nemo debet sibi ipsi crucem sponte et absque divina vocatione accersere. Quae de baptismo igneo in purgatorio sustinendo ex Matth. 3, v. 11. Bellarminus profert, suum inferius habebunt locum. 2. Destituitur patrum calculo. Omnes veteres interpretes in eo consentiunt, quod

de baptismo proprie dicto, id est de baptismi sacramento, apostolus loquatur. Bellarminus pro sua interpretatione producit Ephremum, sed Salmeron. d. l. p. 211. expresse dicit, *Ephremum nihil de baptismate unius pro altero loqui*, unde etiam Salmeron. ex antiquitate huic expositioni robur quaerens non assurgit altius quam ad Bernhardum et Petrum Cluniacensem, quos primos hujus interpretationis laudat auctores. Atqui constat, illorum tempore multas superstitiones in ecclesiam jamdum fuisse receptas. 3. Ne ipsi quidem Pontificii eidem constanter insistunt. Cornelius a Lapide in comm. hoc loco *omnium simplicissimam et planissimam interpretationem* esse dicit eam, quam Chrysostomus profert, *ut quid proprie baptismum suscipiunt omnes fideles pro spe resurrectionis ex mortuis vel pro statu mortuorum, ut in eo illis post mortem sit bene, si mortui non resurgunt? Utique frustra hoc faciunt.* 4. Bellarminus primae interpretationi opponit hoc argumentum, *quod nullus veterum historicorum tradat, tempore apostolorum usitatum fuisse, quod aliquis nomine amici sui sine baptismo defuncti baptismum susceperit.* Eodem modo concludimus contra Bellarmini interpretationem, quod nullus historicorum tradat, tempore apostolorum usitatum fuisse, ut baptismum lacrymarum et poenitentiae pro defunctis ex purgatorio liberandis susciperent. Contrarium potius colligitur ex 1. Thess. 4, v. 13. quod a gentili consuetudine affligendi se pro mortuis apostoli Christianos revocaverint. Producit Bellarminus historiam de sacrificio pro defunctis ex 2. Macc. 12. sed de hoc loco apocrypho diximus superius. 5. Baptismus metaphoricus Marc. 10, v. 38. Luc. 12, v. 50. complectitur etiam ipsam mortem, ac num etiam pro defunctis e purgatorio liberandis licebit sibi ipsi mortem consciscere? 6. Si apostolo propositum fuisset de afflictionibus pro defunctis sponte susceptis agere, non dixisset in persona tertia, *quid facient, qui baptizantur pro mortuis?* sed in prima persona, quid faciemus, qui baptizamur pro mortuis, quia omnes Christiani ex hypothesi Pontificiorum orare debent pro mortuis. Regerit Bellarminus, *apostolum argumentari voluisse non a consuetudine Christianorum, quae tanquam nova rejici potuisset ab incredulis, sed a consuetudine Judaeorum, qui more veteri et secundum Scripturarum exempla orabant et jejunabant pro mortuis.* Respondemus: apud Judaeos usitatum fuisse orare et jejunare pro defunctis ex purgatorio liberandis, Bellarminus gratis asserit, ac si posterioribus temporibus usitatum esse coepit, normae legis divinae id ipsum fuisse congruum, demonstrari nequit. Jejunarunt quidem, sed luctus testificandi causa, non autem animo defunctos ex purgatorio liberandi. Salmeron. regerit, *Graecos quosdam codices in prima persona legere, ut quid baptizamur pro mortuis?* Sed Complutensis, regius et probati codices alii constanter legunt βαπτίζονται, nec inter varias lectiones ad calcem operis regii ad-
XVII. 312. ditas habetur, quod quidam codd. legant βαπτιζόμεθα. Praeterea contextus requirit, ut in tertia persona legatur βαπτίζονται, quia in seqq. demum de suis periculis apostolus disserere incipit, quando novum pro adstruenda resurrectione argumentum profert. 7. Ex eo, quod quidam orant ac jejunant pro mortuis, non posset apostolus probare resurrectionem, quia oratur ac jejunatur, non ut corpora resurgant, sed ut animae ex purgatorii poenis liberentur. Regerit Bellarminus *quaestiones de resurrectione et animae immortalitate tempore apostolorum ita fuisse conjunctas, ut pro una haberentur.* Sed non est verisimile, distinctas illas quaestiones pro una *simpliciter* fuisse habitas, cum aliis argumentis animae immortalitas, aliis vero corporum resurrectio demonstretur. 8. Ex eo, quod quidam pro mortuis se affligant, non posset apostolus resurrectionem probare. Qui enim non crediderunt resurrectionem, illi vel maxime pro mortuis se afflixerunt, eosdemque gravissime luxerunt, unde apostolus 1. Thess. 4, v. 13. Christianos admonet, *ne contristentur ac lugeant sicut reliqui spem* (resurrectionis) *non habentes.* Quae omnia Bellarminianam hujus dicti depravationem falsitatis convincunt. Salmeron. lutum luto purgans et errorem errore cumulans ad aquam lustralem confugit. *Adde*, inquit, *quod aqua benedicta sive lustrali, quae baptismi symbolum est, et qua in ingressu templi fideles omnes frontem tingere consueverunt, solent etiam defuncti adspergi et monumenta mortuorum perlui et lustrari, ut ita aliqua ratione eos baptizare videamur, aut potius nos pro eis, dum adspergimur.* Sed de aqua lustrali hoc loco agere apostolo ne in mentem quidem venit, ac consuetudo illa defunctos aqua lustrali adspergendi non ex Scriptura s. sed ex gentilium consuetudine et necrobaptismo Marcionitarum originem duxit.

269. 4. Matth. 5, v. 25. et Luc. 12, v. 58: *Esto consentiens adversario tuo cito, dum es cum eo in via, ne forte tradat te adversarius judici et judex tortori et mittaris in carcerem. Amen dico tibi, non exibis inde, donec reddas novissimum quadrantem, ubi per viam intelligit hanc vitam, per judicem Christum, per adversarium Dei legem contraria carni praecipientem sive conscientiam, quae Dei legem semper objicit peccanti, per ministros angelos sive bonos, sive malos, per carcerem infernum, per novissimum quadrantem minutissima peccata, pro quibus in purgatorio solvendum, priusquam ex eo quis liberetur.* Respondemus: 1. etiam hic locus a patribus *diversimode* exponitur. Chrysostomus homil. 16. in cap. 5. statuit, *Dominum voluisse terrere dissidentes comminatione humani periculi, ut sic per judicem intelligatur homo, per tortorem itidem homo, per carcerem materialis carcer hujus vitae, per quadrantem verus nummus aereus. Mihi* (inquit) *de his, qui in praesenti sunt, videtur dixisse judicibus ac de illa via, quae ad carcerem ducit superque isto usitato carcere disputasse.* Chrysostomum sequuntur Theophylactus et Euthymius. Hieronymus in comm. cap. 5: *Ex praecedentibus*

4. Ex Matth. 5, v. 25. et Luc. 13. v. 58: Non exibis inde donec solvas novissimum quadrantem.

*et consequentibus manifestus est sensus, quod nos Dominus atque Salvator noster, dum in istius seculi via currimus, ad pacem et concordiam cohortetur juxta apostolum dicentem: Si fieri potest, quantum ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Atque hanc vocat *manifestam et consequentem intelligentiam.* Reliqui allegorias sectantur, sed in applicatione non conveniunt. Per *adversarium* Origenes homil. 35. in Luc. Ambrosius, Euthymius et Theophylactus in cap. 12. Luc. Hieronymus in epist. 8. ad Demetriadem intelligunt *diabolum*, quam opinionem refellit Augustinus lib. 1. de serm. Domini in monte cap. 22. cum diabolo non debeamus esse benevoli; alii per *adversarium* intelligunt *carnem*, quod eodem argumento Hilarius et Augustinus refellunt; alii vero *spiritum*, cui caro debeat consentire, sed hoc refellit Hieronymus; Ambrosius exponit de *peccato*; Hilarius, Anselmus et Hiero-
XVII. 313. nymus in c. 5. Matth. per adversarium intelligunt *alterum hominem, qui nos laesit,* aut *nos illum.* Sed hanc expositionem itidem refellit Augustinus. Alii igitur intelligunt *de lege Dei vel conscientia.* Per *ministros* Ambrosius in c. 12. Luc. Augustinus l. 1. de serm. Dom. in morte c. 21. intelligunt *angelos bonos*, Gregorius hom. 39. in evang. et Theophylactus in c. 12. Luc. *daemonas.* Per solutionem novissimi quadrantis Augustinus l. de octo q. ad Dulcit. accipit *poenas gehennae aeternas*, alii de *gehenna et purgatorio simul* exponunt, alii de *solo purgatorio* (ut Bellarminus censet). Ecquis igitur in hoc loco firmum purgatorio praesidium paratum esse sibi persuadebit? 2. Ne ipsi quidem Pontificii de purgatorio hunc locum omnes accipiunt. Cajetanus et Erasmus Chrysostomi ac Theophylacti interpretationem amplectuntur, quod *fraterna reconciliatio in hac vita quaerenda.* Johan. Ferus in comm.: *Multi multa scripserunt, quis sit adversarius ille, nec tamen quae scripserunt, satis videntur concordare literae. Omissis igitur omnibus iis id vult Christus, in externis rebus nonnunquam satius est etiam iniquis conditionibus cum adversario componere, quam lites et contentiones sequi.* Maldonatus ib.: *Hic est verus sensus, id enim postulat consequentia sententiae, ut adversarius appelletur is, qui habet aliquid adversum nos. Adversarius igitur noster ille, quem laesimus, quem raca aut stultum appellavimus, qui actionem apud Deum contra nos habet. Via hujus vitae tempus, judex Christus, qui dicturus est, quod uni ex minimis his fecistis, mihi fecistis; minister diabolus, qui in torquendis damnandis Deo ministerium praebet; carcer infernus, quadrans minima culpa, erat enim quadrans minimus nummus duo continens minuta. Itaque ad ultimum quadrantem solvere pro summo jure puniri proverbio dicebatur. Quod autem dicit, nos inde non exituros, donec ultimum quadrantem persolvamus, non significat, ut ait Augustinus, exituros postea, sed nunquam exituros, quia qui in inferno sunt, cum semper debitas poenas solvant, quia pro quolibet mortali peccato infinitas poenas debent, nunquam persolvunt. Itaque eodem sensu hoc loco dictio illa* donec *accipienda est, quo Matth. 1, v. 25.* Cornel. Jansenius in conc. evang. c. 40. p. 180: *Non potest ex hoc loco recte quis urgere probationem purgatorii.* Didac. Stella in c. 12. Luc. p. 99: *Si dixeris, donec solvat etc. quod postquam solverit, exibit, non errabis, sed ita quoque significat nunquam quia ad finem infiniti nunquam pervenitur et particula* donec *in sacris literis aeternitatem significat.* Toletus in c. 12. Luc. annot. 90: *Notat Hieronymus, particulam* donec *Matth. 1, v. 25. non significare Virginem postea virum cognovisse, sed id solum, eam ante partum cognitam non fuisse, sic in praesenti vox* donec *accipi potest, non quod solvat debitum et postea exeat, sed id solum, quod non aliter exibit.* 3. Verba Christi aut accipiuntur in *sensu literali*, aut *allegorico ac mystico.* Si prius, nullam purgatorii suspicionem vel minimam injiciunt; scopus enim Christi est ostendere, quanto studio quaerenda sit reconciliatio cum illis, qui a nobis offensi sunt, et quanto cum periculo conjunctum sit, si reconciliationem illam praetermittere velimus, proinde nos cohortari ad sarciendam et ineundam concordiam cum adversariis nostris, quamdiu in via hujus vitae cum ipsis ambulamus. Si posterius, quod Bellarmino placet, non poterunt apodicticum aliquod argumentum pro purgatorio adstruendo suppeditare, quia *theologia symbolica ac parabolica non est argumentativa.* 4. Chrysostomi interpretationi, qui in sensu literali verba Christi accipienda esse docet, Bellarminus duo objicit, primo *eam non esse simpliciter probabilem*, tum quod *reliqui expositores huic interpretationi refragentur, qui sermonem hunc metaphoricum esse censeant;* tum quod *non soleat Dominus tam serio docere et instruere humanam prudentiam, tum quod Christus non tam assertive diceret, amen dico tibi, non exibis inde, si loqueretur de judicio humano, cum saepe videamus contrarium accidere, ut rei liberentur favore alicujus* XVII. 314.
*vel per se fugiant et nihil solvant. Deinde si Chrysostomi sententia ut probabilis recipi debeat, solum recipi posse pro iis verbis, quae habentur Matth. 5. non autem pro iis, quae habentur Luc. 12. cum in loco posteriore de judicio post hanc vitam Christus loquatur.* Respondemus: negari nulla veritatis specie potest, Matth. 5. Christum de reconciliatione fraterna et condonatione injuriarum agere, ut antecedentia manifeste testantur, hactenus igitur et hoc respectu Chrysostomi interpretatio utpote scopo et contextui perquam accommoda repudiari nequit. Nec propterea humanam prudentiam docere Christus judicandus, quia forensem illam sententiam accommodat ad mutuam fratrum reconciliationem, quae pertinet *ad prudentiam justorum* Luc. 1, v. 17. interim nobis nequaquam adversatur, si quis cum quibusdam ex veteribus sententiam Christi παραβολικῶς ad poenitentiam in hac vita mature agendam accommodare velit, ut accipiatur tanquam gravis ac seria exhortatio, ut post lapsus, dum in via hujus vitae sumus,

cito Deo reconciliemur, ne propter impoenitentiam in carcerem infernalem conjecti aeternis suppliciis justitiae divinae satisfacere cogamur. Christus enim eandem similitudinem usurpat Luc. 12, v. 58. cum reprehendisset Pharisaeos, quod non agnoscerent tempus gratiae, ac nos omnes ad vigilem adventus sui exspectationem cohortatus fuisset. Vid. harm. evang. c. 51. p. 351. 5. Allegorica illa piorum veterum interpretatio nullum purgatorio fomentum praestat, primo quia parabola nequaquam categorice asserit, post judicium vel totum debitum, vel partem aliquam debiti exsolvi posse; nec promittit, fore ut debitor ex carcere, in quem conjectus erat, aliquando iterum liberetur, sed contrarium potius insinuatur, videlicet nec debiti persolutionem, nec debitoris ex carcere liberationem ullo unquam tempore esse sperandam, quia rigidissimum jus exactoris et gravitas periculi ob neglectam in hac vita reconciliationem describitur, hac conditionali ac hypothetica comminatione, *non exibis e carcere, nisi totum debitum usque ad novissimum quadrantem persolveris.* Jam vero testatur tota Scriptura, post hanc vitam non esse sperandam pro peccatorum debito satisfactionem, nec reconciliationem cum Deo per poenitentiam exspectandam, sed eorum, qui in carcerem infernalem conjiciuntur, debitum esse aeternum, a quo nunquam exsolvi possunt. De eo qui propter debitum decem millium imperialium in carcerem conjicitur, recte possum dicere, non exibit inde, donec omnia persolvat usque ad novissimum quadrantem. Ex eo vero non potest inferri, ergo aliquando persolvet novissimum quadrantem et consequenter exibit, sed contrarium potius ex eo infertur, quia propter grandem debiti summam non potest usque ad novissimum quadrantem omnia persolvere, ergo non exibit e carcere. Praeterea gravis illa ac seria Christi cohortatio, qua omnes homines proposito aeterni et nunquam finiendi supplicii periculo excitare et impellere voluit, ut de reconciliatione cum Deo in hac vita mature cogitarent, antequam tortoribus infernalibus torquendi tradantur, non mediocriter enervatur ac luxatur, si debitum illud, in quo et cum quo homo moritur, post hanc vitam in purgatorio dissolvi, quin et aliorum suffragiis pro eo satisfieri posse cum Pontificiis statuatur. Tertio loquitur Christus de iis, qui nec cum Deo, nec cum fratre in hac vita reconciliantur, sed ob implacabilitatem et neglectam in tempore gratiae reconciliationem in carcerem infernalem detruduntur, jam vero homines ἄσπονδοι et irreconciliabiles non ad purgatorium, sed ad infernum descendunt, quia non moriuntur in caritate. Quarto, quo sensu accipienda sint verba Christi, *non exibis inde, donec persolveris extremum quadrantem*, ex aliis parallelis locis omnium optime intelligitur. Matth. 6, v. 15: *Si non remiseritis hominibus, nec pater vester remittet vobis peccata vestra.* Matth. 18, v. 34. in parabola debitoris dicitur: *Tradidit eum tortoribus, quousque redderet universum debitum.* Cui solvendo non erat, ut colligitur ex v. 25. Atqui in purgatorio non potest reddi universum debitum, quia non pot- XVII. 315.
est satisfieri pro peccatis mortalibus, sed tantum pro venialibus. Quinto, ubi solutio debiti tam stricte exigitur, ut sine ea carcerem egredi non liceat, ibi precibus et suffragiis nullus relinquitur locus. Sed in hac parabola Christi solutio debiti tam stricte exigitur, ut sine ea carcerem egredi non liceat. Ergo precibus et suffragiis vivorum in liberatione ex purgatorii carcere nullus relictus est locus. Sexto, si per judicem intelligere velimus *Christum* vivorum ac mortuorum judicem divinitus constitutum, non possumus per debitores intelligere electos, nec per carcerem *purgatorium* inferni sinum, quia Christus electos suos non adjudicat ullis post mortem suppliciis in quodam inferni sinu tolerandis, nec satisfactionem pro peccatorum debitis ab eis exigit, sed ut dilectis suis ac benedictis hereditatem regni coelestis distribuit. Recte igitur de aeternis et nunquam finiendis damnatorum suppliciis verba Christi ab Hieronymo, Augustino et Theophylacto accipiuntur. Hieronymus in lament. Jer. l. 1. c. 1: *Significat semper non exiturum esse, quia semper solvat novissimum quadrantem, dum sempiternas poenas terrenorum peccatorum luit.* Augustinus l. 1. de serm. Dom. in monte c. 22: *Miror, si non eam significet poenam, quae est aeterna.* Ibidem particulam *donec* quandoque aeternitatem significare asserit et probat ex Psalm. 110, v. 1. Matth. 1, v. 25. Theophylactus in c. 12. Luc.: *εἰ γὰρ ἄχρι τότε εἰς φυλακὴν ἐσόμεθα, ἄχρις ἂν τὸ ἔσχατον λεπτὸν ἀποδῶμεν, οὐδέποτε δὲ μέλλοιμεν ἀποδοῦναι, πρόδηλον, ὡς ἀΐδιος ἡ κόλασις ἔσται.* Septimo, si per judicem intelligere velimus *Deum*, consequens fuerit, Deo non esse satisfaciendum. Ratio est, quia debitor non satisfacit judici sed creditori. Octavo, si per carcerem intelligitur *purgatorium*, nulla in purgatorio erit pro peccatis satisfactio. Ratio est, quia debitor in carcere non satisfacit pro debito, sed tenetur in eo constrictus, donec alii pro ipso solvant. Nono, si nos ipsi possumus persolvere usque ad novissimum quadrantem, quorsum opus fuit morte et passione Christi ad satisfactionem pro nobis praestandam? 6. Quae Bellarminus pro sua explicatione adducit, facilem habent explicationem. Primo *patres de purgatorio hunc carcerem exponunt.* Respondemus: non omnes, nec eodem modo ita exponunt, nec expositionis fundamentum in Scripturis monstrant. Adducit Bellarminus Tertullianum lib. de anim. cap. 17. Cyprianum lib. 4. epist. 2. Origenem homil. 35. in Luc. Eusebium Emissenum homil. 3. de Epiph. Ambrosium in c. 12. Luc. Hieronymum in cap. 5. Matth. et Bernhardum serm. de obitu Huberti. Sed hi testes causam ejus parum juvant. Tertullianus dicit, *eos qui non concordant cum adversario, mitti in infernum, ex quo ante resurrectionem non sit exitus.* Atqui ex purgatorio quotidie animae quaedam exeunt. Origenes *etiam diabolos et damnatos ex inferni carcere aliquando liberandos* statuit. Eusebii Emisseni homiliae de Epiph. sunt adulterinae. Ambrosius purgationem illam *in fine seculi* demum futuram et *ab*

*omnibus sustinendam* esse existimavit. Hieronymus *ex isto carcere non patere exitum* recte judicavit. Recte ergo Suarez tom. 4. in Thom. disp. 45. §. 1. pag. 557: *Citantur Ambrosius c. 12. Hieronymus in Matth. in Luc. cap. 5. et Athanasius q. 26. cum tamen fere nihil aliud dicant, quam minima etiam peccata puniri a Deo et neminem inde exire, donec solvat, an vero aliquis solvat post hanc vitam, non declarant.* Toletus comm. in c. 12. Luc.: *Hunc debitorem nunquam esse liberandum, quia nunquam debitum solvat, docent Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus.* Secundo inquit Bellarminus: *Illud donec solvas ultimum quadrantem, non videtur recte posse dici, nisi aliquando, sit futurus finis solutionis. Neque exempla Augustini satisfaciunt. Nam cum dicitur, non cognoscebat eam, donec pareret, non licet quidem inferre, ergo postea cognovit eam, sed inferre licet, ergo illa aliquando paritura erat. Similiter cum dicitur, sede a dextris meis, donec ponam, recte infertur, ergo aliquando ponentur omnes inimici Christi sub pedibus ejus, alioqui*
XVII. 316. *illud donec inepte diceretur; ita ergo cum dicitur, non exibis inde, donec solvas, inferimus recte, ergo aliquando solvet ultimum quadrantem et per consequens inde exibit.* Respondemus: concedamus sane, ex verbis Christi recte concludi, quod novissimus etiam quadrans in carcere illo sit solvendus, id est quod pro peccato etiam minimo in inferno damnati sint torquendi, ex eo tamen inferri nequit, quod ex carcere illo aliquando sint liberandi, perinde ut ex adductis ab Augustino locis concludi nequit, Josephum aliquando Mariam cognovisse, Christum aliquando non sessurum ad Dei dextram. Quinimo ex eo, quod pro peccatis post hanc vitam plene Deo satisfieri ac pro summa debiti persolvi non potest, Augustinus recte infert, nullam ex inferni carcere sperandam esse liberationem. Glossa interlinearis eodem modo: *Et mittaris in carcerem, id est in tenebras exteriores. Non exibis inde, donec solvas, id est nunquam, sicut ibi, donec ponam inimicos* etc. Dionysius Carthusianus art. 10. in cap. 5. Matth.: *In carcerem, id est lacum inferni, donec reddas novissimum quadrantem, id est pro minima culpa satisfacias, hoc est nunquam redimeris, quoniam in inferno nulla est satisfactio.* Tertio *idem probatur ex fundamento et scopo parabolae. Nam similitudo non est sumta ab homicida vel adultero vel proditore, qui damnantur ad mortem vel ad perpetuos carceres vel ad triremes, sed a debitore, qui non propter crimen, sed propter debitum pecuniarum in carcerem conjicitur, donec solvat. Solent autem hujusmodi homines ordinarie egredi post aliquod tempus, ut patet. Itaque scopus parabolae est, ut in hac vita componamus cum Deo, quando facile impetramus remissionem poenae peccatis nostris debitae, nec exspectemus seculum futurum, in quo severissime agetur.* Respondemus: Debitores, qui plane non sunt solvendo, ad perpetuos carceres damnantur. Jam vero qui in hac vita non impetrant debitorum suorum remissionem coram divino judicio, post hanc vitam solvendo non erunt. Ergo ad perpetuos carceres damnabuntur. Ulterius, cum quo debito conjuncta est inimicitia adversus fratrem, illud non potest solvi in purgatorio. Ratio est, quia illa inimicitia et implacabilitas pugnat cum caritate et est peccatum mortale, pro quo non est speranda satisfactio. Jam vero Christus de tali debito in hac parabola loquitur, cum quo inimicitia adversus fratrem est conjuncta. Ergo. Denique si ex voce debitoris colligere licet, e carcere illo patere exitum, Origenes etiam ex eadem inferre poterit, damnatos ex inferno esse liberandos. Ratio est, quia maxima peccata itidem sunt debita et maximi peccatores itidem sunt debitores. Jansenius conc. evang. cap. 40. p. 180: *Secundum scopum parabolae vox donec non significat debitum aliquando persolvendum, sed extremum jus requirendum esse, ut qui in via cum adversario suo, quem injuste offenderat, in gratiam redire neglexerit et vult Dei judicium experiri, Deus eum judicabit summo jure, nec unquam debitum solvet, ergo aeternum persolvet supplicium.* Similia occurrunt apud Toletum in Luc. annot. 89.

**5. Ex Matth. 5, v. 22: Qui irascitur fratri, reus erit judicio.**

270. 5. Matth. 5, v. 22: *Omnis qui irascitur fratri, reus erit judicio; qui dixerit fratri suo racha, reus erit concilio; qui dixerit fatue, reus erit gehennae ignis; ubi monet, agi de poena injungenda in foro Dei, quia additur, reus erit gehennae ignis, distingui igitur tria genera peccatorum et poenarum, et damnationem aeternam solum tribui tertio generi peccatorum, id est criminibus, aliis autem utpote levioribus peccatis poenas leviores ac proinde temporales, ex quo sequatur, animas aliquas post hanc vitam puniri temporalibus poenis.* Respondemus: 1. Suarez tom. 4. in Thom. disp. 45. p. 557. recte scribit, *hunc locum non spectare ad controversiam de purgatorio, cum valde probabile sit, omnia illa membra judicii, concilii, gehennae, significare aeternam damnationem et poenam majorem et minorem pro qualitate delictorum.* Christus enim ibi disputat contra Pharisaeos quintum decalogi praeceptum sic depravantes, quod ea tantum XVII. 317.
peccata coram Dei judicio poenae aeternae sint rea, quae juxta forenses leges Moysis in judicio civili morte puniebantur; quidquid in affectibus interioribus, gestibus et verbis quinto praecepto non erat conforme, id cum lege pugnare concedebant, sed tamen non constituere hominem reum irae et poenae aeternae coram Deo. Huic depravationi opponit Christus veram explicationem quinti praecepti, quod non tantum externum homicidium, sed etiam convicia et maledicta, animi irati ac malevoli signa in voce, vultu et gestibus totius corporis, quinimo interiores etiam irae motus cum caritate proximi pugnantes in eo prohibeantur, ac licet aliud peccatum alio sit gravius, omnia tamen coram Dei judicio aeternas poenas promereri, nisi fiat reconciliatio propter Christum mediatorem. 2. Ex hac Christi doctrina nunquam poterit purgatorium probari, quod nititur potius Pharisaica illa opinione, quam Chri-

stus ex professo ibidem refellit, quasi sint quaedam peccata sua natura venialia, quae tam minuta sint ac levia, ut non promereantur poenas aeternas, sed duntaxat temporales vel in hac vita, vel in futura persolvendas. Atqui Christus contrarium docet, omne et quodvis peccatum, etiam minimum legi divinae adversari et per consequens Dei iram ac aeternas poenas promereri. Pro peccatis mortalibus non potest ex adversariorum hypothesi satisfieri in purgatorio. Atqui ira adversus proximum est peccatum mortale. Ergo in purgatorio non satisfit pro peccatis mortalibus, sed duntaxat pro poenis eorum adhuc reliquis. Jam vero Christus hoc loco de culpa agit. Si per *judicium* intelligere velimus purgatorium, idem non poterit intelligi per *concilium*, quia concilium a judicio distinguitur. Sic ergo praeter *gehennam*, id est infernum, et *judicium*, id est purgatorium, fingendus erit locus tertius, qui respondeat concilio. 3. Vocabula *judicii*, *concilii et gehennae*, quibus ex politia Judaica transsumtis Christus magnitudinem et poenam peccatorum coram Dei judicio declarat, hoc loco non significant poenas civiles, sed capitalia supplicia, quae pro ratione delictorum aggravabantur quidem et exasperabantur, omnia tamen erant capitalia et judicii et synedrii et gehennae. In accommodatione igitur horum vocabulorum ad descriptionem judicii divini adversus peccata Christus concedit, sicut peccata omnia non sunt paria, ita etiam poenas coram Dei judicio non esse per omnia aequales, sed tamen contra Pharisaeos ostendit, in judicio Dei, si non fuerit facta peccatorum remissio, omnia, etiam quae minutissima a nobis censentur, aeternae damnationis judicio obnoxia esse, nam de interioribus motibus non congruentibus cum lege dicit, *qui fratri irascitur, obnoxius est judicio Dei,* id est poenae judicii divini ad aeternam condemnationem non secus atque is, qui externo opere homicidium committit, ut colligitur ex Psalm. 143, v. 2. Gal. 5, v. 20. 1. Joh. 3, v. 15. atque ex interpretatione a Christo ipso addita v. 25: *Ne forte adversarius tradat te judici, judex tradat te ministro, et in carcerem conjiciaris.* v. 26. *Amen dico tibi, non exibis inde.* Convicio fatuitatis tribuit summum gradum supplicii, gehennam scilicet ignis, et ex eo intelligendum reliquit, quae supplicia destinata sint maledictis atrocioribus et gravioribus quinti praecepti transgressionibus. Vide harm. evang. c. 51. p. 342. 4. Falsum igitur est, quod Bellarminus nugatur, *verba Christi, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio, hunc habere sensum, punietur poena quidem temporali, sed quae aequetur morti temporali*, neque enim de temporalibus, sed aeternis poenis in Dei judicio transgressionibus quinti praecepti debitis Christus loquitur. Id quod agnoscit ipse Maldonatus in comm. *Per judicium* (inquit) *et concilium gradus poenae distinguuntur, non genus. Nam utroque capitalem, sed in judicio leviorem, in concilio graviorem judices poenam constituebant, quemadmodum graviores ad concilium quam ad judicium causae deferebantur. Sic etiam Christus et eum, qui irascitur, et eum, qui fratrem suum levem, et eum, qui stultum appellat, eadem inferni poena non eadem poenae gravitate dignum docet* etc. Vide ibid. plura in hanc sententiam. Falsum etiam XVII. 318. illud, quod Bellarminus ex hoc loco colligi posse statuit, *quaedam peccata non mereri nisi poenam temporalem*, cum Moyses disertis et exsertis verbis maledictum pronuntiat eum, *qui non permanserit in omnibus, quae scripta sunt in libro legis.* At haec maledictio non solum temporales, sed etiam aeternas poenas complectitur, nisi fiat gratuita propter Christum remissio. Falsum insuper et illud, *quod damnatio aeterna solum tribuatur tertio generi peccatorum, id est criminibus*, cum de eo, qui irascitur fratri et sic ex hypothesi Bellarmini levius quoddam peccatum committit, Johannes diserte pronuntiet 1. epist. 3, v. 15: *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est, et scitis, quoniam omnis homicida non habet vitam manentem.*

271. 6. Luc. 16, v. 9: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula. Per deficere intelligunt omnes mori, per amicos intelligunt sanctos, qui cum Christo regnant, ex quibus sequitur, homines post mortem juvari precibus sanctorum.* Respondemus: 1. in parabolis non debent urgeri singula membra, sed respiciendus est principalis scopus. Chrysostomus in cap. 20. Matth. et ex eo Theophylactus in cap. 16. Luc.: *Omnis parabola oblique et figurato modo rerum quarundam naturam repraesentat non per omnia rebus illis assimilata, propter quas assumta est, idcirco non oportet omnes parabolarum partes curiosius inquirere, sed quatenus apparent proposito utiles, reliquae enim sinendae sunt quasi parabolam contexentes et nihil ad propositum conducentes.* 2. Scopus parabolae hujus in eo consistit, quod exemplo iniqui illius oeconomi Christus monere nos voluit, ut *ex mammona iniquitatis*, id est ex divitiis hujus seculi, in pauperes simus benefici, ut iidem nos dispensatione nostra perfunctos *in aeterna tabernacula recipiant.* Recipiunt autem nos in vitam aeternam non ut auctores vel causae principales ac meritoriae, hic enim honor soli Deo et Christo competit, sed ut testes beneficientiae nostrae sibi exhibitae; recipiunt nos non propter opera nostra tanquam causam salutis meritoriam, sed proferendo ea tanquam effectum, fructum ac testimonium verae in Christum fidei, qua vitam aeternam in Christo ex gratia obtinemus; recipiunt nos tum precibus in hac vita, tum testimonio ac suffragio in die judicii. Cumprimis vero inter *amicos*, qui in aeterna tabernacula nos recipiunt, primo loco numerandus est *Christus* πίστεως καὶ σωτηρίας ἀρχηγός, illum nobis parare possumus amicum per veram poenitentiam ac fidem, per beneficentiam in pauperes sanctos, de quibus ipsemet pronuntiat Matth. 25, v. 40: *Quidquid uni ex minimis his fecistis, mihi fecistis.*

6. Ex Luc. 16, v. 9: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.

Irenaeus lib. 4. cap. 49. p. 286: *Cum benefacientibus habitat Deus, quemadmodum Dominus ait, facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut hi quando fugati fueritis, recipiant vos in aeterna tabernacula.* Hieronymus ad Algasiam epist. 151. q. 6: *Mihi videtur Christus hoc dicere, quod de iniquo mammona debeamus nobis amicos facere, non quoslibet pauperes, sed eos, qui nos possunt recipere in domos suas et in aeterna tabernacula, ut cum eis parva praebuerimus, recipiamus ab illis magna et dantes aliena, nostra suscipiamus, et seminemus in benedictione, ut metamus benedictionem.* Eodem fere modo Didac. Stella in annotat. hoc loco pag. 162: *Quomodo, inquies, me beatitudinis hospitio accipere possit pauper, qui criminibus, dum vixit, coinquinatus fuit, postea vero moriens in infernum detrusus est? Respondeo, pauper*
XVII. 319. *quidem te non recipiet, sed eleemosyna ipsa, ut Prov. 28: Claude eleemosynam in sinu pauperis et ipsa orabit pro te.* Maldonatus in hoc loco p. 310: *Penes pauperes non est potestas admittendi nos in coelum, ideo autem nos dicuntur recipere, quia propter illas sanctas eleemosynas recipimur, ut non tam ipsi quam opera erga eos nostra sint, quae nos proprie recipient* etc. Tertullianus de fug. in praesent. cap. 13. et Theophilus Antiochenus apud Hieronymum d. l. allegoriam paulo alieniorem sectantur. 3. Purgatorium vero ex his Christi verbis accendi nequit. Primo, quia pii veteres in explicatione hujus loci nihil de purgatorio somniant. Secundo, si de purgatorio Christus hic agit, consequens fuerit, etiam apostolos in purgatorium esse detrudendos, quia v. 1. ad μαθητάς hanc parabolam dixisse legitur. Tertio, pauperes in carne adhuc viventes precibus suis nos apud Deum juvare ac beneficentiae nostrae in extremo judicio testimonium reddere possunt, si vel maxime non descendamus in purgatorium, ex quo vel vivorum suffragiis vel mortuorum intercessionibus apud Deum liberemur. Quarto, si sancti, *quando deficimus*, id est quando morimur, recipiunt nos statim in aeterna tabernacula, utique non descendimus post mortem in purgatorium, ex quo sanctorum precibus liberemur. Quinto, parabolarum et allegoriarum explicatio debet esse fidei analoga. Jam vero purgatorium pugnat cum fidei analogia, ut ostendimus superius. Ergo explicatio hujus praebolae non debet torqueri ad purgatorium. Sexto, per *amicos* non intelliguntur sancti cum Christo regnantes, sed pauperes in terris adhuc viventes, ut ex ipsa parabola intelligitur. Jubemur enim nos *amicos parare ex mammona iniquitatis*, per eleemosynas scilicet ac beneficentiam. Sed erga sanctos cum Christo regnantes non possumus esse benefici ex mammona iniquitatis. 4. Quae Bellarminus pro adstruendo purgatorio ex verbis Christi colligit, parum roboris obtinent. Primo inquit: *Verba illa, facite amicos, ut recipiant, cogunt nos ad statuendum, quod post mortem juventur animae precibus sanctorum. Nam eleemosyna, quae datur malis hominibus, bona tamen intentione, meritoria est, et tamen non facit amicos, qui possint recipere in aeterna tabernacula.* Respondemus: concedimus, ex hoc loco recte colligi, quod Hieronymus lib. contra Vigilantium infert, *bonis potius quam malis eleemosynam esse dandam, ut eorum precibus et intercessione juvemur*, sed ex eo inferri nequit, quod intercessione illa ex purgatorio liberemur, statim enim *ut deficimus*, id est, ipso Bellarmino interprete, quando morimur, amici illi nos in aeterna tabernacula recipiunt. Ambrosius in c. 16. Luc. *eleemosynis gratiam angelorum et sanctorum comparari* asserit, sed non addit, mortuos ex purgatorio ipsorum precibus liberari. Augustinus l. 21. de civ. Dei c. 27. *eleemosynis inopiam sanctorum sustentari et amicos, qui in aeterna tabernacula suscipiant, parari* docet, id vero ad sanctos adhuc viventes proprie pertinet. Secundo: *Ad id nos cogit ipsa similitudo. Nam parabola sumta est a quodam oeconomo, qui depositus ab officio et egenus factus opem implorabat amicorum suorum, quod autem deponi ab officio sit mori, Dominus ipse in applicatione parabolae explicat.* Respondemus: in parabolis non sunt tenuissimae quaeque minutiae sectandae, quas si hoc loco excutere velimus, possemus contra Bellarminum sic inferre: Quemadmodum oeconomus ab officio depositus nihil quidquam habebat reliquum, quo heri sui gratiam impetrare vel pro peccatis suis satisfacere posset, sic post mortem animabus nihil quidquam suppetit, quo possint pro residuis culpis satisfacere. Neque de oeconomo in parabola dicitur, quod post remotionem ab officio fame et esurie pressus opem amicorum imploraverit, sed quod in officio adhuc constitutus de subsidiis sibi prospexe- XVII. 320.
rit; ita in hac vita eleemosynis nostris amicos nobis parare debemus, ut *quando deficimus*, id est in ipsa statim morte, recipiant nos in aeterna tabernacula. Tertio: *Augustinus l. 21. de civ. Dei cap. 27. purgatorium ex hoc loco demonstrat.* Respondemus: verba integra sic habent: *Etiam illi justi, qui tanta sanctitate vixerunt, ut alios quoque recipiant in tabernacula aeterna, quibus amici facti sunt de mammona iniquitatis, ut tales essent, misericordia liberati sunt ab eo, qui justificat impium, imputans mercedem secundum gratiam, non secundum debitum. In eorum quippe numero est apostolus, qui dicit, misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem. Illi autem, qui recipiuntur a talibus in tabernacula aeterna, fatendum est, quod non sint his moribus praediti, ut eis liberandis sine suffragio sanctorum sua possit vita sufficere, ac per hoc multo amplius in eis superexaltat misericordiae judicium.* Hic nihil de purgatorio, nihil de orationibus pro defunctis ex purgatorio liberandis audimus. Postea subjicit Augustinus: *Quis sit iste modus et quae sint ipsa peccata, quae ita impediunt perventionem ad regnum Dei, ut tamen sanctorum amicorum meritis impetrent indulgentiam, difficillimum est invenire, periculosissimum definire. Ego certe usque ad hoc tempus, cum inde satagerem, ad*

*eorum indaginem pervenire non potui.* At nisi hoc definiatur, in fumum abit purgatorium.

7. Ex Luc. 23, v. 42: Memento mei, cum veneris in regnum tuum.

272. 7. Luc. 23, v. 42: *Memento mei, cum veneris in regnum tuum. Nunquam hoc diceret bonus ille vir a Spiritu s. edoctus, nisi crederet, post hanc vitam remitti peccata et auxilio animas indigere et juvari posse. Certe Augustinus lib. 6. contra Julianum cap. 5. hinc probat, aliqua peccata remitti post mortem.* Respondemus: 1. responsum Christi latroni converso datum, *amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso*, prorsus exstinguit purgatorium, ut ostendimus superius. 2. Id quod agnoscunt quidam ex ipsis Pontificiis, qui latronem hunc conversum non in purgatorium venisse, sed recta in paradisum introductum fatentur, evidentia verborum Christi permoti, addunt autem, *privilegia paucorum non constituere generalem regulam.* Illis vero contradicit Petrus Michael Jesuita, qui in catech. Colon. an. 1589. impresso p. 180. format ejusmodi quaestionem: *Num animae piorum a corporibus separatae statim coelestium illorum bonorum redduntur participes, num vero diem extremum prius exspectare coguntur?* Respondet autem hoc modo: *Beatitudinis statim a morte participes redduntur, ut colligitur ex latronis conversi exemplo, cui Christus illo ipso statim die paradisum promittit.* At si hoc esset privilegium speciale, non posset generalis probationis loco adferri. Suarez in Thom. part. 3. tom. 2. q. 46. art. 11: *Augustinus hunc sanctum latronem martyrem facit, tantumque apud Deum valuit, inquit Cyprianus, quod confessus est Dominum crucifixum, quantum si fuisset pro Domino crucifixus. Jam vero docet catholica ecclesia, martyres absque ullo per ignem transitu ad aeternam vitam pervenire*, ut scribit Salmeron. in comm. 1. Cor. 3. disp. 6. §. 3. 3. Latro non levium et venialium, sed gravissimorum ac mortalium peccatorum remissionem a Christo petebat, at in purgatorio ex hypothesi Pontificiorum non mortalia, sed levia duntaxat et venialia peccata expiantur. 4. Latro non post hanc vitam, sed in hac vita peccatorum remissionem sibi dari petit, post mortem vero fructum remissionis, aditum scilicet in regnum Dei, sibi concedi precatur. 5. Si vel maxime latro in fide nondum plene institutus post hanc vitam quaedam peccata in purgatorio remitti judicasset, tamen Christi responsum eum plenius informasset et ab hoc errrore liberasset, potius igitur Christo quam latrone magistro uti deberemus. 6. Auxilio Christi animas post mortem indigere et juvari posse concedimus, sed ex eo purgatorium inferri nequit, quia Christus juvat piorum animas non ex purgatorio eas
XVII. 321. liberando, sed per angelorum ministerium *in Abrahae sinum* eas transferendo Luc. 16, v. 22. 7. Aliud est meminisse, aliud peccata remittere. Deus meminit angelorum et electorum perfecta beatitudine in coelo fruentium, qui tamen non indigent remissione peccatorum. 8. Augustinus d. l. non de purgatorio, sed de extremo judicio loquitur. Quaerit enim, *utrum in futuro seculo peccata remittantur, nec ne*, et addit, *hanc esse profundissimam quaestionem, de qua non sit praecipitanda sententia.*

8. Ex Act. 2, v. 14: Quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni.

273. 8. Act. 2, v. 24: *Quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri eum ab illis. Hunc locum ita intelligit Augustinus epist. 99. ad Evodium et lib. 12. in Genes. c. 33. ut sensus sit, Christus cum descendit ad inferos, multos liberasse a cruciatibus inferni, quod cum non possit intelligi de damnatis, necessario videtur accipiendum de iis, qui purgabantur, quod etiam affirmat Epiphanius in haeresi Tatiani. Probatur hoc ex ipsis verbis Scripturae. Nam illud, solutis doloribus inferni, non potest intelligi de doloribus ipsius Christi, quippe qui in cruce finiti sunt, nec de doloribus damnatorum, quia illi aeternis ignibus manent addicti, nec de doloribus sanctorum patrum, illi enim nullos patiebantur dolores, relinquitur igitur, ut de doloribus animarum in purgatorio hoc loco agatur.* Respondemus: 1. in textu Graeco non est solutis doloribus τοῦ ᾅδου, *inferni*, sed θανάτου, *mortis.* Bellarminus frustra opponit *Syriacam paraphrasin, Latinam versionem et quorundam patrum allegationem*, quia solus textus Graecus in N. T. est authenticus. 2. Chrysostomus, Theophylactus et Oecumenius eo modo exponunt, quod mors omnes dolores velut machinas ac vincula adhibuerit, quibus Christum in sepulcro detineret, Deum vero vinculis illis solutis effecisse, ut mors Christum, quem in sepulcro tanquam in utero suo conclusum comprimere atque exstinguere nitebatur, redivivum iterum emittere et quasi novo partu in lucem edere cogeretur. Existimant igitur, rationem metaphorae petitam esse *a muliere gravida*, quae foetus pondere oneratur, ac famelico, qui deglutita per vomitum reddere cogitur. 3. Videtur Petrus digitum intendere ad verba Davidica Psalm. 18, v. 6. חֶבְלֵי שְׁאוֹל, *funes inferni, circumdederunt me*, quod LXX interp. reddiderunt ὠδῖνες ᾅδου. Vox enim חבל variatis punctis et dolores, et vincula significat. Chaldaeus *circumdedit me angustia sicut mulieris, quae sedet in partu.* Petrus igitur dicit, Deum solvisse funes seu vincula mortis, quibus Christum in sepulcro tenebat constrictum. Confert typum Jud. 15, v. 14. Benedictus Arias Montanus in Act. 2: *Solutis doloribus inferni, id est vinculis sepulcri, quibus constringuntur mortui scilicet legibus corruptionis, de quibus scriptum est, cinis es et in pulverem converteris. Hujus corruptionis legibus caro Christi fuit soluta, utpote sanctissima et aliena secundum se ipsam ab omni corruptione carnis Adae.* 4. Quidam speciem hypallages hic agnoscunt, *solvit Deus dolores mortis*, id est mortem dolorum, ad quam per dolores gravissimos Christus fuerat adactus. Ribera in comm. Hos. 13. num. 23. p. 173: *In Graeco est solutis doloribus θανάτου, mortis. Ita legit Chrysostomus. Suscitavit, inquit, illum Deus solvens et irritans dolores mortis, id est quod per tot dolores mors effecerat, ut scilicet anima separaretur a corpore.* 5. Si vel maxime non de ipso Christo, sed de homi-

nibus, quibus mors Christi profuit, locum apostolicum accipiamus, nondum tamen ex eo inferri poterit purgatorium, quia Deus dicitur *solvisse dolores mortis* Christo ex morte resuscitato et *dolores inferni* Christo ex inferis reducto, quatenus peccatum, mortem ac infernum incommodum credentium destruxit. Hos. 13, v. 14. 1. Cor. 15, v. 55. Hebr. 2, v. 14. Joh. Ferus in comm. Act. 2: *Christus solvit dolores mortis et inferni, sed solis piis. Mortem quidem solvit, ne gustare oporteat* etc. Hoffmeiste-
XVII. 322. rus ib.: *Quinam sunt hi dolores? in Psalmo legimus, circumdederunt me dolores mortis et pericula inferni venerunt super me. Per dolores mortis et inferni intelliguntur omnium gravissimae passiones et dolores, quos omnes pro nobis passus est Christus et a quibus omnibus liberatus est.* 6. Augustinus et Epiphanius de quorundam ex ipso inferno liberatione locum apostolicum accipiunt, id quod Pontificiis probari nequit, quippe qui ex inferno non esse liberationem nobiscum agnoscunt. Addit Augustinus ep. 99. ad Evod. etiam aliam explicationem, *solutis doloribus inferni, id est irritis effectis. Solvit enim Christus dolores inferni, non quibus tenebatur, sed ne teneretur, quemadmodum solvi possunt laquei venantium, non quia tenuerunt, sed ne teneant.* 7. Si Christus solvit dolores animarum purgatorii, tum piis non est amplius metuendum purgatorium. Ut enim recte infero, quia Christus solvit dolores inferni, ideo infernus ipsis non amplius metuendus; ita quoque de purgatorio idem recte inferre possum. 8. Negat Bellarminus, de Christo intelligenda esse illa Petri verba, *solutis doloribus mortis*, unde ad sanctos e purgatorio liberatos eadem transfert. At verba statim subsequentia contrarium docent, *eo quod impossibile erat, ipsum a morte teneri.*

9. Ex Phil. 2, v. 10: Genu inferorum. Apoc. 5, v. 2: Subtus terram.

274. 9. Phil. 2, v. 10: *Ut in nomine Jesu flectatur omne genu coelestium, terrestrium et inferorum. Huic similis est locus Apoc. 5, v. 2: Quis dignus est aperire librum et solvere septem signacula ejus? Et nemo inventus est neque in coelo, neque in terra, neque subtus terram. Per eos, qui sunt in coelo, intelliguntur angeli, per eos, qui in terra, homines justi, per eos, qui sub terra, non possunt intelligi nisi animae purgatorii, nec enim id damnatis tribueretur. Patres autem, qui fuerant in limbo, jam liberati erant.* Salmeron. tom. 14. disp. 25. p. 222. *Ad damnatos non potest aptari hic textus Apoc. 5. cum illis nulla insit dignitas aperiendi libri, cumque illi non dent benedictionem aut laudem Deo; nec potest de patribus in limbo intelligi, quia tempore eo, quo Johannes habuit hanc visionem, totus limbus a Christo erat spoliatus.* Et ante illos Eccius in enchir. cap. de purgat.: *Palam est, quod qui intus subtus terram sunt, non flectunt genu in nomine Jesu, sed illud potius obstinaciter blasphemant, sunt ergo in purgatorio, qui genu flectunt.* Respondemus: 1. Bellarminus ipse non admodum confidit hisce fulcris. *Per illud infernorum* (inquit) *non improbabiliter accipiuntur daemones.* Et postea: *Locus Apoc. 5. non videtur multum urgere, nam probabile est, intelligi per eos, qui sunt infra terram, patres qui erant in limbo. Etsi enim quando Johannes haec scripsit, patres exierant e limbo, non tamen exierant eo tempore, quo loquitur. Loquitur enim de tempore, quod praecessit Christi mortem.* Sic ergo Cadmaei fratres inter se proelia miscent. 2. Probatissimi interpretes per τοὺς καταχθονίους intelligunt *daemonas.* Augustinus lib. 12. de Gen. ad liter. cap. 33. per genu infernorum intelligit *duram cervicem daemonum* Chrysostomus et ex eo Theophylactus in comm.: *Universus mundus, angeli et homines et daemones.* Thomas de Aquino lect. 3. super c. 2. Phil. ex veterib.: *Omnis creatura rationalis sive angeli, sive homines, sive daemones subjicientur Christo.* Quae interpretatio probatur ex Luc. 8, v. 31. 2. Petr. 2, v. 4. Jud. v. 6. 3. Huic interpretationi frustra opponitur, quod *daemones non adorent Christum, nec genu illi flectant.* Si enim literam urgere velimus, nec angeli in coelo, nec animae in purgatorio, utpote incorporeae, Christo genua flectunt. Intelligenda autem γονυκαμψία de *subjectione*, ut exponitur Eph. 1, v. 21. 1. Petr. 3, v. 22. quo sensu etiam *daemones credere et contremiscere* dicuntur. Jac. 2, v. 19. Origenes lib. 9. ad Rom. 14: *Genu flectere et omnem linguam confiteri Deo non est carnaliter accipiendum, ut putemus, etiam coelestia, quae dicit genu flectere, carnalibus membris haec facere. Verbi causa, ut putentur vel sol vel luna vel stellae vel etiam angeli et quae-* XVII. 323.
*cunque sunt, quae coelestia nominantur, corporalibus inflexa genibus adorare aut etiam lingua carnali et tali membro, quali nos homines loquimur, putentur confiteri Deo, de quibus dicitur, quod sint spiritus et ignis. Et quae genua in spiritibus esse creduntur? aut quae linguae in ignis specie requiruntur? sed genu flectere subjecta esse cuncta et cultui Dei oboedire declarat.* Ruffinus in expos. symb.: *Adveniens Christus, sicut apostolus dicit, tria pariter sibi regna subjecit, hoc enim indicat, ubi ait: Quia in nomine Jesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum. Et haec omnia sua morte vincebat.* Thomas d. l.: *Duplex est subjectio, una voluntaria, altera involuntaria. Omnes angeli sancti Christo subjiciuntur, sed voluntarie, sed daemones et damnati non sic, verum involuntarie.* 4. Si ex eo, quod creaturae quaedam statuuntur ὑποκάτω τῆς γῆς Apoc. 5, v. 3. purgatorium stabiliri potest, consequens fuerit, purgatorium esse non solum intra viscera terrae inferno proximum, sed etiam intra aquas, quia in eod. c. v. 13. dicitur: *Et omnem creaturam, quae in coelo est et in terra et sub terra et quae in mari.* Similis distributio exstat Exod. 20, v. 4: *Non facies tibi sculptile neque omnem similitudinem, quae est in coelo desuper et quae in terra deorsum, nec eorum, quae sunt in aquis sub terra.* 5. Quomodo ex phrasi *sub terra* purgatorium immote concludi potest, cum *de loco purgatorii ecclesia* (Romana)

*nihil definierit* teste Bellarmino lib. 2. de purgat. cap. 6. 6. Per eos, qui *sub terra* constituti non potuerunt librum signatum aperire, haud incommode intelliguntur homines mortui in sepulcris sub terra constituti, ut recte monet nobilissimus theologus Hoë in comment. Apoc. 5. pag. 175.

Dicta N. T. quae alii Pontificii pro purgatorio afferunt. 1. Ex Matth. 3, v. 11: Baptizabit vos Spiritu s. et igne.

275. Atque haec sunt, quae pro adstruendo purgatorio ex N. T. *Bellarminus* producit. Hisce dictis *alii ex Pontificiis* sequentia addunt. 1. Matth. 3, v. 11. inquit Baptista: *Ego baptizo vos aqua, qui autem post me venturus est, ipse vos baptizabit in Spiritu s. et igni, id est in hac vita per baptismum et Spiritum s., post hanc vitam per purgatorium a peccatis vos abluet.* Ad hunc locum ipse Bellarminus alludit in explicatione 3. argumenti ex 1. Cor. 15. desumti. *Ipsa* (inquit) *poena purgatorii a Scriptura et patribus vocatur baptisma. Nam quod Matth. 3. legimus, ipse baptizabit in Spiritu s. et igni, Hieronymus exponit in Spiritu s. in hac vita, igne vero in futura, quo modo etiam Basilius lib. de spir. s. cap. 15. et Beda in c. 3. Luc. exponunt.* Respondemus: 1. loquitur Baptista de visibili effusione Spiritus sancti et donorum ejus in linguis igneis die pentecostes facta, ut in tract. de bapt. §. 54. septem argumentis comprobatum dedimus, inter quae eminet ipsius Christi explicatio Act. 1, v. 4. tradita. Cum enim ipse jamjam coelos adscensurus discipulis praeciperet, *ne Hierosolymis discederent, sed promissionem patris exspectarent,* αἰτιολογικῶς subjungit, *quia Johannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizamini Spiritu s. non post multos hos dies.* Confer Act. 11, v. 16. ubi Petrus itidem ad visibilem Spiritus sancti effusionem verba illa diserte applicat. 2. Patres in explicatione hujus loci nihil de purgatorio somniant. Cyprianus epist. ad Quir. l. 1. c. 12. locum hunc confert cum eo, qui exstat Joh. 3, v. 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non intrabit in regnum coelorum.* Hilarius can. 3. in Matth.: *Qui jam baptizantur in Spiritu s., postea consummandi sunt igne extremi judicii.* Cyrillus Alex. l. 1. in Es. cap. 4. orat. 3: *Ardorem Spiritus dicimus gratiam in sacrosancto baptismo non absque Spiritu nobis ingeneratam. Baptizati autem et toti sumus non aqua nuda, sed nec cinere vituli emundati sumus ad solam carnis purificationem, sed Spiritu s. et igne divino et intelligibili, qui sordes vitiorum in nobis deterit et absumit* etc. Augusti-
XVII. 324] nus serm. 11. de verb. Domini: *Quod Johannes dicit et igni, quamvis possit intelligi et tribulatio, quam pro nomine Christi credentes fuerant perpessuri, tamen non abs re est, eundem Spiritum s. etiam nomine ignis significatum videri.* Chrysostomus in comm.: *Credentes baptizat Spiritus s. et comburit incredulos.* Theophylactus ib.: *Inundabit nos abundanter donis Spiritus s.* Eucherius in quaest. N. T.: *Baptizabit Spiritu s. et igni, quia per Spiritum s. vel peccata exuruntur in nobis, vel sanctificum tribuitur, vel in passionibus tolerandis fervor accenditur.* Lyranus *ad linguas igneas* nobiscum accommodat. 3. Ne ipsi quidem saniores *Pontificii* ad purgatorium haec verba applicant. Dionysius Carthus. in comm.: *Baptizabit igni, id est baptizando caritatem in vobis accendit.* Cajetanus ib.: *Duplex est sensus, alter significans solenne principium abluitionis totius humani generis celebratum in die pentecostes, quando advenit Spiritus s. in specie ignis; alter significans baptismum tribulationis.* Erasmus in annot. hoc loco: *Primum ut referatur ad Spiritum s. specie linguarum ignearum in die pentecostes missum in discipulos; dein ut pertineat ad ignem afflictionum et crucis; tertio per ignem intelligi potest vigor evangelicae gratiae, qui intus datur, cum Judaici ritus fuerint frigidi.* Joh. Ferus in comm.: *Spiritu s. et igni, id est quanto spiritus purior corpore et ignis efficacior aqua, tanto ejus baptismus efficacior meo. Sensus igitur est, Spiritu vos transformabit et igni rapiet ad coelestia.* Maldonatus ib.: *Sunt qui ignem hoc loco purgatorium interpretentur, sed dubium non est, quin per ignem Spiritus s. significetur. Conjunctio enim* et *hic non est conjunctiva, sed explicativa. Addita autem est explicatio, ut non qualiscunque Spiritus sancti communicatio, sed illa illustrissima, quae die pentecostes specie ignis facta est, significetur.* Ribera comm. in Joël. 2. n. 54: *Vos baptizabimini Spiritu s., ait Christus Act. 2. In tantum enim Spiritu s. baptizati sunt, ut repleretur tota domus, in qua erant sedentes, hinc intelligimus illud Matth. 3. ipse vos baptizabit Spiritu s. et igne.* Salmeron. tom. 4. tract. 9. p. 57: *Baptismus ignis est baptismus Spiritus sancti per gratiam et caritatis infusionem. Est et baptismus ignis per absolutam purgationem velut per fornacem tentationum, quibus fides nostra redditur auro rutulantior ipso.* Bellarminus ipse dubius est l. 1. de bapt. c. 2: *Ignis vel de linguis igneis, vel de igne purgatorii, vel de igne judicii, vel de igne tribulationis intelligitur.* 4. Ad Basilii et Hieronymi auctoritatem Bellarminus frustra provocat. Ille enim l. 5. cont. Eunom. *de igne infernali* explicat. *Baptizat Christus in Spiritu sanctificatione dignos, indignos vero ad ignem dimittit, alienos a bono malo tradens;* hic vero *ad ignem judicii* accommodat in comm. c. 3. Matth.: *Sive quia ignis est Spiritus s. ut Acta apostolorum docent, quo descendente sedit quasi ignis super singulos credentium; sive quia in praesenti Spiritu baptizamur et in futuro igne.* in c. 7. Dan.: *De Deo alibi dicitur, Deus ignis consumens est, ut lignum, foenum, stipulam arsura in die judicii noverimus.* in c. 66. Es.: *Ite in ignem aeternum* etc. *Et omnium sanctorum oculis supplicia eorum monstrabuntur, qui pro auro et argento et lapide pretioso aedificaverunt super fundamentum Domini foenum, ligna, stipulam, ignis pabulum sempiterni.* 5. Si per baptismum ignis intelligitur purgatorium, etiam apostolis in purgatorium descendendum erit, quia Christus Act. 1, v. 5. ad apostolos diserte verba illa Johannis

Baptistae accommodat. 6. Si purgatorium hic intelligitur, consequens fuerit, ignem purgatorii ante Christi adventum nondum fuisse accensum, quia Johannes Baptista tanquam novum ac futurum de Christo praedicit, quod *Spiritu s. et igni sit baptizaturus.*

Ex [Ma]tth. 12, [v.] 36: [XV]II. 325. [R]ationem [re]ddent [i]n die [j]udicii [d]e omni [v]erbo [o]tioso.

276. 2. Matth. 12, v. 36: *Dico vobis, quoniam de omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, rationem reddent in die judicii. De peccatis autem omnino remissis ac tectis et quorum Deus non recordatur, non videntur amplius tunc rationem reddituri. Ergo videntur post mortem purgari posse.* Salmeron. tom. 14. disp. 26. p. 228. Respondemus: 1. Christi dictum est legale, peccati magnitudinem coram divino judicio ostendens. Cum enim verbum otiosum committatur contra legem Dei, ideo ad illud quoque pertinet fulmen Mosaici anathematis. *Maledictus, qui non permanserit in omnibus, quae scripta sunt in libro legis*, Deut. 27, v. 26. ad illud etiam pertinet effatum Jacobi c. 2, v. 10: *Qui servaverit totam legem, offendat autem in uno, factus est reus omnium.* 2. De quo peccato in judicio Dei ratio erit reddenda, propter illud homines damnari poterunt, quia quodlibet peccatum, etiam minimum, quod propter Christum non remittitur, aeternae damnationis reum hominem constituit, unde tam serio divini judicii rigorem deprecatur David Psalm. 143, v. 2: *Ne intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Psalm. 30, v. 3: *Domine si peccata imputare volueris, quis sustinebit?* 3. Peccatum quodlibet, etiam minimum, est *sua natura* mortale, id est aeterna morte dignum, si Deus juxta rigorem legis et justitiae suae nobiscum agere velit, ut suo loco plenius ostendimus, et ex hoc ipso Christi dicto manifeste evincitur. Quod autem quaedam peccata in renatis dicuntur *venialia* (nam in non renatis omnia sunt mortalia), illud non fit respectu ad ipsius peccati levitatem sed ad personam hominis peccatoris habito. Quando enim homo peccator fide in Christum Deo est reconciliatus, tunc peccata infirmitatis ipsi ex gratia condonantur ac teguntur, ne in judicium propter illa veniat. Joh. 3, v. 18: *Qui credit in Filium, non judicatur.* c. 5, v. 24: *Qui credit ei, qui misit me, non venit in judicium.* Confer tract. de pecc. actual. §. 90. et seqq. 4. Veteres in expositione hujus loci nullam purgatorii vel remissionis post hanc vitam exspectandae mentionem faciunt. Hilarius can. 12. in Matth.: *Christus omnis otiosi, id est inepti et intutilis dicti rationem Deo reddendam esse asserit, quia de confessionis nostrae verbis aut condemnandi sumus, aut judicandi, talem futuri judicii benevolentiam recepturi, qualem de coelestis gloriae Domino sententiam tenuerimus.* Chrysostomus homil. 43. in Matth.: *Otiosum est verbum, quod rei propositae non convenit nihilque confert utilitatis, quod mendacio inquinat, quod ad calumniam dicitur.* Et postea: *Non qui male audierunt, sed qui male dixerunt, judicio subjecti sunt. His pericula imminent, hos cruciatus exspectant.* Bernhardus serm. de tripl. custod.: *Si de omni vel otioso verbo, quodcunque locuti fuerint homines, Deo sunt reddituri rationem in die judicii, quando districtius de verbo mendaci, mordaci et injurioso, de elato vel lascivo, de adulatorio aut detractorio judicabuntur? Quam rationem de eo reddere poterimus, quod est praeter rationem?* etc. 5. In quo judicio et qualem rationem de verbo otioso reddendam fore Christus doceat, patet ex versu sequenti. *Ex verbis tuis justificaberis et ex verbis tuis condemnaberis.* Ergo qui verbi otiosi remissionem in hac vita non sunt consecuti, propter illud in Dei judicio condemnabuntur. Salmeron. tom. 8. tract. 16. p. 127: *Si quaeras, quomodo verbi otiosi, id est ratione carentis, possit reddi ratio, dicendum est, quia de eo homines examinabuntur et ratio exigetur, quam qui reddere non poterit, condemnationem accipiet, juxta illud apostoli: Unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo.* Joh. Ferus in comm. p. 265: *Vides, aliud judicium esse divinum, aliud humanum. Judicium enim humanum tantum facta externa punit, cogitationes punire nequit, otiosa verba ne mala quidem esse judicat.* Et postea: *Cum hic audiamus, districtum judicium futurum, ac videamus, nos propter innumera peccata non posse subsistere coram Dei judicio, accurramus ad eum, cui Pater omnia dedit, et quanto minus coram Dei judicio nos persistere posse agnoscimus, tanto ardentius Christum invocemus.* XVII. 326.

3. Ex Luc. 16, v. 23: Dives epulo orat pro fratribus.

277. 3. Luc. 16, v. 23: *Dives epulo videns Abrahamum a longe et Lazarum in sinu ejus*, v. 24. *orat, ut Lazarus in auxilium sibi mittatur et linguam refrigeret aquae guttulis.* Hunc locum itidem quidam ex Pontificiis ad purgatorium applicant, quod innuit Bellarminus, quando in sexto N. T. loco inter cetera sic scribit: *Petrus Martyr ait, nos asserere, epulonem fuisse in purgatorio, cum ab Abrahamo auxilium petiit, sed Catholici fere omnes epulonem in gehenna esse dicunt.* Si fere omnes, ergo non simpliciter omnes. Respondemus: omnes veteres divitem illum epulonem in gehenna, ex qua nulla patet liberatio, non in purgatorio quodam fuisse statuunt, 1. quia in peccatis usque ad finem vitae suae permansit et sine poenitentia mortuus est. 2. Quia status ejus post mortem sic describitur, quod fuerit ἐν τῷ ᾅδῃ καὶ ἐν βασάνοις v. 23. quod nec guttulam frigidae impetrare potuerit, quod *cruciatus fuerit in flamma*, v. 24. et 25. 3. Quia Abrahamus diserte dicit: *Chasma magnum firmatum est inter nos et vos, ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare* v. 26. jam vero ex purgatorio juxta hypothesin Pontificiorum patet transitus in coelum. 4. Quia aquam in linguae refrigerium petit et quia soli Lazaro *consolatio*, ipsi vero *cruciatus* transscribitur v. 25. illud manifeste arguit, quod fuerit in loco, a quo omnis consolatio prorsus abfuit. At animae in purgatorio ex hypothesi Pontificiorum habent quandam requiem et consolationem, cum de

salute sua sint certae. 5. Nec Abraham, nec Lazarus epuloni subsidium praestant, consequens igitur fuerit, animabus in purgatorio sudantibus nullum per vivorum vel sanctorum cum Christo regnantium suffragia subsidium praestari posse. Quodsi ergo Bellarmino lib. 2. de purgat. c. 15. §. Non secundum etc. ex hoc loco licet probare, *quod animae in purgatorio aestuantes orent pro viventibus*, licebit nobis ex eodem inferre, quod precibus illis nihil impetrent, quia epulonis preces ab Abrahamo prorsus respuuntur.

4. Ex Rom. 12, v. 13: Necessitatibus sanctorum communicantes.

278. 4. Rom. 12, v. 13: *Orationi instantes, necessitatibus sanctorum communicantes.* Hunc locum apostolicum urget Salmeron. tom. 14. disp. 25. p. 217. ubi merito aliquis miretur, qua arte chymica purgatorium ex his verbis apostoli extrahat! Progreditur hoc modo. *1. Plerique*, inquit, *ex veteribus patribus pro verbo necessitatibus legunt memoriis, quia pro voce Graeca μνείαις facile reponi potuit χρείαις. 2. Cum sermo esset de oratione, par erat, ut ad quos usque extenderetur caritas, et oratio eorum declararetur nempe ad mortuos usque. 3. Quia idem apostolus ad Hebr. 13. videtur exhortari ad memorias sanctorum defunctorum celebrandas. Dixit enim: Mementote praepositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei etc. ubi de praepositis jam mortuis in Christo est sermo, et quia jubet eos in memoria servare, intellige, ut precibus et eleemosynis eos Deo offerant. 4. Apparet, ita esse loquendum, nam paulo ante dixerat apostolus, qui tribuit in simplicitate, scilicet pauperibus, quod etiam ad communicandum necessitatibus sanctorum pertinet, ut non opus fuerit repetere, sanctorum necessitatibus communicantes, quia idem ipsum, quod prius admonuerat, diceret. 5. Vulgata versio ad hunc sensum applicari potest. Cum enim legimus, necessitatibus sanctorum communicantes, quae sint illae necessitates, explicat lectio altera, quae habet memoriis sanctorum communicantes. Rursus cum legimus, memoriis sanctorum communicantes, ex altera lectione, quae habet necessitatibus sanctorum communicantes, intelligimus, hoc accipiendum de necessitatibus eorum, qui pie mortui sunt, quos opus est orationibus et eleemosynis juvare.* XVII. 327. *6. Patres ita legunt: 'memoriis sanctorum communicantes.* Ambrosius in comm. Hilarius cont Constantinum, Augustinus lib. 2. contra Faustum c. 21. Epiphanius haeres. 57. Chrysologus serm. 120. Respondemus: mirum vero, Bellarminum, qui tam solicite omnia purgatorii fulcra conquisivit, hunc locum apostolicum praetermisisse. Sed procul dubio vidit, eum nihil ad rem facere. 1. Graeci codices omnes constanter legunt χρείαις. 2. Ita quoque vertit interpres Syrus לַסְנִי קוּתָא 3. Versio Latina, cujus auctoritas ob concilii Tridentini decretum Pontificiis est sacrosancta, legit *necessitatibus.* 4. Graeci et Latini interpretes plerique omnes lectionem, quae habet χρείαις, vel solam sequuntur, vel eam cum altera, quae habet μνείαις, conjungunt teste Francisco Luca in annot. 5. In toto illo capite apostolus instruit Christianos, quomodo erga vivos sese gerere debeant, non quidem mortuis praestare teneantur. Quando ergo jubet, ut *necessitatibus sanctorum communicemus*, praecipit, ut eorum egestatem nostra beneficentia et facultatum communicatione sublevemus, 1. Cor. 16, v. 1. nec dicit largientes aut dantes, sed *κοινωνοῦντες, communicantes*, est enim in eleemosynis quaedam *communicatio*, 2. Cor. 8, v. 13. *Sanctorum* inprimis meminit, quia illi inter ceteros vel maxime indigent, quippe quos mundus odio prosequitur et bonis suis illos exuit. Addit statim praeceptum de *φιλοξενίᾳ*, quia illo tempore sancti exuti fortunis omnibus saepe vagi et extorres exsulabant. 6. Si vel maxime legamus *μνείαις*, nondum accensum erit purgatorium. Sensus enim est, non tantum pauperibus, qui nobis praesto sunt, communicandum esse, sed illis etiam, qui absunt. Salmeronii ratiunculae facili negotio dissolvuntur 1. Nisi fulmen concilii Tridentini incurrere velit, non poterit a vulgata lectione discedere. 2. Scriptura nuspiam docet, ad mortuos orationem sese extendere debere. 3. Quomodo memoriae sanctorum celebrandae sint, non nostro definiendum arbitrio reliquit apostolus, sed disertis verbis ibidem exposuit: *Quorum intuentes exitum conversationis imitemini fidem.* 4. Per *τοὺς μεταδιδόντας* v. 8. intelliguntur eleemosynarum praefecti, quia conjunguntur cum *προϊσταμένοις.* Est ergo hoc praeceptum speciale, cui v. 13. subjungitur generale, quod omnes etiam privati debeant erga sanctos pauperes beneficentiam exercere. 5. Et *memoriis* et *necessitatibus* sanctorum communicamus, si erga pauperes tum praesentes, tum absentes beneficos nos exhibemus, etiamsi pro mortuis nulla sacrificia famelicis sacrificulis offerenda exhibeamus. 6. Qui ex veteribus legunt, quod memoriis sanctorum communicandum sit, non ad sanctos mortuos, sed viventes illud accommodant.

5. Ex 1. Joh. 5, v. 16: Est peccatum ad mortem etc.

279. 5. 1. Joh. 5, v. 16: *Qui scit, fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita, peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis.* Hunc locum Johan. Roffensis, Salmeron. et alii pro purgatorio producunt et ex eo colligunt, *pro mortuis, qui, dum viverent, peccarunt ad mortem et minime illos poenituit, non esse orandum; pro his vero, qui aliter peccarunt, et in vita, et post mortem orandum esse, cum Deus ad exaudiendum illas preces sit paratus.* Respondemus: 1. plerique interpretes hoc dictum accipiunt de peccato in Spiritum sanctum, de quo Matth. 12, v. 31. Marc. 3, v. 29. Luc. 12, v. 10. Hebr. 6, v. 4. cap. 10, v. 26. Dicitur id peccatum *ad mortem*, non solum quia est peccatum mortale, hominem, qui illud committit, ipso actu reum aeternae mortis constituens, quo sensu etiam quaevis delicta graviora contra conscientiam commissa dicuntur mortalia peccata; sed quia cum sit irremissibile, infallibiliter et immutabiliter secum trahit mortem et quia per illud homo aeternae mortis nexibus ita constrictus et illigatus tenetur,

ut ex illis liberari et explicari nequeat. Ex quo sequitur, quod pro tali peccato non sit orandum, quia spiritus precum non debet frustra pro illis
XVII. 328. ingemiscere, quos in Spiritum s. irremissibiliter peccare constat. 2. Quidam simpliciter accipiunt de *peccatis gravioribus* data opera ac destinata malitia sine rubore ac conscientiae morsu admissis. 1. Joh. 3, v. 9: *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius manet in eo, nec potest peccare, quia ex Deo natus est*, ubi non de peccatis infirmitatis agitur, quibus singuli homines, etiam renati, in hac vita sunt obnoxii 1. Reg. 8, v. 46. Matth. 6, v. 12. sed de peccatis gravioribus contra conscientiam commissis, quando quis in peccatis ex proaeresi commissis in dies volutatur, neque ea pro peccatis agnoscit, neque remissionem per poenitentiam quaerit, de quibus v. 8. dicitur: *Qui facit peccatum, est ex diabolo.* Ad mortem igitur peccare ac peccatum facere dicitur, qui impudenter, petulanter, audacter, nec Dei nec hominum conspectum reveritus peccata contra conscientiam committit eademque continuat et illis delectatur, qui est *servus peccati* Johan. 8, v. 34. Rom. 6, v. 20. qui *desideria patris sui* diaboli *facit* Johan. 8, v. 44. ac *in peccato suo moritur* v. 24. pro talibus peccatoribus non est orandum, id est preces publicae et privatae pro talibus peccatoribus fusae carebunt effectu. Sed quia testatur experientia, quosdam ex gravissimis peccatoribus Dei misericordia converti et quia Paulus praecipit, ut pro illis etiam, qui *diaboli laqueis captivi tenentur ad ipsius voluntatem*, per preces, institutiones et exhortationes soliciti simus 2. Tim. 2, v. 25. ideo quidam sententiam Johannis sic temperant, quod *incertum sit, an pro ejusmodi peccatoribus in summo gradu impiis fusae preces quippiam proficere possint.* Sic Jerm. 7, v. 16. dicit Dominus ad prophetam: *Ne ores pro populo isto, non enim exaudiam te*, et tamen v. 3. ad poenitentiam populum exhortatur. 3. Sed enim cum absolute et simpliciter apostolus neget, pro peccato illo *ad mortem*, de quo ibidem loquitur, esse orandum, ideo quidam ad doctrinam de excommunicatione hunc locum referre malunt, existimant enim, peccata in eo conferri ad communionem ecclesiae. Sunt quaedam vitia, quae etsi coram Deo peccata sint, propterea tamen non sunt abjiciendi a communione ecclesiae sic peccantes, quorum in censu sunt senum morositas, praeceps quorundam iracundia, eaque *non ad mortem* vocat Johannes, sunt itidem alia peccata, quae manifeste merentur excommunicationem, ut scortatio, cultus simulacrorum etc. ea autem vocat *ad mortem*, pro quibus non sit orandum, non quod nulla salus ejusmodi peccatoribus reliqua, si resipuerint, sed quod tales peccatores ferendi non sint in ecclesia, nec in communionem orationum publicam admittendi, donec resipiscant, cujus sententiae vestigia occurrunt apud Brentium hom. 105. in c. 12. Luc. et Heerbrandum in compend. de peccat. p. 283. 4. Quidquid sit de explicatione hujus loci, purgatorium vel preces pro defunctis ex purgatorio liberandis fundendas Pontificii nunquam poterunt ex hoc loco probare. Neque enim de peccatoribus vita functis, sed de viventibus, cum quibus in visibili ecclesia vivimus, quorum opera intuemur, apostolus loquitur, ut ipse verborum sonus clamat: v. 16 *ἐάν τις ἴδῃ, si quis viderit, fratrem suum peccare non ad mortem.* Vulgata reddidit *qui scit*, quod ad defunctos specie quadam sese accommodare posse existimarunt, sed Graecus textus manifeste contradicit. Patres communi suffragio de peccato in Spiritum sanctum commisso intelligunt, quod dicitur *ad mortem*, non quia usque ad mortem continuatur, quia hoc cum aliis peccatis ipsi commune est, quamvis finalis impoenitentia ipsi semper sit conjuncta, sed ob rationem superius expositam. 5. Demus vero, dicti apostolici sensum esse illum, pro illis, qui peccant ad mortem, id est qui fidem, quae per dilectionem operatur, usque ad mortem deserunt, Augustinus de corrupt et grat. c. 12. qui in finali impoenitentia ex hac vita discedunt, non est orandum; ex eo vero inferri statim nequit, ergo pro mortuis, qui non peccarunt ad mortem, est orandum, ut peccatum illis condonetur. Constat enim, argumenta a contrario sensu esse per se minimi ponderis ac in theologia plane nullius, si Scriptura ad- XVII. 329
versetur. Sic recte dico, qui in peccato scortationis moritur, non fit aeternae salutis particeps; sed ex eo inferri nequit, ergo reliqui omnes, qui non moriuntur in peccato scortationis, salutis aeternae participes redduntur.

2. Ex conciliis et ecclesiae consuetudine.

280. Secundum pro adstruendo purgatorio argumentum Bellarminus petit ex *conciliis et ecclesiae consuetudine*, ubi profert concilium Carthaginense III. cap. 29. concilium Carthaginense III. cap. 79. concilium Bracarense I. c. 34. et cap. 39. concilium Cabilonense cap. Visum est dist. 1. de consecr. concilium Aurelianense II. can. 14. concilium Wormatiense cap. 10. concilium VI. sub Symmacho, synodos Graecorum a Martino Bracarensi collectas can. 69. quibus conjungit concilium Lateranense, Florentinum et Tridentinum. Respondemus: *Cabilonense* ac *Wormatiense* concilia nihil habent de precibus, missis ac oblationibus pro defunctis, multo minus de purgatorio quidquam decernunt, sed Gratianus et eum secutus Bellarminus falso tale quid conciliis illis tribuunt. Concilia recentiora, praesertim *Lateranense* et *Tridentinum*, non moramur, in reliquis nihil aliud habetur, quam quod *preces pro defunctis* fuerint factae, quodque commemoratio defunctorum in ecclesiae precibus locum habuerit. Sed ex orationibus illis pro defunctis nondum probatur purgatorium, 1. quia ritus ecclesiae destitutus expresso Dei verbo non potest introducere novum aliquod dogma ad salutem omnibus creditu necessarium. Jam vero preces pro defunctis nullum in V. vel in N. T. habent fundamentum. Tertullianus de coron. milit. cap. 4. p. 449: *Harum* (pro defunctis oblationum) *et aliarum ejusmodi disciplinarum si legem expostules Scripturarum,*

*nullam invenies, traditio tibi praetendetur auctrix, consuetudo confirmatrix et fides observatrix.* Epiphanius haeres. 75. contra Aërian. ab *ecclesiae statuto et consuetudine, non a dispositione Dominica* preces illas deducit. Et quid multis? fatetur ipse Ludov. Nogarola de apost. instit. trad. 32. *orationes pro defunctis non esse ex Scriptura, sed ex traditione.* Unicus pro illis stabiliendis affertur locus ex 2. Macc. 12. sed librum illum esse extra canonem immotis argumentis demonstrari potest. Excipit Bellarminus ex Augustino de cura pro mort. cap. 1. *non parvam esse universae ecclesiae, quae in hac consuetudine claret, auctoritatem, ubi in precibus sacerdotis, quae Deo ad ejus altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio defunctorum.* Respondemus: quantacunque sane sit ecclesiasticae consuetudinis auctoritas, tamen non potest introducere novum fidei dogma, id quod pluribus in locis ipse Augustinus confirmat, quando Scripturae perfectionem asserit et in fidei dogmatibus ad eam unice provocat. 2. Quia orationes illae pro defunctis partim a κακοζηλίᾳ gentilium, partim ab effectu humano, ἐκ τῆς φυσικῆς στοργῆς, erga defunctos amicos et cognatos καὶ ἐκ τῶν πατρῴων, ex consuetudine patria, in qua, qui ex gentilismo ad Christum conversi fuerant, educati originem duxerunt sine ullo Scripturae vel praecepto, vel suffragio. Tempore Maccabaeorum sacrificia pro defunctis offerri coeperunt, sed patriarcharum, Moysis ac prophetarum tempore tale quid factum fuisse nuspiam legitur, unde ipse auctor libri Maccabaeorum ad veterem hujus facti originem nos remittit. 2. Macc. 4, v. 10. Jason *ad gentiles ritus* contribules suos transferre coepit. Vides mores gentilium in populum Judaicum receptos 2. Maccab. 12, v. 43. *sancta et salubris cogitatio.* Vides bonam intentionem et cogitationem extra praescriptum verbi susceptam. Tertullianus lib. de coron. milit. c. 3. oblationum pro defunctis annua die faciendarum meminit, in quem locum sic annotat Rhenanus: *Anniversariorum sacrorum cum eleemosynis hic origo, quae apud nos perpetua instituuntur.* Pessime id habent auctores indicis expurgatorii Belgici, ideo pro origo substitui jubent *antiquitas* p. 81. Index expurgatorius Hisp. p. 153. simpliciter ex Rhenano hoc *deleri* jubet. Idem Tertullianus lib. ejusd. cap. 4. ad bonam in-
XVII. 330. tentionem harum oblationum originem revocat. *An non,* inquit, *putas, omni fideli licere concipere et constituere duntaxat, quod Deo congruat, quod disciplinae conducat, quod saluti proficiat?* Excipit Bellarminus, *in privatis precibus hoc contingere posse, ut ex affectu naturali prorumpant, sed in publicis et solennibus ecclesiae precibus, quae maturo judicio sunt compositae et a concilio episcoporum approbatae, id non posse contingere.* Respondemus: quasi vero ipsimet episcopi vulgi consuetudini quandoque non indulserint ac illo velut torrente sese abripi passi fuerint. Augustinus epist. 119. *propter vitanda nonnullarum vel sanctarum vel turbulentarum personarum scandala se liberius quaedam non improbare* fatetur. tract. 7. in Joh.: *Cum caput tibi dolet, laudamus, si evangelium ad caput tibi posueris, non ad ligaturam cucurreris. Ad hoc enim perducta est infirmitas hominum et ita plangendi sunt homines, qui currunt ad ligaturas, ut gaudeamus, quando videmus, hominem in lectulo suo constitutum jactari febribus et doloribus, nec alicubi spem posuisse, nisi ut sibi evangelium ad caput poneret, non quia ad hoc factum est, sed quia praelatum est evangelium ligaturis.* lib. 22. de civ. Dei cap. 8: *Quidam terram sanctam Hierosolymis allatam in cubiculum suum suspenderat, ne quid mali etiam ipse pateretur, cum maligni spiritus domum infestarent; cumque domus ab illa infestatione purgata esset, cogitavit, quid de terra illa fieret, quam diutius in cubiculo suo reverentiae causa habere nolebat. Accersivit episcopos proximos, petivit, ut terra illa alicubi infoderetur atque ibi orationum locus fieret. Non restitimus, factum est.* Fatetur hoc ipse Melch. Canus lib. 11. loc. c. 6. *Negare* (inquit) *non possumus, viros alioquin gravissmos in divorum praesertim prodigiis describendis sparsos rumores et excepisse, et scriptis etiam ad posteros retulisse, qua in re aut nimium illi sibi, aut fidelium certe vulgo indulserunt.* 3. Quia etiam alia cum mortuis vel pro mortuis egerunt, quae imitationem non merentur. Bellarminus in hoc ipso loc.: *Videntur aliqui Graeci nimium voluisse juvare animas defunctorum, nam in concilio VI. can. 83. reprehenduntur illi, qui iis, qui sine communione sacra obierant, eucharistiam in os ingerere conabantur.* Idem colligitur ex concilio Carthaginensi III. can. 9. et ex concilio Hipponensi. Tertullianus l. 5. cont. Marcion. et in l. de resurr. Ambrosius in comm. 1. Cor. 15. referunt, errorem illum, quo *quidam suscipiebant baptismum nomine alicujus amici defuncti, qui sine baptismo obierat,* ipso apostolorum tempore receptum, licet ab apostolis minime probatum fuisse. Gregorius l. 2. dial. c. 24. refert, *Benedictum eucharistiam pectori cujusdam monachi demortui imposuisse.* Augustinus l. 8. de civ. Dei cap. 27: *Quicunque epulas suas eo* (ad sepulcra martyrum) *deferunt, quod quidem a Christianis melioribus non fit et in plerisque terrarum nulla talis est consuetudo, tamen quicunque id faciunt, quas cum apposuerint, orant et auferunt, ut vescantur vel ex eis etiam indigentibus largiantur, sanctificari ibi eas volunt per merita martyrum in nomine Domini martyrum.* In enchirid. c. 110. suspicatur, *orationes illas prodesse etiam defunctis impiis, ut fiat illic forte tolerabilior damnatio.* Chrysostomus hom. 3. ad Philipp. *ad poenas levamen eas prodesse* putat. Sed de animabus mortuorum quaedam senserunt ac crediderunt, quae sentienda et credenda non sunt, ut in quaestione de ψυχοπαννυχίᾳ videbimus. 4. Quia commemorationes etiam eorum defunctorum faciebant, quos ad aeternam requiem jamdum pervenisse statuebant, utique ergo non pro liberatione eorum ex purgatorio orabant, sed commemorationes ac

preces illae fuerunt tum *publica testimonia* de beata requie et salute pie defunctorum, tum *institutiones et exhortationes viventium* ad fidei constantiam et exempla virtutum in defunctis proposita imitanda, tum *consolationes lugentium*, tum *declarationes pii erga defunctos affectus*, quo sensu ac respectu etiam Apologia confessionis Augustanae defunctorum memoriam fieri concedit. Demonstravimus id
XVII. 331. superius §. 213. ex Dionysio Areopag. Tertullianus lib. de coron. milit. *oblationes pro natalitiis martyrum et aliis defunctis annuatim fieri solitas* commemorat. At martyribus in purgatorio nihil est negotii. Cyprianus ep. 33: *Tertullianus scribit et significat mihi dies, quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalitatem gloriosae mortis exitu transeunt et celebrantur hic a nobis oblationes et sacrificia ob commemorationes eorum.* Et postea: *Dies eorum annotate, ut commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare possimus.* Epist. 62. de martyribus loquens: *Sacrificia pro eis semper, ut meministis, offerimus, quoties martyrum passiones et dies anniversaria commemoratione celebramus.* Hae oblationes non instituebantur pro illis ex purgatorio liberandis, quia erant martyres, de quibus ibid. Cyprianus dicit, quod *palmas a Domino et coronas illustri passione promeruerint;* sed in memoriam eorum, quod per Christum omnia mundi adversa vicerint et coelestis gloriae coronam adepti fuerint, qua de re Beatus Rhenanus in annot. ad l. Tertulliani de martyrib. sic scribit: *Quod dicit, sacrificia pro martyribus offerri, sic accipiendum, ni fallor, ut pro eis idem valeat, quod pro commemoratione eorum, nam id prioris loci mox citati verba aperte continent, veluti passione sive commemoratione passionis occasionem oblationibus et sacrificiis dante. Quae res inde nata videtur, quod post symbolum decantatum et mutuam pacis consalutationem nomina pie defunctorum conscripta in scheda, quam in altari ponebant, recitabantur non sine laude et praeconio virtutum, quod in viventibus eluxerant. Gratulatoriae ergo preces erant potius, quibus tum Deo gratias agebant, qui martyribus eam gratiam et tantum dignationis contulisset, tum simile donum coelitus sibi dari concordibus votis flagitabant, ceu adhuc canit ecclesia, Gaudeamus in Domino.* Origenes in Job. l. 3: *Priores homines* (gentiles) *diem nativitatis celebrabant, unam vitam diligentes et aliam post hanc non sperantes; nunc vero nos non nativitatis diem celebramus, cum sit dolorum atque tentationum introitus, sed mortis diem celebramus, quia non moriuntur hi, qui mori videntur. Propterea et memorias sanctorum facimus et parentum nostrorum vel amicorum in fide morientium devote memoriam agimus, tam illorum refrigerio gaudentes, quam etiam nobis piam consummationem in fide postulantes.* Gregorius Nazianzenus in oratione in laudem Caesarii pro fratre defuncto sub finem orationis sic orat: *O Domine omnium et creator et praecipue hujus figmenti, o Deus tuorum hominum et pater ac moderator, o vitae necisque ejus potestatem habens, o nostrarum animarum arbiter ac benefactor* etc. *suscipe quaeso nunc quidem Caesarium.* Ibidem tamen diserte addit: *Sapientum verbis adducor, ut credam, generosam omnem Deoque caram animam, posteaquam corporis vinculis soluta hinc excesserit, protinus bonum, quod eam manet, persentientem et contemplantem mirabili quadam voluptate affici et exsultare* etc. In liturgia Chrysostomi sacerdos sic loquitur: *ἔτι προσφέρομέν σοι τὴν λογικὴν ταύτην λατρείαν ὑπὲρ τῶν ἐν πίστει ἀναπαυομένων προπατέρων, πατέρων, πατριαρχῶν, προφητῶν, ἀποστόλων, κηρύκων, εὐαγγελιστῶν, μαρτύρων.* At pro illis non potuit rogare, ut peccata ipsis remitterentur et e purgatorio liberarentur. Ergo commemorationes illae defunctorum non stabiliunt purgatorium. Homil. 70. ad pop. Antioch.: *Quid sibi volunt hymni? nonne glorificamus Deum et illi gratias agimus, quia jam defunctum coronavit et a laboribus absolutum penes se retinet?* homil. 32. in Matthaeum: *Cur sacerdotes, ut pro eo* (defuncto amico vel cognato) *velint orare, obsecras? Non ignoro, te responsurum, ut defunctus requiem adipiscatur, ut propitium judicem inveniat. His ergo de rebus flendum atque ululandum arbitraris? nonne vides, quam maxime tibi ipsi repugnas? Nam cum illum abiisse in prata florentia putes, ingentes tamen adversus ipsum suscitas tempestatis fluctus? sed heredem non habeo, inquies, nec quem rerum* XVII. 332.
*mearum constituam successorem. Non habes heredem ipsum, sed habet ipsum pro te Deus, non coheres factus fratrum suorum, sed factus est Christi coheres.* hom. 21. in Act.: *Martyrum memores sumus in sacrificii oblatione in fidem, quod non adhuc mortuus est. Dominus, id quod quia devicit et occidit mortem, et hoc signum est, illam esse mortuam.* Confer. hom. 41. in 1. Cor. 15. Epiphanius haeres. 75. ad quaestionem Aërii: *Qua ratione post mortem nominatis nomina mortuorum* etc. respondet hoc modo: *Quid eo magis utile, quid commodius et admiratione dignum, quod credunt praesentes, quod hi, qui decesserunt, vivunt καὶ ἐν ἀνυπαρξίᾳ οὐκ εἴσιν, sed sunt et vivunt apud Dominum.* Item: *Augustissimum illud praeconium idcirco fit, quod spes est orantibus pro fratribus, velut qui sunt ἐν ἀποδημίᾳ,* apud Dominum scilicet, 2. Cor. 5, v. 8. *Denique ut inter Christum et sanctos discrimen constituatur, cum is vitam habeat a se ipso, hi vero non nisi ab ipso et per ipsum.* Cyrillus mystag. 5. significat, *pro sanctis patribus et episcopis et omnibus defunctis oblationes et orationes fieri solitas.* Atqui illos omnes in purgatorium descendisse nemo dixerit. Ambrosius in orat. de obitu Valentiniani: *Beati ambo* (Valentinianum et Gratianum intelligit), *si quid meae orationes valebunt, nulla dies vos silentio praeteribit, nulla inhonoratos vos mea transibit oratio, nulla nox non donatos aliqua precum mearum contextione transcurret. Omnibus vos oblationibus frequentabo.* In orat. de Theodosii obitu: *Da requiem Domine*

*perfectam Theodosio, requiem illam, quam praeparasti sanctis tuis. Illuc convertatur anima ejus, unde descendit, ubi mortis aculeum sentire non possit.* Et postea: *Dilexi virum et ideo prosequar eum usque ad regionem vivorum, nec deseram, donec fletu et precibus inducam virum, quo sua merita vocant, in montem Domini sanctum, ubi perennis vita, ubi corruptela nulla contagio, nullus gemitus, nullus dolor, nulla consortia mortuorum, vera regio viventium.* Ergone (inquies) Ambrosius precibus suis e purgatorio eos liberare et in coelum transferre cogitat? imo vero, inquit Ambrosius de obitu Valentiniani, *vita jam fruitur aeterna* (Valentinianus), *vita sanctorum, non hic in terris est, sed in coelo (justis enim vivere Christus est et mori lucrum, quia et dissolvi et cum Christo esse multo melius); dolendum est, quod nobis cito raptus sit, consolandum, quod ad meliora transierit. Prospicis nos* (ait) *sancta anima de loco superiore tanquam inferiora respiciens, exiisti de tenebris illius seculi et ut luna resplendes, ut sol refulges.* (Ergo non ex tenebricoso purgatorii carcere intra terrae viscera conclusus prospectat.) *Nec nos quidem dubitemus de meritis Valentiniani, sed jam credamus vel testimoniis angelorum, quod detersa labe peccati ablutus adscendit, quem sua fides lavit, ubi cum fratre conjunctus aeterna fruitur voluptate.* in orat. de obit. Theodosii: *Et ille quidem* (Theodosius) *abiit sibi regnumque non deposuit, sed mutavit, in tabernacula Christi jure pietatis adscitus, in illam Jerusalem supernam, ubi nunc positus dicit: Sicut audivimus, ita et videmus in civitate Dei nostri. Ipse ad Christi perveniet requiem, qui humilitatem Christi fuerat secutus* etc. *absolutus dubio certamine fruitur nunc luce perpetua, tranquillitate diuturna, manet in lumine et sanctorum coetibus gloriatur, nunc se regnare cognoscit, quando in regno Domini Jesu est et considerat regnum ejus* etc. lib. 2. epist. 8 ad Faustin. de obitu sororis scribens ait: *Eam non tam deplorandam, quam prosequendam orationibus et animam ejus non tam lacrymis esse moestificandam, quam oblationibus Deo commendandam,* addit etiam, *eam meliorem vitam exigere.* In liturgia Ambrosii: *Memento Domine famulorum famularumque tuarum, qui nos praecesserunt cum signo fidei et dormiunt in somno pacis.* Paulinus in epist. ad Pammach. laudat ipsum, *quod remediis salutaribus uxorem defunctam prosecutus esset,* ibidem tamen
XVII. 333. dicit, *defunctam ad Christum evocatam esse et placide dormire.* Augustinus l. 9. confess. cap. 13: *Nunc pro peccatis matris meae deprecor te, exaudi me per medicinam vulnerum nostrorum, quae pependit in ligno et sedens ad dextram tuam te interpellat pro nobis* etc. *Dimitte Domine, dimitte obsecro, ne intres cum ea in judicium. Sic perexsultet misericordia judicium.* Mox vero sese reprimens et quasi corrigens subjungit, *Et credo,* inquit, *jam feceris, quod te rogo, sed voluntaria oris mei approba Domine.* lib. 20. de civit. Dei cap. 9: *Piorum animae mortuorum non separantur ab ecclesia, quae etiam nunc est regnum Christi, alioqui nec ad altare Dei fieret eorum memoria in communione corporis Christi. Cur enim fiunt ista, nisi quia fideles etiam defuncti, membra ejus sunt? Quamvis ergo cum suis corporibus nondum sint, jam tamen eorum animae regnant cum illo.* Quandocunque ergo requiem defunctis pii veteres precantur, gratulantur illis de receptione animarum in coelestem beatitudinem, testificantur, se illos etiam defunctos adhuc memoria et dilectione complecti atque ad eorum in coelo consortium adspirare, rogant Deum, ut continuet animabus defunctorum illam lucem et felicitatem, in quam sunt recepti et corpora in terrae pulvere quiescentia ad vitam resuscitet. Sic Ambrosius in fine orat. de obitu Valentiniani: *Te quaeso summe Deus, ut carissimos juvenes* (Valentinianum et Gratianum imperatores) *matura resurrectione suscites et resuscites et immaturum hunc vitae istius cursum matura resurrectione compenses.* Ipse auctor libri Maccab. preces illas ad spem resurrectionis accommodat 2. Maccab. 12, v. 44: *Nisi eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur et vanum orare pro mortuis.* Excipit Bellarminus: *Si ecclesia defunctis precaretur id, quod putat jam eos consecutos, tum pro omnibus aequaliter oraret, etiam pro martyribus, quod tamen negat Augustinus tract. 84. in Joh.* Respondemus: in primitiva ecclesia etiam martyrum commemoratio facta est, ut ex Cypriano ostendimus, non ut illi pro viventibus orarent, vel ut ex purgatorio liberarentur, sed ut illorum exemplo viventes ad fidei constantiam excitarentur et ut de beata certaminis consummatione viventes ipsis gratularentur. De Ambrosio dicit, *quod speraverit, Theodosium jam esse in coelo, unde ipsi gratulabatur, quia vero non certo sciebat, an ita esset, pro illo orabat.* Respondemus: hoc disertis verbis Ambrosii repugnat, ut cuivis oppido conspicuum. 5. Quia ipsimet Pontificii agnoscunt, ex orationibus pro defunctis non posse certo et apodictice purgatorium probari. Innocentius III. c. cum Marthae §. ult. ext. de celebrat. miss.: *Nonnulli antiquiores crediderunt, beatorum gloriam semper usque ad extremum Dei judicium augeri posse, indeque colligebant, licere ad Deum preces fundere pro gloriae illius sanctorum incremento.* Cassander in consult. de iterat. miss. p. 219. fatetur, *veteribus nec de statu animarum, quibus suffragia prodessent, nec de ratione, qua prodessent, satis constitisse. Hoc tamen officium ceu testimonium caritatis erga defunctos et professionem fidei de immortalitate animarum et futura resurrectione Deo gratam et ecclesiae utilem ipsos judicasse.* Sed quia Cassander in exiguo vel potius nullo apud Jesuitas est numero, summis licet imperatoribus Ferdinando et Maximiliano magnus fuerit, cum Bellarminus lib. 3. de laicis cap. 19. ex professo contra ipsum disputet, ideo produco Salmeronium unum ex primis Jesuitarum patribus. Is tom. 14. disputat. 25. p. 220. §. Secunda etc. inter

cetera sic scribit: *Minus solida consequentia est: Pro aliquo oratur, ergo est in purgatorio, quia saepe precationes fiunt pro eo, qui jam regnat in coelis, quandoque pro eo, qui punitur in gehenna, quandoquidem animarum status et conditio incerta nobis relinquitur.* Idem seq. disp. 26. explicans orationem, quae in sacrificio missae recitatur: *Domine Jesu Christe rex gloriae, libera animas omnium fidelium defunctorum de poenis inferni et de profundo lacu, libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum* etc.
l. 334. sic scribit pag. 235: *Audivi, virum quendam nostri ordinis atque instituti religione atque doctrina insignem novam quandam rationem excogitasse, qua haec plane elucidari possent. Dicebat enim, his verbis ecclesiam certam quandam precandi rationem complecti, qua videlicet nihil novi a Deo petamus, sed ea tantum, quae jam actu facit Deus et quae semper faciet et quae aliter efficere non potest, etiamsi maxime velit, tamen ut illud faciat, serio rogamus* etc. *Sic oramus in precatione Dominica: Sanctificetur nomen tuum, et sit nomen Domini benedictum ex hoc nunc et usque in seculum, quod tamen nunquam non sanctificatur et in aeternum laudatur* etc. *Interdum orare solemus, ut sanitatem, pacem, divitias, honorem gratiamque largiri velit, quae tamen nobis cumulate largitus est et jam possidemus.* Huic similem dicit esse gratulatoriam illam ecclesiae precationem, qua petimus, *ut spiritus defunctorum liberi sint ab ore leonis rugientis, ab absorptione tartari, a praecipitio in obscurum locum atque ab horrendo casu in profundum, cum tamen sciamus, ab illis omnibus eos per Dei gratiam esse liberos.* Atqui si Jesuitae ad illam ecclesiae precationem sic respondere licuit, utique etiam nobis eadem responsione uti licebit, quod preces veterum pro defunctis sint εὐχαριστικαὶ ac gratulatoriae, quibus pie defunctis de eo, quod jam Dei benignitatem acceperunt, gratulantur, non autem quandam ex purgatorii flammis liberationem illis impetrare velint. Bellarminus lib. 2. de purgat. c. 5. §. Verum etc. illam ecclesiae orationem explicat de liberatione a rigore judicii extremi. *Etsi*, inquit, *animae purgatorii acceperint primam sententiam in judicio particulari eaque sententia liberae sint a gehenna, tamen adhuc superest judicium generale, in quo secundam sententiam accepturae sunt. Quocirca ecclesia orans, ne in judicio extremo animae illae cadant in obscurum, neve absorbeantur a tartaro, non orat pro re, quam accipit, sed quam acceptura est.* Atqui eodem modo ad orationes veterum pro defunctis respondere possumus, quod videlicet beatam corporum resurrectionem et liberationem a rigore extremi judicii, non liberationem ex purgatorio respiciant. Idem Bellarminus lib. 1. de sanct. beat. cap. 2. adducit locum Innocentii III. c. Apostolicam ext. de presbytero non baptizato, ut probet, fideles ante diem judicii Dei visione frui. Verba Innocentii sic habent: *Inquisitioni tuae taliter respondemus, presbyterum, quem sine unda baptismatis extremum diem clausisse significasti, quia in sanctae matris ecclesiae fide et Christi nominis confessione perseveraverit, ab originali peccato solutum et coelestis patriae gaudium esse adeptum asserimus incunctanter.* Atqui idem Innocentius pro eodem presbytero *preces et oblationes* fieri jubet, statim enim addit: *Sopitis igitur quaestionibus patrum sententias teneas et in ecclesia tua juges preces hostiasque Deo offerri jubeas pro presbytero memorato.* Quodsi ergo Bellarminus Innocentii auctoritate stare velit, agnoscere cogitur, ex precibus pro defunctis non posse probari purgatorium.

281. Tertium argumentum Bellarminus petit *ex patribus Graecis et Latinis*, ubi ad stabiliendas preces pro defunctis producit ex Graecis Clementem Rom. lib. 8. constit. cap. 48. Dionysium de eccles. hierarch. part. 3. c. 7. Athanasium q. 34. ad Antioch. Basilium liturg. Nazianzenum in orat. in Caesarium, Ephremum in testam. Cyrillum catech. 5. mystag. Eusebium lib. 4. de vit. Const. Epiphanium haer. 75. Chrysostomum homil. 41. in 1. Corinth. hom. 69. ad pop. hom. 32. in Matth. et 84. in Joh. hom. 3. in epist. Philipp. et 21. in Acta apost. Theodoretum lib. 5. hist. cap. 26. Theophylactum in cap. 12. Luc. Damascenum lib. de iis qui in fide migrarunt; ex Latinis Tertullianum de coron. milit. et lib. de monogam. de exhortat. cast. Cyprianum lib. 1. epist. 9. Ambrosium lib. 2. epist. 8. orat. de obit. Theodos. Valentiniani et Satyri, Hieronymum in epist. ad Pammach. Paulinum in ep. ad Pammach. Delphin. et Amandum, Augustinum de cura pro mortuis XVII. 335. c. 2. et 4. in ench. c. 110. l. 9. confess. c. 13. serm. de verb. apost. 17. et 34. lib. 21. de civ. Dei cap. 24. tract. 84. in Joh. q. 2. ad Dulcit. de haeres. cap. 53. Gregorium l. 4. dialog. cap. 55. et 50. Isidorum lib. 1. de offic. divin. cap. 18. Victorem lib. 2. de persecut. Vandal. Bernhardum serm. 66. in Cant. et Petrum Cluniacensem lib. contra Petrobrusianos. Illis postea subjungit dicta veterum, in quibus apertissime purgatorium asserant, ubi producit Nyssenum in orat. pro mort. Ambrosium in Psalm. 36. Augustinum lib. 21. de civit. Dei c. 16. et 24. hom. 16. ex lib. 50. homiliar. lib. 2. de Genes. cont. Manich. cap. 20. et in Psalm. 37. Hieronymum in fine comment. in Esa. Gregorium lib. 4. dialog. cap. 39. et in Psalm. 3. poenitent. Origenem hom. 6. in Exod. Nazianzenum orat. in sanct. lumin. Basilium in cap. 9. Esa. Eusebium Emissen. hom. 3. de Epiphan. Theodoretum in scholiis 1. Corinth. 3. Oecumenium ibid. Tertullianum lib. de anim. cap. 17. Cyprianum l. 4. epist. 2. Hieronymum lib. 1. cont. Pelag. Paulinum epist. 1. ad Amand. Boëtium lib. 4. pros. 4. Isidorum lib. 1. de div. offic. cap. 18. Bedam in Psalm. 37. Petrum Damianum serm. 2. de Andrea. Anshelmum 1. Cor. 3. Bernhardum serm. de obit. Humb. Lactantium lib. 7. c. 21. Hilarium in Psalm. 118. Respondemus: de dictis illis patrum accurate et prolixe egit Chemnicius in exam. concil. Trident. part. 3.

3. Ex Patribus.

in cap. de purgat. ad quem lectorem remittimus, interim breviter monemus, 1. patrum opiniones extra Scripturam non posse condere fidei articulum; 2. multa in scriptis veterum occurrere, quae purgatorium prorsus evertunt, quorum quaedam adduximus superius; 3. in priore dictorum catalogo nihil aliud haberi, quam quod in ecclesiae precibus et eucharistiae celebratione defunctorum facta fuerit commemoratio, ex qua non posse accendi purgatorium, jam ante ostendimus; 4. Bellarminum nothis, adulterinis et supposititiis scriptis tanquam genuinis et probatis uti. Pertinent ad hanc classem *constitutiones Clementis* (de quibus ipse Bellarminus in lib. de script. eccles. p. 59. dicit, *se nihil certi haberi, ac plurimos in eis errores* annotat; lib. 2. de Rom. pontif. c. 2. §. 26. libros *recognitionum Clementis* vocat apocryphos, quod de constitutionum libris etiam sentiendum esse in lib. de eccles. script. manifeste asserit; Baronius ad ann. 102. eosdem inter apocrypha rejicit, quod judicium verissimum esse probat veterum testificatio, contentorum consideratio et recens illarum constitutionum editio); *Dionysii Areopagitae hierarch. eccles.* (cujus libros ut supposititios repudiant Cajetanus et Erasmus in c. 17. stetor. Sixtus Senensis l. 6. annot. 219. et suo loco in patrologia illud late demonstrabimus ex styli ratione, *ex praetermissa eorum a veteribus mentione, ex temporis supputatione, ex contentorum accuratiore consideratione et gravisimorum auctorum testificatione*), *Athanasii quaestiones ad Antiochum* (quas Athanasii non esse agnoscunt Sixtus Senens. in praefat. biblioth. Cornelius a Lapid. in c. 4. Genes. quinimo ipse Bellarminus lib. de script. ecclesiast. aliquot argumentis id ipsum probat), *liturgia Basilii* (in qua habetur τρισάγιον centum plus minus a Proclo archiepiscopo Constant. receptum, fit mentio thurificationis, qui ritus Basilii tempore incognitus, dicitur ἀντίδωρον panem benedictum officio peracto iis, qui non communicaverunt, distribuendum, quod Graecae ecclesiae illo seculo ignotum etc.), *Eusebii Emisseni homil. de Epiphan.* (eas esse supposititias docent Sixtus Senens. l. 4. tit. Eusebius et ipse Baronius ad ann. 441. Bellarminus de script. eccles. p. 217. non putat esse improbabile, quod homiliae illae, quae Eusebio Emisseno tribuuntur, sint Fausti abbatis Lirinensis), *Gregorii Nysseni oratio de dormientibus* (quae continet quaedam Origenica ab ipso Nysseno orat. 12. in Cant. repudiata), *Damasceni oratio de his, qui in fide dormierunt* (de qua ipse Bellarminus l. 2. purg. c. 8. §. prima etc. sic scribit: *Librum illum*
XVII. 336. *non esse Damasceni, facile probari potest. Nam in eo libro auctor non solum dicit, Trajanum et Falconillam ab inferno damnatorum ad regnum coelorum transivisse, sed etiam multos alios, qui in infernum descenderaut, quia fide divina caruerint, a Christo conversos et salvatos, quando ad inferos descendit, quod et per se erroneum est et contrarium verbis* Damasceni lib. 2. de fide cap. 4.); de *Gregorii dialogis* itidem quidam dubitant, an sint Gregorii Magni, continent enim fabulas et nugas tanto viro indignas, articulos fidei ex revelationibus confirmant, scripti sunt stylo barbaro et continent ea, quae adversantur genuinis Gregorii scriptis. Platina in Sabiniano et Johan. Diaconus in vita Gregorii memorant, quod *Sabinianus, qui Gregorio proxime successit, libros ejus, quantum potuit, combusserit*, facile igitur fieri potuit, ut hi in eorum locum substituerentur. Ejusdem farinae vel potius furfuris sunt alia quaedam scripta, quibus Feuchtius suffraganeus Bambergensis et alii Pontificii in causa purgatorii utuntur, utpote *epistola Cyrilli ad Augustinum de miraculis Hieronymi, Augustini liber de vera et falsa poenitentia, sermo ejusdem de commemoratione omnium defunctorum.* 5. Bellarminum eorum auctoritatem nobis opponere, quos ipse parvi aestimat, imo repudiat. Producit contra nos librum *Tertulliani de corona militis*, at ipse in lib. de script. eccles. dicit, *quod Tertullianus hunc librum scripserit jam factus Montanista.* Ipsum auctorem hisce elogiis ornat, *quod in multis et magnis rebus erraverit, quod more suo et haereticorum non bona fide recitet sententiam Catholicorum, quod calumnias et mendacia admisceat, ut eam odiose proponat, quod sit Catholicorum hostis et haereticus, quod sit ab ecclesia cum haeresiarcha Montano damnatus.* Confer. lib. 1. de Christo cap. 6. lib. 4. de Rom. pontif. cap. 8. de sanct. beatitud. cap. 1. de sacr. confirm. cap. 1. lib. 5. de grat. et lib. arbitr. cap. 26. l. 2. de bon. oper. c. 9. et c. 13. etc. Producit contra eos *Origenem*, quem lib. 4. de not. eccles. cap. 21. *in catalogum haereticorum* ponit; lib. 3. de amiss. grat. cap. 3. *eum more suo ad allegoriam omnia, quae absurda illi videbantur, transferre* scribit; l. 2. de purgat. c. 1. *errorem aliquem de purgatorio sine ulla excusatione aut commoda explicatione tenuisse* asserit; lib. 1. de Christo c. 10. *apertissimas blasphemias contra Filium et Spiritum s. in scriptis ejus exstare* docet; lib. 2. de purgat. c. 8. §. Septimum etc., ex libro, qui vocatur *pratum spirituale*, a septima synodo citato, adducit revelationem, *in qua visus est Origenes in gehenna ignis cum Ario et Nestorio*, et addit, synodum V. cap. 11. *anathema dicere Origeni sicut Ario, Nestorio et ceteris haereticis.* 6. Patrum de igne purgatorio sententiam a Pontificia plurimum discrepare. Bellarminus l. 2. de purgat. cap. 1: *Quidam putarunt, purgari debere post hanc vitam tam bonos quam malos excepto uno Christo. Haec sententia tribui solet Alcuino, sed videtur esse non ejus solum, sed multorum patrum, puta Origenis* hom. 14. in Luc. et in Psalm. 36. *Ambrosii* in Psalm. 36. et in Psalm. 118. serm. 20. *Hilarii* in Psalm. 118. *Lactantii* l. 7. div. instit. c. 21. *Hieronymi* in c. 7. *Ruperti* lib. 3. in Gen. cap. 32. *Haec sententia* (inquit Bellarminus) *accepta ut sonat, manifestum errorem continet.* Conatur quidem illorum verba ad bonum sensum reducere, ut per *ignem* non intelligant ignem purgatorium, sed ignem divini judicii. At repugnat manifestus verborum

sonus, et Bellarminus fugiens carbonariam in in calcariam. Si enim patres illi non de igne purgatorio, sed *de igne divini judicii* loquuntur, frustra in ipsorum dictis purgatorii Pontificii favillae quaeruntur. Aliter igitur respondet Bellarminus, quod illi patres per verum ignem purgatorii sanctos transire statuant *sine ulla laesione.* At hoc ipsum etiam repugnat Pontificio purgatorio, quippe quod non est sanctis et justis, sed mediocriter bonis duntaxat paratum. Percurramus breviter quorundam patrum dicta. *Gregorius Nyssenus*, quem primo loco Bellarminus producit, in orat. pro dorm. *igne illo omnia*
XVII. 337. *scelera et omnes malos purgari* credidit. *Hilarius* in Ps. 118. et *Lactantius* lib. 7. instit. c. 21. de tali igne loquuntur, *quem etiam justi, etiam sancta Deipara sint sensuri. Ambrosius* in Ps. 36. expresse dicit: *Omnes igne examinabuntur, igne purgabuntur filii Levi, igne Ezechiel, igne Daniel.* serm. 20. Ps. 118: *Omnes oportet transire per flammas, sive ille Johannes Evangelista sit, sive Petrus.* At Pontificii docent, purgatorium non esse omnibus metuendum. *Hieronymus* in c. 66. Esai. lignum, foenum et stipulam dicit fore pabulum ignis sempiterni; at Pontificii docent, ea fore pabulum ignis temporalis in die judicii finiendi. *Origenes*, eos qui *hanc vitam in flagitiis et facinoribus et sacrilegiis et impietatibus, quamvis maximis finierunt, purgatos ac liberatos regno Dei lucique restitui debere* docuit teste Augustino de haeres. c. 43. at hoc purgatorium Pontificiis non probatur. hom. 6. in Exod. *veniendum esse omnibus ad ignem et ad conflatorium* asserit; sed nec hoc Pontificiis placet. Ceterum ut purgatorius ille ignis, quem Origenes, Hilarius, Lactantius et alii ex veteribus statuunt, a Pontificio purgatorio plurimum discrepat; ita quoque alia ex veteribus pro sua sententia adducunt, quae nihil minus quam Pontificium purgatorium confirmant. Tantum non triumphant in illo Cypriani ep. 59: *Aliud est ad veniam stare, aliud ad gloriam pervenire, aliud missum in carcerem non exire inde, donec solvat novissimum quadrantem, aliud statim fidei et virtutis accipere mercedem, aliud pro peccatis longo dolore cruciatuum emendari et purgari diu igne, aliud peccata omnia passione purgasse;* at si scopum et contextum illius epistolae respiciamus, res omnis erit in aprico. Tractat Cyprianus in tota illa epistola *de satisfactionibus ecclesiasticis sive canonicis*, quae in *hac vita* peraguntur, non autem post mortem absolvuntur. Obvertebant Cypriano, si disciplinae rigorem laxaveris, si pacem ecclesiae lapsis poenitentibus obtuleris, nullos amplius habebimus confessores, nullos martyres etc. imo vero inquit Cyprianus: *Lapsi ad veniam stant ac velut in carcerem quendam missi pro peccatis longo dolore cruciatuum emendantur ac diuturno quasi igne purgantur, antequam pacem ecclesiae consequantur. Ac martyres et confessores protinus ad gloriam perveniunt, fidei ac virtutis suae mercedem statim accipiunt* etc. Quod autem satisfactiones illae in hac duntaxat vita locum habeant, disertis verbis ibidem Cyprianus adstruit. *Apud inferos* (inquit) *confessio non est, nec exomologesis fieri potest, qui ex toto corde poenituerint et rogaverint, in ecclesiam debent interius suscipi.* Adde quod satisfactiones illas canonicas moribundis remittebant, non facturi utique, si eas in purgatorio absolvi posse judicassent. *Si qui fuerint*, ait idem epist. 48. *periculo praeventi et in exitu constituti, vigilantia vestra non desit implorantibus divinam gratiam; misericordia Domini non denegetur, nimirum ut* juxta Dionysium Alexandrinum apud Eusebium l. 6. hist. cap. 36. *cum pace dimissi et peccato eorum deleto bona spe confirmati et εὐέλπιδες ex hac vita discedant. Gregorius Nazianzenus* orat. in sanct. lumin. *quosdam in altero seculo igne baptizandos* dicit, sed ut recte monet interpres Nicetas, per ignis baptismum intelligit *examen censuramque extremi judicii.* Augustinus in ench. c. 110. *etiam malis orationes prodesse* censuit, *ut tolerabilior illis fiat damnatio.* Idem videtur Chrysostomus hom. 3. ad Philipp.; at Pontificii statuunt, non damnatis, sed in purgatorio aestuantibus eas prodesse. Theodoretus in comm. 1. Cor. 3. *per ligna, foenum, stipulam* dicit ea significari, *quae sunt virtuti contraria*, quibus paratus est ignis gehennae, quod Pontificiae explicationi istius loci vel maxime adversatur. Theophylactus in c. 12. Luc. *oblationes pro defunctis etiam illis conducere* asserit, *qui in gravibus delictis mortui sunt;* sed Pontificii statuunt, illis duntaxat oblationes conducere, qui in levibus ac venialibus delictis moriuntur. Damascenus in orat. de dorm. *etiam ex inferno damnatos per quorundam preces liberatos fuisse* memorat, id quod hypothesi Pontificiorum repugnat. Plerique XVII. 338.
ergo testes paulo antiquiores, quos Bellarminus causae suae patronos adsciscit, nequaquam illud sentiunt ac deponunt, quod eos sentire opinatur, sed de igne purgatorio diversam, quandoque etiam adversam a Pontificiorum hypothesibus sententiam proferunt. 7. Augustinum, qui primus inter Latinos de purgatorio igne disputare coepit, de hac quaestione esse dubium atque incertum. l. de fide et operibus cap. 16: *Sive in hac tantum vita homines ista patiuntur, sive etiam post hanc vitam talia judicia subsequuntur, non abhorret, quantum arbitror, a ratione veritatis iste intellectus hujus sententiae*, ut scilicet per ignem 1. Cor. 3. doloris ignis intelligatur. Idem repetit in octo quaest ad Dulcit. q. 1. et diserte addit q. 3: *Iis, quae descripsimus, ita nostra vel aliorum exerceatur vel erudiatur infirmitas, ut tamen in eis nulla velut canonica constituatur auctoritas.* In enchir. c. 69: *Tale aliquid etiam post hanc vitam fieri incredibile non est et utrum ita sit, quaeri potest* (quod scilicet etiam post hanc vitam purgatorius ignis foenum et stipulas urat). lib. 20. de civ. Dei c. 25. *ex his quae dicta sunt*, (ex cap. 3. Malach.) *videtur evidentius apparere, in illo judicio quasdam quorundam poenas purgatorias futuras.* Et postea: *Nisi forte sic eos dicendum est emundari a sordibus et*

*eliquari quodammodo, cum ab eis mali per poenale judicium separantur, ut illorum segregatio atque damnatio purgatio sit istorum, quia sine talium de cetero commixtione victuri sunt* etc. *Verum ista quaestio de purgatoriis poenis ut diligentius pertractetur, in tempus aliud differenda est.* l. 21. de de civit. Dei cap. 26: *Post istius sane corporis mortem donec ad illum veniatur, qui post resurrectionem corporum futurus est damnationis et remunerationis ultimus dies, si hoc temporis intervallo spiritus defunctorum ejusmodi dicuntur ignem perpeti, quem non sentiant illi, qui non habuerunt tales mores et amores in hujus corporis vita, ut eorum ligna et foenum et stipula consumatur, alii vero sentiant, qui ejusmodi secum aedificia portaverunt, sive ibi tantum, sive hic et ibi, sive ideo hic, ut non ibi, secularia, quamvis a damnatione venialia concremantem ignem transitoriae tribulationis inveniant, non redarguo, quia forsitan verum est. Potest quippe ad istam tribulationem pertinere etiam ipsa mors carnis* etc. *possunt et persecutiones ecclesiae, quibus martyres coronati sunt, et quas patiuntur quique Christiani* etc. *erit etiam in fine seculi tribulatio tempore Antichristi, qualis nunquam antea fuit.* (Quod per illam loquendi formulam *non redarguo, quia forsan verum est,* noluerit stabilire purgatorium, patet ex simili formula cap. 24. ubi de mitigatione poenarum infernalium sic loquitur: *Quod quidem non ideo confirmo, quia non resisto).* libr. ejusd. cap. 27: *Quis sit iste modus et quae sint ipsa peccata, quae ita impediunt perventionem ad regnum Dei, ut tamen sanctorum amicorum meritis impetrent indulgentiam, difficillimum est invenire, periculosissimum definire, ego certe usque ad hoc etiam tempus, cum inde satagerem, ad eorum indaginem pervenire non potui.* At Pontificii tanta fidei certitudine purgatorium credendum asserunt, *ut aeterno igne cum cruciandum asserant, qui istud negaverit,* quod ab Augustini dubitatione plurimum discrepat. Excipit Bellarminus, *Augustinum dubitare non de poena animarum, sed de modo et qualitate, an ignis purgatorius sit idem substantia cum igne gehennae, et an post hanc vitam urantur animae igne illo doloris de amissione temporalium, quo hic uri solent, cum rebus valde dilectis carere coguntur.* Respondemus: imo vero Augustini verba diserte testantur, ipsum non solum de modo et qualitate, sed etiam de ipsis poenis post hanc vitam dubium fuisse. *Tale*, inquit, *aliquid etiam post hanc vitam fieri incredibile non est et utrum ita sit, quaeri potest.* Idem: *Si spiritus defunctorum ejusmodi ignem perpeti dicuntur, non redarguo, quoniam forsan verum est.* Dubitat Augustinus, quaenam sint illa peccata quae perventionem ad regnum Dei impediant,
XVII. 339. antequam purgentur, sed Pontificii audacter definiunt, quae et qualia illa sint, quibus suffragiis expiari quove igne ablui possint.

1. Ex discrimine peccatorum. 282. Quartum argumentum producit Bellarminus ex *rationibus*, ad quas in genere respondemus: Articuli fidei probandi sunt ex tabulis fidei et ex proprio theologiae principio, ex sacris scilicet literis, non ex rationis nostrae placitis. Quia vero quidam ex illis rationibus videntur niti principiis fidei, idéo breviter singulas ponderabimus. Prima ratio ducta est *ex discrimine peccatorum. Quaedam peccata sunt venialia solaque temporali poena digna. At fieri potest, ut cum solis talibus homo decedat ex hac vita, igitur necesse est, in alia vita posse purgari.* Respondemus: 1. omnia omnino peccata esse *sua natura mortalia* ac aeterna poena digna, in tract. de pecc. actual. §. 93. late demonstratum fuit, falsa est igitur argumenti hypothesis. 2. Venialia illa peccata, cum quibus et in quibus renati moriuntur, fide in Christum ipsis condonantur, ut propter ea non sint illis metuendae purgatorii flammae. Rom. 6, v. 7: *Qui mortuus est, justificatus est a peccato*, hoc est absolutus, liberatus ac purgatus, sicut τὸ δεδικαίωται exponit Basilius in orat. de bapt. Christi tom. 1. p. 460. Rom. 8, v. 1: *Nulla est condemnatio his, qui sunt in Christo.* 1. Joh. 1, v. 7: *Sanguis Christi, mundat nos ab omnibus peccatis.* 3. Salmeron. tract. 14. disp. 26. p. 228. disputat, *per infirmitates et dolores mortis, quas quisque fidelis patienter in fide et caritate tolerat, animum purgari a reliquiis peccatorum.* Atqui dolores mortis sunt omnibus fidelibus communes. Ergo per illos a reliquiis peccatorum sufficienter purgabuntur, ut nullo alio opus sit igne purgatorio. Quod Salmeron. addit, *non esse prorsus certum, an quisque fidelis in totum purgetur, ut Lazarus, an ex parte, ut reliqui omnes, qui hinc decedunt.* Item, *verisimilius et probabilius esse, non semper nec necessario omnes peccati reliquias in morte exsolvi,* in eo petit principium, unde enim illud probat? *Quoniam* (inquit) *si omnia expurgaret mors, frustra esset purgatorium, frustra essent orationes et oblationes vivorum pro defunctis, frustra essent suffragia et indulgentiae.* At de eo ipso quaeritur, an detur purgatorium, an prosint defunctis orationes, oblationes, suffragia, indulgentiae. Nos sic inferimus: Si dolores mortis in quibusdam fidelibus purgant peccati reliquias, utique eundem effectum etiam in reliquis obtinebunt. 4. Bellarminus ex ratione infert, *peccata venialia post hanc vitam purgari oportere.* Atqui rationi videtur *ἄτοπον,* propter peccata venialia (quae juxta Pontificiorum hypothesin non sunt contra, sed tantum *praeter legem*, de quibus juxta eorundum opinionem non est necessarium agere poenitentiam, quae per aquae benedictae adspersionem ablui possunt) talem ac tantam in igne purgatorio sustinere poenam, quae sola duratione a damnatorum poenis differat. Si enim haec sunt venialia peccata, hoc est ut ipsimet explicant *venia ex se digna*, cur tam atrocibus suppliciis in dilectis suis filiis Deus eadem punit? 5. Qui in hac vita ante mortem non consequitur peccatorum suorum remissionem, ille moritur sub ira Dei, sub maledictione legis, sub reatu aeternae damnationis, nec ullam in purgatorio potest

sperare peccatorum ablutionem, quippe quam tota Scriptura sacra ad hujus vitae cursum ac terminum restringit. Damascenus lib. 2. de orth. fid. c. 4: *Quod fuit angelis casus, id hominibus mors est.* 6. Scriptura soli sanguini Christi in verbo evangelii et in sacramento baptismi per fidem nobis adsperso et in sacra coena nobis ad bibendum exhibito vim purgandi peccati tribuit, nuspiam vero purgatorio cuidam igni hasce partes demandat. Quisquis ergo per fidem est in Christo, ille merito et efficacia sanguinis Christi a peccatis absolvitur ac purgatur; quisquis sine poenitentia et fide in Christum decedit, ne minimi quidem peccata remissionem post hanc vitam sperare poterit.

XVII. 340. 2. A debito poenarum temporalium.

283. Altera ratio desumta est a *debito poenarum temporalium. Cum reconciliantur Deo peccatores, non dimittitur semper cum peccato etiam poena temporalis. At potest fieri et saepe fit, ut in tota vita aliquis non satisfecerit plene pro temporali illa poena. Ergo necessario statui debet purgatorium, in quo poenas temporales adhuc residuas toleret.* Respondemus: 1. ostendimus superius §. 200. remissis peccatis etiam poenas proprie sic dictas condonari, falsa est igitur argumenti hypothesis. 2. Pro nulla peccati poena, sive in hac, sive in futura vita nos ipsi satisfacere possumus, quia quodlibet peccatum, etiam minimum, meretur infinitas poenas, et soli Christo haec dignitas competit, quod pro peccatis nostris et peccatorum nostrorum poenis satisfacere potuerit ac perfecte etiam satisfecerit. 3. Calamitates illae temporales, quas Deus reconciliatis quandoque imponit, quaeque *poenarum* nomine generalius accepto indigitantur, non extendunt se ultra hujus vitae terminum, sed cum hac vita finiuntur, quia post hujus vitae tempus succedit aeternitas, ut superius fuit demonstratum. 4. Si quod poenarum temporalium debitum adhuc superest, illud omne in morte communi illo naturae corruptae debito persolvitur. Excipit Bellarminus, *mortem esse poenam peccati originalis, ideo pro actualibus debere inveniri aliam poenam.* Atqui ex Salmeronio audivimus, etiam actualium peccatorum reliquias per infirmitates et dolores mortis expurgari. Nec originalis solum sed etiam actualium peccatorum poena est mors temporalis. ut ex evidentibus Scripturae dictis constat. Disputat ipse Bellarminus l. 1. de purgat. c. 8. *mortem latronis durissimam potuisse juste in plenam satisfactionem reputari.* 5. Eos, qui in fide hinc decedunt, non poenarum persolvendarum debito obstringi, sed ad pacem, quietem et gaudium pervenire, Spiritus sanctus testatur, huic Spiritus sancti judicio ac testimonio non debent praeferri argutiae rationis humanae. 6. Si rationem consulere velimus cum Bellarmino, absurdum illi potius videbitur, Deum remissa culpa adhuc infligere poenam, cum poena non nisi ob culpam infligatur; Deum remittere poenas aeternas et non remittere poenas temporales, cum is qui condonat debitum majus, non consueverit exigere minus. 7. Si propter Christi satisfactionem liberamur a peccati culpa et poena aeterna, cur propter eandem non liberaremur a poenis peccatorum temporalibus? Si baptizatis propter Christi satisfactionem remittitur et culpa, et poena non solum aeterna, sed etiam temporalis, cur vere poenitentibus et in Christum credentibus non contingeret eadem et aeque plena ac perfecta peccati remissio? 8. Si post peccati remissionem persolvendae adhuc restant poenae temporales, cur sola anima easdem in purgatorio sustinet? cur eisdem non subjicitur etiam corpus, quod fuit animae peccantis organum? Si corporis purgationi sufficiunt poenae, quas in hac vita sustinet, cur non sufficerent eaedem ad purgationem animae? 9. Si animae in purgatorio temporalis poenae debitum Deo persolventes per suffragia vivorum et indulgentias Romani pontificis ex eodem liberari possunt, misericordia pontificis major et efficacior erit quam ipsius Dei misericordia, per hanc enim debitum illud condonari non potuit, per illam vero debitor ab eodem liberatur.

3. A communi opinione omnium gentium.

284. Tertia ratio deducitur *a communi opinione omnium gentium. Purgatorium enim confitentur Hebraei, Mahumetani, gentiles, iique tam philosophi, quam poëtae.* Respondemus: 1. mirum, quod Bellarminus non addiderit confessionem *diabolorum*, qui et ipsi de purgatorio testificati sunt. Lombard. hist. 158. commemorat, *Odilonem, cum ululatus daemonum audivisset plangentium, quod animae defunctorum ex purgatorio per orationes, missas et eleemosynas eriperentur, instituisse festum commemorationis defunctorum.* 2. Cur praetermittit consensum *Origenistarum* et aliorum haereticorum, qui itidem de purgatione peccatorum post mortem multa finxerunt? XVII. 341. 3. Communis illa opinio excoecatorum *Judaeorum*, blasphemorum *Mahumetanorum* et idololatricorum *gentilium* est potius argumentum erroris quam veritatis, ut superius monuimus. Excipit Bellarminus, *confessionem illam purgatorii provenire a lumine naturali omnibus hominibus communi, ex quo etiam intelligimus, esse Deum, et esse poenas et praemia post hanc vitam exspectanda. Cum enim videamus ex iis, qui migrant ex hac vita, alios esse valde bonos, alios valde malos, alios mediocriter bonos et mediocriter malos, judicamus naturali lumine, esse post hanc vitam poenas aeternas pro valde malis, praemia aeterna pro valde bonis, ac poenas temporarias et per eas transitum ad praemia pro iis, qui sunt mediocriter boni vel mali.* Respondemus: 1. lumen naturale in fidei articulis debet sequi praevium lumen gratiae in verbo accensum, alias facile abit in tenebras, cum per peccatum misere sit obfuscatum. Lumen naturae valet in rebus naturalibus, at purgatorium ex hypothesi Pontificiorum est articulus fidei. Jam vero fidei articuli proprie sic dicti discendi sunt ex divina revelatione. 2. Ex lumine naturae destituto verbi luce multi collegerunt, poenas malorum non fore aeternas, sed tandem finem habituras, id enim luci rationis videtur magis congruum. 3. Scriptura, in qua lux Spiritus sancti refulget, omnes homines in duas

tantum classes, in bonos scilicet et malos, credentes et incredulos distribuit ac duo tantum post hanc vitam animarum receptacula agnoscit, tertium vero penitus ignorat, ut vidimus superius. Ergo ex luce Spiritus sancti et gratiae plenius collustranda et informanda est lux naturae. 4. Si mediocriter malis sufficiunt poenae temporales, utique illis sufficient poenae, quas in hac vita sustinent, nec ullo post hanc vitam indigebunt purgatorio. 5. Mahumetani et gentiles non tantum pro peccatis venialibus, sed etiam pro mortalibus, nec tantum pro mediocriter malis, sed etiam pro impiis purgatorium aliquod post hanc vitam agnoscunt. 6. Lumen naturale docet, ut una' est Dei essentia, ita unam tantum esse in deitate personam; quodsi ergo lumen naturale sequi velimus, negandum erit sacrosanctum Trinitatis mysterium. Lumen naturale docet, divinam et humanam naturam non posse constituere unam personam; si naturale lumen sequi velimus, negandum erit incarnationis mysterium. Sequatur igitur Bellarminus in fidei mysteriis lumen naturale, sequatur Judaeos, Mahumetanos et gentiles, nos Christum, prophetas et apostolos sequemur. 7. Invertimus Bellarmini comparationem hoc modo: Sicut omnes gentes ex lumine naturali agnoverunt, esse Deum, sed quis sit ille Deus ignorantes in πολυθεΐαν et multiplicem idololatriam fuere prolapsi; sic omnes gentes ex lumine naturali agnoverunt, post hanc vitam poenas et praemia superesse, sed ignorantes quae sint illae poenae ac praemia, propter quam causam et quibus distribuantur, ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν Rom. 1, v. 21. ac fabulas suas de purgatorio, de campis Elysiis, de Stygia palude inferorum, de Cocyto, Phlegethonte etc. addiderunt.

4. Ab apparitionibus animarum. 285. Quarta ratio sumitur *ab apparitionibus animarum, quae se in purgatorio esse renuntiaverunt atque opem a vivis imploraverunt*, quas apparitiones recensent Gregorius lib. 4. dial. c. 40. et 55. Gregorius Turonic. lib. de gloria confess. c. 5. Petrus Damiani in epist. ad Desider. Beda lib. 3. hist. Angl. c. 19. Bernhardus in vit. Malach. et auctor libri de vit. Anselmi. Respondemus: 1. Deus in verbo suo expresse prohibuit a mortuis veritatem in fidei articulis quaerere. Deut. 18, v. 11: *Non inveniatur in te quaerens a mortuis.* Esa. 8, v. 19: *Nonne populus Deum suum requiret? num pro vivis mortuos?* v. 20. *ad legem potius et ad testimonium.* Luc. 16, v. 28. cum dives epulo rogaret, ut Lazarus ex Abrahae sinu ad fratres superstites missus ipsis testificetur, *ne et ipsi veniant in locum tormentorum*, respondet ipsi Abrahamus v. 29: *Habent Moysen et prophetas, audiant illos*, cumque epulo replicaret
XVII. 342. v. 30: *Non, pater Abraham, sed si quis ex mortuis ad eos ierit, poenitentiam agent*, denuo audit v. 31: *Si Moysen et prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.* 2. Tempore Gregorii demum in ecclesia ex animarum apparitionibus purgatorium fabricari coepit, quod ipse dissimulat, sic enim scribit libr. 4. dialog. cap. 40: *Quid est quaeso te, quod in his extremis temporibus tam multa de animabus clarescunt, quae ante latuerunt, ita ut apertis revelationibus atque ostensionibus venturum seculum se nobis inferre atque ostendere videatur.* 3. Animarum istarum, quae ex purgatorio se rediisse testificatae sunt, apparitiones fuerunt diabolicae illusiones, quibus Deus justo judicio contemtum verbi sui, ex quo uno recte agnosci ac coli vult, in curiosis ac superstitiosis hominibus vendicavit 2. Thess. 2, v. 9. Probamus hoc primo ex animarum post hanc vitam statu et conditione. Justorum animae *sunt in manu Dei, et non tangit illos tormentum* Sap. 3, v. 1. ergo nugatoriae ac praestigiatoriae sunt illae querelae, quas de suis in purgatorio tormentis animae fidelium defunctorum protulisse finguntur. Confer 2. Sam. 12, v. 23. Job. 7, v. 9. Sir. 38, v. 22. Luc. 16, v. 26. ubi dicitur, *defunctos ad nos in has terras non reverti.* Animae a corporibus separatae oculis corporeis ac terrenis videri nequeunt, cum sint essentiae incorporeae ac spirituales. Quisquis ergo eas se videre et audire arbitratur, Satanae spectris deluditur. Secundo ex apparitionum istarum exacta consideratione. Diabolus non potuit suas fraudes et praestigias tam artificiose tegere, quin earum indicia quaedam animadverti potuerint. Plerumque enim exegit aliquot missas, ut cultum Maosim stabiliret; passus est se adjurari et exorcizari, ut superstitiones confirmaret. Solent enim in papatu certis verbis ac ceremoniis spectra adjurare et hac orationis formula uti: *Domine Jesu Christe omnium secretorum cognitor, qui semper tuis fidelibus et parvulis revelare salubria et utilia consuevisti, quippe ex hoc loco spiritum quendam se ostendere permisisti, humiliter obsecramus benignissimam tuam misericordiam per passionem tuam et pretiosissimi sanguinis tui pro peccatis nostris effusionem, ut digneris praecipere huic spiritui, ut sine terrore ac laesione nostra et omnium hominum se revelet, significans famulis tuis, nobis vel aliis peccatoribus, quis sit et cur venerit, quidque petat, ut ex hoc honorari volens et ipse consolationem percipiat et fideles quoque inde subleventur in nomine Patris † et Filii † et Spiritus sancti † Amen.* Petrus Mamorius narrat, circa aun. 1458. in Gallia Consollenti ad Viennam fluvium in Caplandi cujusdam aedibus diabolum, qui se animam defunctae cujusdam esse dicebat, gemitibus, clamoribus et querimoniis omnia complevisse, monentem, habendas esse preces, peregrinationesque obeundas, et res veras plurimas revelantem, sed dicente ei quodam: *Si vis, tibi haberi fidem, dic, miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam* etc. respondisse, *hoc a se fieri non posse*, tunc ludificantibus ipsum iis, qui adstabant, fremebundum aufugisse. Tertio ex veterum testificatione. Tertullianus lib. de anim. cap. 57. p. 296: *Nulli animae omnino inferos patere, satis Dominus in illo argumento pauperis requiescentis et divitis ingemiscentis ex persona Abraham sanxit, non posse relegari renuntiatorem*

*dispositionis infernae, quod vel tunc licere potuisset, ut Moysi et prophetis crederetur.* Ibid. p. 295. *allocutiones animarum* dicit *esse fallaciam spiritus nequam sub personis defunctorum delitescentis.* Auctor quaestionum ad Antiochenum, quae exstant in operibus Athanasii tom. 2. p. 275. q. 19: *Non permisit Deus redire quenquam, qui annuntiaret, ubi aut quomodo sint animae a nobis profectae.* q. 25: *Animae, quae nos praevenientes decedunt, nequaquam hanc vitam rursus invisunt. Audi enim David prophetam de defunctis hominibus dicentem: Homo sicut gramen dies ejus, quoniam spiritus pertransivit per eum, et non erit amplius et locum ejus non amplius agnoscent.* q. 35: *Numquid scire possumus, quare non permiserit Deus, animam alicujus eorum, qui e vivis decesserint, ad nos*
XVII. 343. *redire et enarrare, qualisnam rerum apud inferos status?* Respondet: *Multi apud nos inde errores orirentur. Multi enim daemones formas humanas induere et in hominum demortuorum figuris transformari potuissent ac dicere, a mortuis sese resurrexisse, atque inde multas res ementitas et falsa dogmata de iis, quae ibi fiunt, spargere, idque ad seducendum nos et perdendum.* Chrysostomus hom. 29. in Matth. p. 283: *Non anima defuncti est, quae dicit, anima talis ego sum, sed daemon, qui haec ut audientes decipiat, defingit.* Et postea: *Non potest anima e corpore separata in his regionibus errare. Justorum enim animae in manu Dei sunt, peccatorum vero post hunc exitum continuo abducuntur, quod a Lazaro et divite planum efficitur, sed alibi quoque Dominus ait: Hodie animam tuam abs te repetent. Non igitur potest anima, cum a corpore abscesserit, apud nos hic errare. Multis e locis Scripturae comprobari potest, non errare hic post mortem justorum hominum animas. Nam et Stephanus ait: Suscipe spiritum meum, et Paulus resolvi et esse cum Christo desiderabat. De patriarcha quoque Scriptura dicit: Et appositus est ad patres suos. Quod vero nec peccatorum animae hic commorari possunt, divitem audias quid dicat, perpendasque, quid petit et non impetrat. Quodsi possent animae hic conversari, venisset ipse, ut cupiebat, et suos de inferni tormentis fecisset certiores.* Idem de Lazaro concil. 2: *Quid igitur est, quod daemones dicunt, monachi illius sum anima? Sane propter hoc ipsum non credo, quia daemones dicunt, decipiunt enim auditores. Quapropter et Paulus ipsis, tametsi vera dicentibus, imposuit silentium, ne ex veris nacti occasionem post admiscerent mendacia fidemque sibi conciliarent* etc. homil. 4. de Lazar.: *Ut cognoscas, quod gravior sit Scripturarum ac prophetarum doctrina, quam si quid a mortuis resuscitati renuntient, illud considera, quod quisquis mortuus est, servus est, quae vero Scripturae loquuntur, locutus est Dominus. Proinde etiamsi mortuus reviviscat, etiamsi angelus e coelo descendat, maxime omnium credendum est Scripturis. Nam angelorum herus mortuorum pariter ac viventium Dominus ipse eas condidit* etc. *Ne igitur quaeramus haec audire a mortuis, quae multo clarius quotidie nos docent sacrae literae. Nam si novisset hoc Deus, quod mortui excitati viventibus essent profuturi, nequaquam omisisset, neque tantum lucrum praeteriisset, qui cuncta nobis utilia procurat.* In concilio Ancyrano tom. 2. conc. p. 204. tale decretum factum: *Sacerdotes per ecclesias sibi commissas populo omni instantia praedicare debent, ut noverint, haec omnimodis esse falsa et non a divino, sed maligno spiritu talia phantasmata mentibus fidelium irrogari* etc. *Omnibus itaque publice annuntiandum est, quod qui talia et his similia crediderit, fidem perdidit* etc. Augustinus de cura pro mort. c. 10: *Aliquando fallacibus visis homines in magnos mittuntur errores.* Theophylactus in cap. 8. Matth.: *Anima egressa in mundo non erat. Justorum enim animae in manu Dei sunt, peccatorum vero et ipsae hinc abducuntur, ut anima divitis.* Huc referendi omnes illi auctores, qui nobiscum statuunt, non verum fuisse Samuelem, qui Sauli in ejus forma apparuit, sed spectrum diabolicum. Bellarminus lib. 2. de purg. cap. 6. §. Respondebunt etc.: *Non verum Samuelem, sed diabolum in forma ejus apparuisse docent Tertullianus libr. de anim. prope finem, auctor quaestionum apud Justin. q. 52. auctor quaestionum V. T. q. 27. apud Augustinum, auctor lib. de mirabilibus Scripturae lib. 2. cap. 11. Procopius et Eucherius in 1. Reg. cap. 28. et Isidorus lib. 8. etymolog. cap. 9.* Quarto *ex adversariorum confessione.* Thomas part. 1. q. 117. art. 4. ad 2: *Dicendum est, quod frequenter daemones simulant, se esse animas mortuorum ad confirmandum gentilium errorem, qui haec credebant.* Idem part. 1. q. 110. art. 3. ad 3. disputat, *animam separatam a corpore non posse naturali sua virtute res corporeas movere, januas aperire, commovere scamna, excitare* XVII. 344.
*strepitum* etc. cui Thomae judicio ex parte subscribere videtur Becanus de purg. p. 121. Machiavellus in principio suae historiae scribit, *circa ann. Christi 600. consuetudines seu dogmata veteris ecclesiae cum miraculis novae pugnare coepisse, nam spectrorum apparitiones et alias imposturas Satanae miraculorum veterem illam formam religionis prorsus evertisse.* Verba Italica recenset Wolffius cent. 16. memorab. p. 811. 4. De apparitionibus animarum idem statuendum, quod de revelationibus, de quibus recte pronuntiat Gerson de examinat. doctrin. part. 2. consid. 1: *Suspecta est omnis revelatio, quam non probat lex cum evangelio.* Et quales sint ejusmodi revelationes, ostendit res ipsa. Damascenus in orat. de defunctis refert ex historia Palladii ad Lausum, *Sancto Macario aliquando percunctanti cranium aridum cujusdam idololatrae, an eis prodessent preces viventium, responsum fuisse ex cranio: Quando pro mortuis offers preces, nos interim lenimentum aliquod sentimus.* Thomas 4. dist. 45. art. 2. q. 2. ex hac revelatione colligit, *animas damnatorum ex orationibus sanctorum non percipere aliquam poenarum mitigationem, sed*

*solum inane et fallax aliquod gaudium, quod nimirum videant, se habere socios in poenis.* Sed quis non videt, aliud esse miseriarum lenimentum, aliud vero fallax gaudium? ideo Bellarminus lib. 2. de purg. cap. 18. rectius respondet, *haec melius rejici ut falsa et apocrypha.* At si Bellarmino et Salmeronio hanc revelationem repudiare licet, quidni idem de similibus revelationibus pronuntiare licebit? libr. 2. de purg. cap. 8. revelationi Mechtildis de anima Origenis opponit aliam revelationem ex prato spirituali. Salmeron. tom. 14. disput. 26. pag. 231. candide et sine circuitione scribit: *Ejusmodi revelationes, quales exempli gratia commemorat Dionysius Carthusianus, non sunt confestim aut passim ut verae recipiendae, sed cum judicio diligenter expendendae et quatenus fidei vel traditioni ecclesiae aut doctoribus congruant, examinandae.*

5. Ex incommodo. 286. Quinta et ultima ratio esse potest, *quia ista opinio, quae tollit purgatorium, non solum est falsa, sed etiam perniciosa, siquidem homines socordes facit in peccatis cavendis et in bonis operibus faciendis. Qui enim cogitat, nullum esse purgatorium, sed omnia peccata per mortem aboleri in iis, qui moriuntur cum fide, facile dicet apud se, quorsum ego laboro in jejuniis, precibus, continentia, eleemosynis? cur fraudo cor meum deliciis et voluptatibus? quandoquidem in morte sive pauca, sive multa peccata habuero, omnia delebuntur. At qui cogitat, remanere praeter gehennam ignem acerrimum purgatorii, et quidquid hic deletum non fuerit per debitae poenitentiae opera, ibi diluendum, certe diligentior cautiorque evadit.* Respondemus: 1. in illis Scripturae locis, quae poenas peccatorum inculcant Levit. 26. Deut. 28. nulla fit purgatorii cujusdam ignis mentio, cum tamen ad populum in officio continendum et a peccandi studio revocandum ex hypothesi Pontificia illud vel maxime fuisset necessarium. 2. In dictis illis Scripturae, quae praecepta, promissa et exempla εὐθανασίας proponunt, nulla futuri cruciatus piis metuendi, sed potius quietis et exsultationis sperandae fit mentio, ut superius ostendimus. 3. Qui a peccatis non abstinet metu futuri extremi judicii et infernalis supplicii, is nec deterrebitur a peccatis metu conficti purgatorii. 4. Sicut *non sunt facienda mala, ut eveniant bona* Rom. 3, v. 8. ita non sunt docenda falsa, ut caveantur mala. Nec veritas, nec pietas mendacio indiget. 5. Pontificia de purgatorio doctrina peccandi licentiam potius alit, quia tradit, ex flammis illis per aliorum suffragia, quae ditiores facili negotio sibi comparare possunt, liberationem contingere. Lombardus 4. sentent. dist. 45. liter. D. disputat, *in purgatorio celeriorem absolutionem contingere diviti quam pauperi, licet non pleniorem.* Albertus Magnus de offic. missae tract. 3. cap. 16:
XVII. 345. *Tot possunt fieri suffragia pro uno aliquo, quod statim in momento liberatur. Et ideo in hoc solo casu melior est conditio divitis quam pauperis, qui habet, unde suffragia fiant pro ipso, unde* Prov. 13. dicitur: *Redemtio viri divitiae ejus.* Persuaserunt sacerdotes et monachi dominis ac principibus, ut ecclesiis et coenobiis multa relinquerent et voverent, tunc velle se missis ac precibus suis meritoriis salutis aeternae ipsis copiam facere, quantumvis magnis essent contaminati peccatis, per quod certe peccatis efficacem occasionem dederunt, existimabant enim, se mercenarios et vicarios pecuniis suis sibi comparasse, per quos e purgatorio quantocyus liberari possint. 6. Deterrendi quidem et revocandi sunt homines a peccandi studio et ad bona opera excitandi, ita tamen, ne fiduciam in proprias satisfactiones ac propria merita collocent, neve territis conscientiis firma ac necessaria consolatio eripiatur, utrumque per doctrinam purgatorii fieri ex superioribus est manifestum. 7. Scriptura docet, fructum justificationis esse *pacem conscientiae* Rom. 5, v. 1. *et cultum sine timore Deo praestitum* Luc. 1, v. 74. Atqui si justificati quidem, sed nondum plene purgati audiunt, purgatorii flammas post mortem sibi adhuc metuendas esse, et quidem tempore longiore, quam fuit hujus vitae spatium, quomodo pacem in corde sentire et Deo sine timore servire poterunt? Ex quo apparet, verum ac Deo gratum ex timore filiali et fide profectum cultum per purgatorii doctrinam potius everti. 8. Quidam ex Pontificiis fatentur, in primitiva ecclesia temporibus apostolorum vicina non fuisse creditum purgatorium. Atqui eo tempore vel maxime pietatis studium floruit. 9. Romae purgatorium credi Bellarminus non ibit inficias. At quale Romae vigeat pietatis studium, testantur historiae, clamat experientia. Vide loc. de ecclesia §. 2. 62. Atque haec sunt Bellarmini argumenta omnia, quae pro purgatorio adstruendo profert, quibus quid roboris ac ponderis insit, ex dictis manifestum erit. Quae cap. 15. contra Petrum Martyrem profert, ut probet, confessionem purgatorii ad fidem Catholicam pertinere, ex superioribus facilem habent explicationem.

287. Lib. 2. de purgat. cap. 15. profert Bellarminus peculiarem aliquam rationem ex Petro Cluniacensi, qua probare conatur, suffragia ecclesiae defunctis in purgatorio prodesse. 6. Ab ecclesiae communione. *Ecclesia tota* (inquit) *est unum corpus, cujus caput est Christus. Ergo debet habere communicationem tam capitis cum membris, quam membrorum inter se 1. Cor. 12. sed justi defuncti sunt membra hujus corporis, nam sunt nobiscum colligati et cum Deo in fide, spe et caritate, igitur viventes possunt ac debent juvare defunctos ut membra ejusdem corporis. Praeterea Christus, qui caput est, profuit vivens in terris viventibus, mortuus mortuis, vivens mortuis et mortuus viventibus. Ergo etiam decet, ut membra inter se ita agant, ut justi viventes viventibus, mortui mortuis, viventes mortuis et mortui viventibus prosint. Denique ex quatuor membris divisionis tria sunt certe manifesta. Ergo et quartum debet habere locum. Nam quod viventes juventur a viventibus, nemo negat, cum videamus doceri, instrui, pasci*

*verbo et sacramentis alios ab aliis. Quod mortui prosint mortuis, patet, nam Helisaeus mortuus alium suscitavit 2. Reg. 13. et Abraham mortuus in sinum suum Lazarum recepit Luc. 16. Nec ulli dubium esse debet, quin sanctorum defunctorum animae cum Christo regnantes, orent pro sanctorum animabus in purgatorio laborantibus. Quod mortui prosint viventibus patet, nam 2. Maccab. 15. legimus, Onicam et Jeremiam jamdudum defunctos visos fuisse orare pro populo Judaeorum viventium. Nec est incredibile, etiam animas purgatorii pro nobis orare et impetrare. Si ergo vivi prosunt mortuis, mortui mortuis, mortui vivis, cur non etiam prodesse poterunt vivi mortuis?* Respondemus: 1. ratio haec praesupponit, *esse purgatorium*, ut
XVII. 346. monet Bellarminus in explicatione hujus argumenti. Atqui hanc hypothesin ostendimus esse falsam, corruit igitur totum argumentum. 2. Quae et qualis sit communicatio membrorum in corpore mystico cum Christo capite ac inter se invicem, non definiendum est ex speculationibus humanae rationis, sed ex tabulis divinae revelationis. 3. Eae vero manifeste docent, suffragiis vivorum mortuos post hanc vitam juvari non posse, ut ostendimus superius arg. 2. memb. 8. Destituuntur etiam illa suffragia primitivae ecclesiae suffragio. Concilium Toletanum III. tempore Gregorii Magni celebratum can. 22. sic decernit: *Qui divina vocatione ab hac vita recedunt, cum psalmis tantummodo et psallentium vocibus debent ad sepulcra deferri. Nam funebre carmen, quod vulgo defunctis cantari solet, vel in pectoribus se, aut proximos, aut familias cadere omnino prohibemus. Sufficit enim, quod in spe resurrectionis Christianorum corporibus famulatus divinorum impenditur canticorum*, qui canon in decreta relatus c. Qui divina etc. 34. q. 1. 4. Communicatio pie defunctorum cum piis viventibus et caritas vivorum erga defunctos nihilominus locum habere potest, si vel maxime mortui vivorum suffragiis ex purgatorio liberari negentur, quia per fidem statuimus, pie defunctos cum Christo vivere, per caritatem honesta sepultura reliquias corporum ornamus ac cum illis in aeterna vita conjungi desideramus, quin et posteris ipsorum etiam in hac vita omnia humanitatis officia exhibemus, per spem in coelesti gloria nos cum illis victuros firmiter speramus. 5. Longe diversa ratio est inter Christum et nos. Christus vivens et mortuus viventibus ac mortuis prodesse potuit, quia ipse est dux vitae, caput ecclesiae, salvator corporis sui mystici, cujus sanctissimum corpus in media morte mansit Verbi omnia vivificare valentis templum proprium, qui mortem moriendo destruxit ac vitam resurgendo reparavit. Id vero de membris in corpore mystico dici nequit, quod eandem cum capite agendi potentiam et efficaciam obtineant. Christus mortuos ad vitam revocavit, at num precibus nostris mortuos excitare poterimus? 6. Ex miraculo singulari non potest necti generalis quaedam regula. Atqui quod mortuus Elisaeus alium mortuum suscitaverit, est singulare quoddam miraculum. Adde quod proprie et accurate loquendo non Elisaeus mortuus suscitaverit mortuum, sed Deus auctoritatem prophetae defuncti hoc miraculo a se edito confirmare et vaticiniis ejusdem conciliare voluit. Quo sensu Lazarus in Abrahae sinum receptus dicatur, expositum fuit superius. 7. *Animas defunctorum sanctorum cum Christo regnantes orare pro animabus sanctorum in purgatorio laborantibus*, negat Dominicus a Soto 4. sent. dist. 45. q. 3. art. 2. *animas purgatorii pro nobis in terra adhuc viventibus orare*, negat Thomas 2. 2. q. 83. art. 11. ad 3. Bellarminus ipse hoc loco agnoscit, *eas non posse ordinarie cognoscere, quid agamus in particulari, ac proinde superfluum videri ab eis ordinarie petere, ut pro nobis orent*. Quae igitur et quanta certitudo est hujus subsidii? 8. Liber secundus Maccabaeorum apocryphus est, ut superius vidimus. Ac somnium ibi recitatur a Juda Maccabaeo ad excitandos militum animos excogitatum. Nec tamen vel Judas vel exercitus sanctos illos invocant.

**Argumenta Salmeronii pro purgatorio 1. ex traditione.**

288. Salmeron. tom. 14. disputatio 25. quae de purgatorii veritate instituta est, praeter dicta Scripturae superius exposita urget 1. *traditionem non scriptam, quam ecclesia multis modis ante oculos nobis proposuit: 1. In missae sacrificio celebranda pars quaedam deputata est orationi pro mortuis in Christo quiescentibus. 2. Institutum est officium mortuorum, quod pro defunctis in ecclesia cani consuevit, missae quam plurimae et orationes, seu collectae et sequentiae cum reliquis ornamentis huic cultui accommodatis. 3. Accedit dies peculiariter institutus, secunda Novembris, in qua ecclesia* XVII. 347.
*suffragatur piis defunctorum animis. 4. A tempore apostolorum in hunc usque diem instituta sunt coemiteria sive monumenta orationis gratia.* Clemens Rom. lib. 6. constit. cap. 30. *5. Institutio sacerdotii evangelici hoc ipsum reddit firmissimum. Nam hac forma sacerdotes ab episcopis consecrantur ac promoventur: Accipite potestatem offerendi sacrificium in ecclesia Dei pro vivis et mortuis. 6. Pontifices Romani ex thesauro ecclesiae indulgentias tam pro vivis, quam pro mortuis impartiri consueverunt. 7. Patres ecclesiae Orientalis et Occidentalis idem docent.* At haec omnia meras principii petitiones continent, de eo enim quaeritur, an missae sacrificium recte offeratur pro defunctis, an probandum sit illud officium mortuorum, an Pontificiae indulgentiae defunctis prosint. Regerit Salmeronius: *Si Deo hic cultus non placeret, certe jam diu ecclesiae suae per aliquem bonum angelum revelatum esset. Nam si pro Agar sitiente Deus angelum misit, ut ostenderet fontem aquae* Gen. 12. *et pro salute Cornelii centurionis alterum destinavit* Actor. 10. *et pro Tobia juniore, quem dirigeret in Rages civitatem Medorum Raphaëlem angelum amandavit* Tob. 5. *quanto est probabilius et rationi magis consentaneum, quod pro ecclesia instituenda in vero Dei cultu et ab omni errore et haeresi liberanda non unum aut duos, sed innumeros ange-*

*los ad illam misisset?* Respondemus: 1. Deus in negotio salutis et fidei non vult nobiscum agere per angelos, sed per suum verbum, quod in propheticis et apostolicis scriptis annotatum exstat. Luc. 16, v. 29: *Habent Moysen et prophetas, audiant illos.* 2. Nec Agari, nec Cornelio, nec Tobiae novum aliquem fidei articulum praeter et extra Dei verbum angelus revelavit, sed ministerium in rebus necessariis praestitit. 3. Quinimo angelus Cornelium ad Petri apostoli doctrinam potius remisit, ne quis verbi ministerio posthabito angelicas revelationes exspectaret, Actor. 10, v. 5: *Mitte viros in Ioppen et accersi Simonem Petrum*, v. 6. *hic dicet tibi, quid te oporteat facere.* 4. *Si vel angelus de coelo evangelizaret praeterquam quod apostoli evangelizaverunt, non esset audiendus* Galat. 1, v. 8. Chrysostomus in comm. hoc loco pag. 973. edit. Comm.: *Apostolus angelis praeponit Scripturas, idque valde congruenter, siquidem angeli quamlibet magni, tamen servi sunt ac ministri, ceterum omnes Scripturae non a servis, sed ab universorum Domino Deo venerunt.* Proclus in serm. de fide ad Armen. locum hunc apostolicum adducens addit hanc rationem p. 15: λειτουργεῖν γὰρ ἄγγελος ἐτάχθη, οὐ δογματίζειν, *in ministrandi ordine locatus est angelus, non dogmata praescribendi.* 5. Non per angelos, sed per homines peculiariter ad id excitatos cultum divinum in ecclesia Deus reformat, ut testantur exempla Abrahae patriarchae, Eliae prophetae, Johannis Baptistae etc. Exspectent igitur Pontificii angelos, a quibus de cultu divino rectius instituantur, nos veritatem e Scripturis per homines monstratam fidei obedientia sequemur.

2. Ex ratiocinatione.

289. Formet insuper Salmeron. quasdam *rationes*, quas dicit esse *magni momenti.* Videamus igitur, quales sint. *1. Status medius potest esse inter perfectam puritatem, quae est per fidem et caritatem, et inter summam impuritatem, quae est per crimina et mortifera delicta.* Respondemus: Scriptura totum genus humanum in duas duntaxat classes, in credentes scilicet et incredulos distribuit ac quoslibet vel in statu gratiae et salutis, vel in statu irae et damnationis collocat, ut superius vidimus. Adde quod perfecta puritas in hac vita non detur, ut alibi fuit demonstratum. *2. Homo est tantae aequitatis, ut non condonet culpam interdum etiam sine poena, ut patet in Davide remittente Absoloni peccatum, nolente tamen, ut coram se postea compareret* 2. Reg. 14. *Deus ergo, cujus misericordiae in immensum sunt majores, idem efficere poterit.* Respondemus: ad justitiam potius quam ad misericordiam hoc pertinere Bellarminus
XVII. 348. censet. Quidquid sit, quo modo Deus culpam ex gratia condonare velit, ex Scripturis est discendum, quae testantur, propter perfectam Christi satisfactionem Deum et culpam et poenam remittere, ut superius ostendimus. *3. Natura nostra minus amans puritatem omnino tepida efficeretur ad vitanda, venialia si non esset locus post mortem, in quo illa misericorditer expiarentur.* Respondemus: patet ex §. 286.

*Oderunt peccare mali formidine poenae.*

Servilis et mercenaria est peccati fuga, quam purgatorii metus ab invitis extorquet. *4. Post Adae peccatum statuta est nobis vita tribulationum* Genes. 3. Actor. 14. *Cum ergo multi sint, qui vel in vita, vel in morte probati non sint pro meritis, demus locum pro mortuis, in quo probentur, ut mundi et pacificati Deum videre possint.* Respondemus: nemo ex hac vita sine flagello exiit, postquam peccatum et per peccatum mors in omnes homines penetravit. Haec vita est tempus tribulationis et probationis, futura vita erit tempus retributionis. *5. Dei decretum est, non intrabit in coelum aliquid coinquinatum* Apocal. 21. *sed opus est, ut sine macula et ruga sint ii, qui in coelestem Hierosolymam ingressuri sunt,* Eph. 5. *Cum igitur multi in venialibus sine debito poenae temporalis hinc decedant, vel traderentur in gehennam ignis, quod esset contra rationem, vel statim ad beatitudinem admitterentur.* Respondemus: *Sanguis Christi mundat nos ab omnibus peccatis* 1. Joh. 1, v. 7. ac proinde etiam ab illis peccatorum reliquiis, ut superius late fuit probatum. *6. Dei misericordia extenditur usque ad mortuos, sicut etiam Dei justitia, anima ergo decedens in veniali vel debito poenae pro letali peccato temporaliter punitur.* Respondemus: et misericordia, et justitia Dei extenditur usque ad mortuos, interim tamen est diversitas in objectis. Cum piis et fidelibus agit Deus non ex justitia, sed ex misericordia; cum impiis et infidelibus agit ex justitia et non ex misericordia. *7. Sublato purgatorio multa virtutum pia exercitia subtraherentur viventibus, ut fides resurrectionis, sanctorum communio, opera caritatis, subventiones pauperum Dei amore factae, merita et satisfactiones et cultus Dei amplificatio ex legatis, quae pro ecclesiae sacellis instituuntur.* Respondemus: nec spes resurrectionis, nec sanctorum communio, nec opera caritatis, nec subventiones pauperum per negationem purgatorii tolluntur, ut ex confessione et praxi nostrarum ecclesiarum constat. Opinio de propriis meritis et satisfactionibus Scripturae adversatur. Argumentum ab amplissimis illis legatis, quae canonicis, sacerdotibus et monachis donantur, ut missis et suffragiis suis animas e purgatorio liberent, est facile palmarium, ideo Salmeron. primo loco illud ponere debuisset. Nisi purgatorius ignis culinas illorum foveret, non tam splendidum ac luculentum in illis ignem conspiceremus. *8. Constat ex evangelio et Actis apostolicis, multos fuisse ad vitam revocatos a Christo et apostolis. Isti autem mortui ab inferno non sunt revocati, quia ab illo loco nullus evadit, nec etiam sunt a beatitudine jam adepta excitati, quia tunc resurrectio non esset beneficium, quod a coelesti gloria dejiceret vel deturbaret.* Respondemus: ex miraculo extraordinario non potest ordinarium aliquod ani-

marum post mortem domicilium probari. In quo πού illae resuscitatorum animae fuerint asservatae, antequam in pristinum corporis domicilium reducerentur, nuspiam in Scripturis patefactum, quod ergo Deus occultum esse voluit, in illud non debemus scrupulosius inquirere, quod singulare est et extraordinarium, non est fas ad communis cursus regulas revocare. Bellarminus lib. 2. de purgat. cap. 8. statuit, *ex coelo et inferno ad vitam revocatos quosdam fuisse.* Ergo propter mortuorum quorundam resuscitationem non est fingendum purgatorium. *Quod ex coelo* (inquit) *aut inferno damnatorum aliqui revocari possent ad vitam, videretur incredibile, nisi exstarent exempla, quae negari non possunt. Nam Gregorius libr. 5. dialog. capit. 9. scribit, a S. Fortunato excitatum fuisse Marcellum*
XVII. 349. *quendam virum sanctum, qui ab angelis in optimum locum ductus fuerat. Et c. 12. scribit, a S. Severo excitatum quendam virum pessimum, qui a daemonibus in infernum deducebatur. Hegesippus scribit libr. 3. c. 2. Petrum excitasse affinem quendam Caesaris ethnicum a morte. Nec dubitari potest, quin apostoli aliquos ethnicos excitarint. Maximus serm. 2. de S. Agnete dicit, quod excitarit filium praefecti, qui in peccato mortali obierat, et Evodius libr. 1. de mirac. S. Stephani dicit, puerulum mortuum ante baptismum ad reliquias S. Stephani excitatum.* Haec omnia Bellarminus: qui postea suam addens ἐπίκρισιν subjungit: *Si aliqui sancti viri redierunt ad corpus, non fuerunt beati, sed Deus praevidens eorum excitationem, distulit eorum beatificationem et interim detinuit eos in optimo aliquo loco. De damnatis similiter dico, eos, qui sunt excitati, cum merentur poenas aeternas, non fuisse damnatos, sed suspensam eorum sententiam et punitos interim secundum praesentem injustitiam. 9. Apud omnes gentes semper obtinuit fides purgatorii.* Respondemus: habetur paragr. 284. praecedente.

**Argumentum Becani pro purgatorio ex purgatione salvandis necessaria.**

290. Becanus in libro de purgatorio Calvinistarum cap. 1. pag. 5. et seqq. utitur hoc discursu: *In coelestem Hierosolymam non intrabit aliquid coinquinatum* Apoc. 21, v. 27. *Ergo qui in eam ingredi debent, illos oportet esse ab omni peccato et sic etiam ab originali mundatos ac purgatos. Jam vero peccatum originis non purgatur nec tollitur in baptismo juxta hypothesin Evangelicorum, nec in morte vel per mortem, quia cum mors ex aequo sit omnibus communis, utique omnes a peccato originali per mortem purgarentur, quod absurdum. Ergo post hanc vitam demum purgatur, et per consequens datur purgatorium.* Respondemus: 1. totum hunc Becani discursum evertit Bellarminus libr. 2. de purgat. cap. 9. sic disputans: *Per reliquias peccatorum in morte expurgandas vel intelligitur fomes, vel mali habitus contradicti, vel reatus poenae temporalis, vel peccata venialia, haec enim sola et omnia remanere possunt in homine justificato ex iis, quae ad peccatum pertinent et proinde reliquiae peccatorum dici possunt. Ac primum fomes tollitur quidem in morte, quia tunc exstinguitur sensualitas, sed non propter fomitem nos purgatorium constituimus, alioqui etiam pueri baptizati morientes deberent purgatorias poenas pati, cum baptismus eis non abstulerit fomitem.* At Augustinus libr. 21. de civ. Dei cap. 16. diserte docet, *ejusmodi pueros nullas pati purgatorias poenas. Mali autem habitus, qui in voluntate exsistunt, non necessario exstinguuntur per mortem, quandoquidem sunt in potentiis, quae organo non sunt alligatae. Nec tamen propter hujusmodi habitus constituimus purgatorium, nam alioqui sequeretur, adultos, qui post multos malos habitus contractos baptizantur et statim moriuntur, vel certe pro Christo occiduntur, non posse salvari nisi per purgatorium, quia nec baptismus, nec martyrium dissolvit ejusmodi habitus. Credibile igitur est, omnes istos habitus tolli per primum actum contrarium animae separatae, quem statim a separatione elicit. Etsi enim hic non possit uno actu destrui contrarius habitus, tamen ibi poterit, quia actus ille multo vehementior erit, cum anima tunc sit potentior, quantum ad actus spirituales, nec habeat fomitem contrarium et resistentem, ut hic habet. Restat ergo reatus poenae et peccata venialia, quae proprie dici possunt reliquiae peccatorum, ob quas est purgatorium. Has autem reliquias aliquando certum est in morte purgari, aliquando certum est non purgari, aliquando dubium est, quid fiat, et probabilissimum est partim purgari, partim non purgari.* Haec omnia Bellarminus. 2. Ex illis sic concludimus: Fomes peccati
tollitur in morte. At fomes ille est ipsum peccatum XVII. 350.
originis. Ergo peccatum originis tollitur in morte. Pueri baptizati morientes non patiuntur poenas purgatorias. In illis igitur tollitur peccatum originis non per baptismum. Ergo in morte. Propter peccati fomitem non statuitur purgatorium. Peccatum originis est ille ipse peccati fomes. Ergo propter peccatum originis non statuendum est purgatorium. Vicissim purgatorium statuitur propter reatum poenae et peccata venialia. Atqui post remissionem peccatorum fide impetratam nullus remanet poenae reatus, et peccata venialia in renatis ipso actu non afferunt reatum. Ergo nullum remanet purgatorium. Habitus mali, qui in voluntate exsistunt, tolluntur per primum actum contrarium animae separatae. Ergo etiam peccatum originis, quippe quod est vitiosus habitus. 3. Invertimus Becani argumentum: Peccatum originis non tollitur penitus in baptismo, nec post mortem superest peccatorum purgatio speranda, ut late fuit demonstratum. Ergo in ipsa morte peccatum originis tollitur. Hanc consequentiam probat apostolus Rom. 6, v. 7: *Qui mortuus est, justificatus est a peccato.* Reatus peccati tollitur per regenerationem, dominium per renovationem, sensus et radix per mortem. Epiphanius lib. 2. tom. 1. haeres. ult. col. 459: *In nobis non est exstirpare perfecte pravitatis radicem, verum non in extensionem sinere excrescere ac*

*fructificare. Nam universalis et perfecta radicis ipsius sublatio ac interitus a Deo fit per corporis dissolutionem.* 4. Frustra Becanus argutatur: *Si mors in piis tolleret peccati fomitem, utique in omnibus tolleret*, possem enim eodem modo concludere: Si mors piis est janua ad vitam, ergo etiam omnibus hominibus. Nimirum mortis effecta et consequentia variant ratione diversorum subjectorum. Piis mors est suavis somnus et liberatio a labe adhaerentis peccati et translatio ad statum perfectae justitiae et vitam aeternam, impiis vero est aeternae mortis initium et continuatio miserrimi illius status, in quo impii tum in hac, tum in futura vita haerent, quod scilicet sunt rei irae divinae, servi peccati et aeternae damnationi obnoxii. 5. Si dicas, *fomes peccati non solum est in corpore, sed etiam in ipsa anima. Ergo ut radix peccati, vitiosa scilicet qualitas, ex corpore tollitur per cinefactionem, sic eadem peccati radix ex anima tollenda est per ignem purgatorium*, respondeo, in ipsa animae a corpore separatione peccati venenum ab anima separari, quamvis de modo et medio illius separationis nobis exacte neutiquam quidquam constet.

Argumentum recentioris cujusdam Pontificii pro purgatorio. Corpus purgatur in sepulcro. Ergo etiam anima in igne purgatorio.

291. Quidam ex recentioribus Pontificiis utitur hoc argumento: *Corpus purgatur a peccato in sepulcro. Ergo multo magis anima a peccati labe purgari debet in quodam igne purgatorio.* Connexio probatur, *quia anima est peccati πρῶτον δεκτικόν et causa principalis, corpus est causa duntaxat instrumentalis.* Respondemus: putrefactio illa corporum in sepulcro proprie et accurate loquendo non est talis quaedam purgatio, qualem animae in igne purgatorio Pontificii tribuunt, ut propter illam haec sit statuenda, id quod probo ex ipsis Pontificiorum hypothesibus. 1. Animae sanctorum patriarcharum, prophetarum et apostolorum non descendunt in purgatorium, et tamen corpora eorum putrefacta sunt in sepulcro. Bellarminus lib. 2. de purg. cap. 9: *Quidam respondent, ut anima separata punitur poena damni, quia caret Dei visione, et poena sensus, quia torquetur igne; ita carnem puniri poena damni, quia caret vita, et poena sensus, licet improprie, quia paulatim putrefit et in cineres redigitur. Sed prior solutio (quod anima sola merito puniatur, quia ipsa est subjectum et causa efficiens peccati) est melior, nam etiam corpora sanctorum* (nota sanctorum) *haec patiuntur, qui tamen purgatione non egent.* 2. Baptizati pueri non patiuntur purgatorias poenas,
XVII. 351. consentientibus omnibus Pontificiis, illorum tamen corpora putrefiunt in monumentis. 3. Damnatorum corpora in cineres rediguntur, nec tamen propterea a peccati labe purgantur, alias non possent propter peccati labem in gehennam conjici. 4. *Fomes peccati tollitur in morte, quia tunc exstinguitur sensualitas*, Bellarminus d. l. Atqui si fomes peccati in morte tollitur, corpus nulla eget per putrefactionem purgatione. 5. Putrefactio illa corporis in sepulcro non potest conferri cum statu animarum in purgatorio. Illud enim utpote ἀναίσθητον inanime ac insensile ex putrefactione nullum dolorem concipit, animae vero in purgatorio tantis excruciantur poenis, quantas nullus in hac vita maleficus unquam persensit, si Costeri et aliorum Pontificiorum assertioni fides habenda. 6. Invertimus igitur argumentum. Si anima propter reliquias peccati igne purgatorio indigeret, utique etiam corpus ejusmodi purgationem cum sensu doloris conjunctam sustinere deberet, cum in ipso etiam corpore peccati reliquiae haereant. Sed posterius dici nequit, quia anima in sepulcro nullam sentit doloris poenam. Esa. 26, v. 19. cap. 57, v. 2: *Quiescunt in cubilibus.*

292. Quidam ex Pontificiis morose et odiose urgent, *ipsummet Lutherum purgatorio fomenta suppeditasse.* Respondemus: 1. distinguendum inter scripta priora et posteriora, quod discrimen ipse inculcat in praefat. tom. 1. Lat. 2. quod et quale purgatorium intellexerit, exponit ipse tom. 4. Lat. pag. 368: *Purgatorium a me assertum jactant Papistae et Antilogistae. Et adhuc adsero, sed illud, quod in psalmo frequentatur, ubi sancti laudant Deum, quod ab inferno inferiori de tenebris et umbra mortis, de manu inferi, de periculis inferni, de finibus et portis mortis liberati sunt etc. hoc purgatorium non est fictum, sed res ipsa et nimium serium his, qui cum prophetis et sanctis omnibus in schola Christi discunt hanc duram lectionem, deducit ad inferos et reducit, mortificat et vivificat.* Atque haec de purgatorio dicta nobis sufficiant.

293. Ostendimus superius §. 154. quaestionem de statu et conditione animarum e corporis domicilio egressarum revocari posse ad duo principalia capita, quorum prius agat περὶ τοῦ ποῦ, de domicilio illo, in quod animae post hominis mortem recipiuntur, quod ψυχοδοχεῖον appellari posse diximus; posterius περὶ τοῦ ποιεῖν καὶ πάσχειν, quid agant vel non agant separatae illae animae, an Epimenideo quodam somno oppressae ἀναίσθητοι prorsus, ἄεργοι καὶ ἄπρακτοι usque ad diem extremi judicii otientur, an vero pro distinctorum domiciliorum conditione ac statu diversa agant et patiantur. De priore membro satis prolixe hactenus egimus, restat igitur, ut ad posterius tandem descendamus de eodem pari perspicuitate acturi. Complures ex veteribus ecclesiae doctoribus amplexi videntur quandam ψυχοπαννυχίαν, hoc est statuisse videntur, animas hominum defunctorum somno sopitas, tam boni quam mali sensu destitutas ac tam aeternae beatitudinis quam damnationis expertes usque ad mortuorum resurrectionem ac diem judicii in loco quodam inter coelum ac terram intermedio eodemque invisibili quiescere ac delitescere vel certe *a visione Dei adhuc exclusas* in certo quodam ποῦ ab inferno, in quo impiorum animae asservantur, distincto unionem cum corporibus resuscitandis et aeternae beatitudinis possesionem exspectare. Ex patribus Graecis in hanc sententiam produci solent Justinus (vel quicunque alius auctor illarum quaestionum,

XVIII. I. De animarum dormitione.

quia eruditi merito dubitant, an sint Justini), qui in q. 60. ex iis, quae gentes Christianis proponunt,
VIII. 2. scribit, *narrationem de Lazaro et divite non esse veram historiam*, et causam reddens subjungit: *Neque enim ante resurrectionem unicuique ex iis, quae in vita gessit, praemium redditur.* Id. q. 76: *Si ante resurrectionem nulla sunt operum praemia, quis fructus fuit latroni, cum in paradisum ejus animus introductus est?* Respondet autem, *utilitatem latroni fuisse eam, quod fidei commodum re ipsa perceperit, per quod dignus reputatus sit, qui sanctorum coetui adjungeretur, in quo usque ad diem resurrectionis et remunerationis reservatur habetque paradisi sensum intelligentiae sensu, qui dicitur, quo animi et se ipsi vident, et quae sunt sub ipsis et praeterea angelos atque daemones.* Irenaeus lib. 5. adv. haeres. cap. 31. circa finem: *Cum Dominus in medio umbrae mortis abierit, ubi animae mortuorum erant, post deinde corporaliter resurrexerit et post resurrectionem assumtus sit, manifestum est, quia et discipulorum ejus, propter quos et haec operatus est Dominus, animae abibunt in invisibilem locum definitum eis a Deo et ibi usque ad resurrectionem commorabuntur sustinentes resurrectionem, post recipientes corpora et perfecte resurgentes, hoc est corporaliter, quemadmodum et Dominus resurrexit, et sic venient ad conspectum Dei.* Origenes homil. 7. in Levit. de patriarchis, prophetis et apostolis verba faciens: *Nondum enim*, inquit, *receperunt laetitiam suam, ne apostoli quidem, sed et ipsi exspectant, ut et ego laetitiae eorum particeps fiam. Neque enim decedentes hinc sancti continuo integra meritorum suorum praemia consequuntur, sed exspectant etiam nos licet morantes, licet desides* etc. *Vides ergo, quia exspectat adhuc Abraham, ut quae perfecta sunt, consequatur; exspectat et Isaac et Jacob et omnes prophetas exspectant nos, ut nobiscum perfectam beatitudinem capiant.* lib. 2. περὶ ἀρχῶν circa finem: *Puto enim, quod sancti quique discedentes de hac vita permaneant in loco aliquo in terra posito, quem paradisum dicit Scriptura divina, velut in quodam eruditionis loco et, ut ita dixerim, auditorio vel schola animarum, in quo de omnibus his, quae in terris viderant, doceantur.* Titus Bostrensis in c. 23. Luc. paradisum, quem Christus latroni promittit, *de ejusmodi receptaculo a coelesti regione distincto exponit* (quamvis eruditi merito dubitant, an commentaria illa in Lucam sint hujus Titi, quia auctor eorum passim citat Chrysostomum, Cyrillum Alexandrinum et Pelusiotam, qui pueri erant, cum Titus moreretur, obiit enim sub Valente teste Hieronymo de script. eccles.). Chrysostomus homil. 39. in 1. ad Corinth. in illa verba, *si in hac vita tantum speramus in Christo, miserabiliores sumus omnibus hominibus: Quid ais Paule? an non animus superstes erit? erit et immortalis quidem. Quanquam vero vel sexcenties sit immortalis, tamen sine carne ipsa admirandis illis bonis non fruitur, quemadmodum neque poenis punietur. Omnia enim coram tribunali Christi manifestabuntur*, inquit Paulus, *ut unusquisque ferat, quae per corpus sive bona, sive mala gessit. Nam si corpus non resurgit, anima nostra incoronata manebit et extra coelestem beatitudinem erit.* homil. 28. in epist. ad Hebraeos: *Intelligite et vos, quale et quantum est, Abrahamum sedere et apostolum Paulum exspectantes, quando et tu consumeris, ut possint tunc mercedem recipere, nisi enim et nos illuc venerimus, tunc praedixit eis Salvator non dare mercedem, sicut pater bonus amator filiorum probis et genuinis filiis et opus perficientibus dicit, se non daturum comedere, nisi venerint etiam alii fratres* etc. *Ne aliquid prae nobis habere viderentur, si primi ante nos coronarentur, unum definivit tempus omnium coronarum et qui ante tam multos annos vicit, tecum accipiet coronam.* Et postea: *Praevenerunt nos in certaminibus, sed non praevenient in coronis. Si enim corpus unum omnes sumus, major ex hoc efficitur corpori jucunditas, cum si-* XVIII. 3.
*mul et communiter coronatur et non per partes.* In aliis sermonibus locum illum vocare solet τὸ τῶν ἱερῶν πρόθυρον (sicut Bernhardus *atria a Domini domo distincta*, ut postea videbimus), quod animae ibi demorentur ad similitudinem eorum, qui prae foribus principum, in aedium vestibulis exspectant intra aedium penitiora ad principis conspectum admitti. Similia occurrunt homil. 40. in Genes. homil. 33. ad pop. Antiochen. homil. 7. in epist. ad Hebr. ubi locum illum, in quem animae piorum colliguntur, vocat *sinum Abrahae*, et apud auctorem operis imperfecti in Matth. quod exstat inter opera Chrysostomi homil. 34. Theodoretus in c. 11. Hebr.: *Sanctorum tot et tanta fuerunt certamina, sed hi tamen nondum coronas acceperunt, exspectat enim Deus aliorum certamina ut soluto stadio omnes, qui victoriam fuerint consecuti, simul victores pronuntiet et remuneret.* Theophylactus in c. 16. Luc. scribit, narrationem de Lazaro et divite esse parabolam, non historiam, *quia nondum distributa sint bona et mala justis et injustis.* in cap. 23. Luc.: *Alii dixerunt, quod latro nondum sit in paradiso sortitus conversationem, sed quia invariabilis sit et mentiri nequeat Domini promissio, ideo dictum est, hodie mecum eris in paradiso. Quidam vero, qui maxime sensum assequi visi sunt, sic exponunt, repromissa nobis bona non sunt ingressus in paradisum vel adscensus, sed regnum coelorum, neque enim mihi videtur idem paradisus et regnum. Bona enim regni neque oculus vidit, neque auris audivit; paradisum autem et oculus Adae vidit et auris audivit de eis* etc. In cap. 11. Hebr.: *Sancti nihil adhuc coelestium promissionum sunt assecuti.* Oecumenius in eund. loc.: *Sancti testimonium promeriti, quod per fidem placuerunt Deo, nondum consecuti sunt bona justis promissa* etc. Aretas Caesariensis episcopus in comm. cap. 6. Apocal.: *Per haec apparent sancti petere mundi consummationem, ideo longanimiter exspectare jubentur usque ad consum-*

*mationem fratrum, ne absque ipsis consummentur juxta divinum apostolum. Horum igitur spe, quae per intellectum velut in speculo contemplatur, omni crassitie liberati merito laetantur quiescentes in sinibus Abrahae, nam id a multis sanctis dictum est, unumquemque virtutis cultorem sortitum esse dignum locum, unde etiam de futura sua gloria certam quandam assequatur conjecturam.* Commentaria illa Aretae collecta sunt ex Andreae Caesariensis episcopi monumentis, ex quo intelligitur, eum in eadem haesisse sententia. Euthymius in cap. 16. Luc. dicit, *narrationem illam de Lazaro et divite esse parabolam, qua designetur, quid erit post diem judicii.* In c. 23. Luc. *paradisum a regno* distinguit, *et tunc quidem dedit ei* (inquit) *conversationem in paradiso tanquam arrhabonem regni sui, quod est fruitio ineffabilium ac aeternorum bonorum, quae nec oculus vidit, nec auris audivit.*

294. Ex patribus latinis ita sensisse videntur Tertullianus in locis compluribus, in apologet. c. 47. pag. 78: *Paradisum nominamus locum divinae amoenitatis recipiendis sanctorum spiritibus destinatum, maceria quadam igneae illius zonae a notitia orbis communis segregatum.* lib. de anim. cap. 55. pag. 294: *Si Christus non ante adscendit in sublimiora coelorum, quam descendit in inferiora terrarum, ut illic patriarchas et prophetas compotes sui faceret, habes et regionem inferum subterraneam credere et illos cubito pellere, qui satis superbe non putent animas fidelium inferis dignas, servi super dominum et discipuli super magistrum, adspernati si forte in Abrahae sinu exspectandae resurrectionis solatium carpere. Nulli patet coelum terra adhuc salva* etc. *cum transactione enim mundi reserabuntur regna coelorum.* Et sub finem illius capitis: *Habes de paradiso a nobis libellum, quo constituimus, omnem animam apud inferos*
XVIII. 4. *sequestrari in diem Domini.* cap. 58. pag. 296: *Omnes ergo animae penes inferos inquis, velis ac nolis et supplicia jam illis et refrigeria.* lib. 4. adv. Marc. cap. 34. pag. 441: *Eam regionem* (recipiendis animabus pie defunctorum destinatam) *sinum dico Abrahae, etsi non coelestem, sublimiorem tamen inferis, interim refrigerium praebituram animabus justorum, donec consummatio rerum resurrectionem omnium plenitudine mercedis expungat, tunc apparitura coelesti promissione, quam Marcioni suo vendicat quasi non a creatore promulgatam.* Similia occurrunt in Scorpiaco c. 12. de judic. Domini c. 11. in fragment. de paradiso etc. Victorinus Martyr in cap. 6. Apocal. *animas occisorum* dicit *se vidisse sub ara, id est sub terra.* Item: *In novissimo tempore sanctorum remuneratio perpetua et impiorum ventura est damnatio.* Lactantius lib. 7. div. instit. c. 21: *Nec quisquam putet, animas post mortem protinus judicari, nam omnes in una communique custodia detinentur, donec tempus adveniat, quo maximus judex meritorum faciat examen.* Hilarius in Psalm. 238: *Haec humanae lex necessitatis est, ut sepultis corporibus animae* (omnes omnino) *ad inferos descendant. Quam legem Dominus ad consummationem veri hominis non recusavit.* Ambrosius lib. 2. de Cain. c. 2: *Solvitur a corpore anima et post finem vitae hujus adhuc futuri judicii ambiguo discernitur.* De bon. mortis c. 10: *Satis fuerat illis dixisse, animas ᾅδην petere, id est locum, qui non videtur, quem Latine infernum dicimus.* Prudentius in hymno. de exseq. defunctor. *animas in terrestrem paradisum sive in sinum Abrahae descendere* docet:

> *Patet ecce fidelibus ampli*
> *Via lucida jam paradisi,*
> *Licet et nemus illud adire*
> *Homini, quod ademerat anguis.*

Augustinus lib. 1. retract. cap. 14: *De sanctis hominibus jam defunctis, utrum ipsi saltem dicendi sint jam in illa possessione* (beatitudinis) *consistere, merito quaeritur.* Epist. 111. ad Fortunatum ex verbis Hieronymi colligit, *tunc nos visuros faciem Dei, cum in angelos profecerimus, hoc est aequales angelis facti fuerimus, quod erit,* inquit, *in resurrectione mortuorum.* In enchir. cap. 108: *Tempus, quod inter hominis mortem et ultimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continet.* lib. 12. de Genes. ad lit. c. 35: *Minime dubitandum est, animam hominis post mortem ipsam carne deposita non sic videre posse incommutabilem substantiam, ut sancti angeli vident.* In Psalm. 36. conc. 1: *Post vitam istam parvam nondum eris, ubi erunt sancti, quibus dicetur: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi, nondum ibi eris, quis nescit? sed jam poteris ibi esse, ubi illum quondam ulcerosum pauperem dives ille superbus in mediis tormentis vidit a longe requiescentem. In illa requie certe securus exspectabis judicii diem.* Bernhardus serm. 3. de omnibus sanctis: *Advertistis, ni fallor, tres esse sanctarum status animarum; primum videlicet in corpore corruptibili, secundum sine corpore, tertium in beatitudine consummata; primum in tabernaculis, secundum in atriis, tertium in domo Dei.* Et postea: *In illam beatissimam Dei domum animae nec sine nobis intrabunt, nec sine corporibus suis, id est nec sancti sine plebe, nec spiritus sine carne.* Serm. 4. exponens illud Apoc. 6. *vide sub altari animas interfectorum,* per altare intelligendam esse dicit *Christi humanitatem,* ac dicit, *animas martyrum esse sub altari, quia solum vident Christi humanitatem, post diem judicii exaltandas esse super altare ad videndum Dei essentiam.*

295. Bellarminus quidem in lib. de beatit. sanctor. cap. 4. et 5. pleraque illa dicta ad commodum sensum trahere conatur. De Justino dicit, quod *loquatur de retributione perfecta, quando* XVIII. 5
*totus homo anima et corpore gaudebit vel cruciabitur;* de Irenaeo, quod *solum significet, animas*

*non esse nunc in perfecta illa beatitudine, in qua est Christus, qui animo et corpore est beatus;* de Origene, quod *loquatur de laetitia accidentali et perfecta;* de Chrysostomo, Theodoreto, Theophylacto et Oecumenio, quod *loquantur de gloria seu corona corporis*; de Hilario, quod *loquatur de tempore V. T. quo adhuc coelum erat clausum*; de Ambrosio, quod *notitiam temporis illius, quo futurum sit extremum judicium, animabus tantum deneget quodque loquatur de retributione mercedis, quae tam animo quam corpori publice coram toto mundo danda est;* de Prudentio, quod *loquatur figurate per sinum Abrahae et paradisum terrestrem intelligens regnum coelorum;* de Augustino, quod *aliquando dubitaverit de loco, ubi sint animae beatorum, sed postea re diligenter considerata rectius senserit;* item quod *existimaverit, sanctorum animas videre quidem Deum, sed non ita perfecte, ut videbunt post resurrectionem, propterea quod naturale desiderium recipiendi corpus non sinat animas toto conatu ferri in Deum;* (Sixtus Senensis lib. 5. bibl. annot. 169. pag. 388. addit, *Augustinum non de gloria animarum, sed de gradibus et quantitate sive consummatione gloriae ante judicium dubitasse, utrum pares essent angelis in visione Dei, an aliquid minus viderent;)* de Bernhardo denique, quod *Augustinum secutus deneget animae separatae non omnino omnem Dei visionem, sed perfectam illam, quam habebit anima, quando toto impetu feretur in Deum.* Et sane non imus inficias, quaedam ex illis piorum veterum dictis commode explicari posse, eorum cumprimis, qui alibi mentem suam clarius exposuerunt, interim negari nequit, 1. plurima ex illis dictis ita comparata esse, ut non nisi per violentam detorsionem ad bonum sensum reduci possint, adeo ut hic quoque locum habeat effatum theologorum academiae Duacensis, qui in censura Bertrami, quam indici expurgatorio inseruerunt, aperte fatentur, *se in Catholicis veteribus aliis praeter Bertramum plurimos ferre errores et extenuare, excusare, excogitato commento persaepe negare et commodum iis sensum affingere, dum in disputationibus opponuntur.* 2. Inde Bellarminus ipse fatetur, *Aretam et Euthymium ex Graecis, Tertullianum, Lactantium et Victorinum ex Latinis non posse commode exponi.* 3. Sanderus de visib. ecclesiae monarchia lib. 7. expresse asserit, Johannem XXII. *errorem illum suum, quod sanctorum in Domino quiescentium animae ante diem judicii Deum non sint visurae nec fruiturae coelesti gloria et beatitudine, cum multis et Graecis, et Latinis patribus habere communem.* 4. Alphonsus de Castro lib. 3. adv. haeres. in verb. *Beatitudo* haeres. 6. *Bernhardum, Theophylactum et Irenaeum idem cum Johanne XXII. sensisse* asserit, *idque Irenaeum aperte indicare, in Theophylacto se mirari non fuisse a censore notatum, de Bernhardo vero luce clarius constare.* 5. Theodorus Peltanus Jesuita in suis ad Titum Bostrensem annotationibus observat, *sententiam illam sive Chrysostomi sit, sive Titi, apud quem ex verbis Chrysostomi probatur, esse multorum veterum.* 6. Sixtus Senensis lib. 6. biblioth. annot. 345. pag. 570. sine circuitione fatetur, *multos ex veteribus visionem Dei animabus pie defunctorum denegasse,* sic enim scribit: *Alphonsus Castrensis admonet, hanc Bernhardi sententiam esse damnatam, quod et ipse non inficior, sed auctorem tamen grato ac benigno affectu excusandum arbitror ob ingentem numerum illustrium ecclesiae patrum, qui ante ipsum huic dogmati auctoritatem suo testimonio visi sunt praebuisse. Horum sententias juxta seriem temporum, in quibus floruerunt, collectas huc opponere libet, ut in unius paginae transcursu lector absque longa mora breviter agnoscat, qui sibi auctores hac in parte* XVIII. 6.
*prudenter legendi sint ac benevole, quando id fieri queat, interpretandi.* Agnoscit igitur, quorundam dicta non admittere benevolam ac commodam illam interpretationem. Ibid. pag. 573: *Si quae sunt sanctorum dicta, quae nequeant hujusmodi interpretationem pati* (quod scilicet animabus non denegent simpliciter Dei visionem et beatitudinem, sed duntaxat perfectam et consummatam illam felicitatem, quam post corporis resurrectionem exspectant), *memineris saltem, hunc errorem nihil officere eruditioni et pietati tam illustrium patrum, cum ecclesia illorum temporum nondum aliquid certi in hoc articulo statuisset credendum.* 7. Vasquez tom. 1. in Thomam disp. 19. cap. 1. num. 11: *Non pauci neque infimi nominis auctores in ea fuerunt sententia, ut assererent, sanctorum defunctorum animas, quae ex hac vita discesserunt, non statim in beatitudinem recipi, sed usque ad diem judicii in quibusdam locis reservari, ut interim nec Deum videant, nec beatae sint. Euthymius, Tertullianus, Lactantius, Victorinus manifeste hanc sententiam docuerunt* etc. Stapletonus lib. 1. de auctorit. Script. cap. 2. §. 5: *Etiam Origenes, Irenaeus, Chrysostomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus, Ambrosius, Bernhardus huic sententiae assensi sunt.*

296. Colligimus igitur ex illis patrum sententiis, 1. verissimam esse regulam istam, quam toties inculcat Augustinus, quod patrum dicta non sint canonicae Scripturarum sacrarum auctoritati exaequanda nec pro norma fidei in ecclesia habenda, sed juxta Scripturae normam explicanda ac salva honorificentia, quae patribus debetur, posse ab eorum sententia discedi, sicubi ipsimet a Scripturis sacris discesserint, epist. 19. ad Hieron. epist. 48. ad Vincent. epist. 111. ad Fortunatum, lib. 2. cont. Crescon. c. 32. lib. 11. cont. Faust. c. 5. et alibi passim. 2. Σοφὸν illud φάρμακον, quo Bellarminus lib. 2. de Christo c. 2. authenticam patrum auctoritatem tueri nititur, quod scilicet *patres nunquam omnes simul errent, etiamsi aliquis eorum erret,* non posse nec debere pro universali regula haberi, cum plures quandoque in erronea opinione consentiant. Nullus patrum fuit immediate a Deo illumi-

natus et inspiratus, sicut prophetae et apostoli, ideo non minus plures simul quam singuli errare possunt, eatenus vero non errant, quatenus Scripturam sequuntur, quae omnis erroris penitus expers. 3. Posse in patribus ut naevos excusari ea, quae accedente pertinacia luci Scripturarum obluctante degenerant in haereticas opiniones. Bellarminus lib. 4. de eccles. c. 5. insectatur Flacium Illyricum, quod in patribus *naevos* appellet, quae in Pontificiis damnat ut *haereses*. *Illyricus* (inquit) *nostra dogmata in omnium patrum libris invenit*, *sed in patribus vocat naevos*, *in nobis haereses*. *Scilicet haec est astutia adversariorum*, *ut ostendant*, *nos esse extra ecclesiam*, *nostra dogmata vocant haereses*, *ut non videantur ipsi separati ab ecclesia patrum*, *eadem dogmata in illis vocant naevos*. At praeter alia, quae Bellarmino opponi possunt ac debent, utpote quod papalia dogmata non occurrant apud antiquissimos patres, qui primis seculis vixerunt, quod quarundam duntaxat corruptelarum vestigia in scriptis veterum occurrant, quod ipsimet Pontificii tales naevos in patribus agnoscere cogantur etc. urgemus locum Augustini lib. 1. de baptism. contra Donatistas cap. ult. ubi Donatistis pro sua de baptismo iterando haeresi auctoritatem Cypriani obtendentibus eodem modo respondet. *Nam illum*, inquit, *naevum in candore sanctae animae caritatis ubera obtegebant*, *hanc autem fuliginem in istorum tartarea foeditate vultus impacatus ostentat*. Augustini vestigiis insistit Vin-
XVIII. 7. centius Lerinensis, qui in lib. contra profan. vocum novit. cap. 11. (in haereseolog. Basil. edit. p. 646.) sic scribit: *O mira rerum conversio! Auctores ejusdem opinionis catholici*, *consectatores vero haeretici judicantur; absolvuntur magistri*, *condemnantur discipuli; conscriptores librorum filii regni erunt*, *assertores vero gehenna suscipiet. Nam quis ille tam demens est*, *qui illud sanctorum omnium et episcoporum et martyrum lumen beatissimum Cyprianum cum ceteris collegis suis in aeternum dubitet regnaturum esse cum Christo? aut quis contra tam sacrilegus*, *qui Donatistas et ceteras pestes*, *quae illius auctoritate concilii rebaptizare sese jactitant*, *in sempiternum neget arsuros esse cum diabolo?* etc. 4. Perquam proclive esse in rebus fidei a veritatis tramite aberrare, si relicta Scripturae luce humanas ratiocinationes velimus sequi. Quia enim rationi absurdum videtur, judicium adhuc institui, si animae jam ante Dei visione ac aeterna felicitate perfruuntur, inde quidam ex veteribus humanae rationis arbitrium secuti animabus separatis illam felicitatem denegarunt. 5. Erroneam illam de statu animarum separatarum opinionem precibus pro defunctis et temporis progressu dogmati de purgatorio occasionem praebuisse. Patet hoc ex liturgia, quae Jacobo, falso tamen tribuitur, in qua sacerdos pro animabus sanctorum in Christo quiescentium ita precatur, ut indicet, eas nondum ad locum exspectatae beatitudinis pervenisse. Forma precationis haec est: *Domine Deus noster*, *memento omnium orthodoxorum ac recte de fide sentientium ab Abel justo usque ad hodiernum diem*, *fac eos requiescere in regione viventium in regno tuo*, *in deliciis paradisi*, *in sinu Abraham*, *Isaac et Jacob*, *sanctorum patrum nostrorum*, *unde exsulat dolor*, *tristitia et gemitus*, *ubi praesidet lumen vultus tui et perpetuo refulget.*

Scripturae sententia de statu animarum separatarum.

297. Sed praetermissis incertis veterum opinionibus de communi quodam animarum a corporibus separatarum receptaculo ac somno, Scripturae divinitus inspiratae sententiam de statu et conditione animarum investigabimus. Ea vero testatur, 1. animas a corporibus separatas nequaquam in locum quendam a coelo et inferno distinctum et in commune quoddam receptaculum congregari, sed ποῦ illud beatissimum, in quod animae piorum in fide defunctorum recipiuntur, esse vere ac realiter distinctum ab infernali illo carcere, in quem animae impiorum et infidelium detruduntur. 2. Animas defunctorum a corporibus separatas non opprimi somno quodam carnali et Epimenideo usque ad extremi judicii diem, sed tempore inter mortem hominis et extremum judicium intermedio in eodem versari statu, quem post resurrectionem corporibus unitae obtinebunt, hoc est animas piorum in coelo Deum videre et aeternae beatitudinis participes esse; animas impiorum in inferno a beata Dei visione remotas et cruciatuum infernalium participes reddi. 3. Quando in extremo die animae corporibus resuscitatis iterum unientur, et beatorum gaudium et damnatorum cruciatum incrementa accepturum, quia in communionem gaudii in beatis et supplicii in damnatis corpora eorum vocabuntur. De primo membro superius late fuit dictum ac quomodo Scriptura de duobus distinctis animarum separatarum receptaculis loquatur, fuit ostensum, restat igitur, ut ad secundum membrum accedamus ac quomodo statum animarum beatarum in coelo et damnatorum in inferno Spiritus sanctus nobis describat, attendamus.

De statu animarum beatarum in coelo. 1. ex V. T XVIII. 8.

298. Statum animarum *in coelo* Scriptura tum *negative*, tum *affirmative* describit, a quo scilicet beatae illae animae immunes sint ac liberae, et quibus bonorum generibus, quave felicitate circumfluant, quid non cogantur pati et quid vicissim agant; proinde in duas istas classes Scripturae dicta, quae de statu beatarum animarum nos informant, distingui possunt, sed nos hac vice sequemur seriem librorum biblicorum et phrasium emphasin in quolibet dicto expendemus. Abrahamo dicit Dominus Genes. 15, v. 15: *Ibis ad patres tuos* בְּשָׁלוֹם, *in pacem*, ex quo loco Esaias desumsit illud cap. 57, v. 2. *ingrediuntur in pacem*, et Simeon Luc. 2, v. 29. *nunc dimittis servum tuum in pace.* Haec pax aminarum sanctarum non est iners otium vel veternus aliquis, sed tranquillitas, laetitia et pax conscientiae in Deo exsultantis, ab omni dolore et pavore liberatae, Dei luce fruentis et Deum celebrantis, ut infra plenius docebitur. De eodem Abrahamo dicit Spiritus sanctus, quod post mortem

*congregatus sit ad populum suum*, Genes. 25, v. 8. quae phrasis etiam de Isaaco Genes. 35, v. 29. Jacobo Genes. 49, v. 33. et aliis piis in vera fide promissi Messiae defunctis usurpatur. Emphasin hujus phraseos expendimus superius in *συνωνυμίᾳ*, ubi ostendimus, non corporis nec sepulturae, sed animae respectu pios ad populum suum congregari. Est ergo certus aliquis populus, ecclesia scilicet triumphans in coelis, cui pii statim a morte conjunguntur et cum qua unum coetum constituunt. Num vero putabimus, coetum illum esse penitus otiosum ac perpetuo indulgere somno? absit hoc a nobis longissime. Quodsi enim militans in terris ecclesia ac populus Dei in hoc mundo non est otiosus ac somno perpetuo sopitus, sed Deum agnoscit, colit, celebrat; utique multo minus ecclesia in coelis triumphans ac populus Dei in vita aeterna otiosus ac somno sopitus est censendus, sed fulget in eo lux divinae agnitionis, resonant in eo laudis divinae cantica ac membra hujus coetus vinculo caritatis invicem sunt connexa, alias non constituerent unum aliquem populum. 1. Sam. 25, v. 29. ait Abigail ad Davidem: *Anima domini mei erit colligata in fasciculo vitae ac Domino Deo tuo.* Emphasin hujus dicti expendimus §. 160. hoc loco illud duntaxat notamus, quod animae piorum post mortem dicuntur *colligari in fasciculum* חַיִּים, *vitarum, apud Dominum Deum.* Ergo vivunt אֶת־יְהוָה, *cum Domino* seu apud Dominum. Qualis vero haec sit vita et qualis status apud Dominum, exponit David Psalm. 16, v. 11: *Scire facies me semitam* חַיִּים, *vitarum*, אֶת־פָּנֶיךָ, *cum faciebus tuis* vel apud faciem tuam, *jucunditates in dextera tua in seculum.* Psalm. 36, v. 10: *Tecum* vel apud te *est fons vitarum et in lumine tuo videmus lumen.* Ex his et similibus dictis intelligitur, vitam apud Deum non esse aliam quam beatissimam, laetissimam, jucundissimam. Psalm. 142, v. 8: *Educ ex carcere* sive clausura *animam ad laudandum nomen tuum.* Ergo quando anima ex corporis ergastulo in morte liberatur, tum velut ex arcto quodam carcere in liberum campum progreditur ac laudat Dominum cum omni sanctorum angelorum et beatorum choro. Esa. 57, v. 1: *Viri misericordiae a facie mali colliguntur*, v. 2. *ingrediuntur in pacem.* שָׁלוֹם apud Hebraeos significat omnium bonorum cumulum, omnigenam prosperitatem ac felicitatem, quando igitur animae defunctorum *in pacem ingredi* dicuntur, eo ipso significatur, quod aeternae beatitudinis fiant participes, quia beatitudo sic describitur, *quod sit status omnium bonorum aggregatione perfectus.* Danieli ab angelo dicitur Dan. 12, v. 13: *Vade ad finem et requiesces et stabis* (resurges in die novissimo atque interim quoad animam constitueris) *in sorte tua*, hoc est tibi assignata, *in sorte* scilicet *sanctorum in lumine*, Actor. 26, v. 18. Coloss. 1, v. 12. Atqui *in illo*
XVIII. 9. *lumine* constituti *vident* verum *lumen* Psalm. 36, v. 10. non ergo otiose ac secure dormiunt. Sapient. 3, v. 1: *Justorum animae in manu Dei sunt, et non tangit illas tormentum.* (Dictum hoc expendimus superius §. 161. et 191. manus Dei inter cetera significat Dei *protectionem ac tutelam*, quando ergo animae piorum dicuntur esse in Dei manu, sensus est, quod Dei patrocinio ab omni prorsus malo sint immunes, contra vero omnis boni ac felicitatis participes, quia in *dextra Dei sunt delectationes in seculum* Psalm. 16, v. 11. ac omnium optima explicatio, quomodo animae piorum sint in manu Dei, petitur ex dicto Christi Johan. 10, v. 27: *Oves meae vocem meam audiunt, et agnosco eas*, v. 28. *et ego vitam aeternam do eis, et non peribunt in aeternum, et nemo rapiet eas ex manu mea.* Ergo animae in manu Dei habent vitam aeternam, *nec tangit eas tormentum*, sicut animae impiorum in inferno *cruciantur*, Luc. 16, v. 28.) *Sed illi sunt in pace* v. 3. (circumfluunt felicitate ac laetitia) v. 4: *ὀλίγα παιδευθέντες μεγάλα εὐεργετηθήσονται, in multis bono afficientur, multis beneficiis cumulabuntur.* v. 6: *In tempore visitationis ipsorum refulgebunt et tanquam scintillae in stipula discurrent*, hoc est dono claritatis ornabuntur ac *solis instar fulgebunt in regno Patris coelestis* Matth. 13, v. 43. Eccles. 11, v. 3. parabolice dicitur, quod homo in morte cadat vel *ad austrum, vel ad aquilonem*, hoc est quod anima migret vel in locum beatitudinis, lucis, gaudiorum etc. vel in locum damnationis, tenebrarum et cruciatuum. Ergo animae non asservantur in communi quodam receptaculo usque ad judicii diem, nec somno perpetuo sopiuntur, sed vel praemia, vel poenas percipiunt. Siracid. 11, v. 27: *Facile est coram Domino in die obitus reddere homini secundum opera ejus.* Ergo praemia piorum non differuntur plane in diem judicii, ut animae interim nihil ex illis participent, sed statim in die obitus redditur unicuique secundum opera ac proinde pii benefactorum praemia, impii malefactorum poenas recipiunt. Non est quod regeras, *Siracidem haudquaquam categorice asserere, quod in die obitus unicuique secundum opera reddatur, sed duntaxat hypothetice, quod possit Deus reddere, si vellet.* Nam genuinus ac verus dicti sensus is est, quod reddat Deus unicuique in die obitus secundum opera sua et quod Deo hoc facile factu sit, quia sapiens hoc argumento nos exhortatur ad studium bonorum operum, ac v. 28. addit, *quod in fine hominis sit denudatio operum ejus*, ut est in vulgata translatione. In supplem. Dan. cap. 3, v. 86: *Benedicite spiritus et animae justorum Domino, laudate et superexaltate eum in secula.*

299. In N. T. de statu et conditione animarum 2. Ex N. T.
piarum e corporis domicilio egressarum plura exstant testimonia. De patriarchis Abrahamo, Isaaco et Jacobo dicit Christus Matth. 22, v. 32. Marc. 12, v. 26. Luc. 20, v. 37. quod post mortem adhuc *vivant*, respectu scilicet animarum, quia corpora eorum tum nondum erant ad vitam resuscitata. Quodsi ergo animae eorum vivunt, et quidem *in coelo apud Dominum*, utique etiam gaudia aeternae

vitae sentiunt, nec somno consopitae otiantur, *vita vigilia est*, dicit Seneca, somnus autem mortis imago est ac soror. *Vita in actione consistit*, dicit Philosophus, non in ignava et inerti ἀπραξίᾳ. Luc. 19, v. 30. Moyses et Elias in transfiguratione Christi apparentes *loquuntur cum illo de exitu* seu passione illius Hierosolymis sustinenda; sic etiam animae beatorum de persona, beneficiis et regno Christi colloquuntur in summa laetitia. Luc. 16, v. 22. quando Lazarus moritur, angeli ipsius *animam portant in sinum Abrahae*, ubi παρακαλεῖται
XVIII. 10. v. 25. ac libera est ab omni periculo e felicissimo illo statu excidendi, quia chasma magnum est firmatum v. 26. Rationem metaphorae, cur felicissimus beatarum animarum status vocetur *sinus Abrahae*, exposuimus superius §. 161. Sicut infans in sinu materno quietem et protectionem invenit, sic piorum animae in hoc sinu felicitatis aeternae quietem ab omni labore et protectionem ab omni dolore percipiunt. Esa. 66, v. 13: *Consolabor vos, sicut mater consolatur filium.* Ac probe notandum, quod Lazarus in hoc sinu Abrahae dicitur *consolationem percipere*, utique ergo ipsius anima non dormit, sed consolatione erigitur ac sentit loco malorum, quae in hac vita sustinuit, sibi retribui bona, sicut ex antithesi ibidem addita intelligitur. Excipiunt Psychopannychitae, *hanc non esse historiam, sed parabolam, in qua futura tanquam praesentia narrentur ad animos hominum magis percellendos.* Respondemus: 1. multi ex veteribus statuunt, esse historiam. Tertullianus lib. 4. adv. Marcion. p. 274. Hilarius in enarrat. Psalm. 2. circa fin. Ambrosius in Luc. tom. 5. p. 128. Hieronymus lib. 2. adv. Jovin. Augustinus de cura mort. c. 14. Gregorius lib. 4. dial. cap. 29. Lyranus in comm. Luc. 16. argumento permoti eo, quod nomina propria Abrahae et Lazari exprimantur ac quinque fratres damnati divitis recenseantur. 2. Quidam statuit, priorem hujus narrationis partem, quae personam divitis et Lazari, ipsorum vitam, mores et obitum exponit, esse historicam; posteriorem vero, quae conditionem Lazari in futuro seculo, sinum Abrahae, cruciatum divitis, guttulam aquae exprimit, esse parabolicam. 3. Si vel maxime statuatur, quod sit parabola, nostrae tamen sententiae confirmandae optime inservit. Neque enim significat futurum hominum piorum et impiorum post diem judicii statum, sed potius praesentem, quem statim a morte ipsorum animae sortiuntur. Dives enim damnatus rogat Abrahamum, ut *mittat Lazarum ad fratres suos*, cui Abraham respondet, *habent Moysen et prophetas, audiant illos.* At post diem judicii non erunt homines in hoc mundo, qui a futuris inferni suppliciis praemoneri ac Moysen et prophetas audire possent. Ergo haec διήγησις, etiamsi sit parabolica, ostendit tamen, animas piorum consolatione frui in coelo, impiorum vero animas cruciari in inferno, alioqui nec vera, nec verisimilis erit. Absit enim, ut cum Photinianis in actis manuscriptis colloquii Racoviensis blasphemare velimus, *Christum in hac parabola divitis et Lazari hominum opinionibus, quae tunc plerunque vigebant, se accommodare fuisse* coactum. *Nam* (inquiunt) *aliquem in inferno fuisse et ibi torqueri, alium in sinu Abrahae decumbere sunt plane fictitia et similia illis, quae poëtae de Ixione, Sisypho, Tantalo scribunt.* Quanto rectius Irenaeus lib. 4. adv. haeres. cap. 4. p. 234: *Non fabulam retulit nobis* (Dominus) *divitis et pauperis, sed primum quidem docuit, neminem oportere deliciis uti neque in secularibus oblectamentis et multis epulis degentes servire suis voluptatibus* etc. *ne ergo in eandem poenam cum his veniamus, finem eorum ostendit simul significans, quod obedientes Moysi et prophetis crederent in eum* etc. Luc. 23, v. 43. promittit Christus converso latroni, *hodie mecum eris in paradiso.* Dicti hujus emphasin expendimus superius §. 161. et 190. Nomen paradisi in Scripturis accipitur dupliciter. Primo *proprie* pro horto illo deliciarum corporali ac terreno, in quo primi parentes, antequam peccarent, habitarunt, sed post peccatum, ex eodem expulsi fuere, Genes. 2, v. 8. et seqq. cap. 3, v. 1. c. 13, v. 10. Cant. 4, v. 13. Ezech. 28, v. 13. c. 31, v. 8. Secundo *figurate* pro beatissimo illo ποῦ, in quo animae piorum felicitate et gloria perfruuntur, 2. Corinth. 12, v. 4. Apoc. 2, v. 7. cujus figura paradisus ille terrenus exstitit. Hoc loco paradisi XVIII. 11
nomen non accipitur in significatione priore, sed posteriore. Proinde ut latronis conversi, ita quoque omnium vere piorum animae in vera Christi agnitione ex hujus vitae ergastulo discedentes *in paradisum*, id est coetum ecclesiae coelestis, et ad beatitudinem ac laetitiam sempiternam transferuntur, quia paradisus significat regnum Dei, vitam beatam, secretis malis omnibus cumulatam omnium bonorum complexionem, sedem beatorum, in qua Deus sanctis angelis et beatis animabus videndum et fruendum sese exhibet, ex qua visione inenarrabilis laetitia et vita beatissima oritur. Athanasius in lib. variar. qq. q. 19: *Non propter solam latronis animam Christus Deus noster paradisum aperuit, sed etiam ob reliquas sanctorum animas.* Excipiunt 1. *Christum loqui de paradiso terrestri.* Respondemus: Contrarium ostendimus superius §. 163. Ne enim latro per *regnum* fortassis intelligeret aliquid humanum vel corporeum, Christus declaravit, regnum suum esse *paradisum*, id est gloriam et felicitatem coelestem. *2. Latroni promissum quidem fuisse paradisum coelestem, sed dandum demum past resurrectionem, dixisse autem Christum, hodie eris propter certitudinem rei futurae, sicut prophetae res futuras per tempus praesens aut praeteritum exprimunt. 3. Illud hodie conjungendum cum voce dico, non cum verbo eris, amen hodie tibi dico, eris mecum in paradiso.* Respondemus: utramque exceptionem esse coactam et textui contrariam, ostendimus itidem superius §. 190. Joh. 5, v. 24: *Amen amen, dico vobis, qui verbum meum audit et credit ei, qui misit me, habet vitam aeternam et in judicium non venit, sed*

*transiit a morte in vitam.* Ergo animae fidelium statim a morte transeunt ad vitam aeternam, quae in Scripturis definitur inenarrabili felicitate ac laetitia. Ecquis enim statuet, conditionem ac statum piorum post mortem omnium malorum finem reddi deteriorem? Jam vero etiamnum in hac vita πρόγευσιν aeternae felicitatis sentiunt, utique ergo ab ea post mortem non excluduntur, sed primitiarum in hac vita acceptarum decimas et incrementum largissimum consequuntur. Joh. 14, v. 2: *In domo Patris mei mansiones multae sunt, si quo minus, dixissem vobis, quia vado parare vobis locum;* v. 3. *et si abiero et praeparavero vobis locum, iterum veniam et accipiam vos ad me ipsum, ut ubi sum ego, et vos sitis.* Consoletur Christus apostolos adversus odia ac persecutiones mundi, in quo non erant fixam ac stabilem sedem habituri, ac promittit ipsis, quod in *domo patris sui*, id est in coelo, sint *multae mansiones*, non tuguriola commorandi duntaxat causa concessa, sed habitacula ac tabernacula aeterna, in quae eos undique a mundo fugatos statim post mortem recipere velit. Christus enim venit ad nos ac nos ad se recipit, non solum in extremo judicio, quando corpora nostra ex terrae pulvere suscitata in coelum introducet, sed etiam in hora mortis, quando animas nostras per angelos in sinum suum transferri curat. Ergo ubi Christus est, ibi apostoli et omnes vere pii statim post mortem esse incipiunt. Jam vero Christus est in gloria et beatitudine coelesti, ut constat. cap. eodem Ergo v. 16: *Rogabo Patrem, et alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum.* Ergo apostolorum animae etiam post mortem manserunt habitacula et templa Spiritus sancti, ejusdem luce collustrata, alias enim Spiritus sanctus non mansisset cum ipsis in aeternum. Quae vero apostolorum, eadem etiam omnium vere piorum hac in parte sors est et conditio. Joh. 17, v. 24: *Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi ego sum, et illi sint mecum, ut videant claritatem, quam dedisti mihi.* Ergo animae piorum, quae sunt cum Christo, non sunt
XVIII. 12. otiosae vel somno sopitae, sed vident Christi gloriam ac claritatem et ex hac visione lucem, justitiam, vitam et laetitiam percipiunt. Act. 7, v. 55. Stephanus moriturus videt *coelos apertos, Dei gloriam et Filium hominis stantem a dextris Dei*, nimirum ut intelligeret, coelum sibi jam patere, seque statim a Domino in coelestem gloriam esse recipiendum, unde etiam ex fide orat. v. 58: *Domine Jesu suscipe spiritum meum*, tanquam depositum fideliter custodiendum ac constituto tempore reddendum, perinde ut etiam Christus moriturus spiritum suum Patri tradit docens, omnia corporis sui mystici membra eandem cum ipso consolationem in morte habere et spiritus omnium vere piorum a corpore discedentes velut depositum a Deo suscipi et in coelestem gloriam transferri 1. Petr. 4, v. 19. Cumprimis vero de statu animarum piarum emphatice loquitur apostolus 2. Cor. 5, v. 1: *Scimus, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, aeternam in coelis.* v. 2. *Nam et in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quae e coelo est, superindui cupientes;* v. 3. *si tamen vestiti et non nudi inveniamur,* v. 4. *nam et qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati eo, quod nolumus exspoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur, quod est mortale, a vita.* v. 6. *Audentes igitur semper et scientes, quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino,* v. 7. *per fidem enim ambulamus et non per speciem.* v. 8. *Audemus autem et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore et praesentes esse ad Dominum.* Quidam hunc locum exponunt de tempore resurrectionis et judicii, ideo per *domum terrestrem dissolvendam* intelligunt mundum in fine seculi destruendum, per *domum aeternam et coelestem* corpus immortale et glorificatum, qua ratione hic locus apostolicus non de statu animarum post mortem, verum de gloria piorum post resurrectionem ageret. Sed scopus atque integer contextus contrarium ostendit. Per ἐπίγειον οἰκίαν τοῦ σκήνους apostolus intelligit corpus hoc mortale, sicut ipsemet exponit v. 6. *dum sumus in corpore*, ut et Jobi 4, v. 19. eadem metaphora homines in hac vita dicuntur *inhabitare domos luteas*, ac Petrus mortem suam vocat ἀπόθεσιν τοῦ σκηνώματος 2. epist. 1, v. 14. sicut hoc loco Paulus κατάλυσιν τῆς ἐπιγείου οἰκίας τοῦ σκήνους. Ratio metaphorae est manifesta. Corpus enim humanum est ex terra factum ac proinde fragile et caducum instar tabernaculi, quod cito potest loco moveri. Anima in corpore habitat velut in domo, imo velut in tabernaculo, id est in temporario quodam habitaculo, sicut milites tempore belli ad tempus in tabernaculis commorantur. Per οἰκοδομὴν ἐκ θεοῦ, οἰκίαν ἀχειροποίητον, αἰώνιον ἐν τοῖς οὐρανοῖς καὶ τὸ οἰκητήριον τὸ ἐξ οὐρανοῦ intelligit beatitudinem ac vitam aeternam, in quam pii post mortem suscipiuntur. Probamus hoc 1. *ex praecedentis capitis conclusione* v. 17. *quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur nobis,* v. 18. *non contemplantibus, quae videntur, sed quae non videntur; quae enim videntur temporalia sunt, quae autem non videntur, aeterna sunt.* Cum hisce non solum immediate, sed etiam per particulam ratiocinativam γάρ conjungitur apostolica illa consolatio, *scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvitur, quod aedificationem ex Deo habemus*, aeternum scilicet illud ac invisibile coelestis gloriae pondus. 2. *Ex oppositione.* Aedificationem enim illam ex Deo, domum non manufactam, aeternam in coelis elegantissime opponit apostolus terreno mortalis corporis nostri tabernaculo. Corpus mortale vocat domum ἐπίγειον tum *ratione originis*, quia est ex terra factum, tum *ratione nutritionis et* XVIII. 13. *habitaculi*, quia fructibus ex terra nascentibus alitur et terram inhabitat, tum *ratione termini*, quia in terram tandem abit ac resolvitur; sed beatitudinem

ac vitam aeternam domum coelestem, quia in coelo eadem fidelibus parata. Corpus mortale vocat *σκῆνος*, quia anima ad tempus duntaxat in illo habitat, postea ex hoc tabernaculo emigrat; sed coelestem beatitudinem vocat *οἰκητήριον*, aeternum ac perpetuum domicilium. De corporis tabernaculo dicit, quod tandem dissolvatur, sed coelestem beatitudinem vocat *οἰκίαν αἰώνιον*, quia in aeternum et quidem in eodem statu permanet. Coelestem domum vocat *ἀχειροποίητον* et *οἰκοδομὴν ἐκ θεοῦ*, quia Deus ab aeterno sine hominum opera eandem fidelibus paravit, contra vero corpus mortale per carnalem generationem parentum nobis communicavit. *3. Ex verborum consideratione.* Non in futuro dicit, si terrestris domus dissoluta fuerit, habebimus aedificationem ex Deo, sed in praesenti *ἔχομεν*, *habemus*, at si de corpore immortali et glorificato tempore resurrectionis nobis dando loqui voluisset, in futuro dixisset *habebimus domum ex Deo*. *4. Ex scopi observatione.* Apostolus hoc vult dicere. Si vel maxime in hac vita persecutiones, exsilia et ipsam tandem mortem sustinere cogimur, non est tamen, quod animo propterea angamur ac domum nobis defuturam metuamus, habemus enim domum coelestem, in quam e mundo pulsi ac fugati recipiemur. At si per domum coelestem intelligeret corpus immortale et glorificatum, non potuisset dicere, nobis non defuturam domum, quia a die mortis usque ad tempus judicii deerit nobis corpus immortale. *5. Ex consequente illatione.* Ex eo enim, quod apostolus dixerat, dissoluto terrenae domus habitaculo nos habere domum aeternam in coelis, v. 8. infert, quod intuitu felicissimae illius conditionis desideremus *magis e corpore peregrinari et praesentes esse apud Dominum.* Atqui si per *domum aeternam in coelis* intelligitur corpus immortale, non potest illud desiderium mortis ex antecedentibus inferri, quia corpore illo immortali carendum est piis usque ad diem judicii. *6. Ex aliorum Scripturae locorum collatione.* Non est in Scripturis insolitum aut infrequens, beatitudinem coelestem conferri *domui*. Luc. 16, v. 9: *Ut recipiant vos in aeterna tabernacula.* Johan. 14, v. 2: *In domo Patris mei mansiones multae.* Hebr. 11, v. 10: *Exspectabat fundamenta habentem civitatem, cujus artifex et conditor Deus.* cap. 13, v. 14: *Non habemus hic civitatem manentem, sed futuram inquirimus.* Apoc. 21, v. 3: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus etc.* 7. *Ex patrum interpretatione.* Per *domum coelestem* in textu apostolico vitam aeternam intelligunt Photius apud Oecumenium, Anselmus et alii complures. Describitur igitur status animarum sanctarum e corporis tabernaculo egressarum hisce membris, 1. quod introducantur in domum non manufactam, sed quae ex Deo et aeterna est in coelis. Atqui in illa domo luce, gloria et laetitia coelesti perfruuntur. 2. Quod in coelesti illo habitaculo superinduantur gloria et honore. 3. Quod sint praesentes apud Dominum in vera sua patria, ubi diligenter nota, apostolum affectum piorum sic describere, quod desiderent peregrinari a corpore, ut non amplius peregrinentur a Domino, sed sint praesentes apud ipsum, docet igitur, esse statum aliquem animae, in quo peregrinetur quidem a corpore, non tamen peregrinetur a Domino. Atqui talis animae status non daretur, nisi ante resurrectionem anima esset apud Dominum praesens. Nam in hac vita peregrinamur a Domino, sed non a corpore, *ἐνδημοῦμεν γὰρ ἐν σώματι* v. 6. in futura vita post resurrectionem nec a Domino, nec a cor- XVIII. 14.
pore peregrinabimur, quia erimus cum Domino semper et in carne nostra Deum videbimus. Ut ergo detur status, in quo *ἐκδημοῦμεν ἐκ τοῦ σώματος, ἐνδημοῦμεν δὲ πρὸς τὸν κύριον* v. 8. necessario concedendum, quod animae piorum a corporibus solutae sint praesentes apud Dominum. 4. Quod non amplius ambulent *per fidem, sed per speciem,* id est quod Deum coram intueantur, ut docet oppositio 1. Cor. 13, v. 12: *Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem.* Per *τὸ εἶδος* igitur intelligit apostolus claram et intuitivam Dei visionem, perfectam Dei agnitionem et laetissimam coelestium bonorum perfruitionem. Transibimus ad alia dicta apostolica. Phil. 1, v. 3: *Cupio dissolvi et esse cum Christo.* Emphasin verbi *ἀναλῦσαι* exposuimus superius in *συνωνυμίᾳ*, hoc loco illud notamus, quod Paulus post suam ex hac vita *ἀνάλυσιν* sperat esse cum Christo in coelo, utique ergo ipsius anima non dormit in sepulcro, vel in communi quodam animarum receptaculo, sed cum Christo in coelesti gloria versatur. *Ut enim angeli in coelis semper vident faciem Patris coelestis* Matth. 18, v. 10. sic etiam animae beatorum in coelis vident faciem Dei ac Christi et ex hac visione inenarrabile gaudium percipiunt. Ac quemadmodum Christus in sua ad coelos adscensione sanctuarium coeleste ingressus *in gloriam suam introiisse* dicitur Luc. 24, v. 26. unde etiam auctor epistolae ad Hebraeos hunc Christi ingressum confert cum ingressu sacerdotis intra velum *in sancta sanctorum* Hebr. 9, v. 12. innuens, quod cum ingressu in coelum conjuncta sit beata Dei visio, sicut sacerdos in V. T. sanctum sanctorum ingressus arcam foederis ab oculis Israëlitarum remotam intuebatur; sic animae beatorum in coelum assumtae Deum a facie ad faciem intuentur et *vident eum sicut est* 1. Joh. 3, v. 2. De Abrahame dicit epist. ad Hebraeos c. 11, v. 10. quod *fide exspectaverit civitatem habentem fundamenta, cujus artifex et conditor Deus*, in eam vero statim post mortem sese recipiendum exspectavit, ut intelligitur ex antithesi casularum terrenarum, v. 9. et ex loco apostolico 2. Cor. 5, v. 1. Hebr. 12, v. 22: *Accessistis ad montem Sion et civitatem Dei viventis, Hierosolymam coelestem et myriasin angelorum,* v. 23. *ad congregationem et ecclesiam primogenitorum in coelis conscriptorum et judicem omnium Deum et spiritus justorum perfectorum,* v. 24. *et testamenti novi mediatorem.* Hic animae piorum

a corporibus separatae dicuntur *spiritus justorum τετελειωμένων, consummatorum*, id est plene sanctificatorum ac glorificatorum, easdemque dicuntur unam quasi civitatem et ecclesiam triumphantem constituere cum angelis, cum quibus scilicet voce et mente consona Deum laudant. Per τοὺς πρωτοτόκους quidam intelligunt angelos, qui vocantur *Dei filii*, Job. 1, v. 6. c. 38, v. 7. quidam Dei populum, Israëlem scilicet spiritualem, quia populus Israëliticus vocatur *primogenitus Dei filius* Exod. 4, v. 22. quidam animas eorum, qui primi crediderant et mortui fuerant, qui dicantur *conscripti in coelis*, quia sunt adscripti et cooptati cum angelis in ordinem civium coelestium; quidam animas patriarcharum et prophetarum cum Christo regnantium ac per spiritus perfectorum animas apostolorum et martyrum. Quocunque vero modo explicetur, illud evidenter ex hoc loco deducitur, quod animae sive spiritus sanctorum sint cives coelestes ac beati ea beatitudine, qua angeli perfruuntur.

300. In apocalypsi Johannea de conditione ac statu animarum beatarum visiones habentur complures. Quia enim praecipuus hujus libri scopus est, futuras ecclesiae Christi calamitates et aerum-
XVIII. 15. nas per spiritum prophetiae exponere, ideo passim insperguntur efficaces consolationes calamitatibus illis opponendae, inter quas eminet ea, quae ex gloria coelesti, in quam pii ex hac vita discedentes recipiuntur, peti debet. Apoc. 4, v. 4. videt Johannes *in spiritu thronos viginti quatuor in circuitu divini throni positos, iisque insidentes viginti quatuor seniores circumamictos vestimentis albis et habentes in capitibus coronas aureas.* v. 6. *In ejusdem sedis circuitu videt quatuor animalia plena oculis ante et retro*, v. 7. *ex quibus primum simile erat leoni, alterum vitulo, tertium homini, quartum aquilae.* v. 8. *Singula habebant alas senas in circuitu, et intus plena erant oculis, et requiem non habebant, die ac nocte dicentia: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat et qui est et qui venturus est.* v. 9. *Et cum darent animalia illa gloriam et honorem et benedictionem sedenti super thronum, viventi in secula seculorum*, v. 10. *procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno et adorabant viventem in secula et mittebant coronas suas ante thronum dicentes:* v. 11. *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam et honorem et virtutem, quia tu creasti omnia et per tuam voluntatem sunt et creata sunt.* Per *viginti quatuor seniores* intelligi videntur duodecim patriarchae ac duodecim apostoli, hoc est omnes pii ac fideles utriusque testamenti adeoque tota triumphans in coelo ecclesia, ut percipitur ex collatione c. 5, v. 9. et 10. Ut enim a duodecim illis patriarchis totus populus Israëliticus fuit propagatus, ita quoque ministerio apostolorum ecclesia N. T. Christo colligi fuit coepta. Sed et David viginti quatuor personas ordinaverat, quae per vices ministerio sacro V. T. praeesent, ac duodecim V. T. numerantur prophetae κατ' ἐξοχὴν sic dicti, qui una cum duodecim apostolis, sunt spirituales patres ecclesiae utriusque testamenti et scriptis suis adhuc docent ecclesiam. *Vestimenta alba* designant laetitiam alterius vitae et beatorum sanctitatem ac puritatem. *Coronae aureae* significant regalem dignitatem ac praemia pietatis et fidelitatis, quae in futuro seculo beatis distribuuntur, 2. Tim. 4, v. 8. Per *quatuor animalia* Hieronymus prooem. super evang. Matth. Augustinus lib. 1. de consens. evang. cap. 6. et alii intelligunt quatuor evangelistas, quidam applicant ad angelos in quatuor plagis mundi Deo ministrantes, quidam in genere ad omnes ecclesiae ministros, qui debent esse *leones* in vitiis persequendis, *boves* in laboribus suscipiendis, *homines* per compassionem, *aquilae* per contemplationem; leo enim symbolum roboris, vitulus laboriositatis, homo prudentiae, aquila perspicaciae. Quidquid sit, ex hac visione satis evidenter colligitur, quod tota triumphans beatorum ecclesia angelorum coetui intermista jamdum etiam ante corporum resurrectionem incessabili ac consona voce Deum celebret. c. 5, v. 8. *quatuor animalia et viginti quatuor seniores procidunt coram agno sedente in throno Dei habentes singuli citharas et phialas aureas plenas odoramentorum, quae sunt preces sanctorum.* (*Citharae* sunt symbolum gratiarum actionis et divinae laudis cum summa laetitia conjunctae. *Phialae odoramentis plenae* significant invocationem et preces Deo gratas, sicut homini gratus est odor aromaticorum suffimentorum. Quamvis enim beati in futuro seculo pro se ipsis non opus habeant precibus, dubitari tamen nequit, quin pro salute ecclesiae, quam in terris sub cruce adhuc militare noverunt, in coelo orent.) v. 9. *Et cantabant canticum novum dicentes: Dignus es accipere librum et aperire signacula ejus, quoniam occisus es et redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu et lingua et populo et natione.* (Per *canticum novum* intelligitur laetum ἐπινίκιον, quod beati in coelo cantant, illud dicitur *novum*, quia est eximium
et insigne cum singulari laetitia conjunctum, qualia XVIII. 16.
solent esse, quae componuntur propter novum aliquod beneficium.) v. 10. *Et fecisti nos Deo nostro reges* (spirituales ac coelestes mortis, diaboli et inferni victores ac dominos) *et sacerdotes* (offerentes hostias spirituales laudis ac gratiarum actionis) *et regnabimus super terram* (in novo coelo ac nova terra 2. Petr. 3, v. 13.). v. 11. *Et vidi et audivi vocem angelorum multorum in circuitu throni et animalium et seniorum, et erat numerus eorum millies centena millia et decies centena millia* (hoc est maximus et homini innumerabilis Dan. 7, v. 10.), v. 12. *dicentium voce magna: Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem et divitias et sapientiam et fortitudinem et honorem et gloriam et benedictionem.* Ex qua visione denuo conspicitur, beatos in coelo non otiose dormire ac quiescere, sed una cum sanctis angelis sedentem in throno laudare. cap. 6, v. 9: *Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei et propter*

*testimonium, quod habebant* (hoc est animas martyrum propter evangelii confessionem interfectorum) v. 10. *et clamabant voce magna dicentes: Usquequo Domine, qui sanctus es et verus, non judicas et vendicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra?* (Sanctorum igitur martyrum animae non dormiunt, sed clamant et vindictam a persecutoribus tyrannis sumendam expetunt. Gregorius lib. 2. moral. cap. 6: *Magnus earum clamor magnum est desiderium tum resurrectionis, tum judicii, tanto enim quisque minus clamat, quanto minus desiderat et tanto majorem vocem exprimit, quanto se in rei desiderium plenius effundit.)* v. 11. *Et data sunt illis singulae stolae albae et dictum est illis, ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum et fratres eorum, qui interficiendi sunt sicut illi. (Stolae albae* sunt symbolum sanctitatis, puritatis et laetitiae, adeoque coelestis illius gloriae, quam animae beatorum ante resurrectionem habent, alteram enim stolam, id est corporis glorificationem, post resurrectionem accipient. Quodsi igitur animae beatorum stola gloriae et laetitiae sunt ornatae, utique non dormiunt in sepulcro vel in communi quodam omnium animarum receptaculo.) cap. 7, v. 9: *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus et tribubus et populis et linguis* (ecclesiam ex gentibus per verbum evangelii collectam), *stantes ante thronum et in conspectu Agni* (utique ergo Deum vere videntes et ex visione illa laetitiam ineffabilem concipientes), *qui erant amicti stolis albis* (tanquam sacerdotes spirituales, candor vestium notat sanctitatem, puritatem ac laetitiam), et *palmae in manibus eorum* (tanquam regum ac victorum), v. 10. *et clamabant voce magna dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, et Agno.* v. 11. *Et omnes angeli stabant in circuitu throni et seniorum et quatuor animalium, et ceciderunt in conspectu throni in facies suas et adoraverunt Deum* (ergo beati una cum angelis Deum laudant ac celebrant) v. 12. *dicentes Amen. Benedictio et claritas et sapientia et gratiarum actio et honor et virtus et fortitudo Deo nostro in secula seculorum, Amen.* v. 13. *Et respondit unus de senioribus et dixit mihi: Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? et unde venerunt?* v. 14. *Et dixi illi: Domine mi, tu scis. Et dixit mihi: Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna* (qui in terris gravissimas afflictiones et mortem propter confessionem verbi sunt perpessi) *et laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine Agni* (qui per fidem in Christum super nivem sunt dealbati quique stolas corporum suorum sanguine propter Christi evangelium effuso laverunt. Mira vis sanguinis Christi non rubefacientis nec inquinantis sed dealbantis ac purgantis). v. 15. *Ideo sunt ante thronum Dei et*
XVIII. 17. *serviunt ei die ac nocte in templo ejus* (summa cum voluptate Deo in throno gloriae sedenti assistunt, summo cum gaudio eum intuentur, summa cum προθυμίᾳ ei serviunt), *et qui sedet in throno, habitabit super illos* (σκηνώσει, obumbrabit eos, id est velut umbraculo quodam eos proteget contra solis aestum ac quaevis adversa, jucundissime cum eis conversabitur in aeternis tabernaculis); v. 16. *non esurient neque sitient amplius, nec cadet super illos sol nec ullus aestus* (nihil boni illis deerit, nihil mali vel molesti ipsis aderit), v. 17. *quoniam Agnus, qui in medio throni est, pascet illos et deducet eos ad vivos fontes aquarum* (fidelis ille pastor omnia ad felicitatem et gloriam necessaria abunde ipsis suppeditabit) et *absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum* (Esa. 25, v. 8. omnem aegritudinem, omnem tristitiam ex ipsorum animis procul fugabit. Felix lacryma, quam tam benigna manus coelestis Patris absterget!). Apoc. 11, v. 12: *Duobus testibus* sive prophetis (qui typum gerunt omnium fidelium ecclesiae doctorum et piorum martyrum) *ab Antichristo interfectis praecipitur, ut in coelum adscendant* (per quam adscensionem denotatur, quod ipsorum animae coelestis gloriae ac laetitiae participes reddantur). v. 15. *Factae sunt voces magnae in coelo* (angelorum scilicet et beatarum animarum jubilantium ac Christo regi gratulantium); v. 16. *viginti quatuor seniores* (qui sunt typus totius triumphantis ecclesiae in coelo) *adorant Deum, laudant ipsum eique gratias agunt.* c. 14, v. 13: *Audivi vocem de coelo dicentem mihi: Scribe, beati mortui, quod in Domino moriuntur ἀπάρτι, profecto, dicit Spiritus, qui requiescant a laboribus suis, opera enim illorum sequuntur eos* (ergo pii in Domino morientes non coguntur a beatitudine exsulare usque ad diem judicii, sed statim a morte beati esse incipiunt, requiescunt enim ab omnibus laboribus ac doloribus et gratuita operum suorum praemia ex parte jamdum percipiunt). c. 15, v. 2: *Vidi eos, qui vicerunt bestiam, stantes super mare vitreum* seu crystallinum (per quod gloria et felicitas coelestis sanctorum denotatur, fuit enim illud mare lumine tanquam clarissimo igne perfusum), *habentes citharas Dei* (resonantes Dei laudem), v. 3. *et cantantes canticum Moysis servi Dei et canticum agni* (quia triumphans ecclesia constat ex sanctis V. et N. T. ac sicut Israëlitae post liberationem ex servitute Pharaonica cantico Moysis Deum celebrabant Exod. 15. sic beati post liberationem a persecutorum tyrannide et omnibus hujus vitae adversis cantico Agni sive Christi Deum collaudant) *dicentes: Magna et mirabilia sunt opera tua Domine omnipotens* etc. c. 19, v. 1: *Post haec audivi quasi vocem turbarum multarum in coelo dicentium: Alleluja, salus et laus et gloria et virtus Domino Deo nostro* (ergo assidua beatorum in coelo occupatio est Dei in secula viventis laudatio), v. 3. *et iterum dixerunt alleluja,* v. 4. *et ceciderunt seniores viginti quatuor et quatuor animalia et adoraverunt Deum sedentem super thronum dicentes amen, alleluja.* v. 14. *Exercitus, qui sunt in coelo, sequuntur Christum regem suum in equis albis, vestiti byssino albo et mundo* (in victoriae et puritatis symbolo). Apoc. 20, v. 6: *Animae*

*interfectorum propter testimonium Jesu vixerunt et regnaverunt cum Christo mille annis.* Ergo non dormiunt, sed cum Christo in coelis vivunt et regnant. Ex quibus omnibus manifeste colligitur, animas piorum a corpore separatas non opprimi quodam somno perpetuo, sed beatas apud Deum vivere, frui conspectu Dei et suavissimo consortio Christi angelorum sanctorum et totius triumphantis ecclesiae, liberas esse ab omni perturbatione et molestia, constitutas esse in pace, quiete et gaudio, Deum celebrare ac laudare, pro liberatione a peccato, morte, damnatione, adeoque pro omnibus Dei
XVIII. 18. beneficiis in creatione, redemtione, justificatione et glorificatione praestitis gratias agere, pro ecclesia in terris militante in genere orare, divina luce, sapientia, justitia et gloria aeternae vitae perfundi et summa cum tranquillitate exspectare, donec completo salvandorum numero corporibus ex pulvere resuscitatis iterum uniantur et in laetitiae ac gloriae coelestis consortium corpora rediviva assumantur.

Rationes contra animarum dormitionem.

301. *Rationes* contra psychopannychiam formari possunt complures *1. a piorum in hac vita conditione.* De se et omnibus vere piis pronuntiat apostolus, quod Christus in ipsis *vivat*, per fidem scilicet in cordibus ipsorum habitans Gal. 2, v. 20. Eph. 3, v. 17. Atqui juxta Psychopannychitarum hypothesin Christus post mortem non amplius in illis viveret, sed dormiret, sicque deterior esset eorum conditio post mortem quam in hac vita. Item, pii in hac vita Deum et Christum ex verbo agnoscunt, diligunt et colunt. Atqui si animae dormirent, non amplius Deum agnoscerent ac diligerent. *2. A beatitudinis definitione.* Animae piorum post mortem dicuntur *beatae* Apoc. 14, v. 13. atqui *beatitudo omnis in actione consistit*, ergo animae piorum post mortem non otiosae sunt aut dormiunt, sed beatorum actionibus funguntur. *3. A somni denominatione.* Somni appellatio aut *improprie* usurpatur pro morte, quae est totius compositi, animae vero propter ἀϑανασίαν superius demonstratam tribui nequit; vel *proprie* pro affectione, qua sensus corporis ligantur ejusque actiones impediuntur, quo sensu animae utpote incorporeae itidem tribui nequit. *4. Ex absurdorum consecutione.* Lev. 19, v. 13. praecipit Deus: *Non morabitur apud te opus mercenarii usque mane.* Atqui si Deus praemia sanctorum usque ad mundi consummationem differret, contra hanc suam legem agere videretur, Prov. 13, v. 12: *Spes, quae differtur, affligit animam.* Atqui si animae nondum perciperent promissam felicitatem et gloriam, adhuc affligerentur. Phil. 1, v. 6. *Deus, qui coepit opus bonum in piis, illud dicitur perfecturus usque ad diem Christi.* Atqui si diuturno animarum sopore illud interrumperetur, utique id ipsum non perficeret. Denique opinio de animarum dormitione parum differre videtur ab Epicurea opinione de animarum interitu ac morte, quia somnus corporalis animabus incorporeis tribui nequit, sed somnus metaphoricus, qui est ipsa mors.

Dicta Patrum contra ψυχοπαννυχίαν.

302. Ex *veteribus ecclesiae doctoribus* multa in hanc sententiam adduci possunt. Ignatius in epist. Rom. per *martyrium de mundo ad Deum sese proficisci* scribit: *Aqua viva in me manens, intrinsecus mihi dicit, veni ad Patrem* etc. *sinite me puram lucem adspicere, illuc perveniens homo Dei ero.* Polycarpus martyr temporibus apostolorum proximus, cum ob fidei confessionem flammas ingressurus esset, testatus est, *ea die se repraesentandum in spiritu coram Domino.* Dionysius Areopag. lib. de eccles. hierarch. c. 7. f. 82: *Plane sciant* (sancti), *se totos jucundam gratamque requiem esse adepturos, cum ad extremum vitae hujus venerunt, viam ad immortalitatem suam ferentem, ut viciniorem jam factam et imminentem clarius intuentur divinitatisque laudant munera et divina voluptate complentur, propterea quod mutationem in pejus jam non timeant, sed certo sciant, bonorum, quae adepti erant, firmam aeternamque sibi fore possessionem.* Justinus in quaest. et respp. a gentib. positis q. 75: *Post animi e corpore excessum statim fit bonorum malorumque distinctio, ducuntur enim ad loca, quae eis digna sunt, ab angelis, bonorum quidem animi in paradisum, ubi consuetudo est et* XVIII. 19.
*adspectus angelorum et archangelorum, visio vero etiam conservatoris Christi* etc. *improborum autem ad loca inferorum.* Irenaeus lib. 1. adv. haeres. c. 2: *Justis et aequis et praecepta ejus servantibus et in dilectione ejus perseverantibus quibusdam quidem ab initio, quibusdam autem ex poenitentia vitam donans, incorruptelam loco muneris confert et claritatem aeternam circumdat.* (Bellarminus lib. de beat. sanct. c. 4. per insignem impudentiam hoc dictum Irenaei ad purgatorium accommodat. *Nota*, inquit, *quibusdam, id est iis, qui mox a baptismo moriuntur, vel qui pro Christo vitam ponunt, vel denique perfectis statim donari vitam et claritatem aeternam, aliis non nisi post poenitentiam, id est satisfactionem in futuro seculo actam.* Atqui Irenaeus non de futuro, sed de praesente seculo loquitur, quod in eo quidam perseverent in dilectione Dei et obedientia mandatorum ejus, quidam vero per peccata contra conscientiam ex gratia et dilectione Dei prolapsi per poenitentiam ad eam iterum adspirent, ac utrisque in corruptelam et claritatem aeternam a Deo dari asserit, post mortem nec Irenaeus, nec ullus ex veteribus poenitentiae adhuc locum esse agnoscit. Bellarminus ipse hoc agnoscit lib. 1. de purg. c. 13. resp. ad 8. scribens: *Non erit post hanc vitam locus, ubi flagitiosi convertantur et mores suos corrigant.* c. 14. resp. ad 2: *Post hanc vitam non est poenitentia de mortalibus.)* Cyprian. serm. de mortal. circ. fin. p. 216: *Magnus illic carorum numerus nos exspectat, parentum, fratrum, filiorum frequens nos et copiosa turba desiderat jam de sua immortalitate secura et adhuc de nostra incolumitate solicita; ad horum conspectum et complexum venire,*

*quanta et illis et nobis in communi laetitia est, qualis illic coelestium regnorum voluptas sine timore moriendi et cum aeternitate vivendi! quam summa et perpetua felicitas! Illic apostolorum gloriosus chorus, illic prophetarum exsultantium numerus, illic martyrum innumerabilis populus ob certaminis et passionis victoriam coronatus* etc. *ad hos avida cupiditate properemus, ut cum his cito esse possimus, ut cito ad Christum venire contingat, optemus.* lib. de exhort. martyr. circa fin. p. 260: *Quis non omnibus viribus elaboret ad tantam claritatem pervenire, ut amicus Dei fiat et cum Christo statim gaudeat? ut post tormenta et supplicia terrena ad praemia divina perveniat?* etc. *Quanta gloria est comitari Christum, cum venire coepit vindictam de inimicis recepturus, lateri ejus assistere, cum sederit judicaturus! coheredem Christi fieri! angelis coaequari! cum patriarchis, cum apostolis, cum prophetis coelestis regni possessione laetari!* etc. *Clauduntur oculi in persecutionibus terrae, sed patet coelum; minatur Antichristus, sed Dominus Christus tuetur; mors infertur, sed immortalitas sequitur; occiso mundus eripitur, sed restituto paradisus exhibetur; vita temporalis exstinguitur, sed aeterna reparatur. Quanta est dignitas et quanta securitas, exire hinc laetum, exire inter pressuras et angustias, gloriosum claudere in momento oculos, quibus homines videbantur et mundus, et aperire eosdem statim, ut Deus videatur et Christus, tam velociter migrandi quanta velocitas, ut terris repente subtraharis et in regnis coelestibus reponaris!* epist. 16. (juxta veterem editionem est lib. 2. epist. 4.) sect. 3: *Beati satis, qui ex vobis per haec gloriarum vestigia commeantes jam de seculo recesserunt confectoque itinere virtutis ac fidei ad complexum et osculum Domini Domino ipso gaudente venerunt.* Hilarius in comm. Psalm. 2. circa fin. p. 359: *Impios de corpore excidentes statim excipit ultor infernus. Testes nobis sunt evangelii dives et pauper, quorum unum angeli in sedibus beatorum et in Abrahae sinu locaverunt, alium statim poenae regio suscepit. Adeo autem statim poena mortuum excepit, ut etiam fratres ejus adhuc in supernis manerent. Nihil*
XVIII. 20. *illic dilationis aut morae est. Judicii enim dies vel beatitudinis retributio est aeternae vel poenae. Tempus vero mortis interim habet unumquemque suis legibus, dum ad judicium unumquemque aut Abraham reservat aut poena.* in Psalm. 64. p. 412: *Omnis perfectio bonorum in habitationis coelestis est requie. Multas mansiones Dominus in coelis esse testatur, sed Patrem orat, ut apostoli, ubi et ipse sit, maneant* etc. *Beati quidem sunt, qui jam a Deo ad habitandum in tabernaculis ejus electi sunt. Sed festinare nos in consortium hujus beatitudinis congruum est, operationibus id atque orationibus expetentes.* Basilius homil. in 40 martyr.: *Coelum vos suscepit, apertae sunt vobis paradisi portae.* Gregorius Nazianz. orat. in Gorgoniam dicit, *eam frui cum angelis purissima illustratione Trinitatis, quae toti menti totam se contemplandam praebeat.* Cyrillus Hierosol. catech. 13. de converso latrone: *Tu de ligno introduceris in paradisum.* Epiphanius haeres. 78. contra Antidicomarian. circ. fin.: *Sancti sunt in honore, quies ipsorum in gloria, profectio hinc in profectione, sors ipsorum in beatitudine, in mansionibus sanctis, tripudium cum angelis, diaeta in coelo, gloria in honore incomparabili et perpetuo, bravia in Christo Jesu Domino nostro.* Ambrosius lib. 7. epist. 59: *Acolius superiorum incola, possessor civitatis aeternae, illius Jerusalem, quae in coelo est, vidit illic urbis ejus mensuram immensam, purum aurum, lapidem pretiosum, lumen sine sole perpetuum et haec omnia jamdudum sibi comperta, sed nunc facie ad faciem.* in comm. Phil. 1: *Habet apostolus desiderium excedere et esse cum Christo, multo melius existimans, ut jam praesens sit apud Deum, ut exoptatis et promissis fruatur* etc. *Quis non tertii coeli cupidus sperneret omnem curam praesentem? Quis non paradisi superioris desiderio omnia haec postponeret?* etc. Hieronymus in epist. ad Marcell. de obitu Leae: *Nunc pro brevi labore aeterna beatitudine fruitur, excipitur angelorum choris, Christum sequitur et dicit, quaecunque audivimus, videmus in civitate Domini virtutum.* Vide eundem in epitaphio Nepotiani, Paulae, Blesillae etc. Chrysostomus hom. 3. Philip. p. 1224: *Peccatores ubi fuerint, procul a rege sunt, atque ideo digni, qui fleantur; justi vero sive hic, sive in futuro seculo fuerint, cum rege sunt, illic tamen magis et propius, non per ingressum ac fidem, sed facie ad faciem.* homil. 4. in eand. epist.: *Quid dices Paule, cum hinc abiens in ipsum coelum migraturus sis, atque cum Christo futurus, ignoras, quid eligere debeas?* homil. 32. in epist. Rom.: *Pauli animam versari dicit in summo coelo prope ipsum regis solium, ubi Cherubin et Seraphin volitant.* Augustinus lib. 12. de Gen. ad lit. c. 34: *Sive in tertio coelo, sive ubicunque alibi, quo post tertium coelum raptus est apostolus, si tamen non aliquid unum est diversis nominibus appellatum, ubi sunt animae beatorum.* Et postea: *Tertium est coelum, quod mente ita conspicitur secreta et remota et omnino abrepta a sensibus carnis atque mundata, ut ea quae in illo coelo sunt et ipsam Dei substantiam verbumque Deum, per quod facta sunt omnia, in caritate Spiritus sancti ineffabiliter valeat videre et audire.* lib. 20. de civ. Dei c. 13: *Animae victrices gloriosorum martyrum omnibus doloribus ac laboribus superatis atque finitis, posteaquam mortalia membra posuerunt, cum Christo utique regnaverunt et regnant.* in enarr. Psalm. 116: *Ibi omnes justi et sancti, qui fruuntur verbo Dei sine lectione, sine literis. Quod enim nobis per paginam scriptum est, per faciem Dei illi cernunt.* Serm. 4. in solen. sanctorum exponens locum Apoc. 6. *vidi sub altare Dei animas interfectorum*, sic scribit: *Per stolas albas debemus intelligere mercedem baptismi, praemium martyrii, mercedem aeternorum et gaudium coelestis patriae,*

*habent enim ante resurrectionem sancti singulas stolas, quia in sola anima adhuc aeternis beatitudinibus perfruuntur* etc. *stant modo ante thronum*
XVIII. 21. *Dei coronati, stant in conspectu Agni, nulla ratione illic a contemplanda ejus gloria separandi.* Cyrillus Alexandr. lib. 11. in Joh. c. 36. dicit, *animas sanctorum evolare in manus Dei Patris et vitam perpetuam cum Christo habere.* Theodoretus lib. 8. ad Graecos de martyribus dicit, *quod sedes illorum sit coelum, et quod aeternis insigniti sint coronis.* Prosper lib. 1. de vit. contempl. c. 1: *Omnes milites Christi, qui usque in finem vitae praesentis divinitus adjuti suis hostibus infatigabiliter restiterunt, laboriosa jam peregrinatione transacta regnant felices in patria, cujus hoc erit totum praemium, ut vitae contemplativae semel compos effecta inexplebiliter auctorem suae beatitudinis conspiciat, de illo gaudeat, de illo, quod speravit, obtineat et in eo, ad quod sancte vivendo pervenerit, sine fine permaneat.* Fulgentius serm. de S. Stephano: *Hodie miles de tabernaculo corporis exiens triumphator migravit in coelum, idem ad coeli palatium perenniter regnaturus adscendit.* Gregorius in Psalm. 4. poenit.: *Beatitudo et animabus sanctorum ante resurrectionem tribuitur, et corporibus nihilominus post judicium conferetur.* Beda in c. 4. Apocal.: *Singulas modo stolas habent, animae de sua beata immortalitate gaudentes, resurgentibus autem corporibus in terra sua duplicia possidebunt.* Damascenus in histor. de Barlaam et Josaphat circ. fin.: *Vultui Domini nitide et nude praesentatur illiusque gloriae jam ante promissa sibi corona exornatur.* Theophylactus in c. 23. Luc.: *Dicendum est, idem esse paradisum et regnum coelorum. Nam latro in paradiso est ac regno, alioqui non frueretur perfecta bonorum participatione.* Anselmus in comm. 2. Cor. 5: *Praedicatores ecclesiae postquam de corporibus exeunt, nequaquam per morarum spatia coelestis patriae perceptione differuntur, sed mox ut a carnis colligatione exeunt, in coelesti sede requiescunt.* Bernhardus in epist. ad fratres de Hibernia dicit, *Malachiam pie defunctum non amplius ambulare in fide, sed regnare in specie, atque ad fontem ipsum caritatis aeternae procumbentem pleno haurire ore, cujus ipse prius stillicidia sitiebat.* Idem serm. de Malach.: *Pari cum angelis gloria et felicitate laetatur* etc.

2. Impiarum. 303. De statu et conditione animarum impiarum e corpore egressarum Scriptura sic loquitur 1. Sam. 25, v. 29: *Animam inimicorum tuorum ejaculabitur in medio curvaturae fundae.* Dicti hujus emphasin exposuimus superius §. 162. Matth. 10, v. 28: *Timete eum, qui potest animam et corpus perdere in gehenna.* Ergo anima impiorum a corpore soluta perditionem in gehenna, hoc est cruciatus infernales, persentiscere incipit. Confer ea, quae dicta sunt superius §. 162. Cumprimis vero cruciatus et dolores infernales, quorum initia damnati statim post mortem experiuntur, emphatice describuntur in διηγήσει Salvatoris Luc. 16, v. 23. 1. sunt *in inferno* ἐν τῷ ᾅδῃ, at si infernum dixeris, omnis generis cruciatus dixisti, quia in inferno est praesentia omnis mali et absentia omnis boni. 2. Sunt ἐν βασάνοις, tales sentiunt dolores, quales experiuntur malefici, qui exquisitissimis tormentis sunt subjecti. 3. ὀδυνῶνται, sentiunt angustias *parturientibus* familiares, jam vero Scriptura gravissimos cruciatus hac similitudine solet exprimere. 4. *Uruntur* ἐν τῇ φλογί, non leviter aut perfunctorie in summitate aduruntur, sed in mediis flammis ad medullas usque penetrantibus ardent. 5. Ne *guttulam quidem aquae* ad refrigerium corporis nec minimam consolationem ad refrigerium animae impetrare possunt. 6. *Vident* electos in gloria ac proinde gravi horrore ex invidia et indignatione corripiuntur, Sap. 5, v. 2. 7. Recordatione bonorum pristinorum tristitia ipsorum augetur.

*Dura nimis miseris memoratio prisca bonorum.* XVIII. 22.

8. Sciunt, poenam illam fore sempiternam, hoc enim est illud *chasma* et interstitium inter ipsos et beatos firmatum, immutabilis scilicet Dei sententia, quod nemo beatorum ad statum damnatorum relabi ac vicissim nemo damnatorum ad statum beatorum evehi possit. 9. Torquebuntur poenis cognatorum, quod enim dives cupit praemoneri fratres, id non facit ex caritate et desiderio salutis, sed ex metu ac terrore, ne conspectu poenarum ipsis paratarum cruciatus augeantur. 10. Repugnant et adversantur Deo. *Non, pater Abraham,* inquit dives. Hic est *stridor ille dentium* Matth. 13, v. 50. quo ex impatientia, indignatione et perpetua desperatione Deo repugnant. Quamvis vero animae impiorum poenas illas non pleno statim modio post egressum e corpore percipiant, sed tum demum illis omni ex parte subjiciendi sint, quando in die extremi judicii corporibus suis fuerint redunitae, ex textu tamen liquido conspicitur, initia illorum cruciatuum statim a morte eas persentiscere, mox enim ut dives mortuus ac sepultus dicitur, etiam *in inferno* fuisse memoratur.

304. Haec cum de statu animarum sanctarum et impiarum sese ita habeant, ideo discedimus ab omnibus animarum quandam dormitionem in sepulcro vel communi receptaculo quiescentium somniantibus. 1. *De Vigilantio* Hieronymus in lib. adv. eund. edito sic scribit: *Ais, vel in sinu Abrahae, vel in loco refrigerii, vel subter aram Dei animas apostolorum et martyrum consedisse, nec posse suis tumulis et ubi voluerint esse praesentes. Senatoriae videlicet dignitatis sunt, ut non inter homicidas deterrimo carcere, sed in libra honestaque custodia in fortunatorum insulis et in campis Elysiis recludantur.* (Confer cum hoc Vigilantii vel potius Dormitantii somnio verba Bellarmini lib. 2. de purgat. cap. 7: *Non est improbabile, praeter infernum et purgatorium et regnum coelorum reperire quoddam quasi pratum florentissimum, lucidissimum, odoratum, amoenum, in quo degunt animae, quae nihil patiuntur, qui locus est mitissimum purgatorium et quasi carcer quidam senato-*

Antithesis Psychopannychitarum.

*rius atque honoratus.)* 2. In *Graecis et Armenis* opinionem illam, quod *animae omnes quantumvis sanctorum usque ad ultimum judicii diem serventur in quibusdam abditis receptaculis, ubi nec Deum videant, nec beatae dici possint nisi in spe*, sub nomine haereseos damnarunt Innocentius III. c. Apostolicam etc. x de presbytero non baptizato, Benedictus XII. in extravag. quae incipit Benedictus Deus, quam refert Alphonsus a Castro lib. 3. contra haeres. verbo Beatitudo, concilium Florentinum sess. 25. in decreto unionis Latinorum cum Graecis, ac contrario decreto sanciverunt, quod animae sanctorum ex hac vita excedentes in coelum mox recipiantur et clare intueantur ipsum Deum primum et unum, sicuti est. Confer Thomam in opuscul. 6. cap. 9. Guidonem in summa de haereticis Armenis, Prateolum libr. 1. de haeres. cap. 67. 3. *Johannes XXII.* pontifex Romanus circa annum Christi 1332. *publice docuit, declaravit et ab omnibus teneri mandavit, quod animae purgatae ante finale judicium non habeant stolam, quae est clara et facialis Dei visio, quin et universitatem Parisiensem ad hoc induxit, quod nemo in ea poterat gradum theologiae adipisci, nisi primitus hunc errorem pestiferum jurasset se defensurum et perpetuo ei adhaesurum.* Ita de ipso referunt Guilielmus Occam in opere nonaginta trium dierum et in compend. error. Johannes XXII. Gerson. in
XVIII. 23. serm. de pascha, Marsilius in 4. sent. quaest. 13. art. 3. Adrianus VI. in 4. sent. de sacram. confirmationis art. 3. sub finem. Paulus Langius monachus in chronico Cizensi ann. 1330. Occamus in comp. error. addit, quod idem Johannes in sermone, qui incipit *Tolle puerum et matrem ejus* etc. docuerit, *malos ante diem judicii non ituros in ignem aeternum.* Notat vero Erasmus in Irenaeum libr. 5. hunc *Johannem pontificem opera theologorum Parisiensium ad palinodiam coram Galliarum rege Philippo Pulchro non sine buccina adactum esse*, quod ibidem ex Gersone probat. Sed index expurgatorius Hispanicus fol. 138. apud Erasmum *haec deleri* jubet. Bellarminus lib. 4. de Rom. pontif. cap. 14. et lib. de beatitud. sanctor. cap. 2. Johannem excusaturus sic excipit, *1. eum re vera sensisse animas non visuras Deum nisi post resurrectionem, ceterum hoc sensisse, quando adhuc sentire licebat sine periculo haeresis, nulla enim adhuc praecesserat ecclesiae definitio; 2. voluisse eum quaestionem definire, sed dum adhuc in praeparatione et consultationibus versaretur, mortuum fuisse*, teste Benedicto XII. in extrav. *3. Pridie ante mortem partim declarasse et partim etiam revocasse sententiam suam, testatus enim est, se in omnibus suis sermonibus nunquam intendisse hanc rem definire, sed solum quaerere veritatem, ac asseruit, sibi displicere priorem sententiam, ac sentire se, animas sanctorum videre Deum etiam ante diem judicii, nisi aliter ecclesia et sui successores definirent*, referente Joh. Villano libr. 11. histor. Florent. cap. 19. Respondemus: 1. Non solum Occamus, Marsilius et Gerson, sed etiam Adrianus VI. pontifex Johanni hunc errorem tribuunt. Aut ergo Johannes erravit tale quid definiendo, aut Adrianus erravit Johanni falso illud tribuendo. 2. Alphonsus a Castro libr. 3. adv. haeres. in verbo Beatitudo haeres. 6. et Sanderus de visib. eccl. monarch. lib. 7. non negant, Johannem re vera sic sensisse, sed hunc errorem cum multis veteribus Latinis et Graecis patribus ipsi communem fuisse obtendunt. 3. Bellarminus ipse sibi contradicit, nam libr. 4. de pontif. Rom. cap. 14. §. *Respondeo* etc. expresse scribit, *Johannem hunc re vera sensisse, animas non visuras Deum nisi post resurrectionem;* §. *Sed video* etc. hanc Johannis sententiam diserte vocat errorem. *Error*, inquit, *ille Johannis papae de visione Dei Calvino non est error, sed verissima doctrina;* et tamen §. *Quintum* etc. iterum scribit: *Non debuit papa errorem ullum abjurare, cum in errorem nullum incidisset.* 4. Etsi ecclesia nihil tum definiisset de statu animarum piarum, tamen dogma illud, quod non videant Deum ante resurrectionem, per se haereticum fuit, quia ecclesiae definitio non facit dogma aliquod esse haereticum, sed tale esse duntaxat *declarat.* 5. Armeni ante Johannem XXII. hanc haeresin ab ecclesia damnatam docuerunt. Ergo non fuit Johanni ignotum, in Armenis idem dogma improbatum. 6. Nec privatim tantum Johannes sic sensit, sed idem *publice docuit ac definivit.* Marsilius enim dicit, *hoc illum publice docuisse ac praedicasse*, quod agnoscit etiam Genebrardus in chron. in Joh. XXII. Adrianus papa memorat, quod Johannes hunc errorem *publice docuerit, declaravit et ab omnibus teneri mandaverit, quin et Parisiensem academiam induxerit, ut nullos ad gradum aliquem in theologia admitteret, nisi qui huic haeresi subscriberet eique se adhaesurum ad finem usque vitae promitteret.* Gerson scribit, *hanc doctrinam Johannis totam Sorbonam commovisse ac tandem cum sono buccinarum coram Galliae rege fuisse damnatam*, quod non fuisset necessarium, si privatim ita sensisset. Antoninus part. 3. titul. 21. cap. 6. §. 15. in summ. theol. de eo sic scribit: *Johannes XXII. sermonem faciens in publico consistorio dixit quaedam haeresin sapientia, ideoque a multis judicatus est haereticus.* Christian. Massaeus libr. 18. chronol. ann. 1332. scribit, *hunc Johannem misisse* XVIII. 24.
*Parisios duos fratres, qui hanc haeresin praedicarent, alterum fuisse Dominicanum, alterum Franciscanum, quibus restiterit quidam Thomas Anglus, quem papa propterea in carcerem conjici curaverit.* Nauclerus in generat. 45. refert, *multos eximios viros dogmatizasse, hunc Johannem fuisse haereticum.* 7. Si ante vitae finem errorem suum revocavit, ut Bellarminus concedit, utique in vita sua prius erravit. Adde quod Massaeus dicat, *eum hos et similes errores ante obitum tepide revocasse.* 8. Hardingus non fuit ausus negare, haereticum illud dogma a Johanne fuisse praedicatum, ideo aliter excipit in detect. p. 64. *ipsum non fuisse papam.* Atqui omnes historici inter pontifices ipsi locum relinquunt, alias

per plures quam tredecim annos sedes vacasset et ecclesia fuisset ἀκέφαλος.

305. 4. *Anabaptistae* Armenorum errorem superiori seculo secuti itidem ψυχοπαννυχίαν propugnarunt, teste Sixto Senensi lib. 5. bibl. annot. 169. p. 387. lib. 6. bibl. annot. 264. p. 541. et annot. 345. p. 569. Contra illos scripsit Calvinus ann. 1534. tractatum, cui titulum fecit *Psychopannychiae*, qui exstat part. 2. tract. variorum p. 419. Eundem errorem refutavit Bullingerus libr. 4. adv. Anabaptist. cap. 10. et ex nostris Wigandus de Anabaptist. Schlüsselburgius in catal. haereticor. de Anabaptist. Hinkelmannus disp. 18. de Anabaptist. err. 1. 5. *Cornelius Agrippa* lib. 3. de occult. philos. Anabaptistarum vestigiis insistens ex quibusdam Chrysostomi dictis adstruere conatur, *pias defunctorum animas usque ad diem judicii divinitatis visione carere.* 6. Superiori seculo quidam Ungarus Matthias Deovayus opinionem illam, *quod animae piorum usque ad resurrectionem sine sensu et intellectu dormiant,* arcte tenuit ac quibusdam argumentis confirmare instituit. 7. Photiniani si non animarum mortem, tamen earundem dormitionem amplectuntur, obscure enim atque ambigue de hoc articulo loquuntur, Sehmaltzius in exam. 157. errorum err. 98. p. 28: *Quomodo animae sanctorum ante diem judicii videant Deum, cum aliud quid videre nequeant et sensu, dum sunt sine corpore, careant? Deum videre summa et absolutissima est beatitas, qua nulla datur sublimior. Hac si ante diem judicii fruerentur sanctorum animae, quid tantopere optanda esset resurrectio, ut eam optat Paulus et omnes optare tenentur?* Joh. Isacius Pontanus in disp. de animae essentia ann. 1613. habita: *Psychopannychitae nostri temporis, Anabaptistae nimirum et Sociniani, etsi animas cum corporibus mori ac interire non diserte dicant, ut illi, quos Damascenus Thnetopsychitas, Augustinus Arabicos dixerunt, eas tamen in pulvere terrae dormire ad diem judicii asserere non erubescunt contra illud Christi, hodie mecum eris in paradiso, et illud Pauli, cupio dissolvi et esse cum Christo. Atque haec sententia parum aut nihil ab Arabibus differt.* Confer ea, quae ex Photinianis adduximus superius in quaestione de anim. immortal. §. 149. 8. Photinianorum vestigia ut in aliis, ita in hac controversia fideliter premit *Vorstius*, qui in causis deserend. papatus in altero problemate episagmatis ad 8. et 9. partem thesium de statu mortuorum et beatorum sic scribit: *An cum mortui dormire aut obdormivisse in Scriptura dicuntur, de anima ipsorum, an de corpore, an vero de toto composito id accipiendum sit?* Postremum affirmamus. Vide Dan. 12. Job. 3. et 14. Matth. 9. Johan. 11. 1. Thess. 4. et passim. Haec Vorstius, per *totum compositum* intelligens corpus et animam hominis, ut sic non tantum *carnis*, quod fidei symbolum habet, sed
XVIII. 25. *animae* quoque resurrectio a mortuis sit exspectanda. In Antipistorio part. 2. p. 156. sic scribit: *Nos vero negamus, animas corporibus solutas proprie res nostras vel audire, vel videre posse, cum satis constet, istas actiones proprie loquendo animali tantum sive toti composito, hoc est homini integro anima simul et corpore constanti, convenire.* 9. Non potest simpliciter et sine commoda declaratione probari, quod *Calvinus* lib. 3. inst. c. 20. §. 20. sic scribit: *Cum apostolo intelligimus, Christum sic apparere coram facie Dei, ut mortis ejus virtus ad perpetuam pro nobis intercessionem valeat, sic tamen ut sanctuarium coeli ingressus ad consummationem usque seculorum solus populi eminus in atrio residentis vota ad Deum deferat.* §. 24. dicit, *animas sanctorum una nobiscum fide conjunctas esse.* Atqui apostolus fidem et visionem a facie ad faciem sibi invicem opponit 1. Cor. 13, v. 12. c. 15. §. 6: *De intermedio animarum statu curiosius inquirere neque fas est, neque expedit. Valde se torquent multi disputando, quem locum occupent et an coelesti gloria jam fruantur, nec ne. Atqui stultum et temerarium est de rebus incognitis altius inquirere, quam Deus nobis scire permittat* etc. *Interea cum Scriptura ubique jubeat pendere ab exspectatione adventus Christi et gloriae coronam eo usque differat, contenti sumus his finibus divinitus nobis praescriptis, animas piorum militiae labore perfunctas in beatam quietem concedere, ubi cum felici laetitia fruitionem promissae gloriae exspectant, atque ita omnia teneri suspensa, donec Christus appareat redemtor.* Atqui si animae fruitionem promissae gloriae exspectant atque usque ad Christi adventum omnia tenentur suspensa, nondum fruentur coelesti felicitate ac gloria. Contrarium habet ipse Calvinus in psychopannychia quam ann. 1534. scripsit, ubi in locum apostolicum 2. Cor. 5. *scimus, quod cum terrestris domus dissoluta fuerit* etc. sic commentatur: *Haec verba sine interprete loquuntur, nos sensuros Dei praesentiam, cum ab hoc corpore separabimur, jam non per fidem ambulaturos, sed per speciem.* Ibid.: *Electi Dei, qui ex hac vita transierunt, Deo fruuntur ad satietatem citra fastidium.* in comm. cap. 1. Phil.: *Paulus aperte testatur, nos frui Christi praesentia, cum dissolvimur. 10. Lutherum* nostrum propter duriora quaedam de animarum somno pronuntiata in catalogum psychopannychitarum referunt Frider. Staphylus in epit. trimembri Lutheranae theolog. part. 2. Bellarminus de beat. sanct. cap. 1. Pistorius in 1020 falsis, Gretserus de funere Christian. lib. 3. etc. Respondemus: 1. Lutherus *probabiliter* duntaxat disputat, nihil vero certi determinat. 2. Quaedam eorum scripsit tempore illo, quo nondum omnes Pontificiae coecitatis squamas ex oculis absterserat. 3. In comm. Gen. cap. 25. pag. 321. ad totum hominem somnum illum refert, ut *ipsa interim anima non dormiat, sed vigilet et patiatur visiones et loquelas angelorum et Dei.* 4. Ubi ad ipsam animam illum somnum referre videtur, utitur *populari dicendi genere* ac phrasi Scripturae familiari, ut felicem animarum statum ab omni dolore ac labore penitus liberum quodammodo exprimat et opinionem illam, quae ex

papatu adhuc erat multorum animis infixa, quasi animae in purgatorio aliquid supplicii luere cogerentur, eximat. Sic ergo animas dormire et requiescere dixit sensu eo, quod omnis doloris, tormenti, cruciatus ac poenae penitus sint expertes, imitatus hac in parte linguam Spiritus sancti Apoc. 6, v. 11. ubi *animabus dictum fuit, ut requiescerent adhuc paululum temporis.* 5. Ideo etiam animas requiescere dicit, quia *nesciunt in particulari, quid rerum in mundo agatur.* in comm. cap. 25. Gen. p. 322: *Mortui ante Christum servati sunt in promissione verbi, in quo vixerunt in hac vita et morientes quoque ingressi sunt vitam, et vere vivi fuerunt* etc.

XVIII. 26. *Verborum Christi ad latronem haec est sententia, hodie mecum eris in paradiso, id est in meo sinu, ubi ego sum, similiter tu eris, ibi coelum et paradisus idem sunt, nisi quod adhuc apud sanctos quies et pax est, non regnum. Christus est in coelo vel paradiso, ut gubernet, judicet, regat ecclesiam, mittat angelos ad ecclesiae ministerium, distribuat dona hominibus, semper enim operatur, non quiescit sicut sancti dormientes, de quibus dicitur Esa. 63: Abraham nescit nos et Israël ignorat nos. Magnum itaque discrimen est, inter sanctos dormientes et Christum regnantem, illi dormiunt et nesciunt, quid agatur, et tamen quiescunt* etc. Item: *Anima non sic dormit, quemadmodum fit ab homine in hac vita, sed vigilat, rerum interim ignara, quae in his terris geruntur.* 6. Et in cap. 49. Gen. p. 647: *Nescit homo, quomodo obdormiat aut evigilet.* 7. *Comparative* alicubi loquitur respectu habito ad uberiorem beatitudinem in corpus ex morte resuscitatum et animae unitum aliquando redundaturam.

Argumenta pro animarum dormitione. 1. Ex Scriptura.

306. *Argumenta* Psychopannychitarum potiora haec sunt: *1. Mortui dicuntur dormire* Matth. 9, v. 24. Joh. 11, v. 11. Act. 7, v. 60. 1. Cor. 15, v. 18. 1. Thess. 4, v. 13. etc. Respondemus: quo sensu ac respectu mors, praesertim piorum, conferatur somno et status eorum post mortem dormitioni, exposuimus superius §. 17. ultra illa membra praeter et contra Scripturam somni appellatio non est extendenda. Optima illius somni explicatio traditur Esa. 57, v. 2: *Venit pax, requiescunt in cubilibus suis;* ubi pax ad animas, somnus ad corpora in sepulcris (quae propterea κοιμητήρια ac cubilia dicuntur) quiescentia refertur, corpora enim ad habitum dormientium composita in sepulcris quiescunt et ad vitam voce Filii Dei excitata aliquando iterum evigilabunt. *2. In psalmis passim dicitur, non mortui laudabunt te, non est in morte, qui memor sit tui*, Psalm. 6, v. 6. Psalm. 115. v. 17. Respondemus: ostendimus superius §. 151. haec dicta agere de praedicatione et propagatione verae doctrinae et celebratione beneficiorum divinorum, per quam in hac vita alii homines ad veram conversionem et nominis divini glorificationem invitantur. 3. *Matth. 20, v. 8. paterfamilias sub vesperam demum operariis reddit mercedem. Jam vero per vesperam intelligitur tempus resurrectionis ac dies novissimus.* Respondemus: verum hujus parabolae sensum exposuimus in tractat. de bonis operibus §. 114. hoc loco monemus, parabolas non omni ex parte quadrare, sed principalem scopum in illis unice attendendum esse. Adde quod per vesperam non solum tempus judicii universalis, sed etiam particulare cujusque judicium, quod in morte contingit, commode intelligi possit. 4. Hebr. 4, v. 3: *Ingrediemur in requiem nos, qui credidimus.* Respondemus: Requies illa animarum intelligenda est respectu *termini a quo*, quod *requiescant a laboribus* et molestiis, quibus in hac vita pii subjecti fuere, quae explicatio tradetur Apoc. 14, v. 13. non autem respectu *termini ad quem*, quasi animae piorum somno quodam sopitae post mortem requiescant, eo enim respectu de angelis et beatis in coelo dicitur, *quod non habeant requiem die ac nocte*, sed incessabili laudum praeconio Deum celebrent Apoc. 4, v. 8. Deus dicitur *requievisse die septimo* Genes. 2, v. 2. et tamen non *dormit neque dormitat*, *qui custodit Israël* Psalm. 121, v. 4. Animae martyrum jubentur ἀναπαύεσθαι Apoc. 6, v. 11. et tamen *clamant ad Deum voce magna* v. 10. Ergo quies earum non est quidam veternus, sed patiens exspectatio finalis liberationis et conjunctionis cum corporibus resuscitandis, Esa. 26, v. 20. Dan. 12, v. 12. 5. Hebr. 11, v. 39. *de sanctis patriarchis dicitur, quod testimonio fidei probati non acceperint repromissionem,* XVIII. 27
v. 40. *Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur.* Respondemus: Plerique ex veteribus exponunt de consummata ac perfecta beatitudine animae et corporis in vita aeterna, quia apostolus non dicit, ne sine nobis remunerarentur, sed ne sine nobis consummarentur, id est consummatam beatitudinem reciperent. Quidam de sanctificatione et electione in populum Dei intelligunt. Commodissime ad missionem Filii in carnem ac mysterium incarnationis hic locus refertur, ut sit sensus, pios V. T. patriarchas promissionem de venturo Messia fide amplexos esse ac per hanc fidem Deo placuisse, sed tamen complementum ac consummationem hujus promissionis in N. demum T. esse secutam v. 5. et 13. sicque Deum aliquid melius nobis providisse, quod scilicet ipsum Filii Dei in carnem adventum et promissionis illius complementum in N. T. intueri et hanc praerogativam prae sanctis V. T. habere debeamus, ne absque nobis τελειωθῶσι, consummarentur vel consecrarentur. Quodsi enim Christus patribus illis in V. T. fuisset exhibitus et jam tum sacrificio suo peccata expiasset, sicque consecrationem sive sanctificationem piorum absolvisset, tum ex hypothesi nimirum vi decreti divini nos fuissemus neglecti, quia Christo exhibito nihil aliud quam finis mundi exspectari debuit, sicque finis mundi venisset, antequam pii N. T. fuissent nati. Confer Primasium in hunc locum et ea, quae diximus superius paragr. 179. 6. 1. Johan. 3, v. 2: *Nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit, quid erimus, scimus autem, quia cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus*

*eum, sicuti est. Ergo ante apparitionem sive secundum Christi adventum animae non vident Deum.* Respondemus: Verba ἐὰν φανερωθῇ explicanda sunt ex praecedentibus, οὔπω ἐφανερώθη. *Nondum apparuit*, coram oculis scilicet totius mundi, *quid futuri simus*, id est quanta gloria sit esse Dei filium, ab hominibus hujus seculi nondum conspicitur, quia gloria illa in hac vita est exterius obtecta calamitatibus et cruce, quando vero in extremo die demum apparuerit, tum quoad corporis externi gloriam *similes illi erimus* Philip. 3, v. 21. quia beatitudo animae in visione Dei consistens in ipsum corpus redundabit. Quodsi phrasin ἐὰν φανερωθῇ ad Christum referre velimus, quo sensu usurpatur Coloss. 3, v. 4. 1. Johan. 2, v. 28. respondendum erit, *inclusionem unius non esse exclusionem alterius*, proinde non potest inferri, in die judicii, quando animarum et corporum facta fuerit unio, pii Deum videbunt, sicut est, ergo ante illud tempus eum nondum vident. 7. Apoc. 6, v. 9. *animae interfectorum martyrum videntur subtus altare. Ergo quiescunt in loco quodam subterraneo remotae a Dei visione.* Respondemus per instantiam. Animae illae dicuntur *clamare et vindictam expetere* v. 11. ergo non dormiunt nec somno sopitae conticescunt. cap. 7, v. 9. 14. 15. dicuntur *esse ante thronum Dei eidemque servire die ac nocte*, ergo non sunt in communi quodam receptaculo extra coelum. Per *altare* igitur Augustinus intelligit *altaria terrestria super martyrum sepulcra exstructa*, ut sit sensus, *vidi animas subter altari*, id est interfectos martyres in sepulcris, super quae altare fuit exstructum. Sed haec interpretatio est perquam coacta, nec satis congruit historiae, quae testatur, usum altarium temporibus apostolorum in ecclesia Christiana nondum obtinuisse. Quidam existimant, *animas confessorum subtus altare ex eo quiescere visas, quia in martyrio fuerunt sanctum sacrificium*, sicut David inquit Ps. 116, v. 15: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus*, et Paulus de martyrio suo proxime instante sic loquitur: *Ego*
XVIII. 28. *jam immolor* 2. Tim. 4, v. 6. Beda verba *sub altari* conjungit cum voce *interfectorum* ac per altare intelligit *Christum*, ut sit sensus, vidi animas interfectorum sub altari, id est testificatione nominis Christiani, sicut 2. Macc. 7, v. 36. Maccabaei *sub testamento Dei*, id est pro testamento Dei, dicuntur occisi; vel *vidi animas interfectorum super altari*, id est eorum, qui propter confessionem veritatis divinae sunt occisi. Quidam per altare intelligunt *Christum*, qui est sacerdos, altare et victima Hebr. 13, v. 15. et 10. sed paulo aliter phrasin explicant. Animas enim sub altari Christo visas fuisse exponunt hoc modo, quod *sub custodia et protectione Christi vivant*, quod sint loco et dignitate Christo inferiores, quod per humilitatem omnia sua Christo accepta referant, quod sub ipso quiescant, ut capiti supposita membra, non autem quod Christi humanitas illis *sit quasi paries obumbrans et impediens*, quominus Deum videant, sicut Bernhardus et alii exponunt. Quidam ut Primasius, Haymo, Beda etc. per *altare* intelligunt sacrarium divinae laudis in ecclesia triumphante, id est locum aeternae beatitudinis, in quo animae perpetuas laudes ceu hostiam fragrantissimam ac Deo gratissimam offerunt. Sicut enim in tabernaculo erat arca et ante arcam altare aureum thymiamatis, ita in coelo tabernaculo non manu facto est arca humanitatis Christi, in qua residet divinitas et ante eam est altare aureum, ex quo procedit perpetuum thymiama laudis divinae ac precum. Dicuntur autem animae esse *sub isto altari*, non autem ad altare, ad significandum secretum illud coeleste, quo non solum oculi, sed nec mentes nostrae penetrare possunt, nemo enim intelligit, quomodo animae sint ante thronum Dei eique serviant et ipsum laudent. Hoë theologus eximius in accurato comment. Apoc. 6. p. 422. per altare intelligit *thronum Dei* vel *sedem aeternae beatitudinis*, quia in cap. 7, v. 13. eaedem animae, quae hic dicuntur visae sub altari, conspiciuntur *ante thronum Dei*. Ut enim hic in templo coram ara proni stant homines et grata Deo sacrificia precando ac laudando praestant, ita in coelesti beatorum habitaculo animae justorum sunt ante thronum Dei ac Deum laudant et celebrant, quae interpretatio cum priore fere coincidit.

307. *Rationes* pro animarum dormitione proferuntur ejusmodi, *1. ab animae natura. Anima operationes suas per organa corporis perficit, ergo extra corpus nihil quidquam agere potest.* Respondemus: Anima hominis non tantum consideranda est *physice*, quatenus est ἐντελέχεια corporis et pars hominis essentialis efficiens actiones mere physicas, cujusmodi sunt intelligere per phantasmata, sentire etc. sed etiam *metaphysice* seu potius theologice secundum attributa, quae ipsi a materia separatae conveniunt, cujusmodi sunt recipere species ex influxu superni luminis, intelligere sine recursu ad phantasmata, eo scilicet modo, quo angeli, quo daemones, qui sunt spiritus incorporei, per se subsistentes. Posse enim animas extra corpus spirituales actiones obire, probant ecstases, quibus etiam in hac vita quidam obnoxii fuere. Sic Paulus ecstaticus nescit, *an in corpore, vel extra corpus audierit illa ἄῤῥητα* in paradiso 2. Cor. 13, v. 23. *2. A consequente absurdo. Si animae piorum ac impiorum ad destinatum beatitudinis vel damnationis locum statim post mortem perveniunt, nihil opus erit extremo judicio.* Respondemus per instantiam: *qui non credit, jam judicatus est* etiam in hac vita Joh. 3, v. 18. neque tamen propterea negandum est extremum judicium, quod est publica illius judicii manifestatio. Distinguendum igitur inter *judicium particulare et universale.* Illud tum in hac vita, tum XVIII. 29.
in morte cujusque hominis exercetur, anima enim cujusque hominis statim post mortem initia beatitudinis vel damnationis sentit; hoc vero in die universalis resurrectionis administrabitur, ubi totus homo corpore et anima constans judicabitur, ubi quoque omnes omnino homines ad catholicum illud judicium

2. Ex rationibus.

adducentur, ac vel in aeterna habitacula coelorum assumentur, vel in supplicia inferorum praecipitabuntur. Illud administratum *privatim et occulte*, hoc vero administrabitur *publice et manifeste*. Pii veteres enumerant quinque causas, propter quas generale illud, universale ac publicum judicium fieri debeat, etiamsi particulare ac privatum praecesserit. Prima est *gloriae divinae manifestatio*, ut scilicet ostendatur Dei justitia et misericordia. Cum enim in hac vita malis bene et bonis male esse videatur, ac propterea divinae providentiae a malevolis censoribus detrahatur, ideo constituet Deus diem, in quo coram toto mundo summam suam justitiam adversus impios et summam suam misericordiam erga pios ostendat et in conspectu omnium angelorum et hominum declaret, se cum summa misericordia erga pios nulla uti crudelitate vel injustitia adversus impios, et cum summa severitate erga impios nulla uti προσωποληψίᾳ vel iniqua liberalitate erga pios. Altera est *Christi glorificatio*. *Nunc nondum videmus, Christo omnia esse subjecta* Hebr. 2, v. 8. tunc vero *veniet in majestate sua* Matth. 25, v. 31. Sicut in primo adventu tanquam reus injuste judicatus est coram omnibus; sic vicissim in secundo adventu tanquam justus et gloriosus judex omnes judicabit. Tertia est *piorum exaltatio*. Sicut in hac vita pii in suis certaminibus *spectaculum facti sunt mundo, angelis et hominibus* 1. Cor. 4, v. 9. sic in extremo judicio coram toto mundo, omnibus angelis et hominibus eos victores pronuntiari et coronari aequum est. *Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos, qui se angustaverunt* Sap. 3, v. 1. Quarta est *praemiorum ac poenarum consummatio*. Animae piorum et impiorum a corporibus separatae initia duntaxat beatitudinis et damnationis percipiunt, tunc vero totus homo anima et corpore constans judicabitur ac praemiorum vel poenarum complementum in corpore percipiet. Quinta est *bonorum ac malorum operum adhuc durans consideratio*. Nondum enim sunt finita bona vel mala opera defunctorum. Prophetae et apostoli scriptis et exemplo ecclesiae adhuc inserviunt, haeresiarchae scriptis suis adhuc mentes hominum corrumpunt, sed quando in die judicii una cum ipso mundo bona et mala opera defunctorum finientur, tunc ultima et decretoria sententia feretur. *3. A Christi exemplo. Christi anima post separationem a corpore non statim adscendit in coelum, sed prius descendit ad inferos et post resurrectionem carnis tandem in coelum adscendit. Ergo et sanctorum animae non nisi post corporum resurrectionem ad coelum evehuntur. Christi enim requies, resurrectio et adscensio fuit exemplar nostrae quietis, resurrectionis et adscensionis.* Hoc argumentum urget Irenaeus libr. 5. adv. haeres. circa fin. Respondemus per instantiam: Christus latroni dicit, *hodie mecum eris in paradiso*, utique ergo ipsius anima ipso passionis et mortis die ad paradisum emigravit. Descendit autem postea ζωοποιηθεὶς ad inferos non propter *exemplum*, ut viam descensus nobis monstraret, sed potius propter *meritum*, ut infernum in nostrum commodum destrueret, ne in eum descendere cogeremur. Collatio membrorum in corpore mystico cum Christo capite non est extendenda ultra terminos ac limites in sacris literis praescriptos. Christus exacto demum *aetatis anno trigesimo tertio* passus ac mortuus est et per passionem intravit in gloriam suam. Ecquis vero ex eo colligere velit, quod nemo piorum XVIII. 30.
ante illud vitae tempus mori ac per mortem ad vitae aeternae consortium evehi debeat? Conforme est huic argumento illud: *Servus non est supra dominum, nec discipulus supra magistrum. Jam vero anima Christi non adscendit in coelum nisi resumto prius corpore. Ergo nec animae sanctorum debent adscendere nisi resumtis corporibus.* Respondemus: Christo privilegium illud manet illibatum ac inviolatum, quod ante universalem resurrectionem corpus gloriosum acceperit, inque eo coelum adscenderit, cum sancti secundum animas duntaxat coelum ingrediantur. Contrarium igitur potius ex hoc argumento inferri potest. Adde, quod Christi anima ipso passionis die fuerit in coelesti regno Luc. 23, v. 42. *4. Ab animae et corporis consortio. Anima et corpus in hac vita simul egerunt bona et mala. Ergo etiam simul, et non pars hominis una sine altera praemiis vel poenis affici debet.* Respondemus: Ad opera tum bona, tum mala diversimode concurrunt duae illae essentiales hominis partes, anima *principaliter*, corpus vero *instrumentaliter*, justitiae igitur divinae adversum non est, animam prius praemia vel poenas percipere quam corpus. Quodsi vel maxime non possimus causam indagare vel exprimere, quare Deus noluerit, corpus statim una cum anima praemiorum ac poenarum particeps fieri, tamen in voluntate divina in verbo revelata humili fidei obedientia acquiescere convenit. *5. A collatione cum daemonum supplicio. Daemones nondum in inferno puniuntur, sed ad diem judicii puniendi reservantur*, Matth. 8, v. 29. Luc. 8, v. 31. 2. Petri 2, v. 4. Jud. v. 6. *Ergo eadem videtur sors impiorum ante judicii diem. Si autem impii non puniuntur, utique nec pii remunerantur.* Respondemus: Daemones ubicunque sunt, suum secum infernum circumferunt, sunt enim a regno Dei extorres et a facie Dei projecti. Ut enim sancti angeli, qui in veritate steterunt, *semper vident faciem Patris, qui in coelo est*, Matth. 18, v. 10. sic mali angeli, qui proprium suum οἰκητήριον dereliquerunt, a beata Dei visione sunt remoti, atqui *Deum non videre superat omnia gehennae supplicia*. Ideo autem dicuntur reservari futuris tormentis ac praecipites in abyssum sese rapi deprecantur, quia complementum poenarum non minus ipsi quam impii in die judicii percipient, quando infernali carceri inclusis nullus amplius patebit exitus. *6. Ab animarum sanctarum desiderio. Animae separatae expetunt unionem cum resuscitatis corporibus, desiderant corporum suorum glorificationem et vindictae persecutoribus irrogan-*

*dae accelerationem,* Apocal. 6, v. 10. *Ergo nondum sunt perfecte beatae.* Respondemus: Concedimus, beatitudini animarum complementum in corporum glorificatione accessurum esse, sed ex eo inferri nequit, quod ante diem judicii et corporum resuscitationem a beatitudine ac Dei visione sint penitus exclusae. Refero huc distinctionem Sixti Senensis in bibl. lib. 6. annot. 345. p. 573. quae conciliandis veterum sententiis inservire et proposito argumento lucem conciliari poterit. *Duo,* inquit, *sunt beatitudinis, qua fruuntur electi post hanc vitam, status. Unus est animae sine corpore usque ad universale judicium, quem veteres variis nominibus describentes appellarunt sinum Abrahae, paradisum, altare exterius, sub altari Dei, sanctorum vestibulum, atria Dei, promtuaria animarum, abdita receptacula, animarum custodiam, securitatis requiem, arrhabonem regni, stolam albam, adeptas promissiones et alia hujusmodi; alter vero status est animae resumto corpore post judicium, quem similiter diversis appellationibus nuncuparunt, domum Dei, altare interius, super altare, sublimiora coelorum, consummationem gloriae, resurrectionis gloriam, perfectam laetitiam, immortalitatis prae-*
XVIII. 31. *mium, bonorum omnium terminum, integra meritorum praemia, exspectatam adhuc mercedem, nondum acceptas repromissiones, futuram gloriam, coronarum tempus, fruitionem regni et cetera his similia. Proinde cum apud priscos ecclesiae doctores legis justorum animas vivere aut in sinu Abrahae, aut in paradiso, aut sub altari Dei, ibique exspectare futurae gloriae praemia, non statim suspiceris, animas sanctorum carere divini intuitus gloria, sed intellige eas nondum potiri perfecta illa et consummata felicitate, quam post corporis resurrectionem exspectant.*

308. Ex quo ipso tertium illud, quod de statu animarum a corpore separatarum Scriptura nobis manifestat, sponte elucescit, videlicet *quod in die judicii, quando animae corporibus resuscitatis iterum unientur, tum beatorum gaudium, tum impiorum supplicium incrementa adeoque complementum suum sit accepturum,* quia in communionem gaudii in beatis et supplicii in damnatis corpora eorum vocabuntur, id quod clarius patebit ex illis, quae de resurrectione piorum ad vitam et impiorum ad ignominiam sempiternam in sequentibus proponentur, Apoc. 6, v. 10. animae martyrum sub altari clamant, *Domine, quousque non vendicas sanguinem nostrum!* etc. non proferunt haec ex impatientia neque ex vindictae prohibitae praepostera cupiditate, sed ex sancto finalis liberationis ecclesiae et exsecutionis judiciorum divinorum desiderio. Illud ipsum vero desiderium praebet argumentum, quod gloria sanctorum in die judicii demum sit complenda ac perficienda, cap. 11, v. 9. postquam mortui fuere resuscitati ac judicati, tum demum *apertum fuit templum in coelo,* id est beatorum gloria et felicitas fuit patefacta et magnum accepit incrementum. Beda in cap. 11. Johan.: *Animae, dum deserunt corpora, diversas receptiones habent, gaudium bonae, malae tormenta, sed cum facta fuerit resurrectio, et bonorum gaudium amplius erit, et malorum tormenta graviora, quando cum corpore torquebuntur,* inde Scholastici quaerunt, *an gloria animae major sit futura post resurrectionem, quam est ante eam?* Et sane conveniunt omnes in duobus. Primo, *gaudium animae accidentale futurum majus tam extensive, quia erit in anima et in corpore, quam intensive, quia ipsa anima magis gaudebit, quando videt corpus suum gloriosum, quam nunc, cum videt illud jacere mortuum; secundo gaudium essentiale fore majus extensive, quia nunc est in sola anima, postea autem redundabit in corpus et efficiet ipsum corpus suo modo gloriosum.* Non autem conveniunt de incremento *essentialis gloriae intensive.* Lombardus 4. sent. dist. 49. Thomas ibid. quaest. 1. part. 4. Bonaventura ibid. art. 1. quaest. 1. Richardus ibid. art. 2. quaest. 7. Marsilius ibid. quaest. 13. art. 3. dicunt, *gloriam essentialem fore tunc majorem etiam intensive,* 1. quia anima perfectius esse habet in corpore quam extra corpus, ergo et perfectius operabitur; 2. quia anima separata propter inclinationem ad corpus distrahitur et impeditur, ne tota intentione feratur in Deum. Ergo remoto hoc impedimento intensius operabitur. Huic sententiae suffragari videtur Augustinus lib. 12. de Genes. ad liter. c. 35. sic scribens: *Minime dubitandum est et raptam hominis a carnis sensibus mentem et post mortem ipsam carne deposita et transcensis etiam similitudinibus corporalium non sic videre posse incommutabilem substantiam, ut sancti angeli vident, sive alia latentiore causa, sive ideo, quia inest ei naturalis quidam appetitus corpus administrandi, quo appetitu retardatur quodammodo, ne tota intentione pergat in illud summum coelum, quamdiu non subest corpus, cujus administratione appetitus ille conquiescat.* Contra vero Thomas 1. 2. quaest. 4. art. 5. et Cajetanus ibid. ut et Durandus 4. sent. dist. 49. quaest. 7. dicunt, *gloriam essentialem non fore majorem intensive, sed tantum*
*extensive,* quia si gloria cresceret intensive, vel id XVIII. 32.
accideret ratione objecti, vel lumine sive habitus gloriae, vel potentiae. *Non ratione objecti* vel habitus, quia ista non crescunt, nisi crescat gratia, gratia autem non crescit in die judicii, quia non est locus novis meritis post hanc vitam, *non etiam ex parte potentiae,* quia cum anima in videndo Deum non pendeat a phantasmate, non pendet ullo modo a corpore et proinde tam perfecte esse potest operatio ista videndi Deum in anima separata, quam in anima corpori adjuncta. Bellarminus de beatit. sanct. c. 5. hanc posteriorem opinionem judicat esse veriorem, ideo ad argumenta prioris sententiae respondet, *1. animam non habere melius esse in corpore quam extra corpus, nisi extensive, quia suum esse communicat corpori, nam alioqui in se esse animae semper est idem, nec suscipit magis et minus; 2. inclinationem ad corpus non impedire visionem*

*vel amorem Dei ullo modo, quia ordinatur ad amorem Dei tanquam ad finem, alioqui angeli, quando mittuntur ad exteriora et de illis cogitare coguntur, distraherentur a visione Dei et ipsa anima, quando debebit occupari in administrando corpore, distraheretur etiam magis quam nunc in appetendo corpus.* Sed de his ac similibus Scholasticorum quaestionibus judicium fieri poterit ex illis, quae in tractatu ultimo de gaudiis vitae aeternae dicentur.

**Quaeritur de sanctis defunctis. 1. An eorum animae in particulari cognoscant ea, quae in terris geruntur.**

309. Quaeritur hoc loco, *1. an sanctorum defunctorum animae in particulari cognoscunt ea, quae in his terris geruntur.* Pontificii affirmant. Sic enim scribit Bellarminus lib. 1. de beatitud. sanctor. cap. 20. resp. ad argum. 3: *Non est verum, quod assumitur, sanctos ignorare, quid ab illis petamus. Nam etsi dubitatio esse possit, quemadmodum cognoscant absentia, et quae solo cordis affectu interdum proferuntur, tamen certum est, eos cognoscere.* Costerus in enchir. pag. 388: *Dubium nullum est, sanctos in coelis cognoscere, quae in terris gerimus, internuntiis angelis et iis, qui ex vita migrant.* Quo fine Pontificii defunctis sanctis talem omnium rerum notitiam tribuant, facile apparet, videlicet ut invocationem sanctorum stabiliant ac respondere possint nostrae ἀποδείξει sanctorum invocationi oppositae. Omnis vera et religiosa invocatio fertur in eum, qui est omniscius et καρδιογνώστης 1. Reg. 18, v. 27. Psalm. 18, v. 7. Psalm. 79, v. 11. Matth. 6, v. 6. Roman. 8, v. 27. etc. quia preces in pluribus ac diversis locis funduntur et quandoque solo cordis gemitu absolvuntur. Sanctorum invocatio non fertur in eum, qui est omniscius et καρδιογνώστης. Ergo non est vera et religiosa invocatio. Nos contra negamus, animas sanctorum defunctorum tali omnium rerum notitia gaudere. Distinguimus autem *1. inter notitiam generalem et specialem.* Cum enim non sit verisimile, animas sanctorum vel ita securas, vel gaudio ebrias esse, ut nesciant, Christo in terris ecclesiam colligi eandemque multis
XVIII. 33 pressuris, afflictionibus et persecutionibus obnoxiam esse, ideo pia est et bona cogitatio, statuere, quod generalem eorum, quae ecclesiae in his terris adhuc militanti obtingunt, notitiam habeant et proinde a Christo, cui in coelesti gloria praesentes sunt, boni aliquid ecclesiae petant, maxime cum sint ejusdem corporis mystici membra, cujus caput est Christus, et cum caritas in vita aeterna non excidat 1. Cor. 13, v. 8. interim ex eo nequit inferri, quod in specie singulas circumstantias et calamitates piorum habeant perspectas, qua de re in quaestione de invocatione sanctorum plenius disseremus. *2. Inter praeteritorum ἀνάμνησιν et praesentium γνῶσιν.* Concedimus, animas pie defunctorum recordari eorum, quae vel ipsis in corpore adhuc militantibus, vel cognatis et amicis contigerunt, cum Abrahamus ad epulonem damnatum dicat Luc. 16, v. 25: *μνήσθητι τέκνον, recordare fili, quod recepisti bona in vita tua et Lazarus similiter mala;* sed negamus, animas sanctorum *in specie et in particulari* nosse, quid singulis diebus, horis ac momentis nobis in terris adhuc superstitibus eveniat, qui sint cordis motus et affectus, qui particulares singulorum hominum casus et eventus. *2. Inter revelationem extraordinariam et notitiam ordinariam.* Si vel maxime concederemus, quaedam in particulari ex revelatione divina nota fieri sanctis, sicut Elisaeus propheta in his terris adhuc vivens ex revelatione divina absens cognoscebat, quae Giezi et dicebat et faciebat 2. Reg. 5, v. 26. ac secreto indicare poterat regi Israëlis omnia verba, quae secreto locutus fuerat rex Syriae in conclavi suo 2. Reg. 6, v. 12. sicut et Petrus videre poterat Ananiam mentiri Act. 5, v. 3. sed ex eo inferri nequit, sanctos ordinarie omnia omnino, quae in terris geruntur, scire, neque quidquam eorum notitiam subterfugere, cum Elisaeus non habuerit cognitum, quid Sunamitidi contigerit 2. Reg. 4, v. 27. *Anima,* inquit, *ejus in amaritudine est, et Dominus celavit a me et non indicavit mihi.*

**Argumenta pro negativa quaestionis parte. 1. Ex hypothesi affirmante.**

310. Hisce praemissis sententiam nostram demonstramus duplici argumento. Prius procedit *ex hypothesi affirmante,* quia Scriptura sacra *soli Deo* laudem omniscientiae tribuit; posterius procedit *ex hypothesi negante,* quia Scriptura laudem omniscientiae sanctis expresse denegat. In priore sic inferimus: Quidquid Scriptura soli Deo unice tribuit, illud sanctis defunctis a nobis tribui nequit, alias enim labefactaretur exclusiva, ac repugnaretur divino oraculo Esai. 42, v. 8: *Ego Jehovah, gloriam meam alteri non dabo.* Jam vero *soli* Deo Scriptura hanc laudem tribuit, quod sit omniscius ac καρδιογνώστης, quod audiat occultos cordium gemitus, quod *scrutetur corda et renes* etc. 1. Sam. 16, v. 7: *Homo videt ea, quae patent oculis, Dominus autem cor intuetur.* 1. Reg. 8, v. 39. et 2. Paralip. 6, v. 30: *Tu Domine solus nosti cor omnium filiorum.* 1. Paral. 28, v. 9: *Omnia corda scrutatur Jehovah et omne figmentum cogitationum intelligit.* Psalm. 7, v. 10: *Scrutans corda et renes Deus justus.* Psalm. 18, v. 7: *Clamor meus in conspectu ejus introivit in aures ejus.* Psalm. 38, v. 10: *Domine coram te est desiderium meum et suspirium meum a te non est absconditum.* Psalm. 44, v. 22: *Ipse novit abscondita cordis nostri.* Psalm. 79, v. 11: *Introeat coram te gemitus compeditorum.* Jerem. 11, v. 20: *Tibi Domine, qui judicas juste et probas renes et corda, revelavi causam meam.* cap. 17, v. 10: *Cor hominis inscrutabile, quis cognoscit illud? Ego Dominus scrutans cor et probans renes.* Sap. 1, v. 6: *Renum testis est Deus et cordis scrutator est verus et linguae ejus auditor.* Matth. 6, v. 6: *Ora Patrem tuum, qui est in occulto, et Pater tuus, qui videt in occulto, reddet tibi in propatulo.* Rom. 8, v. 27: *Qui* XVIII. 34
*scrutatur corda, scit, quid desideret spiritus.* 1. Cor. 2, v. 10: *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunditates Dei.* v. 11. *Quis enim hominum scit, quae sunt in homine, nisi spiritus hominis, qui est in ipso? ita et quae Dei sunt, nemo novit nisi Spiritus Dei.* Apoc. 2, v. 23: *Ego sum scrutans*

*corda et renes.* Ergo sanctis defunctis tribui nequit, quod sint omniscii ac καρδιογνῶσται, quod audiant occultos cordium gemitus, quod scrutentur corda et renes. Chrysostomus homil. 4. de poenit.: *Cor curare solus potest, qui finxit sigillatim corda nostra et intelligit semper omnia opera nostra. Ipse ergo nostram subire conscientiam, mentem tangere potest, animam flectere.*

eptio larm. l. arg. 311. Excipit Bellarminus dicto loco, *solum Deum cognoscere cogitationes omnes omnium cordium, idque naturaliter et propria virtute, sanctos autem solum cognoscere eas, quae a Deo ipsis manifestantur, sive beatifica visione, sive etiam nova revelatione.* Respondemus: 1. Haec exceptio tollit emphasin dictorum modo allegatorum, in quibus non *secundum quid*, sed ἀποτόμως ac *simpliciter* omniscientia et καρδιογνωσία soli Deo tribuitur. Arcte igitur emphasi isti insistimus et urgemus in illis dictis tum *exclusionem*, tu solus nosti corda filiorum hominum, tum *oppositionem*, *homo videt ea, quae patent oculis, Dominus autem cor intuetur. Quis cognoscet cor hominis? ego Dominus scrutans cor et renes* etc. tum *illationem*, *inde* enim atque ideo David solum Deum invocat, quia occultos cordis gemitus ipsum audire certo novit, contra vero Elias Baalitarum idolum propterea negat verum esse Deum et invocandum, quia non possit invocantium preces exaudire 1. Reg. 18, v. 27. 2. Si liceret oraculis illis Scripturae, quae omniscientiam soli vero Deo tribuunt, hanc limitationem addere, tum non amplius ex omniscientiae proprietate vera divinitas Filii et Spiritus sancti demonstrari posset. Consequens repugnat praxi veterum ecclesiae doctorum, qui contra Arium et Macedonium argumentum ab omniscientia petitum strenue urgent. Bellarminus ipse lib. 1. de Christo cap. 8. argum. 4. divinitatem Filii probat *ex sapientia, quia scilicet in ipso omnes thesauri sapientiae et scientiae reconditi, ac quia novit omnia.* lib. ejusdem cap. 13. class. 6. divinitatem Spiritus sancti ex eo probat, quia *praedicit futura et scrutatur corda, quod solius Dei est.* Atqui omne momentum ac pondus hisce argumentis decedit, si omniscientia et καρδιογνώσια quovis modo sanctis tribuatur. 3. Aut loquitur Bellarminus de vera et infinita omniscientia, qua occulta cordium, interiores gemitus et quaevis abscondita sciuntur, aut de limitata ac mensurata scientia. Si de priore, dicendum ipsi fuerit, sanctos vere esse omniscios omniscientia illa, quae solius veri Dei est propria, aliam enim omniscientiam Scriptura penitus ignorat. Sed talem omniscientiam Scriptura sanctis derogat, nec ipsimet Pontificii salva sua hypothesi, quam in controversia de communicatione idiomatum perpetuo contra nos urgent, quod *finitum non sit capax infiniti*, absolutam et infinitam omniscientiam sanctis tribuere possunt. Si de posteriore, nondum assequitur Bellarminus exceptionis scopum, ideo enim fingit, sanctos cognoscere cogitationes cordium, ut obtineat, ipsos religiose invocari posse ac debere. Atqui ut religiosae invocationis honor alicui tribuatur, ad illud non sufficit quarundam cogitationum notitia ac revelatio, sed requiritur absoluta et infinita omniscientia, ut constat ex dictis Scripturae, quae divinam omniscientiam et καρδιογνωσίαν cum adorationis cultu perpetuo nexu conjungunt. 4. Principium in XVIII. 35.
eo petitur, quod statuitur, sanctos cognoscere occultas cordium cogitationes in beatifica Dei visione, sive etiam nova revelatione. Nuspiam enim Scriptura sacra talem occultorum scientiam sanctis tribuit. 5. Bellarminus ipse incertus est de speciali illa notitia, ideo dicit, *sanctos nosse cogitationes illas cordium, quae a Deo ipsis manifestantur sive beatifica visione, sive nova revelatione.* Atqui modum illum notitiae *per novam revelationem* paulo prius ipsemet repudiavit. *Si indigerent* (inquit) *sancti nova revelatione, ecclesia non diceret ita audacter omnibus sanctis, Orate pro nobis, sed peteret aliquando a Deo, ut eis revelaret preces nostras, nec posset tam facile ratio reddi, cur sancti nunc invocentur et ante adventum Christi non invocarentur.* 6. Sic ergo contra Bellarminianam illam exceptionem concludimus. Quod solius Dei est proprium, illud non convenit creaturae *extra Deum* sive naturaliter, sive visione beatifica, expresse enim testatur Deus, se *gloriam suam alteri dare nolle* Esai. 42, v. 8. Jam vero omniscientia et καρδιογνωσία est solius Dei propria. Ergo non convenit creaturae extra Deum sive naturaliter, sive beatifica visione, et per consequens nec sanctis competit. 7. Omniscientia et καρδιογνωσία Dei sic comparata est, quod uno, simplici, infinito ac perpetuo actu, non successive, sed simul omnes omnium cordium cogitationes, praeteritas, praesentes ac futuras, non eminus, sed coram intueatur, ac talis omniscientia et καρδιογνωσία est religiosae invocationis fundamentum. At cum tali omniscientia pugnat *nova illa revelatio*, quam Bellarminus sanctis fieri dicit, qui enim ex nova revelatione omnia novit, is nequaquam uno, continuo ac simplici actu sine successione ac mutatione omnia novit.

312. In posteriore argumento sic progredimur. 2. Ex hypothesi negante.
Quidquid Spiritus s. animabus defunctorum sanctorum denegat, illud iisdem tribui nequit. Sed omniscientiam et καρδιογνωσίαν ac specialem eorum, quae in terris geruntur, notitiam Spiritus s. animabus defunctorum sanctorum denegat. Ergo. Assumtum constat ex sequentibus dictis, 2. Reg. 2, v. 9. dicit Elias Elisaeo discipulo: *Postula, quod faciam tibi, antequam tollar a te,* vult igitur a se in terris adhuc praesente et sciente postulari, quod cupiat impetrare. 2. Reg. 22, v. 20. dicitur Josiae a Domino: *Colligam te ad patres tuos, ut non videant oculi tui omnia mala, quae introducturus sum in locum istum.* Job. 14, v. 21: *Sive nobiles fuerint filii ejus, sive ignobiles, non intelliget.* Eccles. 9, v. 5: *Viventes sciunt, se morituros esse, mortui autem nihil noverunt amplius*, eorum scilicet, quae sub sole in his terris geruntur. Ezechias audita praedictione de excidio Hierosolymitano ait: *Sit tantum pax et veritas in diebus meis*, Esai. 39,

v. 8. Esai. 63, v. 16: *Tu Domine pater noster es, Abraham nescivit nos et Israël ignoravit nos. Tu Domine pater noster, redemtor noster, a seculo nomen tuum.* Apoc. 6, v. 11. animabus sanctorum vindictam expetentibus dicitur, *ut quiescant tempus modicum, donec compleantur conservi eorum et fratres eorum, qui interficiendi erant sicut et illi.* Atqui si in particulari illud scivissent, nullo fuisset opus indicio. Eadem est veterum ecclesiae doctorum sententia. Origenes lib. 2. in epist. Rom. in princ.: *Si extra corpus positi vel sancti, qui cum Christo sunt, agunt aliquid et laborant pro nobis ad similitudinem angelorum, qui salutis nostrae ministeria procurant, vel rursus peccatores etiam ipsi extra corpus positi agunt aliquid secundum propositum mentis suae, angelorum nihilominus ad similitudinem sinistrorum, habeatur hoc quoque inter occulta Dei, neque chartulae committenda mysteria.* Gregorius Nazianzenus orationem, quam
XVIII. 36. in honorem Gorgoniae sororis recitavit, sic concludit: *Si tibi aliqua sermonis nostri est ratio et hoc sanctis animis a Deo munus, ut talia resciscant, suscipe nostrum sermonem multorum epitaphiorum loco.* Hieronymus ad Heliodorum epistol. 3. c. 1. de Nepotiano defuncto: *Quidquid dixero, quia ille non audit, mutum videtur* etc. Et postea: *Cum quo loqui non possumus, de eo loqui non desinamus.* c. 10: *Felix Nepotianus, qui haec non videt, qui haec non audit* (barbarorum scilicet devastationes ac diras), quem tamen Nepotianum c. 3. dixerat *esse cum Christo et sanctorum choris mixtum.* Ambrosius in funere Satyri: *Si nunc urgeri Italiam tam proximo hoste cognosceres, quantum ingemisceres.* Isidorus Pelusiota libro primo epistol. 195: *αἱ τάξεις τῶν ἀγγέλων οἷα τῆς φύσεως σύνδουλοι τὰ μήπω παρόντα ἀγνοοῦσι.* At si ulla creatura praeter et extra Deum omniscientiae lumine fulgeret, utique angelis ea deneganda non esset, quippe qui sunt *δεύτερα φῶτα νοερὰ ἐκ τοῦ πρώτου καὶ ἀνάρχου φωτὸς τὸν φωτισμὸν ἔχοντα*, ut eos describit Damascenus ex Athanasio et Nazianzeno l. 2. orth. fid. c. 3. Augustinus lib. de cura pro mortuis c. 13. adducit sententiam Psalm. 26: *Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumsit me*, indeque infert, *si ergo dereliquerunt nos patres nostri, quomodo nostris rebus et curis intersunt? Si autem parentes non intersunt rebus nostris, qui sunt alii mortuorum, qui noverunt quid agamus, quidve patiamur? Esaias propheta dicit, tu es enim pater noster, quia Abraham nos nescivit et Israël non cognovit nos. Si tanti patriarchae, quid erga populum ex his procreatum ageretur, ignoraverunt, quibus Deo credentibus populus ipse de illorum stirpe promissus est, quomodo mortui suorum rebus atque actibus cognoscendis adjuvandisque miscentur? Quomodo dicimus, eis fuisse consultum, qui obierunt, antequam venirent mala, quae illorum obitum consecuta sunt, si et post mortem sentiunt, quaecunque in vitae humanae calamitate contingunt? an forte nos errando ista dicimus et hos putamus quietos, quos inquieta vita vivorum solicitat? Quid est ergo, quod piissimo regi Josiae pro magno beneficio promisit Deus, quod esset ante moriturus, ne videret mala, quae ventura illi loco et populo minabatur? etc. territus iste Dei comminationibus fleverat et sua vestimenta consciderat et fit omnium malorum futurorum de properatura morte securus, quod ita requieturus esset in pace, ut illa omnia non videret etc. Ibi ergo sunt spiritus defunctorum, ubi non vident, quaecunque aguntur aut eveniunt in ista vita hominibus.* Eadem totidem fere verbis repetit Eucherius Lugdunensis episcopus in lib. 4. Reg. Atqui haec est Augustini sententia satis perspicua et diserta de quaestione proposita, quando *juxta normam et ductum Scripturae* de ea disserit, quando vero juxta opinionem tunc temporis gliscere incipientem extra Scripturae limites de ea disputat, tum *dubitanter et titubanter* progreditur, sic enim scribit lib. ejusd. c. 16: *Ista quaestio vires meas intelligentiae vincit, quemadmodum opitulantur martyres iis, quos per eos certum est adjuvari. Utrum ipsi per se ipsos adsint uno tempore tam diversis locis et tanta inter se longinquitate secretis, sive ubi sunt eorum memoriae, sive praeter suas memorias ubicunque adesse sentiuntur; an ipsis in loco suis meritis congruo ab omni mortalium conversatione remotis et tamen generaliter orantibus pro indigentia supplicantium, sicut nos oramus pro mortuis, quibus utique non praesentamur, nec ubi sint, nec quid agant scimus. Deus omnipotens, qui est ubique praesens, nec concretus nobis, nec remotus a nobis, exaudiens martyrum preces per angelorum ministeria usquequaque diffusa, praebeat hominibus ista solatia, quibus in hujus vitae miseria judicat esse praebenda etc. Res haec altior est, quam ut a me possit attingi, et*
*abstrusior, quam ut a me valeat perscrutari, et ideo* XVIII.
*quid horum duorum sit, an vero utrumque sit, ut aliquando ista fiant per ipsam praesentiam martyrum, aliquando per angelos suscipientes personam martyrum, definire non audeo, mallem a scientibus ista perquirere.* lib. de vera relig. c. 55: *Quisquis angelorum vel hominum diligit hunc Deum, certus sum, quod etiam me diligit, quisquis in illo manet et potest humanas preces sentire, in illo me exaudit.* Gregorius in moral.: *Sicut hi qui adhuc viventes animae mortuorum quo loco habeantur ignorant; ita mortui vitam in carne viventium post eos qualiter disponantur nesciunt.* In jure canonico c. Qui divina 13. q. 2. in append.: *De mortuis autem quaeritur, utrum sciant ea, quae a vivis gerantur. Esaias ex persona populi afflictu ait: Abraham pater noster nos nescivit.* Confer c. Fatendum ibid. Hildebertus Turonensis episcopus circa annum Domini 1120. defendit sententiam Augustini asserentis, quod *animae sanctorum ignorent, quid in hac vita agatur*, atque inde conclusit, *otiosas esse litanias, quibus oramus, ut pro nobis orent, cum nec audiant nos, nec sciant, quid aga-*

*tur apud nos.* Vidimus superius, multos ex patribus *animabus sanctorum a corpore separatis denegare visionem Dei ante extremum judicium et corporum resuscitationem*, ex quo apparet, illos ab opinione, quae omniscientiam sanctis defunctis tribuit, fuisse alienos vel maxime.

313. Utimur etiam hisce rationibus: 1. Si sancti defuncti scirent omnia, quae in terris geruntur, non solum *in genere et in universali*, sed etiam *in specie et in particulari*, adeo ut etiam occultos cordium humanorum motus viderent, tum aut Deus essent, aut Deo hypostatice uniti. Ratio connexionis est, quia talis omniscientia nemini competit nisi Deo et Salvatori nostro Jesu Christo. Atqui defuncti sancti nec Deus sunt, nec Deo hypostatice uniti. 2. Qui naturaliter non sciunt ea, quae in terris geruntur, nec ex angelorum relatione, vel beatifica visione vel divina revelatione vel aequalitate cum natura angelica eadem perspecta habent, de illis statui nequit, quod sint omniscii. Sancti non sciunt naturaliter ea, quae in terris geruntur, ut Pontificii concedunt, nec supernaturaliter ea resciscunt, ut inferius demonstrabitur. Ergo 3. si sancti defuncti essent omniscii, tum aut *οὐσιωδῶς*, *essentialiter*, aut *ὑποστατικῶς*, *personaliter*, aut *συμβεβηκότως*, *accidentaliter*, tales essent, ut constat ex sufficiente enumeratione. Atqui non sunt omniscii *essentialiter*, hoc enim soli Deo competit; nec *personaliter*, hoc enim competit soli Christo secundum assumptam naturam humanam; nec *accidentaliter*, quia omniscientia non est accidens quoddam, quod posset egredi suum subjectum et alteri extra Deum communicari. Ergo. Et quid multis? negat ipse Bellarminus omnia scire, quomodo ergo erunt omniscii? sic enim scribit lib. 1. de beat. sanct. c. 20. resp. ad 3. arg.: *Sancti cognoscunt preces nostras et possunt ad nos venire, quando volunt, non tamen propterea sciunt omnia nostra.*

**Exceptiones Bellarm. ad 2. argumentum.**

314. Excipit Bellarminus, 1. Job. 14. et Eccl. 9. *illud tantum docere, quod defuncti naturaliter non cognoscant, quid agant vivi, sicut nec vivi cognoscunt, quid agunt mortui; nihilo tamen minus sanctos, qui Dei claritate fruuntur, omnia in Deo videre, quae nimirum ad eos pertinent.* Respondemus: 1. nec Jobus, nec Salomon limitationem illam addunt, sed simpliciter pronuntiant, defunctos non cognoscere, quid agant vivi. Jam vero ubi Spiritus s. simplicem negationem ponit, ibi non debemus
XVIII. 38. contrariam affirmationem ponere. *Ubi lex non distinguit, ibi nec nos distinguere debemus.* 2. Quid de *speculo* illo divinae visionis statuendum sit, paulo post dispicietur. 3. Repetenda sunt hoc loco ea, quae praecedenti exceptioni Bellarminianae opposuimus. Per *τὸ omnia videre in Deo* aut intelligitur infinita et absoluta omniscientia, aut specialis et extraordinaria quarundam rerum notitia. Prius asserere reformidat ipse Bellarminus, ideo addit, *sanctos videre in Deo omnia*, *quae ad eos pertinent;* posterius nondum sufficit ad stabiliendam hypothesin de sanctorum omniscientia et *καρδιογνωσίᾳ*. 4. Ne ipsi quidem Pontificii consentiunt in assignando modo, per quem sancti defuncti specialem rerum nostrarum notitiam, (qua naturaliter eos destitutos fatentur) assequantur, ut postea apparebit. 5. Bellarminus sibi ipsi contradicit, nam in responsione ad dictum propheticum Esa. 63. *Abraham nescit nos* etc. diserte asserit, *patres V. T. non cognovisse posteros suos viventes*, *quia nondum erant beati*, *sed in limbo adhuc constituti*, ex quo ejusmodi nascitur theorema. Qui nondum sunt beati, illi non cognoscunt statum viventium in terris, sive naturaliter, sive ex visione beatifica, sive ex revelatione. Atqui dicta Jobi et Salomonis itidem loquuntur de sanctis V. T. ut constat. Ergo non debebat Bellarminus distinguere inter notitiam naturalem et supernaturalem ex beatifica Dei visione descendentem, quasi illa duntaxat, non autem haec denegetur sanctis.

315. 2. Esa 63. *agi de cognitione approbationis, ut sit sensus, Abraham nescivit nos, id est non habet nos pro filiis, non diligit nos, contemnit nos, quia intelligit, nos a te recessisse.* Hanc interpretationem dicit esse *maxime literalem et probari Hieronymo* in comm. illius loci. Eandem sequitur Becanus in append. disput. de purgat. Calvin. p. 91. Respondemus: 1. Bellarminus l. 4. de justif. c. 20. resp. ad 4. statuit, *Esaiam ibi loqui non de hominibus justis, sed de insignibus peccatoribus, ob quorum scelera tradenda erat civitas et totus populus in manus regis Babylonici.* Jam vero impiis in populo Israëlitico solenne ac perpetuum erat, in medio scelerum cursum sibi blandiri ac de *patre Abrahamo* impudenter gloriari, Matth. 3, v. 9. Joh. 8, v. 39. unde dives epulo in inferno constitutus ad paternitatem Abrahae adhuc provocat, Luc. 16, v. 24. quomodo igitur probabile est, impios apud Esaiam hoc sensu dicere, *Abraham nescit nos*, id est non habet nos pro filiis? 2. Quodsi in persona fidelium ac poenitentium propheta orat, id quod ipsum re vera facere in tract. de bonis operibus §. 64. demonstratum fuit, denuo verisimile non est, quod Israëlitae vere fideles ac poenitentes negent, se ab Abrahamo pro filiis agnosci, cum se Dei filios vocare non erubescant. *Tu Domine*, inquiunt, *pater noster es.* 3. Explicatio illa praesupponit, quod Abraham, Israël ac reliqui sancti V. T. sciverint quidem ea, quae posteris obtigerant, sed tamen noluerint eorum curam agere. Atqui eo tempore adhuc erant in limbo, docente Bellarmino et reliquis Pontificiis omnibus. Ergo non potuerunt in particulari scire, quae posteris obtigerint, nam juxta Bellarmini hypothesin, qui in limbo sunt, illi nondum sunt beati, jam vero qui non beati sunt, sed beatifica Dei visione destituuntur, ignorant, quae in terris agantur. 4. Eadem explicatio praesupponit, quod sancti defuncti in V. T. fuerint invocati. Sensus enim est, quia Abraham et Israël, quos ad auxiliandum promptos in aliis necessitatibus experti sumus, hoc tempore nos contemnunt ac negligunt, ideo per preces ad te Domine nos convertimus,

Jam vero Eccius in ench. c. 15. disputat, *in V. T. non fuisse praeceptam sanctorum invocationem,* XVIII. 39. *quia populus Judaicus alioquin erat propensus ad idololatriam, et quia patres erant in limbo nondum beati.* Suarez in part. 3. Thom. q. 52. disp. 42. sect. 1. p. 524: *In V. T. quod aliquis directe invocaverit sanctos defunctos, ut pro se orarent, nunquam legimus.* Bellarminus ipse in verbis paulo ante praecedentibus §. Atque ex his etc., inquit: *Si indigerent sancti nova revelatione, non posset reddi ratio tam facile, cur sancti nunc invocentur et ante adventum Christi non invocarentur.* Becanus in append. disp. de purgat. Calvin. p. 65: *In V. T. nusquam legimus, quod aliquis viventium directe invocaverit sanctos in limbo exsistentes, quia ordinarie nihil cognoverunt ex peculiari Dei revelatione.* 5. Ex eadem interpretatione colligitur, Abrahamum et Israëlem erga posteros suos fuisse duriores et inhumaniores quam ipsum Deum. Jam vero Pontificii ideo invocant sanctos, quia illos erga se propensiores sperant eorundemque intercessione aditum ad Deum sibi patefieri existimant. 6. Consequens fuerit, illos omnes, in quorum persona Esaias loquitur, fuisse indignos sanctorum cura et dilectione. At hoc dici nequit, quia Esaias se ipsum etiam humili confessione involvit ac in persona totius ecclesiae orat, in qua certe adhuc aliqui erant, quos sancti contemnere et repudiare non debebant. 7. Sequeretur etiam, posse gravissimos peccatores sine mediatoribus sanctis recta ad Deum accedere, sicut orantes hoc loco faciunt. Atqui consequens illud Pontificiis sanctos mediatores constituentibus adversatur. 8. Sequeretur, ne ipsum quidem Deum hosce orantes curasse et audivisse, quos enim sancti tanquam indignos amore et cura sua propter peccata repellunt, illis multo magis Deus, qui est ipsa justitia et ignis consumens, irascitur. Atqui consequens illud affirmari nequit, cum constet, serias et ardentes istas preces Deo fuisse gratas. 9. Si sancti tunc noluerunt posterorum suorum Israëlitarum curam agere et miseriis eorum affici, illud factum est propter conditionem aliquam vel in ipsis sanctis, vel in Israëlitis orantibus haerentem. Prior non potest esse alia quam ignorantia, quod ideo noluerint curam posterorum agere, quia ignorarunt, quid in particulari illis obtigerit; posterior non potest esse alia quam indignitas, quod ideo noluerint eorum curam agere, quia amore et cura indigni erant. Si prius Pontificii dixerint, sanctorum invocationem everterint; si posterius, etiam Deus ipse propter eandem indignitatem Israëlitas orantes a se rejecisset. 10. Si sancti illi noluerunt posterorum suorum curam agere, aut prorsus non fuere invocandi, aut per mediatorem accessus fuisset ad ipsos parandus, quia iratum judicem absque mediatore nemo compellat. Si prius, persistit nostra sententia; si posterius, novi sanctorum mediatores constituendi erunt. 11. Si Abraham et Israël eo tempore noluerunt curam agere posterorum, metuendum, ne idem circa defunctos sanctos adhuc hodie obtingat, illi igitur non semper erunt benevoli mediatores, et per consequens nec invocandi ut mediatores.

316. *3. Quia tamen Augustinus lib. de cura pro mort. cap. 13. exponit, de cognitione proprie dicta ideo responderi posse, quod Abraham et Israël et alii patres V. T. non cognoverint posteros suos viventes, quia nondum beati erant et naturaliter mortui non sciunt, quid viventes agant.* Et paulo ante: *Patribus in limbo non fuit ordinarie revelatum, quid hic agebatur, quia nondum erant beati, nam ad perfectam beatitudinem pertinet scire ea, quae ad se pertinent, et praecipue ea, quae faciunt ad honorem et gloriam.* Eodem modo excipit Gregorius de Valentia in script. adv. Heerbrand. Respondemus: 1. haec exceptio repugnat priori, ut ostendimus; 2. eadem prorsus tollit invocationem sanctorum in V. T. cum tamen Bellarminus ex XVIII. 40. dictis V. T. eandem adstruere laboret; 3. eadem nititur hypothesi de limbo patrum, cujus falsitatem superius demonstravimus. Sic ergo concludimus. Sancti V. T. ignoraverunt statum viventium, ergo etiam sancti N. T. eundem ignorant. Ratio est, quia unus idemque est animarum piarum a corpore separatarum status in utroque testamento. 4. Si patres V. T. ideo non cognoverunt posteros suos viventes, quia nondum erant beati, sed in limbo adhuc constituti, consequens fuerit, illos nec naturaliter, nec ex supernaturali revelatione posterorum statum cognitum habuisse. Cur ergo ad reliqua V. T. dicta, quae sanctis defunctis notitiam rerum humanarum derogant, Bellarminus respondet, quod accipienda sint de *notitia duntaxat naturali?* certe sancti V. T. non minus quam Abraham et Israël in limbo fuerunt et per consequens *ab omni prorsus* speciali rerum humanarum *notitia* exclusi? 5. Quae haec est desultoria levitas, quod hoc ipso in loco Bellarminus addit, et *naturaliter mortui non sciunt, quid viventes agant?* Si verba prophetica, *Abraham nescivit nos et Israël ignorat nos*, eo sensu intelligenda, quod ipsis utpote in limbo constitutis non reveletur, quid in terris agatur, quodque ipsi utpote a beatifica Dei visione exclusi non videant omnia in Deo, utique non solum *naturaliter* illud nesciunt, sed etiam *ex beatifica visione et revelatione* illud non habent cognitum. Et vicissim, si naturaliter duntaxat nesciunt, ergo ex beatifica visione vel nova revelatione cognitum habent. 6. Antithesis textus non potest inani illo subterfugio de naturali ignoratione eludi. *Attende de coelo*, orat ecclesia, *et vide de habitaculo tuo sancto, tu enim pater noster es, Abraham nescivit nos et Israël ignoravit nos, tu Domine pater noster, redemtor noster, a seculo hoc est nomen tuum.* Hic certe quilibet videt, absolute et simpliciter asseri, quod Abraham, Israël et reliqui sancti V. T. statum viventium in terris ignorent. 7. Accurate observa, Israëlitas in precibus suis propterea a sanctis ad Deum sese convertere, quia ipsi ignorarent, quae in terris geruntur. At si naturalis dun-

taxat notitiae respectu ea ignorarent, interim ex divina revelatione eadem cognita haberent, non deberent propterea ab ipsis ad Deum se convertere. Sufficit enim ad sanctorum invocationem ex hypothesi Pontificia, sanctos scire, quid in terris agatur, si vel maxime naturaliter illud non sciant. 8. Quidquid in oppositione immediata de uno oppositorum affirmatur et de altero expresse negatur, illud salva oppositionis lege nullo respectu illi, de quo negatur, attribui potest. Atqui scire ea, quae in terris geruntur, de Deo affirmatur, de Abrahamo, Israële et sanctis defunctis negatur. Ergo salva oppositionis lege non potest certo respectu sanctis tribui, et per consequens dici nequit, quod ignoraverint ea naturaliter, sciverint vero supernaturaliter ex peculiari revelatione.

317. *4. Locum 2. Reg. 22. non videbunt oculi tui mala, eodem modo intelligendum esse, quod Josias post mortem naturaliter non sciverit, quid viventes agant.* Respondemus: 1. absolute ac simpliciter pronuntiat Dominus: *Colligam te ad patres tuos, ut non videant oculi tui mala.* Additam esse limitationem, ut non videant oculi tui *naturaliter*, probet Bellarmini officina. *Si probare nequit, timeat vae illud addentibus constitutum*, ut in simili loquitur Tertullianus contra Hermog. c. 22. p. 236. 2. Beneficii loco promittitur Josiae, *quod non sit visurus mala, quae manent posteros.* Atqui si naturaliter quidem ignorasset, supernaturali vero revelatione scivisset, non potuisset bene-
XVIII. 41. ficii loco promitti, ipsum non visurum mala. 3. Augustinus in lib. de cura pro mortuis cap. 13. ex hoc loco colligit, *sanctos defunctos non interesse rebus viventium*, atque eundem confert cum dicto prophetico Esa. 64. Jam vero Bellarminus fatetur, Esa. 64. omnem omnino rerum humanarum notitiam defunctis sanctis utpote in limbo constitutis denegari. *Non cognoverunt*, inquit, *patres V. T. suos posteros viventes, quia nondum erant beati, jam vero ad perfectam beatitudinem pertinet scire ea, quae ad se pertinent.* Agnoscat igitur, etiam hoc loco non naturalem duntaxat, sed etiam supernaturalem notitiam malorum futurorum Josiae defuncto denegari. 4. Josias enim dicendus mala illa respectu revelationis et beatificae visionis scivisse aut ignorasse. Si prius, ergo non fuit in limbo, quia in limbo esse et perfecte beatum esse, adeoque Deum videre in theologia papali invicem pugnant; si posterius, perstat nostra sententia, quod non solum *naturaliter*, sed etiam *supernaturaliter* ea non sciverit. 5. Notanter dicit Spiritus sanctus, quod Josias *colligendus sit ad patres suos, ut non videat mala*, quibus populus Israëliticus post ipsius mortem erat affligendus. Atqui si Josias supernaturali revelatione vel benefica visione mala illa vidit, non fuit collectus ad patres suos. Ratio connexionis ea est, quia Bellarminus concedit, patres Josiae, Abrahamum et Israëlem, non vidisse illa mala beatifica visione, quia scilicet nondum erant beati.

318. *5. Augustinum loqui de cognitione et conversatione naturali atque id solum velle, quod mortui non versentur nobiscum, nec sint soliciti de rebus nostris, nec eas cognoscant, sicut faciebant, cum hic viverent; interim tamen statuere, quod supernaturaliter sciant divina revelatione, quae hic aguntur cap. 15. et quod divina virtute possint huc venire et nobis opem ferre cap. 16.* Respondemus: 1. Augustinus ex Esa. 64. et 2. Reg. 22. probat, mortuos nescire, quae in terris aguntur. Atqui ex ipso Bellarmino demonstravimus, dicta illa excludere non solum notitiam naturalem, sed etiam supernaturalem, quia loquuntur de patribus in limbo constitutis ac proinde nondum beatis. 2. Aut credidit Augustinus, sanctos illos fuisse in limbo, aut limbum ignoravit. Si prius, verba ejus non tantum de naturalis notitiae, sed etiam beatificae visionis denegatione accipienda sunt; si posterius, fumos vendunt Pontificii, quoties pro limbo adstruendo ex Augustino testimonia proferunt. 3. De matre sua pronuntiat, quod beata sit et tamen post mortem sibi non adsit, *adfuturam vero singulis noctibus ad consolandum, si defunctis concessum esset, rebus humanis interesse*, absolute igitur ac simpliciter negat, sanctos defunctos notitiam et curam rerum humanarum habere, quod confirmat ex Psalm. 27, v. 10: *Pater et mater dereliquerunt me, Dominus autem suscepit me.* Regerit Bellarminus, *sanctos cognoscere preces nostras et posse ad nos venire, quando volunt, tamen non propterea scire omnia nostra, nec interesse assidue rebus nostris more humano.* Atqui si non sciunt omnia nostra, ergo nec semper invocandi erunt, quia ad invocationem requiritur omnium scientia. Nec solum more humano, sed simpliciter defunctos rebus nostris interesse Augustinus ibidem negat. Neque enim quaerit, *quomodo* sancti defuncti intersint, sed *an* intersint rebus humanis. 4. Extraordinaria revelatione quarundam rerum notitiam defunctis sanctis communicari vel *per angelos, vel per animas* ex hoc mundo quotidie adventantes, Augustinus disputat, sed *in Deo omnia ipsos videre*, nuspiam asserit. *Fatendum est*, inquit cap. 15 *nescire quidem mortuos, quid hic agatur, sed dum hic agitur, postea vero audire ab eis, qui hinc ad eos moriendo pergunt, non* XVIII. 42.
*quidem omnia, sed quae sinuntur etiam ista meminisse et quae illos, quibus haec indicant, oportet audire. Possunt et ab angelis, qui rebus, quae aguntur, hic praesto sunt, audire aliquid mortui.* cap. 16. ad miraculum de apparitione Felicis confessoris in obsidione Nolae incolis facta respondet: *Ista divinitus exhibentur, longe aliter quam sese habet usitatus ordo, singulis creaturarum generibus attributus. Non enim quia in vinum aqua, cum voluit Dominus, repente conversa est, ideo non debemus, quid aqua valeat in elementorum ordine proprio, ab istius divini operis raritate vel potius singularitate discernere, nec quoniam Lazarus resurrexit, ideo mortuus omnis, quando vult, surgit.* Atqui monuimus superius, non esse hoc loco quae-

stionem de speciali et extraordinaria revelatione, sed de ordinaria per beatificam visionem notitia, quia ex revelatione illa extraordinaria nec omniscientia, nec invocatio ordinaria sanctis vendicari potest. 5. Quando Augustinus juxta Scripturae normam de hac quaestione disserit, simpliciter negat, sanctos rerum humanarum notitia affici, sed quando praeconceptis vulgi opinionibus indulget, haesitanter ac titubanter progreditur, ut superius ostendimus.

319. 6. *Particulam* si *in dicto Nazianzeni non esse dubitantis, sed affirmantis, ut cum dicit apostolus ad Philemonem: Si habes me socium, suscipe illum, nam in oratione in Athanasium asserit, sanctos videre, quid hic agatur.* Respondemus: 1. particula *si* ordinarie ac sua natura conditionalis est, non ergo vim habet categoricae affirmationis, nisi in barbaris Scholasticorum locutionibus. In loco apostolico Philem. v. 17. ordinariam illam significationem nequaquam exuit, *si me habes socium*, id est si re ipsa demonstrare cupis, te mihi amicum ac socium esse, *suscipe eum.* Confer Gentil. in comm. illius loci. 2. Res ipsa ostendit, particulam *si* esse dubitantis. Neque enim ex verbo Dei certo et indubitato probat Nazianzenus, sanctos defunctos preces nostras audire, sed tantum indulget privatis suis cogitationibus ac διαλογισμοῖς. Jam vero unicum et immotum fidei et assertionis in rebus fidei fundamentum est Dei verbum. 3. Ejusdem dubitationis in hac quaestione exempla etiam alibi apud Nazianzenum occurrunt. In orat. in laudem Basilii: *Tu vero sacrum et divinum caput, nos coelitus inspicias carnisque stimulum a Deo nobis ad disciplinam datum aut precibus tuis sistas aut persuadeas, ut forti animo perferamus.* Sed statim addit: *Et nunc quidem ille in coelis est illicque sacrificia facit, ὡς οἶμαι, ut opinor.* orat 1. in Jul.: *Audiat haec Constantini Magni anima, si quis mortuis sensus est, omnesque eorum, qui ante eum imperium tenuerunt.* orat. in funere patris: *εἰ μὴ τολμηρὸν τοῦτο εἰπεῖν.* 4. In illis locis, in quibus defunctos tanquam praesentes alloquitur, rhetoricis apostrophis, quas ad res etiam inanimatas quandoque dirigit, oratorum more utitur orat. 1. in Jul.: *Audite populi, tribus linguae, homines omnes cujusvis generis et aetatis, quicunque et nunc estis et exsistetis, atque ut mihi latius praeconium pateat, omnis coelorum virtus, omnes angeli, audi coelum et auribus percipe terra, quin haec quoque audiat Constantini anima.* orat. 2. in pasch. *O pascha magnum et sacrosanctum pascha totiusque mundi piaculum, te enim quasi vita praeditum alloquor.*

320. 7. *Origenem de naturali conversatione et notitia agere, non enim ambigit, an sancti videant, quid agamus, et nos juvent orationibus suis, quod disertis verbis docet l. 8. contra Celsum et alibi, sed solum utrum sancti hominum spiritus sicut angeli et daemones, qui vere semper nobis adsunt, nobiscum assidue versentur.* Respondemus: 1. Si ex Scripturis definiri nequit, an spiritus sanctorum hominum assidue nobiscum versentur, utique etiam statui nequit, quod sint omniscii et a nobis invocandi. 2. Non solum de naturali conversatione et notitia, sed in universum de cura rerum humanarum, quam sanctis tribuit, dubitanter pronuntiat. hom. 16. in Josuam: *Ego sic arbitror, quod omnes illi, qui dormierunt ante nos patres, pugnent nobiscum et adjuvent nos orationibus suis. Ita namque etiam quendam de senioribus magistris audivi dicentem in eo loco, in quo scriptum est in Numeris, quia ablinget synagoga illa hanc synagogam, sicut ablingit vitulus herbam viridem in campo.* homil. 1. in cant. (si tamen homiliae illae sunt Origenis, de quo eruditi non immerito dubitant): *Sed et omnes sancti, qui de hac vita decesserunt, habentes adhuc caritatem erga eos, qui in hoc mundo sunt, si dicantur curam gerere salutis eorum et juvare eos precibus suis atque interventu suo apud Deum, non erit inconveniens.* At de fidei articulo immota fide ab omnibus recipiendo nunquam sic fuisset locutus, *ego sic arbitor, non est inconveniens.* 3. Quod inter *occulta Dei ac chartulae non committenda mysteria* Origenes numeravit, illud pro certo et immoto dogmate minime venditavit. XVIII. 43.

Antithesis Pontificiorum, quod sancti sint omniscii.

321. *Antithesis.* Pontificii in eo quidem conveniunt, quod sancti non solum *in genere*, sed etiam *in specie* cognoscant ea, quae in terris geruntur, quin et ea, quae solo cordis affectu proferuntur, percipiant, sed de modo, quo talia cognoscunt, diversas fovent opiniones. 1. Quidam enim dicunt, *eos isthaec cognoscere ex relatione angelorum, qui nunc ad coelos adscendunt, nunc inde ad nos descendunt.* 2. Alii dicunt, *sanctorum animas sicut etiam angelos mira quadam celeritate naturae quodammodo esse ubique et per se audire preces supplicantium.* 3. Alii dicunt, *sanctos videre in Deo omnia a principio suae beatitudinis, quae ad ipsos aliquo modo pertinent, et proinde etiam orationes nostras ad se directas.* 4. Alii denique dicunt, *sanctos non videre in verbo orationes nostras a principio suae beatitudinis, sed solum tunc revelari eis a Deo orationes nostras, quando eas fundimus.* Respondemus in genere 1. Pontificii in applicatione horum modorum non consentiunt, quidam enim omnes illo modos conjungunt, inter quos est Becanus in append. disputat. de purgat. Calvinist. c. 5. p. 88. et Costerus in enchirid. p. 388. quidam vero unum duntaxat vel duos ex his modis amplectuntur, reliquos vero repudiant, inter quos est Bellarminus, qui d. l. sic scribit: *Nec primus, nec secundus modus est sufficiens, nam neque angeli, neque animae beatae, etiamsi praesentes sint, possunt cognoscere naturaliter preces nostras, quando sola cogitatione oramus. Et praeterea ad cognoscendas preces, quae eodem tempore fiunt in diversimodis locis, non sufficit celeritas, sed requiritur vera ubiquitas, quam nec angelorum, nec hominum spiritibus convenire credimus. Ex duobus*

*autem posterioribus prior videtur simpliciter probabilior, quia si indigerent sancti nova revelatione, ecclesia non ita audacter diceret omnibus sanctis, orate pro nobis, sed peteret aliquando a Deo, ut eis revelaret preces nostras etc. posterior est magis idoneus ad convincendos haereticos, rationem enim superiorem Calvinistae non recipiunt, quippe qui putant, sanctos non videre Deum ante diem judicii, hanc autem rejicere non possunt, nam etiamsi sancti non viderent Deum, adhuc possent eis revelari preces nostrae, sicut hic in terris revelabantur.* Argumentum hoc esto papistici consensus tantopere depraedicati. 2. Modi illi revera sibi invicem opponuntur. Si enim sancti omnia sciunt ex beatifica Dei visione, utique non est opus nova
XVIII. 44. revelatione, et vice versa. Item si sancti ex angelorum relatione ea, quae in terris geruntur, intelligunt, non erit opus, a Deo preces nostras ipsis revelari, quando eas fundimus. Denique si sancti ideo cognoscunt res humanas, quia mira quadam celeritate naturae quodammodo sunt ubique et per se audiunt preces supplicantium, utique nec angelorum relatione, nec peculiari divina revelatione eam ad rem opus erit. 3. Modi illi omnes et singuli sunt *ἄγραφοι*, neque enim Bellarminus ex dictis Scripturae eos probat, sed ex patrum quorundam opinionibus et probabilibus conjecturis. 4. Non probatur ex hisce modis principale quaesitum, quod est, an sancti defuncti sint omniscii, omniscentia scilicet ea, quae religiosae invocationis est fundamentum. Nam si vel maxime sancti multa cognoscunt vel ex angelorum relatione, vel ex naturae celeritate, vel ex peculiari Dei revelatione, tamen non propterea sunt omniscii. Si vel maxime in Deo vident omnia a principio suae beatitudinis, tamen nondum ipsis competit omniscientia, quia ipsimet Pontificii addunt, quod cognoscant in hoc speculo ea, quae ad ipsos aliquo modo pertinent. Quemadmodum igitur Bellarminus secundum modum evertit hoc argumento, ad cognoscendas preces, quae eodem tempore fiunt in diversissimis locis, non sufficit celeritas, sed requiritur vera ubiquitas, quam nec angelorum, nec hominum spiritibus convenire credimus; ita modos illos omnes evertimus hoc argumento: ad cognoscendas preces, quae eodem tempore fiunt in diversissimis locis atque interdum solo cordis gemitu peraguntur, non sufficit quarundam rerum scientia, sed requiritur vera omniscientia, quam nec angelis, nec animabus separatis convenire credimus.

**1. De relatione per angelos.**

322. In specie *1. de relatione per angelos*, respondemus, 1. angelos e coelo descendere et ad coelum adscendere legimus, quod autem hoc fine adscendant, ut et rerum nostrarum statum, et preces nostras sanctis defunctis referant, de eo nihil quidquam legimus. Est ergo hic modus *ἄγραφος*. 2. Per descensum et adscensum illum angelicum nihil aliud intelligitur quam assiduum et indefessum illud ministerium, quod Deo et hominibus praestant, illi quidem per *laudum praeconia*, his vero per *custodiae officia*, cum sint *τοῦ θεοῦ ἐπαινέται καὶ τῶν ἀνθρώπων ὑπηρέται*. 3. Illi potius preces viventium in terris piorum angeli deferunt, quem ipsi etiam adorant. Atqui angeli neminem nisi solum Deum verum adorant et adorare jubent, Apoc. 19, v. 10. cap. 22, v. 9. Ergo soli Deo, non autem sanctis defunctis preces piorum in terris adhuc viventium offerunt. 4. Ne ipsi quidem angeli occulta cordium introspicere possunt, ergo etiam non possunt ea ad sanctos deferre. Jam vero preces occulto cordis gemitu quandoque peraguntur. 5. Si angeli modo ad coelos adscendunt, modo inde ad nos descendunt, non sunt ubique praesentes, proinde status iste, quem homines in terris viventes obtinent, quando in coelum jam adscenderunt, non est ipsis notus. Damascenus l. 2. orth. fid. c. 3: *περίγραπτοι οἱ ἄγγελοι, ὅτε γάρ εἰσιν ἐν οὐρανῷ, οὐκ εἴσιν ἐν τῇ γῇ καὶ εἰς τὴν γῆν ὑπὸ θεοῦ ἀποστελλόμενοι οὐκ ἐναπομένουσιν ἐν τῷ οὐρανῷ.* 7. Animae piorum ex hac vita discedentes, quas aliqui una cum angelis in hoc referendi officio conjungunt non possunt plus referre, quam sciunt. Atqui illae tantum norunt praeteritas et praesentes, non autem futuras viventium calamitates. 8. Et quid multis? Bellarminus ipse hunc modum repudiat. *Nec angeli*, inquit, *nec beatae animae etiamsi praesentes sint, possunt cognoscere naturaliter preces nostras, quando sola cogitatione oramus.* Ergo modus cognoscendi ex angelorum relatione est XVIII. 45.
insufficiens.

**2. De aequalitate cum angelis in celeritate naturae.**

323. *2. De aequalitate cum angelis in celeritate naturae* **Piezm. in hodeg. l. 13. c. 3: *Sancti erunt ἰσάγγελοι, atqui angeli norunt res humanas*, Luc. 15, v. 10.** respondemus, 1. sanctos defunctos certo respectu esse ac fore *ἰσαγγέλους* legimus, sed quod *ἰσότης* illa consistat in speciali omnium rerum notitia nuspiam legimus. 2. Scriptura potius contrarium testatur, sanctos scilicet defunctos ignorare hujus mundi et rerum, quae in eo geruntur, statum. Est ergo hic modus non solum *ἄγραφος*, sed etiam *ἀντίγραφος*. 3. Ne ipsi quidem angeli per celeritatem naturae sunt omniscii, nec omnipraesentes, ut paulo post demonstrabimus, ergo *ἰσαγγελότης* beatorum non potest in hoc tertio comparationis membro institui. 4. *Ἰσαγγελότης* illa non est extendenda ultra illud tertium, in quo ab ipso Christo constituitur. *In resurrectione non nubent nec nuptui dabuntur* (non esurient nec sitient), *sed erunt sicut angeli Dei* Matth. 22, v. 30. *Non poterunt amplius mori, sunt enim ἰσάγγελοι* Luc. 20, v. 36. Ergo respectu quarundam proprietatum beati erunt angelis aequales, non autem respectu officii angelici, quod specialiter illis demandatum, ut scilicet sint *administratorii spiritus missi ad ministrandum illis, qui hereditatem coelestem consecuturi sunt* Hebr. 1, v. 14. **Sancti coelites non per omnia sed secundum quid erunt angelis aequales. Thomas in c. 22. Matth.: *Erunt similes angelis, quia immunes erunt a passionibus. Item qui habent animum elevatum a passionibus, similes sunt angelis, passiones autem, quae magis efficiunt*

*homines bestiales, sunt passiones* venereorum. Barradius tom. 3. l. 8. c. 15. p. 502: *Erunt similes et aequales angelis, quod attinet ad nuptias; quemadmodum inter angelos non sunt nuptiae, sic non erunt inter homines ἰσάγγελοι.*** 5. Ut officium illud est angelorum proprium, ita quoque ea, quae ad officii illius exsecutionem atque administrationem pertinent, angelis unice sunt relinquenda; mediorum enim ad finem necessariorum ac ipsius finis est eadem ratio. Jam vero revelatio, qua Deus angelis, hoc vel illud salutem piorum concernens manifestat, pertinet ad illud officium angelorum proprium. Ergo revelatio illa non est communis angelis et beatis. 6. Ἰσαγγελότης illa in futura demum resurrectione perfecta erit, ut ipsa Salvatoris verba innuunt. *In resurrectione*, inquit, *ἰσάγγελοι erunt.* 7. Aequalitas spirituum defunctorum cum angelis ex hypothesi Pontificiorum oritur ex celeritate naturae, ergo est donum naturale, ergo et piis et impiis commune ac per consequens etiam impiorum animae cognoscent, quae in terris geruntur omnia. 8. Sancti defuncti in V. T. eandem cum angelis aequalitatem obtinuerunt, et tamen non cognoverunt rerum mundanarum statum in particulari, quia nondum fuere perfecte beati, sed in limbo adhuc haeserunt; *jam vero ad perfectam beatitudinem pertinet scire, quae ad se pertinent et praecipue quae faciunt ad honorem et gloriam*, ut Bellarminus disputat. 9. Et quid multis? Etiam secundum istum cognitionis modum disertis verbis Bellarminus repudiat. *Haec ratio*, inquit, *non est sufficiens, quia ad cognoscendas preces, quae eodem tempore fiunt in diversissimis locis, non sufficit celeritas, sed requiritur vera ubiquitas, quam nec angelorum, nec hominum spiritibus convenire credimus.*

XVIII. 46. 2. De speculo divinae essentiae. 324. *3. De speculo divinae essentiae, in quo sancti omnia intueantur*, respondemus, 1 sanctos defunctos Deum videre et hac Dei visione beatos esse legimus, sed quod in Deo omnia, quae in terris geruntur, videant, nuspiam legimus, est ergo etiam hic modus ἄγραφος. 2. Scriptura sanctis in hac vita potius tribuit speculum, per quod et in quo cognoscant, beatis autem in altero seculo non speculum, sed speciem seu intuitum *a facie ad faciem* tribuit, 1. Cor. 13, v. 12. 2. Cor. 5, v. 7. 1. Joh. 3, v. 2. 3. Per speculum cognoscere est imperfectionis, quae a statu beatorum quam longissime abest, 1. Cor. 13, v. 10. 4. Visio illa in speculo nondum infert omniscientiam ad invocationem necessariam, id quod ex Thoma probamus. *Sic* (inquit ille part. 1. q. 12. art. 8.) *aliqua videntur in Deo secundum quod sunt in ipso. Omnia autem alia sunt in Deo, sicut effectus virtute sunt in sua causa. Ille intellectus potest in causa cognoscere omnes causae effectus, qui causam totaliter comprehendit, nullus autem intellectus creatus totaliter Deum comprehendere potest. Videns speculum non est necessarium, quod omnia in speculo videat, nisi speculum visu comprehendit.* Subsumo sancti defuncti Deum non comprehendunt. Ergo non vident in eo omnia ut in speculo. *Certum est*, scribit Becanus part. 1. theol. schol. c. 9. q. 11. *beatos divinam essentiam videntes non videre omnia libera decreta et consilia Dei.* Subsumo, opera divinae providentiae dependent ex liberis Dei consiliis et decretis. Ergo beati Deum videntes non vident omnia divinae providentiae opera. 5. Si sancti in Deo velut in speculo omnia vident, utique etiam videbunt diem extremi judicii; consequens est falsum, quia adversatur dicto Christi Marc. 13, v. 32. 6. Sancti in illo divinae essentiae speculo aut absolute et simpliciter *omnia* vident, non solum praeterita et praesentia, sed etiam futura; aut *aliqua* duntaxat. Non prius, quia Bellarminus addit, quod *ea in Deo videant, quae ad ipsos aliquo modo pertinent*, quae verba quandam restrictionem ac limitationem includunt. Manet ergo posterius. At stante eo, quod aliqua duntaxat sancti in Deo videant, consequens fuerit, eos non esse omniscios, ea scilicet omniscientia, quae est invocationis fundamentum. Quaero etiam, unde scire possimus, quaenam sancti in Deo videant, quae vero non videant? Itemque quid causae sit, quod cum omnia aequaliter in Deo sint, sancti tamen non omnia, sed aliqua duntaxat in Deo videant? 7. Si sancti vident creaturas et earum actiones in divinae essentiae speculo, aut absentes, aut praesentes eas intuentur. Si prius, eminus duntaxat intuebuntur, ac visio illa erit imperfecta, nec videbunt creaturas, ut sunt in Deo, quia sunt in Deo non absentes, sed praesentes. Si posterius, ipsi etiam sancti erunt et Deo et creaturis praesentes adeoque omnipraesentes quod tamen Bellarminus negat. 8. Quae in speculo videntur, ea *exterius et superficialiter*, non autem *interius et essentialiter* videntur, quinimo ideae duntaxat, species et umbrae rerum, non autem res ipsae in speculo apparent. Atqui cum perfectione vitae aeternae et beatifica Dei visione pugnat dicere, quod sancti exterius duntaxat et superficialiter res intueantur, adeoque non res ipsas, sed rerum duntaxat ideas, species et umbras videant. 9. Pontificii sibi ipsis contradicunt. *Quo modo* (inquiunt) *creaturae sunt in Deo, eo etiam modo eas vident sancti.* Jam vero creaturae longe perfectius sunt in Deo, quam in semet ipsis exsistunt. Ergo sancti eas in Deo longe perfectius vident, quam in se ipsis exsistunt. Non repugnabunt, progredimur igitur ulterius.
Qui creaturas longe perfectius videt in Deo, quam XVIII. 47.
in semet ipsis exsistunt, is non videt eas in speculo, sed directe, nec absentes, sed praesentes, nec species tantum, sed res ipsas. Sancti creaturas longe perfectius vident in Deo, quam in semet ipsis exsistunt. Ergo non in speculo nec absentes, nec rerum species vident. 10. Ante Gregorium nemo ex veteribus de tali speculo, in quo sancti omnia videant, cogitavit. Augustinus ex angelorum et animarum relatione, Hieronymus ex celeritate naturae quaedam defunctis sanctis nota fieri disputat, sed de visione omnium in Deo nihil addunt. 11. Bellarminus non audet hunc modum tanquam

prorsus certum et indubitatum defendere, ideo vocat eum duntaxat *probabilem* et conjungit alium cognitionis modum, per *divinam scilicet revelationem*, quin imo Becanus part. 1. theol. schol. c. 9. q. 13. eum videtur prorsus repudiare, sic enim scribit num. 24: *Augustinus l. de cura pro mortuis c. 15. docet, tribus modis beatos cognoscere, quae circa nos fiunt. Primo ex relatione hominum, qui ex hac vita ad illos veniunt; secundo ex relatione angelorum; tertio ex peculiari Dei revelatione. Hos tres modos tradit Augustinus, et certe si putasset, esse alium, nempe videndi creaturas in Deo tanquam in objecto cognito, non utique dissimulasset.*

Argumenta Pontificiorum pro adstruendo divinitatis speculo.

325. Antequam vero quartum illum modum expendamus, respondendum erit argumentis, quae *pro speculo* sanctorum Pontificii formant. *1. A bonitatis divinae ostensione. Dominus Moysi exhibiturus essentiam suam contemplandam dicit Exod. 33, v. 19: Ego ostendam tibi omne bonum, id est quidquid aliquo modo nomen et rationem boni habere potest, id omne in mea essentia, quam visurus es, tibi ostendam. Quodsi sancti in hac vita Dei essentiam et in ea omne bonum vident, multo magis sancti in vita aeterna divinam essentiam et in ea omnia vident.* Respondemus: 1. Moysen ipsam Dei essentiam vel in ipsa Dei essentia *omne bonum* vidisse, textus non dicit, sed potius contradicit. Moyses quidem petit v. 18: *Ostende mihi gloriam tuam*, sed Dominus ipsi respondet v. 20: *Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo et vivet.* v. 23. *Posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris.* 2. In Hebraeo est *ego transire faciam omne bonum meum super faciem tuam et praedicabo in nomine Domini coram te*, id est revelabo me tibi in verbo, ut auribus potius voluntatem meam percipias, quam oculis gloriam et majestatem divinae meae essentiae cognoscas. 3. Per *omne Dei bonum* non incommode intelligitur ipse Dei Filius, qui in figura humana ad tempus assumta sese Moysi ibidem manifestavit, statim enim additur v. 22: *Ecce est locus apud me, et stabis supra petram, cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petrae et ponam manum meam supra te, donec transiero.* Ergo illud omne bonum, quod fecit Deus ante Moysen transire, est Dei filius, qui coram Moyse in petra stante transiit. 4. Nuspiam additur, quod Moyses *posteriora sive tergum Dei* videns omnia omnino tam absentia et futura, quam praesentia in Deo viderit, quocunque enim modo illud omne Dei bonum explicetur, non tamen complectitur omnium hominum actiones ac statum. 5. Si vel maxime concederetur, Moysen hoc loco Dei essentiam et in eo omnia omnino vidisse, non tamen posset ex eo inferri, quod sancti *ordinarie* in Deo omnia videant, quia *revelatio singularis et extraordinaria* non parit regulam generalem nec confirmat visionem sanctorum ordinariam.

XVIII. 48. 326. *2. A Dei visione. Qui vident Deum, illi etiam omnia vident, quae sunt in Deo. Sancti in coelis vident Deum. Ergo etiam omnia, quae sunt in Deo.* Gregorius l. 12. moral. c. 13: *Qui intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum, quia foris sit aliquid, quod ignorent. Quia enim illic omnes communi claritate Deum conspiciunt, quid est, quod ibi nesciant, ubi scientem omnia sciunt?* Respondemus: 1. producimus validissimam instantiam ab angelis petitam. *Angeli semper vident faciem Patris coelestis*, Matth. 18, v. 10. nec tamen vident omnia, quae sunt in Deo, quia non vident diem extremi judicii Matth. 24, v. 36. Marc. 13, v. 32. tres scientiae gradus in angelis statuuntur, τῆς γνώσεως, τῆς φανεροποιήσεως sive ἀποκαλύψεως ac τῆς ἐμπειρίας, sed nullus ex his gradibus ad παντογνωσίαν et absolutam omnium scientiam assurgit. 2. Bellarminus ipse negat majorem propositionem. Neque enim statuit, sanctos *omnia* omnino videre, sed *ea tantum, quae ad ipsos aliquo modo pertinent.* Thomas part. 1. q. 13. art. 17. et ex eo Becanus part. 1. theol. schol. c. 9. q. 13: *Beati progressu temporis multa vident, quae non viderunt a principio beatitudinis.* Ergo ex visione Dei beatifica non oritur absoluta omnium visio. 3. Si sancti ideo sciunt omnia, quia vident Deum, in quo sunt omnia, utique etiam omnia poterunt, ubique praesentes erunt, et ut verbo dicam, *erunt omnia*, quia vident eum, qui potest omnia qui est ubique praesens, qui est omnia. Sed consequens est falsum. Ergo et antecedens. 4. Ut per visionem beatificam sancti non redduntur dii, ita per eandem non redduntur omniscii. Etsi omnia sunt in Deo, quem vident sancti, non tamen ex eo sequitur, quod sancti omnia videant in Deo, quia hoc negant ipsi sancti Esa. 63, v. 16. Vident sancti Dei claritatem, sed num qui solis claritatem videt, statim etiam videt omnia, quae a Deo collustrantur? Thomas d. l. q. 12. art. 8. Non sequitur, quod unusquisque videns Deum omnia cognoscat, quia non perfecte comprehendit ipsum. 5. Beatifica illa Dei visio, quae desiderium sanctorum penitus implet atque inenarrabilem laetitiam in eis excitat, potius efficit, ut ea, quae sunt extra Deum et ad statum hujus transitoriae ac turbulentae vitae pertinent, nequaquam scire desiderent. 6. Ex Thoma didicimus, majorem propositionem hoc modo limitandam esse. Qui Deum ea ratione videt, *ut eum comprehendat*, ille etiam videt omnia, quae sunt in Deo. Jam vero sancti Deum quidem vident, sed tamen non comprehendunt. 7. Si sancti Deum videntes omnia in Deo viderent, tum uno simplici adspectu in momento omnia praeterita, praesentia et futura perfectissime intuerentur; ratio est, quia omnia in Deo sunt aequaliter sine ulla successione vel mutatione. Sed consequens Pontificii non concedent. Ergo. 8. Quidam ex nostris sic respondet. Omnia in Deo esse dicuntur ratione *conservationis*, *sustentationis et gubernationis*, non autem ratione *intuitionis*, et sic omnia illa in Deo sunt objectum providentiae

divinae, non autem visionis vel intelligentiae humanae. Si dicas, *providentiam divinam includere notitiam eorum, circa quae versatur*, respondeo, non de intuitione divina, sed humana hoc loco sermonem esse. De Dei intuitu verum est, quemadmodum in Deo omnia sunt, ita Deus in se ipso omnia intuetur, quia extra suam essentiam nihil intuetur. Ut omnia habet et gubernat praesentissima, ita quoquo omnia scit et adspicit praesentia, siquidem ipsius scientia vertitur intra ipsam essentiam et cum illa convertitur. Sed visionis angelicae et humanae longe diversa est ratio. Angeli enim et homines ut infinito illo modo, quo Deus se ipsum in se ipso videt, divinam essentiam non vident, ita
XVIII. 49. quoque ea, quae in terris geruntur, praecise et in particulari vi beatificae visionis non adspiciunt. 9. Denique speculum illud, in quo sancti Deum videntes omnia videant, repudiavit Occamus l. 4. sent. q. 13. *Creatura*, inquit, *non habet in Deo esse relucens nec repraesentativum in essentia, sicut in speculo, sicut aliqui imaginantur falso*, id quod probat exemplo angelorum, *qui multa ignorant et nihilominus Deum vident.* Relinquamus igitur confictum illud speculum ex speculationibus privatis fabricatum Pontificiis et sequamur lumen verbi coelestis.

327. *3. A Christi glorificatione. Si sancti non vident omnia, quae sunt in Deo, assumta humana natura Christi itidem non videbit omnia in Λόγῳ, et sic non erit omniscia.* Respondemus: est longe dispar ratio. 1. de omniscientia Christo secundum humanam naturam communicata exstant manifesta Scripturae testimonia, Luc. 2, v. 40. Joh. 2, v. 24. c. 21, v. 17. Col. 2, v. 3. sed de sanctorum omniscientia non habentur Spiritus sancti oracula, quinimo contrarium potius in Scripturis asseritur, quod sancti non habeant omnium notitiam. 2. Humana Christi natura personaliter est Λόγῳ unita, nec extra Deum subsistit, ut peculiaris quaedam persona, sed in ipsam τοῦ Λόγου ὑπόστασιν est assumta, ideo intuens Λόγον videt in eo omnia, quia intra divinam Λόγου ὑπόστασιν personaliter subsistens Λόγον perfectissime cognoscit et ab illo omnium rerum notitia illustratur, participatione scilicet ac κοινωνίᾳ omniscientiae et sapientiae τοῦ Λόγου ea, quae vocatur ab unione communicationis illius causâ, *personalis.* Epiphanius in ancorat.: *Humanitas unita est divinitati et in ipsa perfectissime novit omnia.* Damascenus l. 3. orth. fid. c. 21: *Anima Christi propter ὑποστάσεως identitatem et unionem inseparabilem locupletata est futurorum cognitione.* c. 22: *Caro perfecte ditata est omni sapientia et gratia propter unionem secundum ὑπόστασιν.* Sed angeli et homines propria personalitate subsistentes non sunt intra personae τοῦ Λόγου κοινωνίαν assumti, ideoque scientia eorum est finita, nec videntes Deum omnia omnino, quae sunt in Deo, vident. 3. Christus juxta humanam naturam coeli terraeque dominus et judex omnium constitutus est, ad illud dominium et judicium universale requiritur omniscientia, quia *revelanda erunt occulta cordium* 1. Cor. 4, v. 5. atqui sanctis defunctis non competit illud dominium ac judicium αὐτοκρατορικόν. Ergo nec omniscientia.

328. Descendimus igitur ad *quartum* cognitionis modum, qui est *per revelationem divinam.* Bellarminus d. l.: *Sententia illa, quod sancti non videant in verbo orationes nostras a principio suae beatitudinis, sed solum tunc revelentur illis a Deo orationes nostrae, quando eas fundimus, est magis idonea ad convincendos haereticos.* Costerus in enchir. p. 388: *Dubium non est, quin divina revelatione cognoscant sancti, quae ad ipsorum gloriam promovendam a nobis geruntur.* Respondemus: 1. modus cognitionis per revelationem repugnat modo cognitionis per beatificam visionem, ut ostendit oppositio Bellarmini. Eligant igitur certam, cui insistere velint, viam. 2. Scriptura nuspiam dicit, sanctis omnia, quae in terris geruntur, revelari, quin potius specialem illam notitiam ex revelatione ortam sanctis derogat, ergo hic modus itidem est ἄγραφος. 3. Si sancti ad sciendum ea, quae in terris geruntur, indigent nova revelatione, cur ecclesia Romana tam audacter dicit omnibus sanctis, *orate pro nobis*, nec petit aliquando, ut Deus illis revelet preces nostras. Hoc argumentum Bellarminus ipse format, sed nihil quidquam ad illud re- XVIII. 50.
spondet. 4. Si defunctis sanctis ea, quae in terris geruntur, fiunt nota per revelationem, utique etiam sanctis V. T. eadem nota fuerunt, de quibus tamen Pontificii negant, quod posteros suos cognoverint. Excipit Bellarminus, *patribus in limbo non fuisse ordinarie revelatum, quid hic agebatur, quia non erant beati, nam ad perfectam beatitudinem pertinet scire, quae ad se pertinent* etc. Atqui limbus ille papalis est figmentum humanum. Quodsi vel maxime patres in limbo constituti exclusi fuissent a beatifica visione, non tamen remoti fuissent a divina revelatione. 5. Qui cognitionis modus a summo pontifice rejicitur, illum non debet Bellarminus tanquam probabilem recipere. Ratio est, quia sensentiam pontificis, utpote *infallibilem*, omnium controversiarum in ecclesia normam esse statuit. Jam vero summus pontifex Gregorius Magnus l. 12. moral. c. 13. et l. 4. dialog. c. 33. modum cognitionis per revelationem rejicit, amplectitur enim sententiam de cognitione per visionem beatificam, quae huic revelationi adversatur, ut Bellarminus ipse agnoscit. Ergo non debebat modum cognitionis per divinam revelationem ut probabilem recipere. 6. Hypothesis de nova revelatione evertit illud ipsum, cui confirmando adhibetur, religiosam scilicet sanctorum invocationem, quod sic demonstramus. Qui est religiose invocandus, illum oportet esse omniscium, ut uno ac simplici actu, non successive, nec hujus vel illius duntaxat cordis, sed omnium omnino cordium omnes motus et cogitationes, quae fuerunt, quae sunt et futurae sunt, simul ac semel cognitas habeat. Quemadmodum enim nullum est, nullum fuit, nullum erit temporis momentum, quo non sint

4. De revelatione divina.

pii homines per totum terrarum orbem dispersi, qui cor suum in precibus effundunt; ita quoque necessarium est, ut is qui invocatur, uno ac simplici cognitionis actu haec omnia intelligat, nec demum cum preces sunt finitae, per revelationem illas cognoscat, destitutus interim notitia earum, quae illo ipso momento funduntur, sed semper, continue et indesinenter orantium preces audiat, unde Dominus apud prophetam dicit Esa. 65, v. 24: *Antequam clament, ego exaudiam, adhuc illis loquentibus ego audiam*, et Christus de Patre coelesti testatur Matth. 6, v. 32: *Novit Pater vester, quod haec omnia indigeatis.* Jam vero posita revelationis novae necessitate, negatur sanctorum omniscientia, quia ubi requiritur nova revelatio, ibi non est perpetua et continua, sed successiva et interrupta notitia. Ergo sancti nova revelatione indigentes non sunt omniscii et per consequens nec invocandi. 7. Revelatio illa aut est quarundam duntaxat rerum, quae in terris geruntur, aut omnium. Si prius, nondum sufficit ad stabiliendam sanctorum invocationem, quia ad eam requiritur absoluta et infinita omnium notitia; si posterius, consequens fuerit, cognitionem per revelationem esse perfectiorem et pleniorem cognitione illa, quae fit per beatificam Dei visionem, quia cognitionem per beatificam visionem Bellarminus sic limitat, quod sancti in Deo videant non simpliciter omnia sed quae ad ipsos aliquo modo pertinent. 8. Revelatio illa aut est *singularis, peculiaris et extraordinaria*, aut est *regularis et ordinaria.* Si prius, non constituit fundamentum ordinarii cultus, invocationis scilicet in ecclesia, quia singularia non constituunt regulam; si posterius, falsum erit, quod sancti ordinarie ignorent rerum humanarum statum, quod ipsum tamen Scriptura adstruit. 9. Quicunque invocantur ut *mediatores inter Deum et homines*, illis non debent preces nostrae a Deo revelari, sed ipsi
XVIII. 51. potius preces nostras per se audire, easque ad Deum deferre debent. Qualis enim mediator erit is, cui ab eo, apud quem mediatorem agere debet, prius indicandum, quod ab illo ut mediator fuerit compellatus? Jam vero ex hypothesi Pontificiorum sancti invocantur ut mediatores inter Deum et homines. Ergo necesse est, ut ipsi per se audiant preces nostras, antequam illis a Deo revelentur. Quae enim quaeso hae sunt ambages? Qui in terris vivunt, sanctos defunctos invocant, ut apud Deum pro ipsis intercedant. Has preces ipsimet sancti per se non audiunt, sed Deus eas ipsis revelat, postea demum sancti intercedunt, ut Deus preces illas ad se directas clementer audiat. Cur non recta per Christum mediatorem, qui absque nova ejusmodi revelatione preces nostras audit, ad Deum accedimus?

329. Argumenta pro stabilienda revelatione, quae sanctis in coelo fiat, proferunt ejusmodi, *1. a minori ad majus. Si multi sanctorum in his terris donum a Deo habuerunt, quo cognoscerent cogitationes hominum et facta etiam occultissima, multo magis credendum est, sanctos in coelo hoc dono pollere. Sed verum prius, ut constat ex illis, quae de Samuele 1. Sam. 9. Elisaeo 2. Reg. 5. et Petro Act. 5. referuntur. Ergo etiam posterius.* Bellarminus d. l. Becanus de invoc. sanct. p. 59. Cottonus l. 1. institut. c. 15. p. 86: *Lumen gloriae longe est illustrius ac majus quam prophetarum collustratio. Jam vero prophetae absentia et futura viderunt* etc. Respondemus: 1. Bellarmino contradicit Costerus in enchir. p. 389. sic scribens: *Longe aliter viventibus absentia revelantur atque sanctis, qui aeterna gloria fruuntur, illis enim nota fiunt occulta inspiratione, his autem divinae essentiae contemplatione.* Atqui si sanctis ea, quae in terris geruntur, non fiunt nota ratione ea, qua viventibus revelantur absentia, utique etiam non potest comparatio institui inter revelationem factam viventibus et faciendam defunctis. 2. Revelationes illae fuerunt *singulares et extraordinariae*, qua ratione etiam defunctis sanctis quaedam revelari non abnuimus, sed ex illis singularibus et extraordinariis revelationibus non potest colligi regularis et ordinaria omniscientia, nec potest in illis statui fundamentum ordinarii cultus, invocationis scilicet in ecclesia. 3. Ex illis, quae scripta sunt, non debemus nostris ratiocinationibus colligere quippiam repugnans illi, quod scriptum est. Ergo ex revelationibus illis, quae factae sunt hominibus in terra viventibus, non debemus colligere quippiam repugnans dictis superius enumeratis, quae specialem rerum humanarum notitiam sanctis defunctis derogant. 4. Revelationes illae pertinuerunt ad officium propheticum, quo sancti illi homines in his terris functi fuere, sed sancti in coelis non indigent ejusmodi revelatione ad suam beatitudinem et munus peragendum, neque enim in eodem statu et officio cum prophetis in ecclesia militante docentibus versantur. 5. De tali rerum humanarum notitia hoc loco quaeritur, quae ad religiosam invocationem ejus, cui tribuitur, et necessaria est et sufficiens. Atqui extraordinaria illa revelatio prophetis facta non fuit a piis sufficiens judicata, ut propter eam prophetas vel viventes, vel vita functos religiose invocarent. Ergo. 6. Revelationes illae prophetis factae non omnia sed pauca quaedam ipsis manifestarunt. *Dominus non indicavit mihi*, inquit Elisaeus 2. Reg. 4, v. 27. Ergo etiam sanctis in coelo non omnia sed quaedam duntaxat divinitus revelantur.

330. Itidem *2. a minori ad majus. Si patres in limbo ante Christi adventum nosse poterant, quae fiebant in terra, utique sancti, qui nunc adstant Deo ac potiori gloria fruuntur, eadem non ignorabunt. Sed verum prius, quia Abraham in limbo* XVIII. 52.
*noverat, epulonem recepisse bona in hac vita, Lazarum vero mala*, Luc. 16, v. 25. Ergo Costerus in ench. p. 386. Respondemus: 1. Costero contradicit Bellarminus d l. sic scribens: *Patribus in limbo non fuit ordinarie revelatum, quid hic agebatur, quia non erant beati, nam ad perfectam*

*beatitudinem pertinet scire ea, quae ad se pertinent, et praecipue quae faciunt ad honorem et gloriam. Praeterea quia sancti in limbo non ita gerebant curam rerum nostrarum, nec erant praepositi ecclesiae, ut sancti in coelo sunt.* 2. Abrahamus non fuit in limbo quodam constitutus et a beatifica Dei visione remotus, sed in coeleste habitaculum et regnum gloriae receptus ut suo loco demonstravimus. 3. Diximus superius, distinguendum esse inter notitiam *generalem* ac *specialem*. Abraham et omnes sancti in genere norunt, ecclesiam militantem, et singula ejus membra in hac vita esse subjecta cruci, impios contra in hoc mundo florere, sed ex eo inferri nequit, quod in specie cujusque pii singulas miserias et adversitates noverint. 4. Augustinus l. de cur. pro mortuis. c. 15. responderet, Abrahamum ex relatione angelorum et ipsius Lazari praeteritum divitis epulonis ac pauperis Lazari statum cognovisse, sed ex eo inferri nequit, quod praesentem cujusque pii statum in particulari et juxta omnes ac singulas circumstantias cognitum habeat.

331. 3. Ejusdem est monetae, *si plerique damnati in inferno non ignorant, quae ad ipsorum majorem damnationem a viventibus fiunt, multo magis sancti in coelis cognoscent, quae a viventibus geruntur ad majorem suam gloriam. Sed verum prius, ut constat exemplo divitis epulonis, qui noverat, fratres ad sui imitationem perdite vivere. Ergo et posterius*, Costerus d. l. Respondemus: 1. ex statu damnatorum non potest procedi ad statum beatorum, cum in Scripturis ut maxime oppositi status nobis proponantur. 2. Supplicium damnatorum ex eo augeri potest, quod sciunt, se eos damnationis habituros esse socios, quos exemplo seduxerunt, sed gaudium beatorum ex visione Dei ortum non capit incrementum ex notitia, nec decrementum ex ignorantia eorum, quae in his terris geruntur. 3. Antecedens est *particulare*, plerosque damnatos scire ea, quae in terris geruntur. Ergo ex eo inferri nequit *universale*, quod omnes sancti in coelis noverint ea, quae in terris geruntur. 4. Noverat dives epulo, fratres in terris adhuc superstites in luxu ac deliciis vivere, noverat, eos esse contemtores Moysis ac prophetarum; inde colligere poterat, etiam ipsos in locum illum tormentorum ad se venturos, nisi poenitentiam agerent. Quod autem *in particulari* noverit, quis singulorum eo tempore fuerit status, Scriptura nuspiam asserit. 5. Dives epulo nec ex sanctorum angelorum relatione, nec ex aequalitate cum angelis, nec ex beatifica visione, nec ex divina revelatione noverat, quid fratres superstites in terris agerent. Ergo ex divitis illius exemplo non potest probari modus cognitionis, quo sancti norunt ea, quae in terris geruntur, omnes enim illi modi, per quos res humanas sancti cognoscere statuuntur, ad illa quatuor capita revocantur. 6. Si comparatio debet esse legitima, consequens fuerit, sanctos ex verisimili collectione eorum, quae in hac vita sibi ipsis vel aliis obtigisse noverunt, de praesenti viventium statu aliquid concludere, quomodo etiam dives epulo de statu fratrum superstitum aliquid noverat. 7. Summatim extra et praeter Scripturam nostro arbitrio nihil definiendum est de statu defunctorum, *quia non intravit in cor hominis, quid Deus paraverit se diligentibus*, Esa. 64, v. 4. 1. Corinth. 2, v. 9.

332. 4. *A simili. Quemadmodum rex quispiam, si de assidentis sibi amici magno commodo vel eximio aliquo bono per literas certior esset factus, non existimaret, amicum hoc jure amicitiae celandum, cujus sciret gaudium per illam notitiam vehementer augeri posse; sic Deus, qui sanctorum suorum perfectum gaudium desiderat, nihil eorum ipsos celat, quae aliquo modo illud augere vel perficere possunt. Ejusmodi vero sunt orationes, quae ad ipsos a viventibus effunduntur et quocunque modo in ipsorum gloriam ab iisdem suscipiuntur*, Costerus d. l. Becanus de inv. sanct. p. 67. XVIII. 3 Respondemus: 1. similia non probant, sed illustrant. 2. De statu futurae gloriae non potest judicium fieri ex statu hujus vitae, extra Scripturae suffragium. 3. In *ἀποδόσει* similitudinis praesupponitur, quod sancti sint a viventibus invocandi, et quod haec invocatio ad gloriam eorum pertineat. Atqui sancti norunt, ad solius Dei gloriam pertinere religiosam invocationem. Ergo eam non ut gloriam suam recipiunt, sed potius ut gloriam soli Deo debitam a se repellunt, Actor. 10. v. 26. Apoc. 19, v. 10. etc. 4. Praesupponitur etiam illud, quod ad gaudium sanctorum pertineat cognoscere preces ad se directas, sed beatifica Dei visio tanto eos perfundit gaudio, ut aliorum, quae sunt extra Deum, notitiam et visionem minime desiderent. 5. Nec credendum est, sanctos ex eo, quod gloriae et honori Dei detrahit, incrementum gaudii percipere. Jam vero religiosa invocatio ejus, quod est extra Deum, detrahit gloriae divinae. 6. Extraordinaria et specialis quarundam rerum revelatio ad augmentum gaudii sanctis in coelo facta nondum probat omniscientiam et *καρδιογνωσίαν* ad religiosam invocationem omnino necessariam.

333. Quaeritur 2. *An sancti defuncti sint omnipraesentes?* Sensus et status quaestionis est, an sanctis competat talis omnipraesentia, quae requiritur ad religiosam invocationem? Affirmant Pontificii. Casparus Franckius in scripto, quo exponit causas suae *ἀποστασίας*, omnipraesentiam sanctorum disertis verbis adstruit ex Apoc. 14, v. 4: *Sequuntur Agnum, quocunque ierit*, in quem locum Hieronymus sic fuerit commentatus: *Si Agnus ubique est, ergo et sancti, qui sequuntur Agnum, ubique censendi sunt.* Georg. Cassander in consult. art. 21 p. 964: *Sancti non sunt a nobis absentes, quia sequuntur Agnum, quocunque ierit.* In Mariali psalterio Deiparae frequenter sic accinunt: *Mecum sis in omnibus meis tribulationibus.* Bellarminus 1. de beat. sanct. c. 20. resp. ad 6. arg. adducit dictum Basilii: *Revereatur angelorum innumerabilem multitudinem et cum his patrum sanctos spiritus, nullus*

Qu. 2. An sancti defuncti sint omnipraesentes?

*enim horum est, qui non ubique omnia videat.* (Atqui si spiritus, defunctorum patrum omnia ubique vident, utique etiam sunt ubique praesentes. Costerus in enchirid. p. 390. asserit, *sanctos esse ubique, non quidem per se, sed ex dono gloriae. Dicimus* (inquit), *defunctorum animas naturaliter per se nec adesse nobis, nec nostra contemplari; dono tamen beatitudinis et gloriae non ex coelis modo nostra intueri posse, sed divino etiam permissu quandoque nobis adesse. Cum enim nulla corporis mole praepediantur, non impedientur*
XVIII. 54. *etiam locorum distantia nec corporibus interjectis, quo minus preces nostras audiant, actiones intueantur, adeoque in cordibus nostris et cogitationibus illa videant, quae ipsi volumus.* (Atqui 1. eadem est ratio omnipraesentiae, quam omniscientiae, fatente Costero. Jam vero sancti non sunt omniscii, nec per se vel naturaliter, neque dono beatitudinis et gloriae, ut jam ante ostendimus. Ergo etiam non sunt omnipraesentes. 2. De sanctorum gloria ex Scripturis sapere convenit. Ea vero omnipraesentiam nuspiam sanctis tribuit, ut postea videbimus. 3. Aliud est divino permissu quandoque nobis adesse, aliud vero perpetuo omnipraesentem esse; illud est extraordinarium et *καιρικόν*, hoc vero ordinarium et perpetuum. Illud non sufficit ad religiosam invocationem, sed hoc posterius requiritur. 4. Ne ipse quidem Costerus sibi in hac assertione constat. Recenset enim varios modos, quibus fiat, ut sancti in coelis nostrarum precum sint conscii, modo ad eorum in terris praesentiam confugit, modo angelorum et animarum ex terris adventantium relationi hoc asscribit, modo in speculo beatifico omnia ipsos videre contendit. Atqui si ex dono beatitudinis et gloria sancti praesentes in terris adsunt, nulla opus erit angelorum vel animarum relatione, nulla divina revelatione.)

Neg. probatur. 1. Quia soli Deo omnipraesentia tribuitur.

334. Negantem quaestionis partem nostrae amplectuntur ecclesiae, quam itidem, ut in prima quaestione factum, duplici argumento demonstramus. Prius procedit ex hypothesi affirmante, quia Scriptura s. *soli Deo* laudem omnipraesentiae tribuit; posterius ex hypothesi negante, quia Scriptura laudem omnipraesentiae *sanctis* derogat. In priore sic progredimur. Quidquid Scriptura soli Deo unice tribuit, illud sanctis defunctis a nobis tribui nequit, alias labefactaretur exclusiva ac repugnaretur divino oraculo Esa. 42, v. 8: *Ego Jehova, gloriam meam alteri non dabo.* Jam vero soli Deo Scriptura hanc laudem tribuit, quod sit omnipraesens, quod adsit omnibus ipsum invocantibus, quod sit nobiscum in omnibus tribulationibus etc. Ergo omnipraesentia sanctis tribui non debet. Circa majorem notandum, quod exclusiva illa non opponatur assumtae naturae humanae Christi, ea enim cum in ipsam *τοῦ Λόγου ὑπόστασιν* per unionem personalem sit assumta et ad dextram Patris coelestis evecta, ideo etiam illocalem subsistendi modum in ipso *Λόγῳ* est sortita et universale ac praesens dominium in coelo et terra accepit. Integra igitur propositio sic habet. Omnipraesentia soli Deo essentialiter competit, sed assumtae Christi naturae humanae personaliter est communicata. Quidquid ergo est omnipraesens, illud aut est verus Deus, aut est *Λόγῳ* personaliter unitum. Neque est quod quis regerat, idem de sanctis dici posse, quod videlicet *non sint omnipraesentes essentialiter, sed ex dono beatitudinis et gloriae.* Est enim ratio longe dispar. De Christo manifesta exstant Scripturae testimonia, quod secundum humanam naturam per unionem personalem et exaltationem ad Dei dextram omnipraesentiae divinae vere et realiter particeps sit factus, quod *adscenderit supra omnes coelos, ut impleret omnia* Ephes. 4, v. 10. quod *ipsi data sit omnis potestas in coelo et in terra, ut proinde nobiscum sit usque ad consummationem seculi* Matth. 28, v. 19. 20. quod *omnia pedibus ejus subjecta, quae nominari possunt in hoc et futuro seculo* Eph. 1, v. 22. quod *ambulet in medio candelabrorum aureorum*, id est ecclesiarum, Apoc. 2, v. 1. etc. sed de sanctis id ipsum ex Scripturis probari nequit. Christus secundum humanam naturam est ad dextram Dei collocatus, id vero de sanctis dici nequit, cum ne quidem angelis id ipsum competat. *Cui enim angelo-* XVIII. 55.
*rum unquam dixit, sede a dextris meis?* Hebr. 1, v. 13. Assumta natura humana ipsi *τῷ Λόγῳ ἀχωρίστως, ἀδιαστάτως καὶ ἀδιασπάστως* est unita ac per et propter illam personae unitatem divinorum idiomatum vere et realiter particeps est facta, sed de sanctis idem dici nequit, ut constat.

335. Assumtum constat ex sequentibus Scripturae dictis, quorum quaedam de *praesentia universali* sive *potentia*, quaedam de *praesentia gratiosa* agunt. Deut. 4, v. 7: *Non est alia natio, quae habet Deos appropinquantes sibi, sicut Dominus Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris* Jos. 2, v. 11: *Jehova Deus vester est Deus in coelis supra et in terra infra.* 1. Reg. 8, v. 27: *Coeli coelorum non continent te.* Job. 11, v. 8: *Excelsior coelo est, profundior inferno*, v. 9. *longior terra mensura ejus et latior mari.* Psalm. 9, v. 15: *Cum ipso sum in tribulatione.* Psalm. 139, v. 7: *Quo fugiam a facie tua?* v. 8. *Si adscendero in coelos, ibi tu; si stratum ego fecero in inferno, ecce tu;* v. 9. *si assumsero pennas aurorae et habitavero in novissimo maris*, v. 10. *etiam ibi manus tua ducet me.* Esa. 55, v. 6: *Invocate Dominum, dum prope est.* Esa. 66, v. 1: *Coelum solium meum est et terra scabellum pedum meorum*, quod repetitur Actor. 7, v. 49. Jer. 23, v. 23: *Numquid Deus de propinquo ego, dixit Dominus, et non Deus de longinquo?* v. 24. *Nonne coelos et terram ego impleo?* Amos 9, v. 2: *Si penetrarint in infernum, inde manus mea tollet eos; si adscenderint in coelum, inde faciam eos descendere* etc. Sap. 1, v. 7: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* Matth. 18, v. 20: *Ubi duo vel tres congregati* etc. c. 28, v. 20: *Ecce ego vobiscum sum*

*omnibus diebus.* Act. 7, v. 48. c. 17, v. 24: *Excelsissimus non habitat in templis manu factis.* c. 17, v. 27: *Non longe abest ab unoquoque nostrum, in ipso enim vivimus, movemur et sumus.* Quamvis vero in dictis illis non semper addatur actu particula *exclusiva*, ea tamen ex aliis Scripturae locis et ex circumstantiis textus promte colligitur, quia omnipraesentia ita tribuitur Deo, ut per eam ab omnibus non solum Diis factitiis et fictitiis, sed etiam creatis rebus distinguatur, ac proinde omni, quod non est Deus essentialiter, nec personaliter Deo unitum, derogetur, unde Bellarminus (secutus Tertullianum vel potius Novatianum Romanae ecclesiae presbyterum in l. de Trinit. c. 14.) l. 1. de Christo c. 8. divinitatem Christi recte colligit ex eo, quod Matth. 18, v. 20. promittit: *Ubicunque sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum;* ac soli Deo hoc elogium competere asserit, *quod coelum et terram implere dicitur* Jerem. 23, v. 24. l. ejusd. c. 13. divinitatem Spiritus sancti ex eo adstruit, quod *orbem terrae replere* dicitur Sap. 1, v. 7. Atqui nisi omnipraesentia esset attributum solius Dei proprium, nulla vis inesset hisce argumentis pro Filii et Spiritus s. divinitate adstruenda a Bellarmino adductis. Idem Bellarminus l. 3. de Christo c. 11. omnipraesentiam, quae Christo secundum humanam naturam a nobis tribuitur, impugnat ex illis Scripturae dictis, quae testantur, Deum esse ubique, ut hoc modo illum discernant ab omnibus creaturis, Jer. 23. Psalm. 139. et ex eo quod Ambrosius l. 1. de Spirit. s. cap. 7. Hieronymus et Cassiodorus in Psalm. 138. Cyrillus l. 7. de Trin. Basilius lib. de Spirit. s. c. 22. Didymus l. 1. de Spirit. s. Fulgentius ad Donatum c. 8. Vigilius in disp. Athanas. Arii et Sabelii, Augustinus l. 3. cont. Maximin. c. 21. et alii divinitatem Spiritus s. probent ex Sap. 1: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* Atqui si omnipraesentia
XVIII. 56. etiam sanctis competit, non potest communicatio omnipraesentiae Christo homini facta ex illis Scripturae dictis impugnari, cum quilibet videat, assumtam Christi humanam naturam, utpote personaliter *Λόγῳ* unitam et ad dextram Dei evectam, magis Deo praesentem esse quam sanctos. Id ipsum colligitur ex sequenti discursu Bellarmini, quem ibidem subjungit: *Si humana Christi natura* (inquit) *per accidens ratione unionis cum Deo est ubique sensu eo, quod re vera quidem sit ubique, tamen hoc habeat non ex natura sua, sed per gratiam Dei, quae est accidens respectu ipsius essentiae humanae, tunc argumentum patrum pro Spiritu sancto plane concidit. Nam Ariani dicent, Spiritum s. esse quidem ubique, sed per accidens, et ideo non esse Deum verum, sed creaturam. Cum ergo patres recte probarint ex ubiquitate, Spiritum s. esse Deum, manifeste sequitur, soli Deo convenire vere esse ubique, nec id esse per gratiam communicatum ulli creaturae.* At hoc ipsum longe fortius sanctorum omnipraesentiae obverti potest, quod scilicet, si statuantur omnipraesentes per donum beatitudinis et gloriae, labefactetur argumentum patrum pro Spiritus s. deitate adstruenda ex omnipraesentia ejusdem adductum.

**2. Quia omnipraesentia sanctis denegatur.**

336. In posteriore argumento sic progredimur. Quidquid Scriptura sanctis defunctis derogat, illud iisdem tribui nequit. Omnipraesentiam Scriptura sanctis derogat. Ergo. Assumtum probatur *1. ex Scripturae silentio.* In articulis fidei non solum affirmative, sed etiam negative ex sacris literis argumentari possumus, ut ex perfectione Scripturae alibi asserta constat. Jam vero omniscientia sanctorum ex hypothesi Pontificiorum est fidei articulus, quippe ad invocationem ipsorum religiosam pertinens et fundamenti loco illi substrata. Ergo ex Scripturis eadem probari debebat, id vero Pontificii praestare nequeunt, ut ex eorum, quae adducunt, examine apparebit. 1. Cor. 15, v. 41. gloria sanctorum ex professo describitur, sed omnipraesentiae nulla fit mentio. *2. Ex contraria Scripturae assertione.* Scriptura asserit, sanctos esse *in coelo* 2. Cor. 5, v. 1. *in paradiso* Luc. 23, v. 43. *in domo Patris* Joh. 14, v. 1. *in loco, quem illis paravit Christus* v. 2. *in patria* Hebr. 11, v. 14. *in civitate, quam paravit illis Deus* v. 16. quibus et similibus descriptionibus certum ac definitum aliquod *πού*, in quo beatitudine coelesti sancti perfruuntur, denotari in tract. de vit. aeterna latius demonstrabitur. Observa singulariter locum apostolicum 2. Cor. 5, v. 8: *Audemus et bonam voluntatem habemus, peregrinari magis a corpore et praesentes esse apud Dominum.* Qui peregrinantur a corpore et praesentes sunt apud Dominum, illi non amplius nobiscum in terris sunt praesentes, sed longissime a nobis absunt, tantum abest, ut sint omnipraesentes. Sed sancti defuncti peregrinantur a corpore et praesentes sunt apud Dominum. Ergo. Adde quod Pontificii coelum empyreum, in quod Christum adscendisse et gloriam suam in eo sanctis manifestare asserunt, ultra et supra omnes visibiles coelos collocent, ex quo argumentum adductum fortius confirmari potest. Quodsi enim ex adscensione Christi in coelum inferri potest, ipsum secundum humanam naturam non esse omnipraesentem, utique multo fortius ex eo, quod sancti dicuntur esse cum Christo in coelo, confirmari poterit, sanctos non esse omnipraesentes. Sed prius volunt Pontificii. Ergo agnoscant etiam posterius. *3. Ab exemplis.* De Enocho dicitur, quod *non apparuerit in terris, quia tulerit eum Deus*, quod *non fuerit inventus in terris, quia Deus eum transtulit* Gen. 5, v. 24. Hebr. 11, v. 5. De Elia, quod *fuerit sublatus curru igneo, quod adscenderit, quod in vallibus* XVIII. 57.
*et montibus non fuerit inventus* 2. Reg. 2, v. 5. et seqq. Ergo post suum discessum in terris non amplius fuerunt. Quod Elias in Christi transfiguratione apparet, est extraordinarium et miraculosum. Josiae dicit Dominus 2. Reg. 22, v. 2: *Ecce colligam te ad patres tuos et infereris in sepulcra tua in pace, ut non videant oculi tui malum, quod inducam super locum istum.*

337. 4. Ex *rationibus*. *1. A Dei proprietate.* Solius Dei proprium est esse omnipraesentem, in coelo ac terra angelis et hominibus simul adesse. Jam vero Deus *gloriam suam alteri non dat* Es. 42, v. 8. *2. A paritate.* Sancti non sunt omniscii. Ergo nec omnipraesentes, utrumque enim est attributum solius veri Dei proprium. *3. A majori ad minus.* Ne ipsi quidem angeli sunt omnipraesentes, sed in certo *πού*, ut suo loco confirmatur. Ergo multo minus sancti, qui futùri sunt tantum *ἰσάγγελοι* Matth. 22, v. 30. *4. Ex sufficienti enumeratione.* Si beati essent omnipraesentes ex dono gloriae sibi communicatae, tunc communicatio illa omnipraesentiae esset aut essentialis, aut personalis, aut accidentalis. Sed *essentialis* non est, illa enim in sola deitate locum habet, ut constat; nec *personalis* est, quia illa in sola natura Christi humana in *Λόγου ὑπόστασιν* evecta locum obtinet; nec *accidentalis* esse potest, quia omnipraesentia non est accidens, proinde etiam accidentaliter communicari nequit. *5. Ex omnipraesentiae conditione.* Si omnipraesentia sanctis esset communicata, eadem foret vel numero, vel specie cum divina omnipraesentia. Non prius, quia sancti nec sunt Deus, nec Deo hypostatice uniti; non posterius, quia illa non foret divina omnipraesentia. *6. Ex absurdi consecutione.* Si sancti essent omnipraesentes per omnipraesentiam ex dono gloriae sibi communicatam, consequens foret, propria deitatis attributa non amplius esse ac manere propria, sed communicari subjecto essentialiter ac personaliter a divina natura distincto.

338. *5. Ex patrum dictis.* Chrysostomus hom. 29. in Matth.: *Multis e locis Scripturae comprobari potest, non errare hic post mortem justorum hominum animas. Nam et Stephanus ait, suscipe spiritum meum, et Paulus resolvi ac esse cum Christo desiderabat; de patriarcha quoque Scriptura dicit, et appositus est ad patres suos.* Et paulo ante: *Non potest anima e corpore segregata in his regionibus errare.* Augustinus l. de cura pro mort. cap. 13. *matrem suam singulis noctibus sibi praesentem futuram* asserit, *si sancti etiam post mortem rebus nostris interessent. Ut volet* (inquit), *accipiat quisque quod dicam. Si rebus viventium interessent animae mortuorum et ipsae nos, quando eas videmus, alloquerentur in somnis, ut de aliis taceam, me ipsum pia mater nulla nocte desereret, quae terra marique secuta est, ut mecum viveret. Absit enim, ut facta sit vita feliciore crudelis, usque adeo, ut quando aliquid angit cor meum, me tristem filium consoletur, quem dilexit unice, quem nunquam voluit moestum videre. Sed profecto quod sacer psalmus personat, verum est, quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumsit me. Si ergo dereliquerunt nos patres nostri, quomodo nostris curis et rebus intersunt?* De beneficiis, quae preces apud memorias martyrum fusas subsequebantur, unde quidam colligebant, animas martyrum rebus viventium interesse, idem sic ratiocinatur l. 22. de civ. D. c. 9: *Sive Deus per se ipsum miro modo, quo res temporales operatur aeternus, sive per suos ministros ita faciat et eadem ipsa, quae per ministros facit, sive quaedam faciat etiam per martyrum spiritus, sicut per homines adhuc in corpore constitutos, sive omnia ista per angelos, quibus imperat, operetur, ut quae per martyres fieri dicuntur, eis orantibus et impetrantibus, non etiam operantibus fiant, sive alia fiant istis, alia* XVIII. 58.
*illis modis, qui nullo modo comprehendi a mortalibus possunt, vim tamen attestantur haec fidei, in qua carnis in aeternum resurrectio praedicatur.* Huc referantur omnia dicta, in quibus deitatem Filii et Spiritus sancti ex omnipraesentia probant. *6. Ex adversariorum confessione.* Bellarminus l. 1. de sanct. beatit. c. 20. resp. ad 3. argum.: *De modo, quo sancti agnoscunt* (res hujus mundi), *quatuor sunt doctorum sententiae. Alii dicunt, sanctorum animas, sicut etiam angelos, mira quadam celeritate naturae quodammodo esse ubique et per se audire preces supplicantium; sed non est hoc sufficiens ad cognoscendas preces, quae eodem tempore fiunt in diversissimis locis, non sufficit celeritas, sed requiritur vera ubiquitas, quam nec angelorum, nec hominum spiritibus* (nota) *convenire, credimus.* Et postea: *Sancti possunt ad nos venire quando volunt, tamen non propterea assidue intersunt rebus nostris more humano.* (Atqui si non assidue nostris rebus intersunt, si venire ad nos possunt, quando volunt, ergo non sunt omnipraesentes.) in c. eod. resp. ad. 6. arg. disputat, *sanctos non esse absentes quoad exauditionem, licet loco absentes videantur.* (Atqui Scriptura haec non distinguit, sed eum, qui quoad exauditionem praesens est, etiam quoad locum praesentem asserit; et vicissim qui quoad locum non est praesens, eum etiam quoad exauditionem praesentem esse negat, unde Dei praesentiam et exauditionem arctissime conjungit, Deut. 4, v. 7. Psalm. 91, v. 15. Psalm. 145, v. 18. Esa. 55, v. 6. etc. Quodsi ergo sancti sunt praesentes quoad exauditionem, utique etiam praesentes erunt quoad locum, in quo preces funduntur. Si non sunt praesentes quoad locum, utique etiam praesentes non sunt quoad exauditionem; ubi tamen nota, aliud esse loqui de praesentia *quoad locum*, aliud vero de praesentia *locali*, prius respicit praesentiae objectum, posterius modum; prius Deo tribuimus, posterius vero minime. Videt hoc Bellarminus, ideo non solum dubitative loquitur, *licet videantur loco absentes*, sed etiam sibi contradicens diserte asserit ex Basilio, *sanctos ubicunque omnia videre.* Atqui si ubique omnia vident, utique etiam sunt ubique praesentes, sicut Deus, quia omnia ubique videt, ideo etiam omnipraesens recte statuitur.) Anglo-Remenses in annot. Luc. 16: *Si dives epulo Abrahamum tam longe distantem alloquitur et auditur, absurdum non erit, sanctos invocare per spatium coeli et terrae a nobis distinctos.* Adde quod negent Pontificii, Christum

secundum humanam naturam esse omnipraesentem, qua igitur veritatis specie asserere audebunt, sanctos esse omnipraesentes?

**Argumenta pro sanctorum omnipraesentia. 1. Ex dictis Scripturae 1. Sap. 3, v. 1: Justorum animae sunt in manu Dei.**

339. Argumenta, quibus sanctorum omnipraesentiam adstruere laborant, potiora haec sunt: 1 *ex dictis Scripturae. 1. Justorum animae sunt in manu Dei Sap. 3, v. 1. Jam vero manus Dei est ubique praesens. Psalm. 139, v. 10: Dextra haec oceani velocis littora cingit. Ergo etiam sancti sunt ubique praesentes.* Respondemus: 1. possemus obvertere, librum Sapientiae non esse in canone, sed quia hoc dictum congruit cum libris canonicis, ideo ea responsione hac vice non utemur. 2. Sunt in argumento quatuor termini. Aliud enim est *esse in manu Dei omnipraesentis*, aliud vero *esse ipsam manum omnipraesentem.* Hoc duntaxat inferri potest, sanctos esse in manu Dei omnipraesentis, non autem ipsos esse omnipraesentes. 3. Ostendimus superius, manum Dei in Scripturis significare primo *divinam omnipotentiam, praesens ac potens dominium in coelo ac terra,* quo sensu usurpatur, quando Christus ad dextram Dei Patris collocatus dicitur; secundo *vindictam ac judicium divinum;* tertio *gratiosam Dei protectionem, tutelam ac defensionem* Deut. 33, v. 3. Joh. 10, v. 29. quo sensu justorum
XVIII. 59. animae dicuntur esse in manu Dei. 4. De sanctis defunctis V. T. dicitur, quod animae ipsorum fuerint in manu Dei. Jam vero sancti V. T. nondum in coelesti gloria fuerunt, sed in limbo usque ad Christi adventum conclusi tenebantur, juxta communem Pontificiorum hypothesin, quomodo igitur omnipraesentia ipsorum ex hoc dicto elici potest? Sublata causa propria et adaequata tollitur effectus. Jam vero propria et adaequata causa, propter quam sancti statuuntur omnipraesentes, juxta Costerum est gloria coelestis. Ergo ubi adhuc nondum habet locum gloria coelestis, ut in sanctis V. T., ibi non potest habere locum omnipraesentia.

**2. Apoc. 11, v. 17: Sancti vident, quae in terris geruntur.**

340. 2. Apoc. 11, v. 17. et 19, v. 2. *describuntur sancti in coelo videntes ea, quae fiunt in terra. Ergo sancti non sunt absentes quoad exauditionem.* Ita concludit Bellarminus l. 1. de beat. sanct. c. 20. resp. ad 6. arg. Respondemus: 1. alia quaestio est de notitia eorum, quae in terris geruntur, alia de praesentia sanctorum in his terris. Si vel maxime generalis quaedam vel extraordinaria notitia eorum, quae in terris geruntur, sanctis concedatur, ex eo tamen inferri nequit, ipsos esse in terris praesentes et religiose invocandos. 2. Sancti Deum celebrant ob judicia, quae adversus hostes et persecutores ecclesiae exercet, sed nulla consequentiae lege ex eo infertur, quod omnia omnino quae in terris geruntur, ipsis nota sint, multo minus quod sint omnipraesentes. 3. Quidam interpretes hoc intelligunt de sanctis in ecclesia militante adhuc viventibus, quam coeli nomine in Scripturis sacris saepius intelligi in propatulo est.

**3. Apoc. 14, v. 4: Sequuntur Agnum quocunque ierit.**

341. 3. Apoc. 14, v. 4: *Sequuntur Agnum, quocunque ierit. Jam vero Agnus est omnipraesens. Ergo etiam sancti.* Respondemus: 1. Pontificii negant omnipraesentiam Christi secundum humanam naturam, ut constat ex Bellarmino l. 3. de Christo c. 11. Busaeo in script. contra Gerlach. Gregorio de Val. contra Heerbr. etc. quomodo igitur ex omnipraesentia Agni sive Christi inferre possunt omnipraesentiam sanctorum? 2. Pontificiorum etiam haec est hypothesis, quod Apoc. 14. in specie ac determinate agatur de illis, qui votum coelibatus fecerunt, illos enim per *virgines* intelligendos esse disputant. Bellarminus l. 2. de monach. c. 9. arg. 9. ex hoc loco infert, *singulare praemium habere virgines, quandoquidem canunt canticum, quod nulli alii beatorum canere possunt.* Et postea: *Johannes indicat, paucos quosdam fuisse istos virgines, qui soli canticum illud dicere poterant, pauci enim sunt centum quadraginta quatuor millia, si cum illa turba magna sanctorum comparentur, quae prae multitudine numerari non poterant.* Adducit etiam dictum Gregorii part. 3. pastoral. c. 29: *Videbit vos cetera multitudo fidelium, quae Agnum ad hoc sequi non valet* etc. Quodsi argumento aliquod robur inesset, probaret duntaxat omnipraesentiam eorum, qui fecerunt votum virginitatis, non autem omnium sanctorum. Jam vero Pontificii non tantum invocant virgines, sed etiam viduas et conjugatos defunctos, ergo non solum virgines, sed etiam viduas et conjugatos sanctos in terris praesentes et preces nostras exaudire asserunt, id quod ex hoc dicto exsculpere nunquam poterunt. 3. In *Apocalypsi tot sunt sacramenta, quot verba,* ait Hieronymus in probag. Galeat. Quodsi ergo mysticis ejusdem dictis ad fidei articulos comprobandos velimus uti, oportet eadem ex aliis propriis et perspicuis Scripturae locis declarari. 4. Quod electi ac beati (illos enim per hasce virgines intelligendos esse alibi demonstratur) dicuntur sequi Agnum, quocun- XVIII. 60.
que ierit, juxta fidei analogiam sic explicandum est, quod *in hac vita* sponso suo Christo vera fide adhaereant, praeceptis ejus obediant, se ipsos abnegent, crucem suam suscipiant, Christum sequantur, exemplo ejus in vita sua insistant ac *in vita aeterna* communionem in gloria cum ipso habeant, Matth. 16, v. 24. cap. 19, v. 28. Joh. 14, v. 3. cap. 17, v. 24. 1. Petr. 2, v. 21. Augustinus l. de sanct. virg. c. 27: *Quia Christus pro nobis passus est relinquens nobis exemplum, sicut ait apostolus Petrus, ut sequamur vestigia ejus. Non, inquit, in quantum ille Filius Dei est unus, per quem facta sunt omnia* (et est omnipraesens), *sed in quantum Filius hominis, quae oportebat, in se praebuit imitanda.* Sequuntur ergo pii Agnum respectu *doctrinae,* respectu *vitae*, respectu *crucis et patientiae* in hac vita et respectu *gloriae* in vita futura. 5. Novimus sane, Hieronymum tom. 2. adv. Vigilantium omnipraesentiam sanctorum ex hoc loco apocalyptico inferre, sic enim scribit: *Tu apostolis vincula injicies, ut usque ad diem judicii teneantur custodia, nec sint cum Domino suo? de quibus scriptum est, sequuntur Agnum, quocunque vadit. Si Agnus ubique est, ergo et hi, qui cum Agno sunt, ubique*

*esse credendi sunt.* Sed opponimus Hieronymo Aretam, Rupertum, Gregorium, Bedam et alios, qui hanc sequelam Agni non ad omnipraesentiam, sed ad imitationem et communionem sanctorum cum Christo applicant, quod scilicet in hac vita praeeuntis Agni ductum in fide et moribus sequantur et eodem coelestis beatitudinis consortio cum ipso fruantur, juxta promissionem Salvatoris Joh. 17, v. 24: *Volo ut ubi ego sum, sint et illi, quos dedisti mihi, ut videant gloriam meam,* ubi notandum, Christum non dicere, *ut habeant* gloriam meam, sic enim omnipraesentes essent, sed ut *videant* gloriam meam, quia thronus Christi, in quem collocabuntur sancti, distinctus est a throno Patris, in quem Christus est collocatus. Apocalyp. 3, v. 21. Hebr. 1, v. 13. etc. (Quod coelestis Hierosolyma dicitur *habere gloriam Dei* Apoc. 21, v. 10. id non est accipiendum de gloria Dei propria, quam Deus nemini vult dare Esa. 42, v. 8. sed μετωνυμικῶς de gloria coelesti et inenarrabili a Deo data, quia gloria Dei illuminabit coelestem Hierosolymam. Apoc. 21, v. 23.) Confer Hoë in comm. hoc loco p. 454. 6. Blasius de Viega in comm. Apoc. p. 740. hisce verbis nihil aliud significari asserit, quam *Agnum virginibus praecipue delectari, ita ut a suo latere eos nunquam velit discedere.* Sed de omnipraesentia sanctorum nihil quidquam addit.

Ex ione. 342. 2. *Ex ratione. Sancti nec ulla corporis mole, nec locorum distantia, nec corporibus interjectis impediuntur. Ergo nihil eis obstat, quo minus sint et in coelo et hic in terris, ac preces nostras coram audiant.* Respondemus: 1. haec probant summam celeritatem, qua beati ex uno *πού* in aliud progredi possunt, non autem omnipraesentiam. Repetimus ergo verba Bellarmini l. 1. de beat. sanct. c. 20: *Quidam dicunt, sanctorum animas sicut etiam angelos mira celeritate naturae quodammodo esse ubique et per se audire preces supplicantium. Sed non est hoc sufficiens; ad cognoscendas enim preces, quae eodem tempore fiunt in diversissimis locis, non sufficit celeritas, sed requiritur vera ubiquitas, quam nec angelorum, nec hominum spiritibus convenire credimus.* 2. Etiam angelis nec corporis moles, nec locorum distantia, nec interjecta corpora obstant, quo minus nobis sint praesentes, nec tamen angelos omnipraesentes esse statui potest. 3. Est insufficiens enumeratio in antecedente, quia omittitur *ubietas*, quae est *circumstantia necessaria omnibus entibus praeter*
II. 61. *Deum.* Scaliger exerc. 539. s. 12. Quamvis igitur sancti non sint in loco per *circumscriptionem*, tamen sunt in certo *πού* per *designationem*, ut de angelis ibidem Scaliger loquitur. Proinde etiam non sunt omnipraesentes, sed dum sunt in hoc *πού*, non sunt simul in illo. 4. De angelis quidem recte dicitur, quod locorum distantia et corpora interjecta non impediunt, quo minus nobis adsint, quia illi emittuntur ad ministerium nobis exhibendum Hebr. 1, v. 14. sed de sanctis defunctis nuspiam Scriptura asserit, quod Deus per illos nobiscum velit agere et eorum opera in perferendis nostris ad sese precibus uti, quin imo cum dives epulo peteret, Lazarum ad fratres suos in terris adhuc superstites ablegari, passus est repulsam, Luc. 16, v. 29.

343. 3. *Ab exemplis. Si concessum est Stephano ex synagoga Christum videre Act. 7. v. 56. et Paulo in tertio coelo divinam essentiam contemplari 2. Cor. 12, v. 2. nullum est inconveniens, si fateamur, sanctos e coelis videre opera nostra in terris. Sed verum prius. Ergo.* Respondemus: 1. distinguendum est inter extraordinariam revelationem et ordinariam sanctorum in his terris praesentiam cum praesenti rerum omnium, quae in hoc mundo geruntur, intuitu conjunctam, ex priore enim non nisi consequentia nimis larga posterius inferri potest. 2. Aliud est sanctos *ex coelis nostra intueri,* aliud vero sanctos *ex dono gloriae nobis in terris praesentes esse.* Non prius tantum, sed etiam posterius asserunt Pontificii, quod tamen ex priore nondum sequitur. 3. Scriptura asserit, *Stephanum vidisse Jesum a dextris Dei stantem et Paulum in tertium coelum raptum verba ἄῤῥητα audivisse,* sed sanctos e coelis omnia, quae in terris geruntur, videre nuspiam asserit, sed potius contrarium, ut in quaestione proxima ostendimus. 4. Invertimus argumentum. Stephanus videns Jesum a dextris Dei stantem non erat simul in coelo sive *πού* beatorum, sed in terra; Paulus in tertium coelum raptus nescit, *an in corpore, an extra corpus fuerit.* Ergo ex hisce exemplis probari nequit, sanctos simul et in coelo, et in terris praesentes esse. 5. Stephanus vidit Christum non absentem, sed praesentem, quia vidit eum stantem ad dextram Dei, quae a nullo loco est exclusa, nulli loco inclusa. Pontificii contra statuunt, sanctos e coelo empyreo longissime a terris distante ea, quae in his terris geruntur, intueri. 6. Paulum divinam essentiam in hac vita vidisse negant multi ex ipsis Pontificiis. Becanus part. 1. theol. schol. cap. 9. qu. 7. pag. 54: *Paulus in suo raptu non vidit divinam essentiam. Ratio est, quia raptus ille contingit, antequam Paulus scriberet epistolam ad Timotheum et antequam Johannes scriberet suum evangelium. Et tamen uterque scribit, nullum hominum vidisse Deum unquam. Ergo signum est, Paulum in suo raptu non vidisse Deum, alioqui debuisset se ipsum excipere ab illa generali sententia: Quem nullus hominum vidit.* Hanc sententiam dicit esse *multorum patrum et theologorum* apud Molinam part. 1. q. 12. art. 11. disp. 2.

344. Quaeritur 3. *An sancti sint omnipotentes?* Qu.3. An sancti sint omnipotentes.
Sensus et status quaestionis est, an sancti defuncti tanta sint potentia instructi, ut ex omnibus adversis et calamitatibus eripere possint eos, a quibus invocantur? Affirmant Pontificii, ut patet 1. *ex scriptis.* Sic enim scribit Costerus in ench.
p. 359: *Clare dicit Christus, eandem potestatem* XVIII. 62.
*accepturos a Deo statim a morte sanctos in coelo,*

*quam ipse accepit a Patre suo in Psalm. 2. promissam. Datur igitur sanctis auctoritas impios cogendi, cohibendi, puniendi et pios ex ipsorum manibus eripiendi.* p. 394: *Constat ex Scripturis, sanctos in coelo regnantes cum Christo haec terrena curare et administrare.* p. 409: *Miracula sanitatum similiaque dona beneficiis et precibus sanctorum supra vires naturae consequimur.* p. 414: *Sanctis in coelo pro diversitate meritorum diversa vel loca commendata dicuntur, vel dona ad fidelium Christianorum auxilium.* Ex quibus sic inferimus. Qui eandem accepere a Deo potestatem, quam Christus a patre suo accepit, illi sunt omnipotentes. Ratio connexionis est, quia potestas, quam Christus a Patre suo accepit, non est finita, sed infinita et vere divina potestas, adeoque ut ipse loquitur, *omnis potestas in coelo et in terra* Matth. 28, v. 19. Sancti ex assertione Costeri acceperunt eandem potestatem a Deo, quam Christus accepit a suo Patre. Ergo. Item: Qui edere possunt effectus divinae potestatis proprios, illi etiam divina potestate, adeoque omnipotentia sunt instructi, quia ex effectis judicium fit de causa. Jam vero sancti ex assertione Costeri possunt edere effectus divinae potestatis proprios, possunt enim impios cogere, cohibere ac punire, pios ex ipsorum manibus eripere, terrena administrare, dona sanitatum supra vires naturae conferre, fidelibus auxiliari etc. Ergo etiam divina potestate, adeoque omnipotentia sunt instructi. Idem Costerus in medit. in hymnum Ave maris stella p. 61. ut mater regis nihil non potest in universo filii regno; ita tu mater Dei omnia potes in coelo et in terra. Blasius de Viega in comm. super Apoc. p. 543. Maria est per excellentiam Domina et princeps omnium creaturarum constituta super omnem creaturam. Suarez tom. 2. comm. in Thom. disp. 23. sect. 2. pag. 209. adducit et probat dictum Gregorii Nicomed. qui in orat. sua Virginem Deiparam vocat *omnipotentem*, et Anselmi, qui in l. de laudib. Virg. c. 12. scribit: *Te sic Deus exaltavit, ut omnia secum possibilia esse donaverit;* item: *Tu velis, et nequaquam fieri non poterit;* ac Petri Damiani serm. 1. de nativ. Mariae: *Fecit tibi magna, qui potens est, et data est tibi omnis potestas in coelo et in terra et nihil tibi impossibile est, cui possibile est desperatos in spem beatitudinis revelare. Quomodo enim illa potestas potentiae tuae poterit obviare, quae de carne tua carnis suscepit originem? accedis enim ad illud aureum reconciliationis humanae altare non solum rogans, sed etiam imperans domina, non ancilla.* 2. *Ex praxi.* In antidotario animae Mariam sic invocant: *Scio, quia potes omnia, quae vis, ipsa misericordia et venia, nulli dans repulsam* etc. *vitam aeternam mihi tribuas.* In cantico Moysis Ex. 15. ad Mariam accommodato dicunt: *Domina nostra omnipotens* etc. In brev. Cistert. eam sic compellant: *Obsecro te, mater orphanorum, consolatio desolatorum, vita errantium, salus omnium in te sperantium, fons misericordiae fons salutis, fons gratiae, fons consolationis et indulgentiae, festina in auxilium et consilium meum in omnibus angustiis et necessitatibus meis, hanc meam supplicem orationem suscipias et exaudias et aeternam vitam tribuas.* Jam vero in omnibus necessitatibus auxilium ferre et vitam aeternam tribuere sunt opera infinitae virtutis. Ergo Mariae talis virtus tribuitur.

345. Bellarminus l. 1. de beat. sanct. c. 17. omnipotentiam sanctorum videtur negare, sic enim scribit: *Non licet a sanctis petere, ut nobis tanquam auctores divinorum beneficiorum gloriam vel gratiam aliaque ad beatitudinem media concedant.* Probat hoc primo *ex Scriptura* Psalm. 83: *Gratiam et gloriam dabit Dominus.* Psalm. 120: *Levavi* XVIII. *oculos meos ad montes, unde veniet auxilium mihi, auxilium meum a Domino, qui fecit coelum et terram.* Secundo *ex usu ecclesiae. Nam in orationibus, quae leguntur in missa vel officio in celebritatibus sanctorum, nihil unquam aliud petimus, quam ut eorum precibus a Deo nobis beneficia concedantur.* Tertio *ex ratione. Nam ea, quibus indigemus, superant vires creaturae ac proinde etiam sanctorum. Ergo nihil debemus a sanctis petere, nisi ut a Deo impetrent, quae nobis sunt utilia.* Et postea: *Sanctos invocamus ad hoc solum, ut faciant id, quod nos facimus, quia melius et efficacius ipsi facere possunt quam nos, melius illi et nos simul, quam nos soli.* Item: *Nihil a sanctis petere possumus, nisi ut intercedant apud Deum, quo nobis Christi meritum applicetur et per Christum gratiam et gloriam consequamur.* Sed hac ratione Bellarminus 1. contradicit *publicae praxi* in papatu receptae, qua non solum sancti invocantur ut *intercessores*, sed etiam ut *auxiliatores et opitulatores*, ut suo loco demonstrabimus. 2. Suppeditat firmum argumentum sanctorum invocationi opponendum. Si enim inde atque ideo non licet a sanctis petere, ut nobis tanquam auctores divinorum beneficiorum gloriam vel gratiam concedant, quia scriptum est, *gloriam et gratiam dabit Dominus*, utique etiam non licet eos invocare ut mediatores et intercessores, quia scriptum est, *unus est mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus*, item *Christus est ad dextram Patris et interpellat pro nobis.* Si prius dictum merito opponitur invocationi, qua sancti ut auctores divinorum beneficiorum invocantur, posterius eodem jure ac pari robore opponitur invocationi, qua sancti ut mediatores et intercessores invocantur. 3. Funditus evertit sanctorum invocationem. Perpetuae enim et immotae veritatis est illud axioma. Quisquis religiose invocatur, illum oportet esse omnipotentem, ut ex omnibus calamitatibus et adversis nos eripere possit. Et vicissim. Qui non est omnipotens, qui non est instructus potestate in omnibus adversis auxilium nobis ferendi, ille non est religiose invocandus. Alterutrum igitur eligant Pontificii, aut concedant, sanctos etiam esse

omnipotentes, aut negent religiosam sanctorum invocationem.

Argumenta contra sanctorum omnipotentiam.

346. Probamus vero, sanctos non esse omnipotentes iisdem mediis terminis, quibus in praecedentibus quaestionibus sumus usi. 1. Scriptura *soli Deo* omnipotentiam tribuit. Gen. 17, v. 1: *Ego Dominus omnipotens.* c. 18, v. 14: *Num a Jehovah quippiam separatum, mirabile, arduum et factu difficile?* Matth. 19, v. 26: *Omnia apud Deum possibilia.* Rom. 10, v. 12: *Idem Dominus omnium dives in omnes, qui invocant illum*, v. 13. *omnis enim, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.* In his et similibus dictis omnipotentia Deo ita tribuitur, ut per eam ab omnibus creaturis et fictitiis diis distinguatur, unde etiam tanquam proprium de ipso praedicatur, quod ex omnibus necessitatibus sese invocantes eripere possit. Esa. 45, v. 21: *Deus salvans non est praeter me.* 2. *Sanctis* vero defunctis nuspiam omnipotentiam tribuit, nuspiam ad eos remittit, ut in necessitatibus ipsorum auxilium et opem imploremus, sed unice ad Deum nos revocat. Psalm. 50, v. 15: *Invoca me in die tribulationis et ego eruam te.* Psalm. 91, v. 14: *Me desiderat, liberabo eum* etc. Prov. 18, v. 10: *Turris fortissima nomen Domini, ad ipsam currit justus et exaltabitur.* 3. Omnipotentia est attributum solius Dei proprium, quod nulli creaturae communicatur, nisi humanae Christi naturae in ipsam *Λόγου*
XVIII. 64. *ὑπόστασιν* evectae. 4. Ipsimet saniores Pontificii agnoscunt, sanctis non posse tribui omnipotentiam, unde sanctos non ut *auxiliatores*, sed ut *intercessores* invocandos esse asserunt, cui assertioni tamen ipsa praxis adversatur.

Exceptiones Pontificiorum.

347. Excipiunt, *1. Sanctos virtutem illam opitulandi non habere a se, sed a Deo.* Respondemus: 1. si vel maxime ab alio habeant, tamen si vere habeant, sunt omnipotentes, neque enim origo, sed definitio rei hic respicienda. Si sancti in omnibus adversis auxilium ferre possunt, vere sunt omnipotentes, etiamsi a Deo potestatem illam ferendi auxilium acceperint. 2. Christus secundum humanam naturam accepit a Deo Patre omnem potestatem in coelo et in terra, interim tamen vere est omnipotens, etiam secundum humanam naturam. 3. Corpus vivit non a se, sed ab anima, et tamen vere vivit; ferrum ignitum vim *καυστικὴν* obtinet non a se, sed ab igni, cui *κατὰ συνδύασιν* unitur, et tamen vere obtinet vim urendi. 4. Sancti qualitates corporis glorificati a Deo accipient et tamen vere eas habebunt, ita ut ab illis denominari possint immortales, spirituales, glorificati etc. ita quoque si omnipotentiam a Deo acciperent, vere ab eadem denominari possent omnipotentes.

348. *2. Sanctos in hisce operibus esse duntaxat Dei organa, per quae Deus eadem operetur.* Respondemus: 1. aut sunt organa *παθητικὰ* et *ἄεργα*, aut *ἐνεργητικὰ καὶ σύνεργα*. Si prius, non debemus in precibus ad sanctorum auxilium confugere, nec potest sanctis tribui, quod auxilium nobis ferant in adversis. Bellarminus l. 3. de Christo c. 10. §. 11: *Epitheta causae principalis non conveniunt instrumento, alioqui cum quis docte et sapienter scriberet, calamus doctus et sapiens diceretur.* Si posterius, nihilominus sancti erunt omnipotentes. Qui enim effectus divinae potentiae proprios producit, ille vere dicitur omnipotens, quamvis potentia illa sit ipsi communicata, ut patet exemplo Christi secundum humanam naturam divinae potentiae effectus producentis. 2. Si illi, quorum opera Deus utitur in distribuendis coelestibus donis ac beneficiis, religiose sunt invocandi, utique etiam ministros verbi, *οἰκονόμους μυστηρίων θεοῦ* deberemus invocare. Illi enim *salvant et se ipsos et eos, qui ipsos audiunt* 1. Tim. 4, v. 16. *ὀργανικῶς* scilicet, quia praedicant verbum evangelii, quod est *potentia Dei ad salutem omni credenti* Rom. 1, v. 16. 3. Invertimus igitur argumentum. Si sancti non sunt auctores illorum beneficiorum, sed duntaxat ministri, ergo beneficia illa non sunt a sanctis, sed a Deo petenda. Quid ergo fiet preculis illis in regno Pontificio ubivis receptis: *Maria mater gratiae, mater misericordiae, tu nos ab hoste protege, in hora mortis suscipe* etc.? 4. Si sancti, quoties Deus in his terris per ipsos divina beneficia est elargitus, noluerunt, ut homines in eorum admirationem raperentur, nec in ipsos, sed in Deum respicerent, utique in statum gloriae evecti eodem modo affecti erunt et per consequens nequaquam volent se propterea religiose invocari. Sed verum prius, ut constat ex Act. 2, v. 12. c. 10, v. 26. c. 14, v. 51. etc. 5. Ex verbis et praxi Pontificiorum constat, quod sanctos non tantum instrumentaliter agere, sed potentiam in omnibus adversis auxilium ferendi a Deo accepisse ac proinde ipsos divina potentia instructos esse statuant, quod ipsum ex sequenti quaestione manifestius elucescet.

348. Quaeritur 4. *An sancti defuncti sint datores beneficiorum tam spiritualium, quam corporalium?* Affirmant Pontificii, ut patet *1. ex ipsa praxi.* In *psalterio* Virginis omnia beneficia, quae psaltes regius a Deo petiit et petenda esse docuit, a Maria petuntur; in *antidotario* animae eandem juxta literas initiales vocant *mediatricem, auxiliatricem, redemtricem, illuminatricem, advocatricem;* in *breviario* Colon. in cursu Mariae p. 97. col. 2. sic orant: *Maria mater gratiae, mater misericordiae, tu nos ab hoste protege, in hora mortis suscipe.* p. 98. col. 2: *Solve vincula reis, profer lumen coecis, mala nostra pelle, bona cuncta posce.* ibid.: *Sancta Maria succurre miseris, juva pusillanimes, refove debiles* etc. *Quatuordecim* statuunt *auxiliatores*, quorum intercedentibus meritis ab omnibus adversitatibus liberemur, tales *Georgius, Blasius, Erasmus, Pantaleon, Vitus, Christophorus, Dionysius, Cyriacus, Achatius, Eustachius, Aegidius, Margaretha, Barbara et Catharina.* Vid. missam de quatuordecim auxiliatoribus. Venetiis in vestibulo speciosissimae portae Marci sunt depicti quatuor evangelistae sub quatuor equis aeneis, singulis-

XVIII. 65. Qu. 4. An sancti sint beneficiorum coelestium datores?

que sui versus, quibus invocandi sunt, asscripti. S. Matthaeo haec invocatio adjuncta legitur:

*Ablue cuncta reae mentis mala sancte Matthaee.*

Apostolo Johanni haec adscripta exstat:

*Quo sine fine manes perduc nos dive Johannes.*

2. *Ex ipsorum verbis.* Censura Coloniensis p. 211. scribit, *Chrysostomum aperte docere, non solum sanctos invocandos, sed ab illis etiam manus auxiliatrices exspectandas*, quam opinionem facientes suam addunt, *a sanctis vitae directionem ac liberationem esse postulandam.* Lindanus in epitom. doctr. evang. p. 283. *sanctos rite ad auxilium ferendum aut mala deprecanda invocari* asserit, *ut eorum meritis et intercessione adjuvemur.* Bellarminus lib. 1. de beat. sanct. c. 16. §. ult. sanctos vocat *praesules salutis.* c. 17. §. 2: *Jubemur levare oculos ad montes, id est ad sanctos, et ab eis auxilium exspectare.* cap. 19. §. 14. adducit illud Basilii in orat. in 40 martyras: *Qui aliqua premitur angustia, ad hos confugiat, qui rursum laetatur, hos oret; ille, ut a malis liberetur, hic, ut duret in rebus laetis.* §. 15. approbat illud Nazianzeni orat in Athanas.: *Tu e supernis propitius nos respice et populum hunc sanctum dirige et nos in pace quidem fove et compasce, in certamine autem dirige et suscipe et cum te ipso statue et iis, qui tales sunt, ut tu.* §. 21. adducit illud Damasceni 4. de fid. c. 16: *Per sanctos defunctos daemones abiguntur, infirmi curantur, coeci vident, leprosi mundantur, tentationes et tristitiae solvuntur* etc. §. 39. approbat illud Bernhardi serm. 2. super Missus est: *Mariam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras, ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fategaris, ipsa propitia pervenis.* Osorius tom. 3. conc. 1. in assumt. Virg. p. 466: *Cui dubium esse poterit, quin mater nostra Maria, quae in coelesti regno divitiis abundat, nostri memoriam habeat et dona*
XVIII. 66. *mittat filiis? ut sicut dicimus omne donum optimum et omne donum perfectum desursum est descendens a patre luminum; ita et a matre luminum descendere dicere possimus.* tom. 4. pag. 36. in conc. de sing. devot. ad Mariam: *A Maria pendet omne bonum nostrum.* p. 39: *Prodest maxime devotio in Mariam, ut per eam obtineas bona tum spiritualia, tum temporalia, quae a Deo obtinere aliis viis non potuisti.* Costerus in enchir. c. 14. p. 400. *sanctos esse rogandos, tum ut pro nobis apud Deum intercedant, tum ut ipsi nobis opitulentur.* p. 409: *Miraculaque sanitatum similiaque dona beneficiis et precibus* (nota utrumque conjungi) *sanctorum supra vires naturae consequimur.*

Negativa probatur. 349. Negantem quaestionis partem demonstramus ex eo, 1. quod Scriptura *soli Deo* elargitionem illam beneficiorum divinorum tribuit. Gen. 15, v. 1: *Ego protector tuus sum et merces tua magna nimis.* Psalm. 36, v. 10: *Apud te est fons vitae et in lumine tuo videbimus lumen.* Psalm. 84, v. 12: *Sol et clypeus est Dominus, gratiam et gloriam dabit Dominus.* Psalm. 121, v. 2: *Auxilium meum a Domino, qui fecit coelum et terram.* Tob. 4, v. 20: *αὐτὸς ὁ Κύριος δίδωσι πάντα τὰ ἀγαθά.* Joh. 3, v. 27: *Non potest homo quidquam sumere, nisi fuerit ei datum de coelo* (a Deo). Rom. 11, v. 36: *Ex ipso, per ipsum et in ipso sunt omnia.* Jac. 1, v. 17: *Omnis donatio bona et omne donum perfectum sursum descendit a patre luminum* etc. 2. Quod *sanctos defunctos* nuspiam largitores ac distributores beneficiorum vel corporalium, vel spiritualium statuit, quin potius accusat eos, qui ab alio quam a solo Deo precibus suis illa expetunt. Jer. 2, v. 13: *Duo mala fecit populus meus. Me dereliquerunt fontem aquae vivae et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas.* 3. Largitio et distributio bonorum nemini competit nisi illi, qui est summum bonum et fons inexhaustus omnis boni, qui participatione bonorum non redditur minor nec indigentior. 4. Unde ipse Bellarminus l. 1. de beat. sanct c. 17. §. 2. scribit: *Non licet a sanctis petere, ut nobis tanquam auctores divinorum beneficiorum gloriam vel gratiam aliaque ad beatitudinem media concedant.*

350. Excipiunt Pontificii, *1. distinguendum esse inter verborum sonum et sensum.* Bellarminus d. l.: Exceptiones Pontificiorum. *Quantum ad verba licet dicere, Petre miserere mei, salva me, aperi mihi aditum coeli, item da mihi sanitatem corporis, da patientiam, da mihi fortitudinem; dummodo intelligamus salva me et miserere mei orando pro me, da mihi hoc et illud tuis precibus et meritis* etc. Pistorius id probat ex eo, quia quod *sancti* nos dicuntur *recipere in aeterna tabernacula* Luc. 16, v. 9. id a nobis sic explicatur, quod intercessione sua nos recipiant. Respondemus: 1. ea quae ex praxi et confessione Pontificiorum adducta sunt, evidenter ostendunt, ipsos non tantum impetrationem et intercessionem, sed etiam bonorum corporalium et spiritualium collationem a sanctis petere. Quid manifestius illa assertione Costeri, *sanctos esse rogandos, tum ut pro nobis apud Deum intercedant, tum ut ipsi nobis opitulentur?* Concilium Tridentinum, quod Bellarmino et omnibus Pontificiis est authenticum, sess. 9. non tantum *ad orationes, sed etiam ad opem et auxilium sanctorum confugere* mandat. 2. Peccat igitur Bellarminus ex axiomate copulato faciens axioma simplex et duplicem invocationis finem in papatu receptum transformans in unicum. 3. Verba sunt ut rerum symbola, ita quoque interiorum animi conceptuum *ἀπεικονίσματα*, ex verbis igitur cujusque sensus rectissime colligitur. 4. Quotusquisque est ex XVIII. 67.
rudiore plebe, qui preculas illas de sanctis recitans hunc sensum afferat? 5. Quinimo explicationem illam verba quandoque plane non admittunt. Quando enim Mariae accinunt, *ora humiliter et praecipe sublimiter, jure matris impera* etc. num haec possunt eum habere sensum, praecipe et impera orando pro me? Quando eam hisce compellant

verbis: *Per tuam sanctitatem peccata purgentur, secundum viscera misericordiarum tuarum munda me ab iniquitatibus* etc. num id eo potest accipi sensu, da mihi peccatorum purgationem per tuas preces? Imo vero per sanctitatem et viscera misericordiarum peccata purgare dicitur. 6. Si nihil debet a sanctis peti, nisi ut orent pro nobis, ac si non invocantur ut opitulatores, eccur igitur certarum provinciarum et urbium certi inter sanctos statuuntur praesides? cur singulis regionibus, singulis civitatibus, singulis familiis, singulis statibus, singulis hominibus peculiaris, sanctus ac tutelaris protector fuit additus? 7. Observetur in preculis illis sanctorum ipsa verborum connexio et petitioni annexa ratio. Petitur a Maria, *ut suscipiat nos in hora mortis, quia est mater gratiae et misericordiae; ut applicet nobis gratiam et praeparet nobis gloriam, quia est salus anxiorum, largitrix spiritualis gratiae; ut mundet a peccatis, quia est fons pietatis et indulgentiae, portus salutis, misericordiarum et veniae fons inevacuabilis* etc. 8. Qui religiosa adoratione invocantur, illi non tantum ut intercessores, sed etiam ut largitores beneficiorum corporalium et spiritualium invocantur. Jam vero sancti in papatu religiosa adoratione invocantur. 9. A sanctis ideo petuntur beneficia, non solum quia suis orationibus ea apud Deum impetrant, sed etiam quia *suis meritis* nobis opitulantur, ut promtius ea impetremus. Lombardus 4. sent. dist. 45. §. 7: *Oramus sanctos, ut eorum merita nobis suffragentur.* Gabr. Biel super can. missae lect. 30: *Confugimus ad sanctorum auxilia, ut salvemur eorum meritis et votis.* Jam vero causa meritoria pertinet ad causam efficientem propie sic dictam, cujus virtute et efficacia res exsistit. Utique ergo sancti erunt causae efficientes et auctores beneficiorum, quae ab illis petuntur. 10. Nec tantum ad intercessionem et merita sanctorum confugiunt, sed etiam vi et potestate supra naturae vires agendi, morbos depellendi et sanitatem conferendi eos praeditos esse asserunt, ut ex Costero in quaest. 3 audivimus. Quomodo igitur dici potest, quod eos non invocent ut largitores variorum beneficiorum?

351. *2. Sicut non sunt opposita, quando dicitur, quod solus Deus salvat, et tamen Paulus de se dicit* Rom. 11. *ut salvos facerem aliquos ex illis, et 1. Cor. 9. ut omnes facerem salvos, quia hoc non facit ut Deus, sed juvando concionibus, precibus etc. ita quoque non sunt opposita, quando solus Deus dicitur dator omnium bonorum, et quando a sanctis illa petuntur, quia sancti illa dant precibus suis impetrando,* Bellarminus d. l. Respondemus: 1. Apostolus salvat non ut causa *principalis* vel *meritoria*, sed ut causa *instrumentalis*, quia praedicat verbum, quod est *potentia Dei ad salutem omni credenti* Rom 1, v. 16. *Quid Paulus, quid Apollo? ministri sunt, per quos credidistis* 1. Cor. 3, v. 5. Sed sancti ex Pontificiorum hypothesi *suis meritis* beneficia illa nobis impetrant. 2. Apostolus divinitus constitutus est minister verbi et promisit Deus, quod per ipsius ministerium velit esse efficax ad salutem credentium, sed quod Deus per sanctos defunctos beneficia spiritualia et coelestia nobis elargiri velit, de eo nulla exstat in sacris literis promissio. 3. De suo ministerio apostolus sic loquitur 1. Cor. 3, v. 7: *Neque qui plantat, neque qui rigat, est aliquid, sed qui incrementum dat Deus,* XVIII. 68.
et 1. Cor. 15, v. 10: *Plus omnibus laboravi, non ego autem sed gratia Dei, quae mecum fuit.* Pontificii vero sanctos statuunt *salutis praesules, coadjutores in opere salutis,* Mariam faciunt *collum,* per quod a capite ad nos descendat gratia, vocant *fontem gratiae, vitae et salutis*, imo ipsam *gratiam et misericordiam* etc. confugiunt ad ipsius et aliorum sanctorum *merita*, quae omnia evidenter probant, sanctos non relinqui in ordine causae instrumentalis, sed evehi in classem causae efficientis principalis et meritoriae. 4. Paulus ob ministerium salutis noluit sibi divinos honores deferri, sed eos prorsus repudiavit, Act. 14, v. 15. quod fecit etiam Petrus Actor. 10, v. 26. sed Pontificii sanctis ob impetrationem illam beneficiorum honorem adorationis vere divinum tribuunt. 5. Ut in negotio salutis nostrae, quantum attinet ad ordinem causae efficientis principalis ad solam et unicam Dei misericordiam, ita in ordine causae meritoriae ad solum et unicum Christi meritum remittimur. Ergo sanctorum defunctorum opera ad neutram causae classem referri potest, alias periret vis exclusiva. 6. Si obvertant, *sanctorum opera pertinere ad classem causae instrumentalis*, petunt principium. Distributio beneficiorum spiritualium fit per verbum et sacramenta, et quia ministri ecclesiae sunt praecones verbi et sacramentorum dispensatores, ideo, hactenus et hoc respectu ad ordinem causae instrumentalis referri possunt. sed de sanctis defunctis illud cogitari nequit. 7. De solo Christo Scriptura praedicat, quod ipse ut unicus humani generis mediator ad dextram Dei evectus *acceperit dona pro hominibus* Psalm. 68, v. 19. eademque credentibus conferat Eph. 4, v. 8. *quod Pater omnia in manus ipsi dederit* Matth. 11, v. 27. Joh. 3, v. 35. *ut ex ipsius plenitudine accipiamus gratiam pro gratia* Joh. 1, v. 16. *quod Pater ipsum dederit caput super omnia ipsi ecclesiae* Eph. 1, v. 22. ut Spiritus charismata ab ipso in reliqua corporis membra descendant, ad hujus honoris participationem et communionem defunctos sanctos evehi ac largitores coelestium beneficiorum constituti nuspiam legimus.

352. *3. Sicut Deus aegroto sanitatem largitur agendo per herbas, quibus virtutem sanandi dedit; sic omnia bona sunt a Deo per sanctos illa distribuenti, quia in sanctos illa charismata et virtutes distribuit, ut ipsi dare nobis possint, quae ab ipsis petimus.* Pistorius in hodoget. cap. 6. Respondemus: 1. Si in elargitione beneficiorum sancti eo modo agunt, quo herbae virtute sanandi praeditae, utique non tantum intercessione et precibus suis

beneficia illa a Deo impetrant, sed virtute eadem conferendi ipsimet sunt instructi. 2. Sanitatem corporalem per medicinas corporeas efficere divinae sapientiae placuit; sed quod animae sanitatem per sanctos defunctos nobis conferre velit, de eo altum in Scripturis divinae voluntatis internuntiis est silentium. 3. Scriptura unicum Christum animae nostrae *medicum* juvandi promta voluntate et efficacissima potestate instructum nobis proponit, Matth. 9, v. 12. quisquis illo relicto ad sanctorum opem confugit, de recuperanda animae sanitate certus esse nequit, cum de illorum ope imploranda nullum in Scripturis exstat mandatum, de sanitate ab illis impetranda nulla promissio. 4. Nec herbas, nec medicum herbas contemperantem et praeparantem divino propterea honore afficimus, quod illorum opera et ministerio corporalis sanitas nobis restituitur; ita quoque sancti non essent divino religiosae adorationis cultu prosequendi, si vel maxime per illos in sanitate animae efficienda Deus nobiscum ageret. 5. Si defuncti sancti ea virtute beneficia
XVIII. 69. spiritualia largiendi sunt instructi, qua herbae ad corporalem sanitatem agunt, consequens fuerit, singulis sanctis singularem et propriam aliquam virtutem esse collatam, sicut herba quaelibet non universalem aliquam virtutem contra omnes morbos, sed peculiarem et propriam contra certa morborum genera obtinet. Illae ergo virtutes sanctorum aut erunt finitae, aut infinitae. Neutrum commode dici potest. Non prius, quia sequeretur, miraculosas illas sanationes procedere a virtute finita, cum sint effectus virtutis infinitae, videlicet divinae; nec posterius, quia sequeretur, plures esse infinitas virtutes cum unica tantum sit infinita virtus, videlicet divina. Si obvertere velint, *unam esse divinam infinitam virtutem, quae per diversos sanctos diversimode se exserat, ut in Petronella contra febrem, in Apollonia contra dolores dentium et sic consequenter;* respondemus, hac ratione deseri propositam similitudinem, quia cuilibet herbarum generi est sua propria virtus, per quam ad corporis humani sanitatem efficax est, alias quodlibet herbarum genus ad quoslibet morbos adhiberi posset ac locus daretur trito illi proverbio:

*Sumas nescio quid sanabere nescio quando.*

Qu. 5. An sancti sint praesides rerum humanarum cumprimis ecclesiae?

353. Quaeritur 5. *An sancti defuncti sint praesides ac gubernatores rerum humanarum, cumprimis ecclesiae in terris militantis?* Affirmant Pontificii, ut patet *1. ex praxi.* Singulis enim sanctis proprium suum assignant munus, quin et certis provinciis, regionibus et urbibus, certis morbis et actionibus eos veluti deos quosdam tutelares praeficiunt. Germania venerabatur Martinum et Georgium Cataphractum, Hispania Jacobum, Gallia Michaëlem et Dionysium, Ungaria Ludovicum, Polonia Stanislaum, Moscovia Nicolaum, Helvetia virginem Mariam in Nigricante sylva eremitarum locum habentem, Anglia Thomam et Gregorium, Scotia Andream, Bohemia Wenceslaum, Suecia Brigittam etc. Franci colebant Cilianum, Thuringi Bonifacium, Hassi Elisabetham, Misnici Donatum, Bavari Wolffgangum, Austriaci Florianum, Carinthii Rupertum, Borussi Albertum, Pomerani Othonem, Suevi Conradum etc. Magdeburgensi episcopatui praefectus erat Mauritius, Halberstadensi Stephanus, Salzburgensi Ruprechtus, Herbipolensi Cilianus, Bambergensi Henricus etc. Roma tutelares habuit patronos Petrum et Paulum, Mediolanum Ambrosium, Colonia Agrippina tres Magos, Ursulam et 11000 Virgines, Augusta Vindelicorum Ulricum, Lutetia Genefevam, Argentoratum Otiliam, Brunswiga Autorem etc. A nautis invocabatur Nicolaus et Christophorus, a studiosis Gregorius et Catharina, a pictoribus Lucas, a medicis Cosmas et Damianus, a jurisconsultis Ivo, a theologis Augustinus et Thomas, ab equitibus Georgius, a fabris Eulogius, a sutoribus Crispinus, a sartoribus Gutmannus, a figulis Goarus, a venatoribus Eustachius, a meretricibus Afra et Magdalena etc. Contra grandinem invocabantur Johannes et Paulus, contra incendia ignis Agatha et Florianus, contra vitium corruptelam Urbanus, contra rubiginem Jodocus, contra bruchos
Magnus, contra pestem Sebastianus et Rochus, XVIII. 70.
contra febrem Petronella, contra venenum Johannes Evangelista et Benedictus abbas, contra dentium dolores Apollonia, contra oculorum vitia Otilia, contra morbos pudendorum Apollinaris, contra calculum Liberius, contra ignem sacrum Antonius etc. Contracti invocabant Wolffgangum, calculo laborantes Liborium, daemoniaci Romanum, epileptici Valentinum, captivi Leonhardum, puerperae Margaretam etc. Anserum cura commendabatur Gallo, ovium Wendelino, equorum Eulogio, boum Pelagio, porcorum Antonio, ignis Floriano etc. *2. Ex scriptis.* Gabr. Biel lect. 32. in can. miss. *etiam in sanctis verum esse* dicit *illud Virgilianum, non omnia possumus omnes,* et addit: *Non enim omnia omnibus data sunt, sed diversi diversa receperunt, ut quod scribit Gerson de oratione et valore ejus num. 77. lit. y. ad aliquem sanctorum te convertas pro necessitatibus quibuslibet sublevandis, vel pro impetranda speciali quadam gratia, qua sanctus vel sancta privilegiatum quoddam donum recepisse memoratur. Divisiones enim gratiarum sunt, sicut tradit apostolus; quod verum est nedum de viatoribus, sed etiam de beatis, sub quo respectu canit ecclesia de quolibet sanctorum, non est inventus similis illi.* Andr. Fabricius in harmon. confess. August. art. 21: *Hic agnoscunt singulae Christianorum regiones peculiares suos patronos, Italia Petrum et Paulum, Graecia Andream* etc. Salmeron. disp. 7. in 1. Tim. 2. tom. 15. pag. 462: *Sancti non opitulantur omnibus aequaliter, nam sunt aliqui, qui in quibusdam necessitatibus peculiariter opem ferunt et alii etiam, quibus in hac vita ob accepta beneficia particulari ratione auxiliandi tenebantur. Hinc Hispani peculiariter colunt Jacobum, Sebastianum Lusitani, Romani Petrum et Paulum, Florentini Johannem Baptistam, Veneti Marcum, Senenses Virginem, Galli Dionysium, Germani*

*Barbaram, Angli Georgium et Thomam Cantuariensem, Parisienses Genevefam virginem, Mediolanenses Ambrosium, Siculi Agatam et Luciam, Neapolitani Januarium, denique quodlibet religiosum institutum suum peculiare caput pie veneratur, ut Dominicum, Franciscum, Augustinum, Hieronymum, Benedictum et Carmelitae Heliam, Bernhardum Bernharditae.* pag. 463: *Haec multiformis munerum distributio partim a Deo inspirata, partim revelata est per angelos, partim piis conjecturis deprehensa et praecipue in illis rebus succurrunt, quas ipsi experti sunt. Ita invocamus Petrum in vinculis, Paulum in conversione, utrumque in periculo maris, Johannem Baptistam in nativitate, Evangelistam in colenda virginitate, Sebastianum et Rochum in peste depellenda, Antonium in igne abarcendo et rebus amissis inveniendis et similibus aliis plerisque.* Costerus in enchirid. p. 394: *Constat ex Scripturis, sanctos in coelo regnantes cum Christo haec terrena curare et administrare.* pag. 411. scribit, *sanctos ideo in summam dignitatem esse evectos, ut sint curatores hominum, regum patroni et principes super omnem terram.* p. 413. addit, *sanctis pro diversitate meritorum diversa vel loca commendata, vel dona ad fidelium Christianorum auxilium esse data.* Bellarminus lib. 1. de beat. sanct. cap. 18. prop. 4: *Nos facile ostendemus, non solum ab angelis, sed etiam a spiritibus beatorum hominum regi et gubernari fideles viventes.* Et postea: *Habemus igitur, spiritus beatorum post mortem ante diem resurrectionis accipere potestatem in gentes et regere et pascere eas, nec non esse columnas in templo Dei, id est sustentare ecclesiam, ac demum sedere in throno Christi, id est cum illo praesidere toti mundo et ecclesiam regere et gubernare.* cap. 20. resp. ad arg. 9: *Dico, Deum posse, si voluerit, per quemlibet sanctorum omnia concedere et sine sanctis etiam multa vel omnia dare, interdum tamen velle unius intercessione miraculum aliquod operari, aliud vero intercessione alterius operari. Quis autem novit consilium Dei,*
III. 71. *aut quis ei dicere potest, cur ita facis? sicut etiam per unum Deus operatur multa miracula et per alterum fortasse majorem nulla, cujus rei causam ipse solus novit, ut docet Augustinus epist. 137. ad clerum et populum Hipponensem.* (Atqui distributio illa sanctorum non semper nititur miraculis per illos sanctos factis, et si maxime niteretur, non tamen deberet approbari. Miracula enim illa non fiunt hoc fine, ut stabiliatur sanctorum invocatio, sed ut doctrina ipsorum confirmetur, ut in quaest. de reliq. et peregrin. latius ostendimus. Augustinus in loco citato nihil quidquam habet de invocatione sanctorum, sed de miraculis, quae illo tempore circa sepulcra martyrum fieri solebant.) in eod. c. §. atque ex his duabus etc. scribit, *sanctos in coelo esse ecclesiae praepositos.* Pistorius in hodeget. c. 6. *varias sanctorum virtutes*, quibus ille pesti, hic dolori dentium, alius aliis medetur morbis, confert *variis herbis, quibus distinctae virtutes a Deo insitae.* Assignant etiam rationes hujus distributionis inter sanctos. Frider. Staphylus in defens. contra Flacium p. 184. Colon. ann. 1579: *Sanctum Ulricum patronum colunt Augustani cives, quia evangelium Christi in ea urbe instauravit, miraculis illustravit, propagavit alio etiam; Salisburgenses contra Robertum, quod et ipse fuit in Alpibus illis primarius evangelii apostolus, eadem de aliis ratio et causa est.* Costerus in enchirid. cap. 14. pag. 481: *Sancti peculiari ratione et cura fovent ea loca, in quibus sacra illorum ossa asservantur, ac illum populum prae ceteris curant, ex quo originem ducunt.* De hac beneficiorum a sanctis petendorum distributione sic canit Thomas Naogeorgus in regno papistico:

*Assignant etiam divum sua munia cuique,*
*Bis septemque ferunt, quorum certissima speres*
*Auxilia; hoc inter primos Sanctissima Virgo*
*Obtinet et casu clemens succurrit in omni.*
*Barbara conservat, ne quis sine corpore Christi*
*Decedat. Catharina fovet doctosque scholasque,*
*Donat et ingenium tortosque resolvere nodos,*
*Praestat et insanis firma argumenta sophistis.*
*Culta putres sanat diva Appollonia dentes,*
*Otiliae virtus lippis medicatur ocellis.*
*At scabiem pellit sanatque mala ulcera Rochus.*
*Est, cujus nomen versu non dicere possis,*
*Is valet adversus pestem, contagia cultus.*
*Porro Valentinus morbum spretoribus addit*
*Herculeum, auxilium contra implorantibus affert.*
*Saltantes Vitus praesenti numine sedat*
*Et reddit menti precibus donisque vocatus.*
*Ilia procurat tormentaque ventris Erasmus,*
*Ut dorsi spinam et scapulas Laurentius ille.*
*Blasius anginam miris, quas consecrat, undis*
*Arcet ab armentis, gregibus, nuribusque virisque.*
*At captivorum Leonardus vincula rumpit,*
*Carceris et portas reserat crassasque catenas*
*Frangit et aede sua ferri vim possidet amplam.*
*Quartanam reliquasque febres Petronella repellit*
*Diraque Johannes proprio a cultore venena.*
*Quod Benedicto etiam tribuunt, satis ut sit ubique*
*Auxilii in divis. Quid enim tu reris omissum*
*Utque improvisum, sic formidabile letum,*
*Avertit Marcus fato violentior ipso.*
*Divitias lautumque suis cultoribus Anna*
*Largitur victum rerumque est prompta repertrix*
*Amissarum; id quod fausto quoque numine fertur*
*Cultus largiri Vincentius, haud scio, quisnam.* XVIII. 72.
*Contra ignominiam turpem Susanna vocatur.*
*Pellit ab obsessis Romanus daemonas omnes.*
*Contractos sanat Wolffgangus episcopus artus.*
*Wendlinus custodit oves oviumque magistros*
*Atque boves idem pingues ut fecit et olim;*
*Setigeros vero porcos Antonius ille,*
*Qui coluisse olim vastam narratur eremum.*
*E domibus mures abiget gliresque nocivos*
*Gertrudis quaedam, penitusque exstinguit eosdem*
*Huldrichus praesul patriae conspergine glebae.*

*Gregorius curat pueros elementaque tradit*
*Prima, deinde etiam studiorum instillat amorem.*
*Nicoleos nautas miseros tutatur in alto,*
*Et qui trajiciunt vasti tumida aequora ponti,*
*Christophorus grandi depictus corpore vulgo*
*Curat idem; tantumque adspectus, noctis atroces*
*Visus terroresque arcet somnumque quietum*
*Certaque per vitam cultori gaudia confert.*
*Ne noceant ignes surgantque incendia dira,*
*Dat virtus Agathae; porro orta exstinguere fertur*
*Florianus, ferro totus munitus et urna*
*Gnaviter infundens Urbanus vina secundat*
*Et multo replet spumantia dolia musto.*
*Iodocus fruges tristi a rubigine servat,*
*Et bruchos tollit Magnus. Tua cura, Georgi,*
*Sunt equites magnaque colunt tua foedera pompa*
*Reges atque duces generosorumque catervae.*
*Curat equos faber Eulogius, tutatur et omnes*
*Fabros, seu ferrum tractent, seu pulchrius aurum.*
*Omnia pictorum servat collegia Lucas,*
*Cosmas cum socio medicos defendit et ornat,*
*Omnes quis numeret divos divasque papatus,*
*Ad quos quisque fugit cantu, prece, munere, cultu?*

Negativa probatur.

354. Negantem quaestionis partem demonstramus *1. ex Scripturae silentio.* Scriptura nuspiam asserit, sanctis gubernationem et dominium rerum terrenarum esse commissum. Quae pro eo stabiliendo afferuntur, in alienum detorquentur sensum, ut postea apparebit. *2. Ex Dei proprio.* Solius Dei proprium est, omnia in coelo ac terra gubernare, rebus humanis praesidere et omnium curam gerere. Ut ipse solus est omnium creator, ita quoque conservator, gubernator et director. Jos. 2, v. 11: *Jehova Deus vester est Deus in coelis supra et in terris infra.* Psalm. 8, v. 1: *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!* Psalm. 33, v. 13: *E coelis respicit Jehova, videt omnes filios hominum.* v. 15. *Finxit simul corda eorum.* Psalm. 36, v. 7: *Homines et jumenta salvabis Domine.* Psalm. 145, v. 15: *Oculi omnium in te sperant.* Sap. 14, v. 7: *Tua Pater providentia gubernat.* Act. 17, v. 28: *In Domino vivimus, movemur et sumus.* Coloss. 1, v. 17: *Omnia per ipsum consistunt.* 1. Tim. 4, v. 10: *Deus est salvator omnium hominum maxime credentium.* Hebr. 1, v. 3: *Portat omnia verbo virtutis suae.* 1. Petr. 5, v. 7: *Ipsi cura est de vobis.* *3. Ab officio Christi regio.* Christo regi divinitus constituto unice competit praesidere toti terrarum orbi, ecclesiam regere ac defendere, hostes ejus reprimere ac cohibere, Psalm. 2, v. 6. Matth. 28, v. 6. etc. quia ipse solus ad dextram Dei Patris sedet ac infinitam potestatem et majestatem a Deo Patre accepit. Hebr. 1, v. 13: *Ad quem angelorum dixit, sede a dextris meis?* Et quae haec prodigiosa absurditas est, quod Pontificii Christo secundum humanam
XVIII. 73. naturam Λόγῳ personaliter unitam, infinitam potentiam denegant atque interea sanctos toti mundo praesidere et universam ecclesiam gubernare, quod est infinitae potentiae opus, tam audacter asserunt? *4. Ex ipsa adversariorum hypothesi.* Bellarminus lib. 1. de Christo c. 9. divinitatem Christi probat ex eo, *quod omnia conservet ac gubernet*, *juxta dicta*, *omnia in ipso constant*, *et portat omnia verbo virtutis suae.* c. 13. divinitatem Spiritus sancti probat ex eo, *quod ecclesiam*, *quae est regnum Christi*, *ut Dominus absolutus gubernet.* Atqui si etiam sanctis competit praesidere rebus humanis, ecclesiae praeesse, omnia in terris gubernare, labefactatum erit hujus argumenti fundamentum. *5. Ex gubernationis requisito.* Esse praesidem ac gubernatorem rerum terrenarum, cumprimis ecclesiae, requirit divinam et infinitam virtutem, ut constat ex eo, quod Christus inde atque ideo secundum humanam naturam rex et caput ecclesiae dicitur constitutus, quia omnis potestas in coelo ac terra ipsi data. Jam vero sancti non sunt omnipotentes, ut demonstratum fuit quaest. 3. Item gubernare res humanas, cumprimis, ecclesiam requirit omnipraesentiam, quia Deus non absens, sed praesens omnia gubernat, non utitur vicariis, sed ipse praesentissimus omnia administrat. Jam vero sancti non sunt omnipraesentes, ut ostendimus quaest. 2. Gubernare res terrenas et praeesse ecclesiae, requirit omniscientiam, quia διοίκησις praesupponit γνῶσιν. Jam vero sancti non sunt omniscii, ut ostensum fuit quaest. 1. *6. Ex absurdo.* Sancti in illa mundi et ecclesiae gubernatione aut finita, aut infinita virtute agunt. Si prius, non sunt religiose invocandi, quia ut religiose quis invocetur, requiritur virtus infinita. Adde quod pastores ecclesiarum ex hypothesi Pontificiorum sint praesides et gubernatores ecclesiae, nec tamen religiose invocantur. Denique consequens fuerit, duplici virtute ecclesiam gubernari, infinita et divina Christi, finita et humana sanctorum. Si posterius, virtus illa sanctorum infinita ipsis erit vel essentialiter propria, vel communicata. Neutrum dici potest. Non prius, quia divina virtus nemini nisi soli vero Deo est essentialiter propria; non posterius, quia communicatio foret vel personalis, vel accidentalis. At non est personalis, quia sancti non sunt hypostatice Deo uniti; nec accidentalis, quia infinita Dei virtus non est accidens. *7. Ex sanctorum defunctorum descriptione.* Sancti *postquam inservierunt in sua generatione voluntati Dei*, *colliguntur ad suos patres* Act. 13, v. 36. *requiescunt a suis laboribus*, quibus in hac vita defuncti fuere, Apocal. 14, v. 13. *Oculi eorum non vident mala, quae introducit Deus super terram* 2. Reg. 22, v. 20. *eorum, quae sub sole fiunt, nihil noverunt amplius* Eccles. 9, v. 5. *nesciunt et ignorant nos adhuc superstites* Esa. 63, v. 16. quomodo igitur terrenorum gubernatio ipsis tribui potest?

Argumenta pro sanctorum praefectura. 1. Ex Scriptura.

355. Argumenta Pontificiorum, quibus contrarium evincere conantur, petita sunt 1. ex Scripturis. 1. Psalm. 45, v. 17: *Constitues eos principes super omnem terram. Ergo sancti defuncti sunt praesides totius mundi*, Costerus in enchir. p. 394.

1. Psalm. 45, v. 17: Constitues eos principes super omnem terram.

Respondemus: 1. Psaltes loquitur de sanctis in hac terra viventibus et cum *principe hujus mundi* per evangelii praedicationem pugnantibus. Costerus hoc accipit de sanctis defunctis cum Christo in coelo triumphantibus. 2. Psaltes vaticinatur de apostolis per evangelii praedicationem regna hujus mundi Christo subjecturis, ut colligitur ex simili
XVIII. 74. vaticinio Psalm. 68, v. 12: *Dominus dabit verbum, evangelistas magno exercitu*, v. 13. *reges exercituum vehementer diligunt, decus domus dividet spolia*, ubi apostoli vocantur *reges* propter excellentiam spiritualis officii, quod Christi nomine gerunt. v. 28. *in Benjamin adolescentulus* (Paulus apostolus ex tribu Benjamin oriundus), *principes Juda cum coetu suo* (Jacobus et Johannes apostoli Christo ex tribu Juda oriundo consanguinei), *principes Zabulon, principes Naphtali* (reliqui apostoli, qui creduntur plerique ex his tribubus originem duxisse); sed Costerus hoc in genere accipit de omnibus fidelibus et quidem defunctis. 3. Quale regnum Christi, tales etiam sunt principes et reges in hoc Christi regno. Jam vero Christi regnum non est terrenum et mundanum, sed spirituale et coeleste. Ergo etiam tales sunt reges et principes in hoc regno, unde ibidem ἐξηγήσεως causa additur v. 14. *omnis gloria filiae regis est interna.* 4. De tali principatu ac regno loquitur psaltes regius, quod in mediis calamitatibus ac persecutionibus in hac vita conservatur ac gubernatur, cum sit spirituale per evangelii praedicationem propagatum ac internum, per Spiritum sanctum in cordibus hominum inchoatum. Sed Costerus hoc accipit de tali regno, quod ab omnibus calamitatibus remotum demum post hanc vitam obtingit sanctis, per quod ipsi res terrenas administrent et toti mundo praesideant. 5. Si in genere de omnibus sanctis spiritualibus Christi filiis accipere velimus, sensus erit, quod illi dominaturi sint carni, mundo et Satanae, sicut Coloss. 3, v. 5: *Jubemur mortificare membra, quae sunt super terram*, quo respectu omnes vere pii dicuntur *spirituales reges* Apocal. 1, v. 6. ac *regale sacerdotium* 1. Petr. 2, v. 9.

2. Psalm. 149. v. 5: Exsultabunt sancti in gloria.

356. 2. Psalm. 149, v. 5: *Exsultabunt sancti in gloria*, v. 6. *gladii ancipites in manibus eorum*, v. 7. *ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis*, v. 8. *ad alligandos reges eorum in compedibus et nobiles eorum in manicis ferreis*, v. 9. *ut faciant in eis judicium conscriptum, gloria haec est omnibus sanctis ejus. Ergo sancti sunt praesides orbis terrarum*, Costerus d. l. Respondemus: 1. quidam in sensu literali exponunt *de corporalibus Israëlitarum victoriis*, quas ex suis hostibus divino beneficio retulerunt. 2. Sed rectius *de spirituali victoria* accipitur, quam in genere omnes vere credentes a Satana, mundo, carne, peccato, morte et inferno virtute Christi victoris reportant, in specie apostoli per praedicationem evangelii a gentibus Christi regno subjugandis reportant. 3. Hujus vero *militiae arma non sunt carnalia, sed spiritualia potentia Deo ad destructionem munitionum* etc. 2. Cor. 10, v. 4. proinde gladius ille anceps est intelligendus *de gladio Spiritus* utrinque secante Ephes. 6, v. 17. Hebr. 4, v. 12. quo in hac vita fideles verbi praecones adversus hostes ecclesiae pugnant. 4. Quidam Pontificii ex hoc dicto probare conantur, haereticos corporali supplicio esse afficiendos, praesupponunt igitur, de sanctis in terris adhuc viventibus esse sermonem. Confer quae de hoc loco dicta sunt in tract. de magistr. polit. §. 352.

3. Matth. 24, v. 46: Super omnia bona constituet eum.

357. 3. Matth. 24, v. 46: *Beatus ille servus, quem, cum venerit Dominus, invenerit sic facientem.* v. 47. *Amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum. Ergo spiritus hominum beatorum sedent in throno Christi, hoc est cum illo praesident toti mundo et ecclesiam regunt et gubernant, bona enim Domini est ecclesia*, Bellarminus lib. 1. de beat. sanctor. c. 18. §. Idem. Respondemus: 1. ex parabolis non possunt duci apodictica argumenta, nisi Scriptura ipsa monstret applicationem. 2. In omnibus illis parabolis, quas Matthaeus c. 24. XVIII. 75.
et 25. recenset, agitur de remuneratione et gloria, quae continget fidelibus servis in ultimo *Christi ad judicium adventu*, ut totus contextus ostendit, cap. 24, v. 26: *Cum venerit dominus ejus* etc. cap. 25, v. 19: *Post multum temporis venit dominus servorum illorum.* Ergo non potest illud applicari ad spiritus defunctorum ante Christi reditum ad judicium remunerationem illam adhuc exspectantes Apoc. 6, v. 11. 3. Luc. 12, v. 37. similis parabola proponitur *de servis exspectantibus Dominum suum a nuptiis reversurum*, et additur: *Beati servi illi, quos, cum venerit dominus, invenerit vigilantes. Amen dico vobis, quod praecinget se et faciet illos discumbere et abiens ministrabit illis.* Quodsi hoc juxta literam accipiendum esset, consequens foret, Christum sanctis in coelo ministrare. 4. Metaphorice igitur ac synecdochice hoc parabolico loquendi genere fidelibus servis promittitur aeterna beatitudo, ineffabilis laetitia, coelestis gloria, honor incomprehensibilis ac praemia nunquam finienda, quae fidelibus servis suo tempore sint a Christo conferenda. De rebus enim futuri seculi Scriptura per quandam συγκατάβασιν loquitur verbis hujus seculi, ut sit sensus, sicut in hac vita summi honoris et praemii loco haberetur, si rex aliquis fidelem servum mensae suae admoveret, ipse eidem ministraret, super omnia sua bona eundem constitueret Genes. 41, v. 42. Esth. 6, v. 8. sic honor, gloria et praemium, quod Christus fidelibus servis in vita aeterna conferet, est summum et incomprehensibile. Johan. 12, v. 26: *Ubi ego sum, illic et minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.* Gregorius lib. 4. exposit. in 2. Reg. cap. 4: *Quia electorum praedicatorum merces est summa, eorum sunt optima Israël. De his quippe Israëlis optimis Dominus fideli servo suo repromittit dicens: Amen dico vobis, super omnia*

*bona constituet eum.* Eodem modo exponunt ipsimet Pontificii. Toletus in comm. Luc. cap. 12. pag. 798: *His verbis Christus significat excellentiam praemii et beatitudinis, quae in perfecta Dei visione consistit, ideo dicitur super omnia bona.* Maldonatus in comm. Matth. 25, v. 31: *Non quod significet, fore ut in coelo homines aut civitatibus aut ulli omnino officio praeficiantur, sed quia de rege loquebatur, quorum est consuetudo bene meritos viros gubernandis praeficere civitatibus, significat praemia majora meritis fore.* Eman. Sa in schol. Matth. 24: *Super omnia bona, hoc est conregnabit cum Christo* (inquit Origenes), *cui omnia Pater tradidit* etc. Barradius lib. 10. comm. in conc. evangel. cap. 12. pag. 642: *Quod Dominus omnes res suas, omnia bona fidei, prudentiae et vigilantiae illius servi dicitur traditurus, eo praemio et dignitate aeternum praemium et dignitas adumbratur, qua bonus pastor ac doctor a Deo in coelesti gloria donabitur.* Jansenius in conc. evangel. cap. 87. pag. 460: *Parabolice significat Dominus, eos, qui hic praefecti familiae Christianae fide optima munus suum obeunt, ab ipso cum ad judicandum redierit, praeficiendos omnibus suis bonis, quod fiet, cum coelestium suorum bonorum eos participes faciet.* Per bona igitur Domini vitae aeternae praemia intelliguntur.

**4. Apoc. 1, v. 6: Fecisti nos reges.**

358. 4. Apoc. 1, v. 6: *Fecisti nos reges et sacerdotes coram Deo. Ergo sancti haec terrena curant et administrant*, Costerus d. l. Respondemus: 1. Johannes loquitur non tantum de sanctis defunctis, qui sunt membra ecclesiae triumphantis; sed etiam de sanctis in terra adhuc viventibus, qui sunt membra ecclesiae militantis. Praecedit enim v. 5: *Christus dilexit nos et lavit nos a peccatis*
XVIII 76. *nostris in sanguine suo et fecit nos reges* etc. Quodsi ergo ex hoc dicto inferri posset illa rerum terrenarum gubernatio, consequens foret, etiam sanctos in his terris viventes toti mundo praesidere et universam Christi ecclesiam gubernare. 2. Vere pii sunt reges *coram Deo*, hoc est spirituales, quia per Christum et in Christo dominantur peccato, carni, Satanae, morti et inferno, vincunt mundum et mundi principem 1. Johan. 5, v. 4. Roman. 6, v. 20. quo sensu etiam vocantur *regale sacerdotium* 1. Petr. 2, v. 9. Ambrosius lib. 2. de Abraham cap. 10: *Etiam illi reges qui peccato non serviunt, nec vincit eos malitia.* Ex eo vero inferri nequit, quod terrena curent et administrent. 3. Quales *sacerdotes* sunt pii, tales etiam *reges* merito censentur, sed sunt sacerdotes spirituales, *quia offerunt Deo spirituales hostias* Rom. 12, v. 1. 1. Petr. 2, v. 5. Ergo etiam sunt reges spirituales. Quemadmodum igitur ex eo, quod sacerdotes dicuntur, inferri nequit, quod externas quasdam hostias Deo offerant, ita ex eo, quod reges dicuntur, colligi nequit, quod in terrenorum administratione sint occupati. 4. At, inquis, Apoc. 5, v. 10. *ubi idem dictum repetitur et ad ecclesiam triumphantem applicatur, diserte additur regnabimus super terram.* Respondemus: intelligitur hoc *de terra nova*, quam in fine seculi Deus creabit, Apoc. 21, v. 1. de qua Origenes homil. 26. in Num. Basilius in Psalm. 33. Cyrillus in cap. 58. Esaiae, Nyssenus lib. de beatitud. Hieronymus in comm. Matth. 5. Damascenus 2. de orthod. fid. c. 10. etc. accipiunt etiam dictum Christi Matth. 5, v. 5: *Beati mites, quoniam hereditabunt terram.* Quodsi ad sanctos in terris viventes illud accommodare velimus, sensus erit, *quod mortificent membra sua, quae sunt super terram* Col. 3, v. 5. quod terrenis cupiditatibus ac carnalibus desideriis repugnent.

**5. Apoc. 2, v. 26: Dabo illi potestatem super gentes.**

359. 5. Apoc. 2, v. 26: *Qui vicerit et qui custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, v. 27. et reget eas in virga ferrea, tanquam vas figuli confringentur, sicut et ego accepi a Patre meo. Hic loquitur Christus de spiritibus mortuorum, ut patet ex illis verbis, et custodierit usque in finem opera mea, et loquitur de tempore ante resurrectionem, ut patet ex eo, quod dicit, reget eas in virga ferrea. Nam regere in virga ferrea non significat punire, quod etiam post resurrectionem fiet, sed significat regere virga pastorali, quod solum fit ante resurrectionem. Dicitur autem virga ferrea, quia inflexibilis est ad injustitiam, ut Psalm. 44. virga directionis, hoc est virga rectissima est virga regni tui et etiam sempiterna, nam regni ejus non erit finis. Quod autem sequitur, et tanquam vas figuli confringet eos, non significat homines perdendos, sed peccatores, Christo peccata conterente et delente, ut exponit Augustinus Psalm. 2. vel reguntur sive pascuntur electi in virga ferrea, reprobi autem tanquam vas figuli confringentur. Quod vero hoc loco significet regere in virga ferrea, patet 1. ex verbo Hebraeo, quo utitur David Psalm. 2.* תְּרֹעֵם, *et ex Graeco Johannis ποιμανεῖς, quod est pasces sive pastoraliter reges. Secundo ex eo, quod dicitur Apoc. 12. peperit filium, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea. Christus autem non punit omnes gentes, sed regit pastoraliter. 3. quia Psalm 2. unde Johannes verba sua desumpsit, dicitur Christus totam suam hereditatem regere in virga ferrea, nec tamen suspicari possumus totam ecclesiam a Christo esse destruendam. 4. quia sic exponunt Hilarius, Augustinus et Theodoretus in Psalm. 2. Primasius, Beda et Rupertus in c. 2. Apoc. Habemus igitur, spiritus hominum beatorum post mortem ante diem resurrectionis accipere potestatem in gentes et regere et pascere eas,*
Bellarminus d. l. Respondemus: 1. totus contextus XVIII. 77.
ostendit, sermonem esse de potestate, quam accipient electi *in die judicii*, quia praecedit v. 25. *tamen id quod habetis, tenete donec veniam*, et additur v. 27. *tanquam vas figuli confringentur*, quod non fiet nisi in extremo die. Andreas Caesariensis in comm. hoc loco: *Per potestatem, cujus hoc loco fit mentio, illud judicium insinuatur, quo seducti vel increduli ab iis judicabuntur et veluti virga ferrea conterentur, qui ex gentibus et infidelibus*

*per fidem promtamque obedientiam Christo se adjunxerunt. Notum est enim illud Christi Servatoris: Viri Ninivitae surgent in judicio cum generatione hac et condemnabunt eam.* Lyranus in comm. hoc loco: *Dabo illi potestatem super gentes in finali judicio, in quo perfecti judicabunt cum Christo et sic habent potestatem super gentes judicandas. Et reges illas virga ferrea, inflexibili justitia, et tanquam vas figuli confringentur, quod tunc peccatores in infernum detrudentur.* 2. Explicatio hujus promissionis traditur Matth. 19, v. 28: *In regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israël.* Luc. 22, v. 29: *Dispono vobis regnum, sicut disposuit mihi Pater meus,* v. 30. *ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo et sedeatis super thronos judicantes duodecim tribus Israël.* (Qualis mensa, talis etiam thronus, mysticus scilicet ac parabolicus verbis hujus seculi descriptus.) 1. Cor. 6, v. 2: *Sancti mundum judicabunt.* v. 3. *Nescitis, quoniam angelos judicabimus?* Ephes. 2, v. 6: *Consedere nos fecit in coelestibus cum Christo.* Jud. epist. v. 14: *Ecce Dominus venit cum multis millibus sanctorum suorum ad exercendum judicium adversus omnes.* Apoc. 3, v. 21: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo.* Sensus igitur est, quod fideles electi participes sint futuri gloriae, laetitiae et victoriae Christi ab hostibus reportatae ac suo exemplo, doctrina, testificatione, approbatione infideles judicaturi, in quo ipso tamen apostolis quaedam praerogativa concedetur, ut in tractatu de extremo judicio latius demonstrabitur. 3. Si de spiritibus defunctorum hic locus accipiendus, non poterit *de virga pastorali*, qua fideles adhuc viventes reguntur, promissio addita intelligi, quia sancti defuncti nullam officii pastoralis partem amplius administrant, non praedicant verbum, nec administrant sacramenta, nec aegrotorum curam habent, *sed postquam divinae voluntati in sua generatione inservierunt, collecti sunt ad populum suum* Act. 13, v. 36. 4. Objectum regiminis sanctis victoribus promissi statuuntur gentes, infideles scilicet et impiae, quae Christum et evangelium ipsius pervicaciter repudiant. Atqui impiae gentes non pascuntur virga pastorali, sed evertuntur ac destruuntur, quod fiet in die novissimo. 5. Effectus hujus regiminis sic describitur: *Reget eas in virga ferrea et tanquam vas figuli confringentur,* cujus phraseos sensus sic exponitur Esa. 30, v. 14. Jerem. 23, v. 29: *Subito veniet contritio ejus et comminuetur sicut lagenula figuli contritione valida et non invenietur de fragmentis ejus testa, in qua igniculus de foco aut parum aquae de fonte gestari possit.* Denotatur igitur finalis et universalis hostium ecclesiae abolitio et contritio in die novissimo demum futura. 6. Proinde *in virga ferrea regere* omnino significat punire, quod ἀπαιδεύτως Bellarminus negat, neque enim ad totam Christi hereditatem ac proinde etiam ad pios illud pertinet, quod Christus Psalm. 2, v. 9. Apoc. 19, v. 15. *populos terrae dicitur regere virga ferrea,* sed duntaxat ad hostes et rebelles, qui nolunt *virgam aequitatis et rectitudinis* agnoscere ac regno Christi sese reverenter submittere Psalm. 45, v. 6. unde ἐξηγήσεως loco additur *tanquam vas figuli confringentur.* 7. Verbum igitur רעה ac *ποιμαίνειν* non potest hoc loco accipi *de pastura*, sed necessario explicandum est *de regimine* propter XVIII. 78.
additum *προσδιορισμὸν in virga ferrea*, quod agnoscit ipse Bellarminus lib. 1. de pontif. Rom. cap. 15. §. Deinde etc. sic scribens: *Pascere in Scripturis passim accipitur pro eo, quod est regere,* ut Psalm. 2. ubi legimus: *Reges eos in virga ferrea*, et Esa. 44. dicitur de Cyro: *Pastor meus es tu, quo loco non ministerium praebendi cibum, sed amplissimum regnum Cyro praedicit.* Unde quidam vertunt: *Depasces eos*, ut sit metaphora a peccatoribus prata et viridaria depascentibus, ostendens, impios funditus ac radicitus esse perdendos, ne ulterius ecclesiae Christi sint molesti. 8. Neque quidquam obstat, quod Apoc. 12, v. 5. Christus dicitur recturus sive *pasturus omnes gentes in virga ferrea*, id enim accipiendum est determinate de omnibus illis gentibus, quae Christo et regno ejus sese opponunt, quia enim Christi jugo sese subjiciunt, illis pedum pastorale verbi, non autem virga ferrea contritionis competit. 9. Recte dicitur, *ποιμαίνειν* hoc loco significet regere, sed ex eo nondum potest inferri, spiritus defunctorum regere fideles in hac vita, verum hoc tantum ex textu elicitur, sanctos, qui vicerunt et custodierunt opera Christi usque in finem, accepturos potestatem super gentes, ut in fine seculi eas regant virga ferrea, hoc est ut tanquam Christi membra et judicii assessores ac testes hostes ecclesiae, a quibus in hac vita oppugnati fuere, judicent atque puniant. Confer Hoë in comm. hoc loco. 10. Blasius de Viegas in comm. hoc loco p. 172. prolixe hunc locum explicat, sed potestatis illius, quam Bellarminus defunctis sanctis tribuit, ne verbulo quidem mentionem facit. *Beda* (inquit), *Primasius, Ansbertus et alii dicunt, consequi ecclesiam istam promissionem per ipsum Christum, cui dictum est Psalm. 2: Dabo tibi gentes hereditatem etc. quae expositio nobis placet.* Et postea: *Duo sunt sensus literales hujus loci, unus, ut promittatur ecclesiae universae ea in rebus temporalibus felicitas, quod gentes multas sibi subjiciat, imperium in subditos secure exerceat, tanquam sit potentia, ut rebelles facile possit coërcere, haereticorum impetus comprimere, denique adversariorum vires frangere, nullius denique potentiam formidare. Alter, quem etiam plerique afferunt, ut iis, qui vicerint, hoc est Jezabeli ejusque sectatoribus, videlicet tum pravis hominibus, tum haereticis, sese strenue et animose opposuerint, promittatur fore, ut ob eorum probitatem adversusque Jezabelem animi magnitudinem in alto dignitatis gradu collocentur praelatique aliorum efficiantur itaque ad eum locum evehantur, ex quo alios virga ferrea, hoc est inflexibili et aequissima justitia, regant legumque sanctitate*

*devinciant, rebelles autem ac petulantes imperio compescant et disciplinae severitate in officio contineant* etc. Sic ergo juxta Viegas de sanctis in hac vita locus apocalypticus esset accipiendus, qua ratione a proposita quaestione plane alienus foret.

6. Apoc. 3, v. 12: Qui vicerit, faciam eum columnam in templo Dei mei.

360. 6. Apoc. 3, v. 12: *Qui vicerit, faciam eum columnam in templo Dei mei. Ergo sancti defuncti sustentant ecclesiam*, Bellarminus d. l. Respondemus: 1. plurimi interpretes de sanctis in hac vita exponunt, sicut Jerem. 1, v. 18. de propheta dicitur: *Ego dedi te in columnam ferream et in murum aeneum.* Gal. 2, v. 9: *Jacobus, Cephas et Johannes videbantur columnae.* 1. Tim. 3, v. 15: *Ecclesia est columna et firmamentum veritatis.* Richardus de S. Victore in comm. Apocal. 3: *Faciam illum columnam in templo Dei mei, hoc est efficiam, ut instar columnae sit in se firmus per fidem, rectus per aequitatem, erectus per intentionem, sublimis per contemplationem et praeterea alios sustentet verbo consolationis, suffragio orationis, exemplo actionis.* Primasius applicat *ad ecclesiae doctores, qui eminent munere* XVIII. 79. *dignitatis et portant alios officio caritatis.* Lyranus in comm. hoc loco: *Faciam illum columnam, hoc est fortem et potentem in fide, non solum pro se, sed et pro aliis confortandis et confirmandis. Secundum hunc modum Petrus, Johannes et Jacobus columnae dicuntur.* Galat. 2: *In templo Dei mei, hoc est in ecclesia militante, ut patet ex sequentibus, subjicitur enim, et foras non egredietur, scilicet per apostasian, quod in hac vita fieri potest.* Quidam sic exponunt, quod vincenti promittatur donum *perseverantiae*, quo munitus instar columnae loco minime dimoveri possit habeatque in se fortitudinem ac firmitatem, qua imbecilliores valeat sustinere. 2. Concedimus vero, *praecipue* de sanctis cum Christo triumphantibus hoc promissum accipiendum, qui dicuntur *columnae* non propter sustentationem ecclesiae militantis, quae soli Christo competit, sed propter alios comparationis respectus in ipso textu expositos. Additur enim, *faciam eum columnam etc. et non egredietur amplius*, hoc est beati ad statum gloriae translati, sunt veluti firmissimae quaedam columnae, quae loco moveri non possunt, quia sancti defuncti in bono et in gloriae statu sunt confirmati. *Et scribam super eum nomen Dei mei et nomen civitatis Dei mei* etc. hoc est sicut reges ac principes columnis, quas erigunt, sua nomina incidere et inscribere solent, sic scribam super eos *nomen Dei*, quia vocabuntur *filii Dei* per actualem et plenariam coelestis hereditatis possessionem, *et nomen civitatis novae*, quia vocabuntur et erunt *coelestis Hierosolymae cives, et nomen meum novum*, quia erunt mei coheredes et coelestis gloriae mecum participes. 3. Columnae non tantum *necessitatis et sustentationis*, sed etiam *ornatus* gratia eriguntur. Columna universam sustentans et fulciens ecclesiam est Christus Jesus 1. Cor. 3, v. 11. sed sancti defuncti sunt columnae ornatus in coelesti Hierosolyma, unde Beda in comm. Apoc. 1. notanter eos confert *cum duabus columnis ante vestibulum templi Salomonis* solius decoris causa erectis ac nihil quidquam sustinentibus.

7. Apoc. 3, v. 21: Qui vicerit dabo ei sedere in throno meo.

361. 7. Apoc. 3, v. 21: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici et sedi cum Patre meo in throno ejus. Ergo sancti defuncti sedent in throno Christi, hoc est cum illo praesident toti mundo et ecclesiam regunt ac gubernant*, Bellarminus d. l. Respondemus: 1. *thronus Dei Patris*, in quo Christus sedet, *a throno Christi*, hoc est quem Christus electis promisit et in eum beatos collocat, manifeste in textu distinguitur, unde beati non dicuntur sedere in throno Dei, *sed stare ante thronum Dei* Apoc. 7, v. 15. Nequaquam igitur honoris *aequalitas* et communio divinae potestatis inter Christum et beatos, sed duntaxat honoris et gloriae *societas* in certo gradu ac mensura his verbis exprimitur. 2. In throno Dei Patris nullus angelorum nec beatorum hominum sedet, sed solus Christus, Hebr. 1, v. 13. Psalm. 110, v. 1. sed sancti in throno Christi dicuntur sedere, hoc est in throno, quem paravit ac promisit illis Christus Luc. 22, v. 30. Thronus Dei est infinita ipsius potestas, universale dominium coeli ac terrae, immensa majestas Hebr. 8, v. 1. etc. sed Christi thronus, quem cum sanctis communicat, est coelestis gloria et aeterna beatitudo Joh. 14, v. 2. Thronus Dei Patris est unus, sed thronorum Christi dantur plures Apoc. 4, v. 4. Matth. 19, v. 28. Luc. 22, v. 30. Thronus Dei est infinitus et ubique, thronus Christi finitus et in paradiso; thronus Dei est increatus et aeternus, sed throni sanctorum sunt a constitutione mundi parati Matth. 25, v. 34. Ambrosius in comm.: *Christus sedet ad dextram Dei, quia aequalis est Patri, sancti vero non ad* XVIII. 80 *dextram Dei sedere dicuntur, sed super sedes suas, sicut Dominus apostolis dixit: Sedebitis et vos super sedes duodecim.* 3. Per collationem in thronum Christi nihil aliud intelligitur, quam quod sancti sint cum Christo in coelis regnaturi 2. Tim. 2, v. 12. sed hoc regnum non est terrenum ac mundanum, sed spirituale ac coeleste, quod in hac vita inchoatur, in futura perficietur et consummabitur. 4. Coelestis gloria et beatitudo sanctis promissa inde atque ideo peculiariter dicitur *thronus Christi*, quia Christus non solum cum Patre et Spiritu sancto eam credentibus promisit, sed etiam sua passione et morte promeruit, quod Johan. 14, v. 2. ipse vocat *parare credentibus locum in coelo*, per suum scilicet ad Patrem abitum. Confer Schröderum amicum nostrum singularem in throno regali Christi cap. 28.

2. Ex rationibus. 1. A beatorum glorificatione.

362. *2. Ex rationibus. 1. A beatorum glorificatione. Si oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscenderunt, quae praeparavit Deus diligentibus se, nulla ergo vel fuit, vel mente cogitari potest gloria, potestas et imperium, quod cum sanctorum praemio conferatur. Sed verum prius, Esa. 64, v. 4. 1. Cor. 2, v. 9.* Costerus d. l. Respondemus: 1. de consummata beatorum gloria,

quae post resurrectionem demum ipsis obtinget, praecipue in hoc dicto agitur, ut suo loco plenius videbimus. 2. Plus est in consequente, quam antecedens permittit. Neque enim sequitur sanctorum gloria est ineffabilis et incomprehensibilis. Ergo sancti praesident huic mundo et gubernant universam ecclesiam. 3. Sicut sancti non hujus, sed futuri seculi, nec terrae, sed coeli cives sunt; ita quoque ipsorum gloria non est aestimanda ex potestate quadam hujus seculi gubernatrice. 4. Quantacunque gloria ac quantumcunque praemium tribuatur sanctis, illud tamen oportet esse finitum, cum solius Dei gloria et potestas sit infinita et immensa. Jam vero praesidere toti mundo et gubernare universam ecclesiam sunt opera divinae et infinitae virtutis. Ergo ad sanctorum gloriam et praemium eadem non sunt referenda. 5. Invertimus argumentum: Si sanctorum gloria non adscendit in cor hominum in hoc seculo viventium, ergo non debet temere quidquam definiri de regimine, quod sancti in universum obtinent mundum et totam ecclesiam triumphantem. 6. Si ex gloria sanctorum quidvis colligere liceret, posset etiam statui, quod sint salvatores, redemtores ac mediatores humani generis, et quidem modo eo, quo Christus est salvator, redemtor ac mediator noster.

3. Ex comparatione. 363. *3. Ex comparatione. Sancti beneficio gloriae suae possunt, quidquid reges potestate, quidquid opulenti divitiis, quidquid docti sapientia. At reges exercitu hostes profligant, divites egenis subveniunt, medici arte curant. Ergo id non minus praestare poterunt sancti*, Costerus dict. l. Respondemus: 1. Reges hostes profligant, divites pauperibus donant, medici morbos curant ex Dei ordinatione, jussione et voluntate; sed defunctis sanctis mundi et ecclesiae regimen commissum esse, ex Scripturis nondum est probatum. 2. Nullus regum universo orbi praesidet, sed solus Christus est rex catholicus, cui fines terrarum traditi et imperio ejus subjecti. Ergo adhuc probandum restat, sanctos toti orbi praesidere et universam ecclesiam gubernare. 3. Gloria sanctorum est spiritualis, coelestis, supramundana, ergo ea non debet conferri cum gloria terrena ac mundana regum hujus seculi. 4. Si ex eo, quod sanctorum potestas et gloria non est minor quam regum hujus seculi, inferri posset, sanctos illud omne posse, quod reges
XVIII. 81. hujus seculi possunt, consequens foret, sanctos etiam eodem honore externo et iisdem deliciis externis perfrui, quibus reges hujus seculi perfruuntur. 5. Nullus regum infinita potestate, nullus divitum infinitis divitiis, nullus doctorum infinita sapientia instructus est. Ergo etiam sanctorum potestas, opulentia et sapientia non erit infinita. Jam vero toti orbi praesidere et universam ecclesiam gubernare, sunt opera infinitae virtutis.

4. Ex collatione. 364. *4. Ex collatione. Sicut non adversatur fidei statuere diversa angelorum bonorum ac malorum ministeria; ita quoque eidem non repugnat, si sanctis beatam cum Christo in coelo degentibus vitam et haec inferiora administrantibus pro diversitate meritorum diversa vel loca commendata dicantur, vel dona ad fidelium Christianorum auxilium*, Costerus in enchir. pag. 413. Respondemus: 1. haec collatio praesupponit, quod sanctis defunctis administratio et gubernatio inferiorum divinitus sit commissa, sicut angelorum ministeriis in his terris uti Deo placuit. At hoc ipsum adhuc est in quaestione. 2. De ministeriis angelorum testatur Scriptura sacra, Hebr. 1, v. ult. et alibi passim; sed sanctis diversa loca ac dona commendata esse, nuspiam innuit. 3. Angelorum distinctio ratione dignitatum et ministeriorum in Scripturis quidem insinuatur Ephes. 1, v. 21. Coloss. 1, v. 16. 1. Petr. 3, v. 22. quae vero et qualis illa sit, in specie non exprimitur. Quodsi ergo sanctorum praefecturas cum angelorum ministeriis conferre velint, agnoscant, de illis ex Scriptura nihil certi statui posse. 4. Distinctae illae sanctorum praefecturae ex hypothesi Costeri oriuntur ex diversis eorum meritis, sed de angelorum ministeriis hoc dici nequit. 5. Idem Costerus ibid. sanctis summam caritatem tribuit, qua totius orbis loca et universum genus humanum complectantur. Atqui huic summae caritati adversatur, si diversa loca vel dona illis commendata statuantur. 6. Si sancti non sunt invocandi ut auctores spiritualium beneficiorum, sed tantum ut intercessores, tunc a diversis sanctis diversa beneficia frustra petuntur. Ratio connexionis est, quia sancti pro omnibus piis ex caritate aequaliter intercedunt. Sed verum prius asserente Bellarmino de beat. sanct. cap. 17. Ergo et posterius. Quae *ex patribus* attexuntur, suum inferius habebunt locum.

365. Quaeritur 6. *An spes ac fiducia nostra in sanctos defunctos ferri debeat?* Affirmant Ponti- Qu. 6. An fiducia in sanctos collocari debeat? ficii, ut patet *1. ex praxi* Religiose enim invocant sanctos, jam vero fides et invocatio in Scripturis indivulso nexu connectuntur Rom. 10, v. 14. Jac. 1, v. 6. etc. In precibus ad Virginem et sanctos directis sic loquuntur: *O clementissima Domina et dulcissima virgo sancta Maria, mater Dei, mater orphanorum, consolatio desolatorum, via errantium, salus et spes in te sperantium etc. tu portum praebe naufrago, reo fer patrocinia, dans misero solatia, sis spes, ne desperatione succumbam mortis in agone, cum tunc non sit spes altera, nisi tu virgo puerpera, patris parens et filia, cui me reconcilia.* Innocentius in orat. Item: *Ad te, o unica spes* XVIII. 82. *miserorum, confugio et plena fiducia tibi me ipsum in omnibus necessitatibus devote commendo.* Ordin. Hildesh. in compass. Mariae. in psalterio Mariae plus centies repetitur: *In te Domina speravi, non confundar in aeternum* Psalm. 30. *Fructus gratiae inveniet, qui speraverit in illam, porta paradisi reserabitur ei* Psalm. 98. *Sperate in illam religiosi et claustrales, confidite in illam clerici et seculares* Psalm. 36. *Miserere mei Domina, quoniam tu es spes et lux omnium in te confidentium* Psalm. 46. *Beati qui in ea habent spem et confi-*

*dentiam* Psalm. 118. etc. Eodem modo compellant etiam sanctos, ut constat. *2. Ex verbis.* Gabr. Biel in can. miss. lect. 30. *fiducialiter ad sanctos recurrendum* esse docet, *ut eorum meritis ac precibus ad gloriam immortalitatis perveniamus.* Bellarminus lib. 1. de beat. sanctor. cap. 20. resp. ad. 1: *Sicut Deum non potest invocare ut Deum, qui in eum non credit, id est qui non credit, eum esse Deum, et qui ei non credendo in eo non sperat nec eum diligit; ita etiam non potest sanctos invocare ut sanctos et amicos Dei, qui suo modo in eos non credit, hoc est non credit, esse sanctos nec in eis sperat ut in patronis, nec eos ut tales diligit. Nec nomen invocationis vel fidei in Scripturis soli Deo tribuitur.* Sequitur hac in parte Bellarminus cardinalem Hosium, qui etiam in sanctos credendum esse docuit. In confess. fidei cap. 58. de spe et oratione: *Quid si* (inquit) *in illos quoque recte credi docet Paulus? Verba sunt illius ad Philemonem: Fidem, quam habes in Domino Jesu et in omnes sanctos.* Cornelius a Lapide in comm. Philem. v. 4: *Fidem, quam habemus in Dominum Jesum, eandem habemus et in omnes sanctos etc. hinc sequitur, eum, qui honorat et invocat sanctos, nihil detrahere Christo, imo hoc ipso honorare et invocare Christum.* Salmeronius tom. 15. disp. 1. in epist. Philem.: *Vide, quod Philemon et fidem et dilectionem in Christum et sanctos haberet, sed non parem dilectionem. In Christo praecipue spem figimus,* ait Gregorius de Valentia contra Heerbr. cap. 7. innuens, etiam sanctis partem spei et fiduciae esse relinquendam.

Negativa probatur. 366. Negantem quaestionis partem demonstramus sequentibus fundamentis. 1. Scriptura *soli Deo* confidendum et in ipsum solum sperandum esse docet, unde eum vocat *spem et refugium nostrum.* Psalm. 9, v. 10: *Factus est Dominus refugium pauperi, adjutor in opportunitatibus, in tribulatione,* v. 11. *et sperent in te, qui noverunt nomen tuum.* Psalm. 11, v. 1: *In Domino confido.* Psalm. 13, v. 6: *Ego speravi in misericordia tua.* Psalm. 14, v. 6: *Dominus spes ejus est.* Psalm. 18, v. 3: *Dominus petra mea et arx mea et liberator meus, Deus rupes mea, sperabo in eum, protector meus et cornu salutis meae, altissimum meum asylum.* Psalm. 22, v. 5: *In te speraverunt patres nostri, speraverunt et liberasti eos.* v. 10. *Tu es spes mea ab uberibus matris meae.* Psalm. 25, v. 2: *Deus meus in te confido, non erubescam.* Psalm. 31, v. 2: *In te Domine speravi, non confundar in aeternum* (quod repetitur Psalm. 71, v. 1.) Psalm. 37, v. 3: *Spera in Domino.* Psalm. 57, v. 2: *Miserere mei Deus, quoniam in te confidit anima mea.* Psalm. 62, v. 6: *Deo sile anima mea, quoniam ab ipso spes mea.* v. 7. *Profecto ipse est petra mea, refugium meum, non movebor.* v. 8. *In Deo est salus mea et gloria mea, est petra fortitudinis meae et spes mea in Deo est.* v. 9. *Sperate in eo omni tempore, o populi, Deus est spes nostra.* Psalm. 78, v. 7: *Ut ponant in Deo spem suam.* Psalm. 91, v. 2: *Qui habitat in latibulo Altissimi, dicet Domino, spes mea es tu et refugium meum,* XVIII. 83.
*Deus meus, sperabo in eum.* Psalm. 115, v. 9: *Domus Israël confidat in Domino,* v. 10. *domus Aaron confidat in Domino.* v. 11. *Qui timent Dominum, confidant in Domino, adjutor eorum et protector eorum est.* Psalm. 130, v. 7: *Speret Israël in Domino.* Psalm. 144, v. 1: *Dominus refugium meum, susceptor meus et liberator meus, in ipso speravi.* Esai. 26, v. 4: *Sperate in Domino perpetuo, quia in Domino Dominus est petra aeterna.* Ose. 12, v. 6: *Spera in Deo tuo semper.* Mich. 7, v. 7: *Ego ad Dominum adspiciam, exspectabo Deum meum, salvatorem meum.* 1. Petr. 1, v. 21: *Ut fides et spes vestra sit in Deum.* 2. Beatos illos pronuntiat, qui in Deo confidunt. Psalm. 2, v. 13: *Beati omnes, qui confidunt in eo.* Psalm. 40, v. 5: *Beatus vir, qui ponit Dominum spem suam.* Psalm. 84, v. 13: *Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te.* Psalm. 146, v. 5: *Beatus, cujus Deus Jacob adjutor ejus, spes ejus in Domino Deo ipsius, qui fecit coelum, terram et mare.* Esa. 40, v. 31: *Sperantes in Dominum mutabunt virtutem, ambulabunt alis quasi aquilae, current et non fatigabuntur.* Jerem. 17, v. 7: *Benedictus vir, qui confidit in Domino et cujus est Dominus fiducia ejus.* Nahum. 1, v. 7: *Bonus Dominus et munitio est in die tribulationis sciens sperantes in se.* 3. Contra vero maledictos pronuntiat eos, qui quodvis aliud fiduciae et spei suae objectum statuunt quam verum Deum. Psalm. 118, v. 8: *Bonum est confidere in Domino quam confidere in homine,* hoc est et non confidere in homine, (quia particulae comparativae phrasi Hebraica ponuntur pro negativis. Matth. 10, v. 28. Luc. 18, v. 14. Johan. 3, v. 19. etc.) v. 9. *Bonum est sperare in Domino quam sperare in principibus.* Psalm. 146, v. 3: *Nolite confidere in principibus neque in filiis hominum, in quibus non est salus.* Esa. 31, v. 1: *Vae qui descendunt in auxilium in Aegyptum sperantes in equis, habentes fiduciam in quadrigis, et non sunt confisi super Sanctum Israël.* Jer. 17, v. 5: *Maledictus homo, qui confidit in homine et ponit carnem brachium suum et a Domino recedit cor ejus.* Idem probant exempla. 2. Paralip. 16, v. 12. Asa rex Juda reprehenditur, *quod in infirmitate sua non quaesiverit Dominum, sed magis confisus fuerit in arte medicorum.* 4. In symbolo apostolico profitemur, nos *credere in unum verum Deum Patrem, Filium et Spiritum sanctum.* Quotquot igitur in aliud objectum spem et fiduciam suam collocant, a norma hujus universalis ecclesiae symboli recedunt. 5. Spes et fiducia est cultus religiosus ad primam decalogi tabulam, adeoque ad primum praeceptum pertinens, proinde soli Deo hic cultus debetur. 6. Nec mandatum, nec promissio, nec probatum exemplum in Scripturis exstat, quod in defunctos sanctos aliquis speraverit aut confisus fuerit. Quae in contrarium afferuntur, suam inferius habebunt explicationem. 7. In nullum est speran-

dum et confidendum, nisi qui est omnipotens, qui est auxiliator in omni adversitate, qui est largitor bonorum ad hanc et aeternam vitam necessariorum et utilium. Jam vero solus Deus est omnipotens, auxiliator in omni adversitate etc. sanctis vero haec gloria minime competit. 8. Si in sanctos esset credendum et sperandum, consequens fuerit, veram Christi et Spiritus sancti divinitatem non posse ex eo probari, quod Scriptura docet in Filium et Spiritum sanctum esse credendum ac sperandum. Posterius repugnat praxi ecclesiae, quae haereticis divinitatem Filii et Spiritus sancti negantibus inter reliqua etiam hoc argumentum constanter opposuit. 9. Pii veteres unanimi suffragio comprobant, fidem

XVIII. 84. et spem in solum Deum esse collocandam. Origenes homil. 4. in Ezech.: *Ad eos, qui in sanctis fiduciam habent, non incongrue profertur exemplum: Maledictus homo, qui spem habet in homine.* Et illud: *Nolite confidere in hominibus.* Sed et aliud: *Bonum est confidere in Domino quam confidere in principibus. Quodsi necesse est in aliquo sperare, omnibus derelictis speremus in Domino.* Cyrillus Alexand. l. de recta fide: *Fides et spes nostra in Deum. Quando igitur in Deum fides, Christo dicente, in me credite, quomodo non manifeste esset Deus?* Hieronymus lib. 4. in Ezech. cap. 14: *Quodsi in aliquo fiducia est, in solo Domino confidamus. Maledictus enim omnis homo, qui spem habet in homine, quamvis sancti sint, quamvis prophetae.* Ambrosius in comm. Coloss. 1. *Christi omnipotentiam ita declaratam illustratamque esse* dicit, *ut sciremus, ipsi soli nos fidere debere,* ubi et haec ponit, *ut si quis alicui angelorum vel potestatum devotum se debere esse putet, errare se sciat, nam qui se subjectis humiliat, totus errat, non tenens caput truncus est.* Ruffinus in expos. symboli monet, *per praepositionem* in *creatorem a creaturis secerni et divina ab humanis separari* Augustinus lib. 18. de civit. Dei cap. 54: *Nos qui sumus vocamurque Christiani, non in Petrum credimus, sed in quem credidit Petrus.* Idem tract. 1. in Joh.: *Non potest esse in pace, qui spem ponit in homine. Nolite sic erigere oculos in montem, ut putetis, in homine esse spem vestram collocandam.* Confer lib. de pastorib. cap. 8. 10. Ipsimet adversarii quandoque agnoscunt, in solum Deum esse credendum ipsique soli confidendum. Georg. Cassander in consult. pag. 140. arguit tanquam erroneum, *quod multi temere confidunt sanctis eamque falsam et perniciosam opinionem* conqueritur *in vulgus invaluisse et commentis miraculorum confirmari.* Ingolstad. in apol. contra disput. Heerbrandi de precatione ad argumentum, *Pontificii invocant sanctos, ergo in eos credunt;* respondent hoc modo, *esse sophisticationem a non distributo ad distributum, eo quod invocatio latius pateat quam actus credendi in aliquem.* Costerus in enchirid. pag. 407. concedit, *in sanctos non esse credendum ac sperandum,* unde probare conatur, *posse etiam eum invocari, in quem non credimus.* Bellarminus *in sanctos fidem ac spem suo modo collocari posse* asserit, sed sibi ipsi hac in re contradicit, quia lib. 1. de Christo cap. 5. divinitatem Christi ex eo probat, quod in ipsum credamus. *Beati* (inquit) *erunt, qui in Messia confidunt. Ergo Messias est verus Deus. Nam in Scripturis passim in solo vero Deo confidendum esse dicitur*, ut Jerem. 17: *Maledictus, qui confidit in homine.* Et infra: *Benedictus vir, qui confidit in Domino.* cap. 6. ejusd. libri §. Quintum testimonium. Augustinus lib. 1. de Trinit. cap. 12. ex Johan. 14. *creditis in Deum, et in me credite, deducit, Christum esse illum verum Deum, quem Judaei colebant. Nam si non est ipse verus Deus, non potest sibi arrogare fidem, quae illi soli debetur.* 11. Hypothesis illa, quod fides et spes poni possit in eum, qui non sit verus Deus, arma suppeditat Arianis, Photinianis, Macedonianis, Pneumatomachis etc. qui divinitatem Filii et Spiritus sancti impugnant. Socinus in resp. ad Bellarminum et Wiekum cap. 4. class. 2. argum. 1. pag. 157: *Jeremias negans, in homine confidendum, nihil aliud vult, quam non esse confidendum in humanis viribus citra Spiritus ac divinae virtutis opem, et quidem ut a Deo quis recedat.* Catech. Racov. pag. 44: *Conjunguntur in fiducia Deo debita tales res et personae, quae plane ad ipsius essentiam non pertinent.*

367. Argumenta Pontificiorum potiora haec sunt. 1. Johan. 5, v. 44. *Judaei dicuntur in Moyse sperasse.* Respondemus: 1. Christus hoc nomine non commendat ac laudat, sed potius taxat Judaeos, quod in Moysen speraverint, hoc est quod existimaverint, Moysen ipsos coram Deo excusaturum, quod non crediderint in Christum, hoc praetextu quod doctrinae per ipsum promulgatae constanter adhaerere voluerint. 2. Invocatio sanctorum non fuit usitata in V. T. ut Pontificii concedunt. Ergo etiam fundamentum invocationis non habuit locum, hoc est spes et fiducia in sanctos non fuit collocata. 3. Sancti V. T. ante Christi ad inferos descensum ex hypothesi Pontificiorum fuere in limbo, ignari eorum, quae in terris gerebantur. Ergo in illos non potuit collocari fiducia. 4. Per Moysen intelligitur *doctrina Mosaica*, hoc est per Moysen Israëlitico populo promulgata, ut patet ex eo, quod jubentur *credere Moysi*, hoc est fidem adhibere ipsius doctrinae in libris Mosaicis traditae v. 46. quo sensu etiam divitis epulonis fratres jubentur *audire Moysen* Luc. 16, v. 29. in scriptis scilicet suis ad eos loquentem. Justinus in quaest. et resp. ad orthod. q. 134: *Quomodo in multis locis divinae Scripturae lex non lex, sed legislator Moyses dicitur? Responsio: Mos est non tantum hominibus, sed etiam divinis literis, nomine auctoris, qui aliquid dixit aut scripsit, orationem aut scripturam appellare, cujus ea sit indicandi gratia.* Origenes in Num. homil. 12: *Ad fidem Christianos convocat lex. Ipse enim dicit, quia Moyses de me scripsit. Moysen autem legem accipi debere saepe*

XVIII. 85. Argumenta pro affirmante quaestionis parte. 1. Joh. 5, v. 44: Judaei sperarunt in Moyse.

*ostendimus.* Basilius lib. de S. S. cap. 14. *Consuetudo Scripturae Moysis nomine etiam significare legem, velut illic, habent Moysen et prophetas.* Cyrillus Alexand. lib. 3. in Joh. c. 8. *etiam ceteris omnibus silentibus solam Moysis legem ad condemnationem non credentium in se Judaeorum sufficere* asserit. Eodem modo exponunt Cajetanus et Toletus in comm. hoc loco. 5. Sperabant ergo Judaei in Moysen, non quod in personam Moysis defuncti spem et fiduciam suam collocarent, sed quod sperabant, se per ipsius doctrinam salutem consecuturos, si vel maxime non crederent in hunc Jesum Nazarenum nec eum pro Messia acceptarent. Maldonatus in comm. hoc loco: *An hoc reprehendendo dicat, quod in Moyse spem haberent, non abs re potest dubitari. Leontius quidem valde probabiliter existimat, esse reprehensionem, debuisse enim Moysi quidem credere, sperare autem non in illo, sed in Deo debuisse, contra vero illi faciebant, Moysi non credebant et in illo sperabant. Quemadmodum ergo antea eos reprehendens dixit: Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere, ita nunc dicit de Moyse, in quo vos speratis, ut Euthymius observavit, unde colligitur, Moysen hoc loco Scripturam Moysis appellari, in qua dicuntur spem suam positam habuisse, quia existimabant, se ceremoniarum et legalium mandatorum observatione vitam aeternam consecuturos.* Haec Maldonatus falsa veris admiscens. Verum est, quod Christus Judaeos reprehendat ob praeposteram illam spem in Moysen sive doctrinam Moysis, falsum vero, quod reprehensionis species sit, quando in praecedentibus dicit Christus *scrutamini Scripturas.*

2. Philem. v. 4: Audiens caritatem tuam et fidem, quam habes in XVIII. 86. Jesu et ad omnes sanctos.

368. 2. Philem. v. 4: *Gratias ago Deo meo semper memoriam tui faciens in orationibus meis,* v. 5. *audiens caritatem tuam et fidem, quam habes in Dominum Jesum et ad omnes sanctos. In quem locum Hieronymus prolixe ostendit, etiam in sanctos haberi debere fidem.* Bellarminus d. l. Respondemus: 1. Paulus loquitur de sanctis *in his terris adhuc viventibus*, ut patet ex subjecta ἐξηγήσει v. 7. *gaudium magnum habui et consolationem in caritate tua, quia viscera sanctorum requieverunt per te frater.* Sed hoc loco quaestio est de sanctis defunctis. 2. Trajectio in textu apostolico ita explicanda, ut objectum fidei statuatur Christus, caritatis vero sancti, qualis χιασμός etiam occurrit Matth. 12, v. 22. ὥστε τὸν τυφλὸν καὶ κωφὸν καὶ λαλεῖν καὶ βλέπειν. (Quod probamus sequentibus fundamentis. Primo, *ex subjecta explicatione.* v. 6: *Ut communicatio fidei tuae efficax fiat in agnitione omnis boni in vobis in Christum Jesum,* v. 7. *gaudium enim magnum habui et consolationem in caritate tua, quia viscera sanctorum requieverunt per te.* Hic fides diserte ad Christum, caritas ad sanctos refertur. Secundo, *ex ipsa phrasi.* Fidei adhibetur praepositio πρός et appellatur *fides ad Christum*, qua ad Christum pervenimus et ipsi adhaerescimus, dilectioni autem additur praepositio εἰς, est enim *dilectio erga sanctos.* **Quodsi *fidem* ad ipsos *sanctos* referas, nequaquam intelligi oportet fidem primae sed secundae tabulae decalogi, quam dicas *fidem caritatis* ex Luthero in cap. 5. ad Galatas p. 419. ad illa verba *ego confido de vobis in Domino.*** Tertio, *ex locis parallelis.* Ephes. 1, v. 15: *Cum audissem eam, quae in vobis est fidem in Domino Jesu et caritatem in omnes sanctos.* Coloss. 1, v. 4: *Audientes fidem vestram in Christo Jesu et dilectionem, quam habetis in omnes sanctos.* Quarto, *ex textu Syriaco*, qui trajectione illa sublata l. h. sic vertit: *Inde ex quo audivi fidem tuam et caritatem, quae est tibi erga Dominum nostrum Jeschua et erga omnes sanctos.* Quinto, *ex scopo apostolico.* Quae foret consequentiae ratio, si Paulus Philemonem rogaturus, ut Onesimum reciperet, adduxisset hanc rationem, quia Philemon credat in sanctos defunctos; quin potius sic concludit. Quia Philemon sanctis in terra viventibus caritatis officia praestat, ideo quoque Onesimo fideli et sancto eandem non debet denegare. Sexto, *ex unanimi interpretum consensu.* Ita namque exponunt Chrysostomus, Primasius, Sedulius, Dionysius Carthusianus, Cajetanus. **Bened. Justin. in hoc. loco p. 595: *Qui hoc loco de cultu et veneratione sanctorum contra haereticos disserunt, plane ludunt extra chorum. De iis enim sanctis loquitur, quorum viscera ait non multo post per Philemonem requievisse, intelligens beneficentiam et liberalitatem in fideles, qui propter fidem et sacramenta non semel a Paulo sancti appellantur.***) 3. Frustra provocat Bellarminus ad Hieronymi commentarium, quia Hieronymus loquitur de fide, quatenus est notitia et assensus, non autem quatenus es fiducia, atque eo duntaxat modo fidem sanctis competere docet, quod credendum sit doctrinae, quam Dei nomine et mandato nobis proposuerunt, id quod a nobis minime negatur. *Ad expositionem hujus loci* (inquit) *de Exodo sumamus exemplum. Credidit populus Deo et Moysi servo ejus. Una atque eadem credulitas in Moysen refertur et in Deum, ut populus, qui credebat in Dominum, aeque credidisse dicatur in servum. Hoc autem non solum in Moyse, sed in omnibus sanctis ejus est, ut quicunque credidit Deo, aliter fidem ejus recipere non queat, nisi credat et in sanctos ejus. Non est enim in Deum perfecta dilectio et fides, quae in ministros ejus odio et infidelitate tenuatur. Quod autem dico, tale est. Credit quispiam in conditorem Deum, non potest credere, nisi prius crediderit, de sanctis ejus vera esse, quae scripta sunt: Adam a Deo plasmatum, Evam ex costa illius et latere fabricatam, Enoch translatum* etc. *Haec et cetera quae de sanctis scripta sunt, nisi quis universa crediderit, in Deum sanctorum credere non valebit, nec adduci ad fidem V. T. nisi quaecunque de patriarchis et prophetis et aliis insignibus viris narrat historia, vera comprobarit, ut ex fide legis ad fidem veniat evangelii, et justitia Dei in eo reveletur ex fide in fidem.* Confer haec cum scopo,

ad quem Bellarminus Hieronymi sententiam accommodat, et habebis exemplum candoris Jesuitici in adducendis et applicandis patrum dictis.

A pari. licet in edici- IIII. 87. a spem illo- ure.

369. *3. Etiam in medico et medicinis ac in rebus aliis creatis spem aliquam citra Dei injuriam tanquam in media, per quae Deus sit efficax, collocare licet. Liberi parentum suorum tutelae, subditi principum fidei salutem suam committunt absque ulla Dei offensa, quidni ergo etiam in sanctos fiduciam et spem liceret collocare?* Respondemus: aliud est mediis divinitus ordinatis in vero Dei timore uti et prosperum eorum successum a Deo exspectare; aliud fiduciam soli Deo debitam et honorem soli Deo competentem ad creaturas transferre. Prius probamus, posterius detestamur. Medicina, tutela principum, cura parentum etc. nituntur divina ordinatione et habent Dei mandatum. At quae Scriptura asserit, sanctos inter Deum et nos esse constitutos mediatores, ita ut illorum opera preces nostrae ad Deum adscendant et per illorum manus beneficia a Deo petita ad nos descendant? quae Scriptura fiduciam cordis in sanctos collocare jubet? Ne ab ipso quidem Deo sperare vel petere quidquam licet, quod non ipse a se sperandum ac petendum esse verbo suo significavit. Quodsi ergo a Deo nihil sperandum, nihil petendum, nisi quod a se sperari ac rogari jussit, quomodo animi fiduciam in sanctos collocare et bona a solo Deo exspectanda ab ipsis petere integrum erit, cum in Scriptura, divinae voluntatis internuntia, illud nuspiam sit mandatum? Brentius distinguit *inter confidere in hominem et de homine bene sperare*, illud infidelitatis est, hoc caritatis.

.7. An cti sint candi. pli- io ub- il.

370. Quaeritur 7. *An sancti sint invocandi?* Ut status quaestionis recte intelligatur, explicanda sunt ipsius tum *subjectum*, tum *praedicatum*. Subjectum est *sancti*. Nomen sanctorum in Scripturis accipitur de *sanctis* tum *viventibus*, tum *mortuis* sive defunctis. De *viventibus* usurpatur 1. *γενικῶς* ac *generaliter* pro omnibus illis, qui ad consortium ecclesiae vocati religionem Christianam profitentur, verbum audiunt, sacramentis utuntur et in visibilis ecclesiae coetu locum obtinent, sive sint vere pii et renati, sive hypocritae vera et interna sanctitate destituti. Act. 9, v. 32. sic Paulus ad integras ecclesias scribens *vocatis sanctis* sese scribere asserit Rom. 1, v. 7. 1. Cor. 1, v. 2. 2. Cor. 1, v. 1. Eph. 1, v. 1. Philip. 1, v. 1. Coloss. 1, v. 1. etc. cum tamen constet ex illis ipsis epistolis, quosdam in ecclesiarum illarum coetibus fuisse non sanctos, si ad internam cordis sanctitatem respectus habeatur. Dicuntur ergo sancti *vel respectu sanctae vocationis*, qua ad ecclesiae consortium per evangelii praedicationem sunt vocati *vocatione sancta* 2. Tim. 1, v. 9. et *respectu finis*, quia Deus *non ad immunditiem sed ad sanctificationem eos vocavit* 1. Thess. 4, v. 2. vel quia in hac appellatione est *synecdoche*, per quam toti ecclesiae coetui tribuitur, quod parti duntaxat competit. Hieronymus in c. 1. Gal.: *Interdum Scriptura tribuit toti ecclesiae, id quod est proprium perfectorum, ut carere macula et ruga, interdum id quod est proprium imperfectorum, ut peccare et correptione indigere* etc. 2. *εἰδικῶς* ac *specialiter* pro illis, qui non tantum vocati sunt vocatione sancta, sed etiam vocationi promtum exhibentes obsequium, per fidem et Spiritum s. interius sanctificantur Act. 26, v. 18. 1. Cor. 6, v. 11. Qui sancti sunt, tum *imputative* per Christi justitiam fide ipsis imputatam, quo respectu Christus *dicitur ipsis factus sanctificatio* XVIII. 88.
1. Cor. 1, v. 30. tum *inchoative*, quatenus *Deo serviunt in justitia et sanctitate* Luc. 1, v. 75. quorum tamen iterum est quaedam differentia. Quidam enim in illa sanctitate ad finem usque vitae perseverant, qui proprie dicuntur *electi;* quidam vero ab ea iterum excidunt, qui proprie non dicuntur electi, sed *renati*. Hujus posterioris significationis exempla in Scripturis passim occurrunt. Psalm. 4, v. 4: *Mirificat Dominus sanctos suos.* Psalm. 16, v. 3: *Sanctis, qui sunt in terra, et praestantibus, in quibus est omne beneplacitum meum* etc. Improbamus igitur, quod Salmeron. disp. 10. in ep. Rom. tom. 13. pag. 304. scribit: *Neminem dum vivit, audemus vocare sanctum, nisi cum pervenerit ad gloriae aeternae portum ac sanctae et inculpatae vitae certa et clara reliquerit testimonia.* (Cum pontificem vocent *sanctissimum.)* De sanctis *defunctis* sive mortuis, qui non amplius militantis sed triumphantis ecclesiae cives sunt usurpatur haec, denominatio Matth. 27, v. 52: *Egressa sunt e sepulcris corpora multa sanctorum, qui dormierunt.* Luc. 1, v. 70: *Sicut locutus est per os sanctorum, qui a seculo sunt, prophetarum.* 1. Thess. 3, v. 13: *In adventu Domini cum omnibus sanctis ejus.* Epist. Jud. v. 14: *Ecce venit Dominus cum multis sanctorum millibus, facere judicium.* Utraque significatio conjungitur 1. Cor. 6, v. 2. Ephes. 1, v. 18. cap. 2, v. 19. 2. Thess. 1, v. 10. In hac quaestione nomen sanctorum usurpatur in significatione posteriore *de sanctis, scilicet defunctis, qui cursum suum consummarunt* 2. Tim. 4, v. 7. et gratuitum sanctitatis praemium, *coronam scilicet justitiae*, ex parte acceperunt v. 8. Vocantur hi sancti *defuncti*, non quod plane sint exstincti ac in nihilum redacti, nec amplius cum Deo vivant, quo sensu olim Julianus apud Cyrillum lib. 6. cont. Julian. et hodie Photiniani hoc nomen accipiunt, sed tum *διακριτικῶς*, ut discernantur a sanctis in hac vita adhuc degentibus ac militantibus; tum *σχετικῶς*, respectu habito ad vitam animalem, a qua ad spiritualem et coelestem discesserunt, quo sensu ipsa Scriptura sanctos cum Christo viventes vocat *mortuos* Apoc. 14, v. 13. 1. Thess. 4, v. 10. Rom. 14, v. 8. et 9. qua nomenclatura etiam patres utuntur, Chrysostomus homil. 66. ad Antioch. Augustinus lib. 22. de civit. Dei cap. 10. lib. de vera religione cap. 55.

371. Circa subjectum quaestionis notandum etiam illud, 1. quod quidam Pontificii nomine sanctorum a nobis invocandorum intelligant non solum sanctos

cum Christo in coelo viventes et triumphantes, sed etiam eos, qui in purgatorio adhuc desudant. Emanuel Saa in aphorismis p. 302: *Possunt orari etiam animae, quae sunt in purgatorio*, sed hoc non probatur reliquis Pontificiis. Thomas 2. 2. q. 83. art. 11. resp. ad 3. negat, *animas in purgatorio pro nobis orare* (at si pro nobis non orant, utique nec debent adorari a nobis). Bellarminus lib. 2. de purg. c. 15. §. Quod autem, Thomae contradicens, *non est*, ait, *incredibile*, *etiam animas purgatorii pro nobis orare et impetrare*, interim negat, eas a nobis esse invocandas, sic enim subjungit: *Videtur superfluum ab animabus in purgatorio petere*, *ut pro nobis orent*, *quia non possunt ordinarie cognoscere, quid agamus in particulari*, *sed solum sciunt in genere, nos in multis periculis versari*, *sicut nos de illis in genere scimus*, *eas valde torqueri*, *nam nec rebus nostris intersunt*, *nec in Deo orationes nostras vident*, *nec est verisimile*, *eis revelari ordinarie*, *quid agamus vel petamus*, qua de re supra in quaest. de purgat. dictum fuit plenius §. 223. 2. Quod quidam Pontificiorum per sanctos a nobis
XVIII. 89. invocandos intelligant tantum *sanctos N. T.* non autem eos, qui ante Christi ad inferos descensum in limbum fuere relegati. 3. Quod nomen sanctorum non prius tribuendum mortuis nec eos publice in precibus invocandos esse arbitrentur, quam sint a pontifice canonizati, hoc est in numerum divorum relati. Antoninus part. 3. summ. tit. 12. cap. 18. Joh. Driedo lib. 4. de eccles. dogmat. c. 1. Troilus Malvezius lib. de canoniz. sanct. Melch. Canus l. 5. locor. c. penult. Bellarminus lib. 1. de beat. sanct. c. 7. et seqq.

2. Praedicati. 372. *Praedicatum* est, an sint invocandi. Ubi nota 1. non esse quaestionem de sanctis *honorandis*, sed invocandis. *Si Deus honorat sanctos*, scribit Eccius in enchir. c. 15. *cur nos non honoremus sanctos?* Atqui non negamus, sanctos esse honorandos, cum ipsa Scriptura honorem sanctorum probet. Psalm. 112, v. 6: *In memoria aeterna erit justus.* Prov. 10, v. 7: *Memoria justi erit in benedictione.* Sir. 45, v. 1: *Cujus memoria est in benedictione.* cap. 46, v. 14: *Sit memoria illorum in benedictione.* Sap. 4, v. 1: *Immortalis est memoria ejus*, *quoniam et apud Deum nota est et apud homines.* Marc. 14, v. 9: *Ubicunque praedicabitur evangelium in universo mundo*, *etiam hoc*, *quod fecit haec mulier*, *narrabitur in memoriam ejus.* Luc. 1, v. 48. ait Maria: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Galat. 1, v. 24: *In me glorificabant Deum.* Quis vero et qualis debeat esse honor, quem sanctis deferimus, non est definiendum ex nostrae rationis arbitrio, 1. quia non quilibet cultus ex opinione venerationis sanctis delatus ipsis placet,ut constat ex Act. 10, v. 26. ubi Cornelius procidens ad pedes Petri, ut eum adoraret, erigitur a Petro additis hisce verbis: *Surge*, *et ego ipse homo sum.* Act. 14, v. 15. cum Iconienses Paulo et Barnabae sacrificia vellent offerre, audiunt ab illis: *Viri quid haec facitis? et nos mortales sumus similes vobis homines.* Apoc. 19, v. 9. cum Johannes procideret ad pedes angeli secum loquentis, ut eum adoraret, accipit hoc responsi: *Vide*, *ne feceris*, *conservus tuus sum et fratrum tuorum habentium testimonium Jesu*, *Deum adora.* Apoc. 22, v. 8. cum Johannes recidivam pateretur et susque deque habita angeli dehortatione denuo cultum adorationis ipsi deferret, eadem prohibitio repetitur. 2. Quia ut fidei, ita quoque cultus Deo grati unica norma ac regula est Dei verbum. 3. Quia non probantur Deo ἐθελοθρησκείαι ex bona intentione praeter et extra verbum susceptae, ut suo loco plenius probatur. Sed ex Scriptura unice petendum, qualis honor sanctis sit tribuendus. Eam vero Scripturae sententiam de honore sanctis deferendo apologia confessionis Augustanae ad tria potissimum capita revocat. Primum respicit *Deum*, ut is in sanctis glorificetur Gal. 1, v. 24.

*Quos cum laudamus, laus ea tota Dei est,*

ut Poëta canit. Ut enim omnium reliquorum bonorum ac donorum, ita quoque eorum, quae in sanctis conspiciuntur, auctor ac fons est ipse Deus, πάντων δωτὴρ ἐάων, Jac. 1, v. 17. Ergo in praeclaris et eximiis illis donis, quae sanctis sunt collata, agnoscenda et praedicanda est *Dei bonitas et misericordia*, *qui dat dona hominibus ad aedificationem corporis Christi mystici*, quod est ecclesia, Ephes. 4, v. 8. et seqq. *qui distribuit singulis ut vult* 1. Cor. 12, v. 11. *qui dat omnibus affluenter* Jac. 1, v. 5. etc. in lapsibus sanctorum et eorundem conversione itidem Dei φιλανθρωπία, μακροθυμία *et misericordia* est agnoscenda docente apostolo 1. Tim. 1, v. 15. et 16. *quod Deus manum illis supposuerit*, *ne colliderentur* Psalm. 37, v. 24. quod redeuntes ad se *non ejecerit foras* Joh. 6, v. 37. etc. XVIII.
in laboribus et operibus sanctorum agnoscenda mirabilis *Dei gubernatio et dispensatio* ac πολυποίκιλος ejus *sapientia* in ecclesia conservanda et gubernanda Ephes. 3, v. 10. in afflictionibus, persecutionibus et martyriis sanctorum agnoscenda est *Dei potentia*, quae *in hominum infirmitate perficitur* 2. Cor. 12, v. 9. cumprimis vero *doctrinae coelestis*, quam praedicarunt ac professi sunt, *confirmatio*, quippe quam non dubitarint suo sanguine obsignare, quo respectu sanctorum morte *Deus* dicitur *glorificari* Johan. 21, v. 19. in aeterna sanctorum beatitudine et gloria conspicitur *Dei justitia* 2. Thess. 1, v. 5. *quod non obliviscatur operis et dilectionis*, *quam ostenderunt sancti* Hebr. 6, v. 10. *Dei misericordia ac bonitas*, *quod coronam justitiae tribuat se diligentibus* 2. Tim. 4, v. 7. *et pro momentaneo ac levi tribulationis aeternum pondus gloriae retribuat* 2. Cor. 4, v. 17. *Dei veritas*, quod promissam retributionem largissime conferat etc. 2. Thess. 1, v. 10: *Cum venerit Christus glorificari in sanctis suis.* Augustinus lib. 3. contra duas epist. Pelag. cap. 8: *Omnes sancti*, *sive ab illo antiquo Abel usque ad Johannem Baptistam*, *sive ab ipsis apostolis usque ad*

*hoc tempus et deinceps usque ad terminum seculi, in Domino laudandi sunt non in se ipsis, quia et illorum anteriorum vox est: In Domino laetabitur anima mea, et istorum posteriorum vox est: Gratia Dei sumus id quod sumus.* Alterum respicit *sanctos,* ut dona Dei reverenter in ipsis agnoscantur et debitis modis amplificentur, quin et sancti ipsi laudentur, quod donis illis fideliter fuerint usi ad divini nominis gloriam et ecclesiae salutem et aedificationem, quo fine David Psalm. 105. et Psalm. 106. Siracides cap. 44. 45. 46. 47. 48. 49. et 50. Stephanus Actor. 7. Paulus Hebr. 11. prolixum sanctorum V. T. catalogum recensent. Tertium respicit *nos ipsos,* ut doctrinam, fidem, spem, caritatem, mansuetudinem, patientiam et reliquas sanctorum virtutes pro modo ac modulo nostrae vocationis imitemur. Hebr. 13, v. 7: *Mementote praepositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Domini, quorum intuentes exitum conversationis imitemini fidem.* Philip. 3, v. 17: *Imitatores mei estote fratres et observate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nos.* 1. Petr. 3, v. 6: *Sara obediebat Abrahae, dominum eum vocans, cujus estis filiae benefacientes* etc. Confer Rom. 4, v. 12. 1. Cor. 4, v. 16. cap. 11, v. 1. 1. Thess. 1, v. 6. 2. Thess. 3, v. 9. 1. Tim. 4, v. 12. Hebr. c. 6, v. 12. Hanc imitationem pertinere ad gloriam sanctorum, colligitur ex Philipp. cap. 2, v. 15: *Lucetis in medio nationis pravae sicut luminaria,* v. 16. *verbum vita continentes ad gloriam meam in die Christi* etc. Basilius sermon. in Gordium martyrem: *Ut ex igne naturaliter emicat splendor, ex unguento quoque praestanti diffunditur odor, sic e sanctorum commemoratione gestorum ad omnes provenit utilitas,* Idem homil. in 40. Martyres: *Is qui generosos viros amore complectitur in similibus temporibus, imitatione inferior non erit. Lauda ingenue eum, qui martyrium pertulit, quo fias martyr voluntate et decedas citra persecutionem, citra ignem, citra flagella, eadem cum illo mercede dignus factus* etc. *Hoc est martyrum encomium, exhortatio nimirum congregatorum ad virtutem.* Chrysostomus homil. 44. in Gen.: *Bona opera agendo memoriam nostri relinquamus, ut cum hinc migraverimus, vitae nostrae diligens et accurata conversatio sit monimentum et doctrina omnibus, qui in nos spectant.* Ex quibus omnibus manifestum est, non denegari a nobis sanctis vel viventibus, vel defunctis honorem, quem ipsa Scriptura eis tribuit ac tribuendum
XVIII. 91. esse ostendit, proinde etiam non esse quaestionis statum, *an sancti defuncti sint honorandi,* honorandos enim esse sanctos concedimus, invocandos vero esse negamus, qua de re sic loquitur Augustinus confess. art. 21: *De cultu sanctorum docent* (ecclesiae nostrae), *quod memoria sanctorum proponi potest, ut imitemur fidem eorum et bona opera, juxta vocationem, ut Caesar potest imitari exemplum Davidis in bello gerendo ad depellendos Turcas a patria, nam uterque rex est.* Hoc ipsum latius declarat Apologia sequentibus verbis: *Confessio nostra probat honores sanctorum, nam hic triplex honor probandus est. Primus est gratiarum actio* (Dei celebratio), *debemus enim Deo gratias agere, quod ostenderit exempla misericordiae, quod significarit, se velle salvare homines, quod dederit doctores aut alia dona ecclesiae. Et haec dona ut sunt maxima, ita amplificanda sunt et laudandi ipsi sancti, quod his donis fideliter sint usi, sicut Christus laudat fideles negotiatores. Secundus cultus est confirmatio fidei nostrae, cum videmus, Petro condonari negationem, erigimur et nos, ut magis credamus, quod vere gratia exuberet supra peccatum. Tertius honos est imitatio primum fidei, deinde ceterarum virtutum, quas imitari pro sua quisque vocatione debet.* Confessio Wirtembergica in c. de invoc. sanctor.: *Non est dubium, quin memoria eorum sanctorum, qui cum essent in hac corporali vita, ecclesiam vel doctrina, vel scriptis, vel miraculis, vel exemplis juverunt et sive martyrio testificati sunt veritatem evangelii, sive tranquillo mortis genere in Christo obdormierunt, debeat apud omnes pios sacrosancta esse et commendandi sint ecclesiae, ut doctrina et exemplis ipsorum in vera fide confirmemur et ad sectandam veram pietatem inflammemur.* Lutherus in post. in fer. Joh. Evang.: *Si rite docere plebem velimus, sic exempla sanctorum praedicari oportebit, ut in iis Deus magnificetur, nos vero invitemur ad similem Dei gratiam, opera eorum sic praedicari convenit, ut obedientia, qua suae vocationi inservierunt sancti et mandatis sibi operibus studuerunt, nobis commendetur.* **Confer tom. 4. Jen. Germ. pag. 344. tom. 6. pag. 446.**

373. Opponenda haec sunt *1. calumniae Pontificiorum,* qua ob negatam sanctorum invocationem ignominia eos afficere et debitum honorem illis detrahere dicimur. Andradius in defens. concil. Trid. scribere non erubuit, *nos cum Cajanis et Eunomianis docere nefariam contemtionem et sacrilegam despicientiam sanctorum, quorum spiritus apud Deum vivunt.* Possevinus calumniatur, *nobis non sapere articulum symboli apostolici de communione sanctorum ac proinde invocationi eorum nihil tribuere,* sic enim scribit in refut. respons. Chytraei p. 274: *Vos* (Lutherani), *quibus articulus symboli de communione sanctorum non sapit. Neque enim quid hoc sit, potest in animos ab ipsa communione ecclesiae abscissos cadere, mirandum non est, si animum avertistis ab invocatione sanctorum, a quibus avertistis et fidem.* Hadr. Jung. in synopsi novi evang. p. 332. et seqq. scribit *Evangelicos dogmata Manichaea, Helvidiana, Joviniana, Vigilantiana pestifera spargere et detestabilia adversus virginem Deiparam adversus sanctos angelos, adversus sanctos patriarchas et alios V. T. sanctos, adversus Johannem Baptistam, adversus apostolos et evangelistas, adversus sanctos ecclesiae sanctae episcopos atque doctores, denique adversus sanctos omnes.* Salmeron. disp. 7. in 1. Tim. 2. tom. 15. p. 456. vocat nos *hagiomastigas, qui more gigantum coeli-*

*colis bellum indixerimus.* Bellarminus lib. 1. de beat. sanct. c. 11: *Fuit antiqua haeresis Eustachii, Eunomii, Vigilantii, Claudii Taurinensis et Wiclefi, sanctos non esse colendos, quae rursum per Lutheranos renovata est.* (Atqui non omnem, sed religiosum invocationis cultum sanctis denegamus.) Id. in praefat. lib. de triumph. eccles.: *Imitantur*
XVIII. 92. *Lutherani majores suos, Julianum, Vigilantium et quotquot tanquam nefaria bella contra sanctos gesserunt, eos omni honore spoliantes.* Ibid.: *Protestantes evomunt in omnes coelites horribiles blasphemias.* de beat. sanct. c. 13. §. Epiphanius: *Haeretici hodie nullum honorem S. Mariae deferunt.* Sed has ac similes calumnias jampridem a nobis depulit Georg. Cassander in consult. art. 21: *Protestantes* (inquit) *triplicem honorem sanctorum probant, quorum primus est gratiarum actio, quod Deus eos tantis gratiis cumulabat, secundus ex eorum exemplis fidei confirmatio, tertius imitatio fidei et virtutum earumque honorifica commemoratio.* 2. Temerariis *Calvinianorum et Photinianorum* ausis, qui memoriam sanctorum ita excludunt ab ecclesia, ut neque res gestas ipsorum depictas aut sculptas in templis ferre possint, neque patiantur certis et statis anni temporibus ipsorum historias pro concione tractari et explicari. Danaeus in eth. Christ. lib. 2. cap. 2. catech. Racov. p. 152. et seqq.

374. 2. Non esse quaestionem *de sanctorum oratione pro nobis in genere facta*, an scilicet in genere pro nobis apud Deum intercedant, sed de invocatione ad sanctos directa, an propter generalem illam intercessionem a nobis invocandi sint. Non improbamus (ut superius etiam monuimus), si quis statuat, sanctos in genere orare pro ecclesia. Cum enim non sit verisimile, animas sanctorum ita securas, vel somno Epimenideo sopitas, vel gaudio perfusas esse, ut nesciant vel non cogitent, Christo ecclesiam in terris colligi eandemque multis afflictionibus ac persecutionibus adhuc obnoxiam esse, ideo pia est et bona cogitatio, probabiliter asserere, quod a Christo, cui in gloria praesentes sunt, boni aliquid ecclesiae petant, maxime cum sint unius ejusdemque corporis mystici membra, cujus caput est Christus Hebr. 12, v. 22. cum inter militantem et triumphantem ecclesiam vigeat communio sanctorum, cum caritas in vita aeterna non excidat, sed perficiatur, 1. Cor. 13, v. 8. Apologia Augustanae confess. in c. de invoc. sanct. p. 224: *Largimur, quod angeli orent pro nobis* etc. *De sanctis etiam concedimus, quod sicut vivi orent pro ecclesia universa in genere, ita in coelis orent pro ecclesia in genere, tametsi testimonium nullum de mortuis orantibus exstat in Scripturis praeter illud somnium sumtum ex libro Maccab. posteriore. Porro ut maxime pro ecclesia orent sancti, tamen non sequitur, quod sint invocandi.* In art. Schmalc. c. de invoc. sanct. p. 310: *Etsi angeli in coelis pro nobis orent et sancti in terris et fortassis etiam in coelis, tamen inde non sequitur, angelos et sanctos a nobis esse invocandos, adorandos, jejuniis, feriis, missis, oblationibus etc. honorandos.* Confessio Saxonia in c. 22. de invoc. hom. piorum qui ex hac vita discesserunt (in harm. conf. part. 2. p. 127.): *Non dubium est, beatos orare pro ecclesia, sed tamen inde non sequitur, invocandos esse.* Ib. additur, *ex colloquio Moysis et Eliae cum Christo colligi, beatis in coelo curae esse ecclesiam.* Confessio Wirtembergica in c. de invoc. sanct.: *Fatemur, quod sancti in coelis suo quodam modo pro nobis coram Deo orent, sicut et angeli pro nobis sunt soliciti et omnes creaturae pro salute nostra coelesti quodammodo ingemiscunt et nobiscum, quemadmodum Paulus loquitur, parturiunt* etc. Osiander in comm. Apoc. 5: *Ecclesiae triumphantis cives orant pro militante*, sed ex eo inferri nequit, quod particulares calamitates quorumvis piorum sub cruce laborantium et singulares circumstantias habeant cognitas; bene nobis cupiunt defuncti sancti διὰ συμπαθείας communi sensu, quem habent ex Dei verbo et propria experientia, sed ex eo inferri nequit, quod ἰδιοπάθειαν ac particularem calamitatum nostrarum sensum obtineant. XVIII. 93.
Quinimo (ait Chemnicius in exam. conc. Trid. in c. de invoc. sanct.) *cum in Scriptura canonica nullum expressum et perspicuum testimonium habeatur, quod probet, sanctos, qui ex hac vita discesserunt, pro ecclesia militante orare et intercedere, ideo nec illud pro necessario ac indubitato fidei articulo urgeri ac defendi potest.* Multo vero minus ex generali illa sanctorum notitia inferri potest, ipsos esse religiose invocandos. Quodsi enim sanctos adhuc in terris viventes et status nostri particularem notitiam habentes, ut et angelos sanctos, *qui circa nos sunt* Psalm. 34, v. 8. *qui in manibus nos portant* Psalm. 91, v. 11. *qui gaudent de peccatore poenitentiam agente* Luc. 15, v. 10. et alia ministeria plurima nobis praestant Hebr. 1, v. 14. religiose adorare non debemus; quanto minus defunctos sanctos, qui particularem illam rerum nostrarum notitiam minime obtinent, religiose invocare fas fuerit. Sed verum prius, ut patet ex Apocal. 19, v. 10. et c. 22, v. 9. ac infra plenius demonstrabitur. Ergo etiam posterius. Urgeo hoc in loco dissertationem Bellarmini libr. 2. de purg. c. 15. *Quamquam* (inquit) *animae in purgatorio pro nobis orent, tamen superfluum videtur ab eis ordinarie petere, ut pro nobis orent, quia non possunt ordinarie cognoscere, quid agamus in particulari, sed solum in genere sciunt, nos in multis periculis versari.*

375. 3. Non esse quaestionem *de nuda sanctorum nominatione*, quo sensu Hebr. קָרָא *vocavit, nominavit*, apud Hebraeos quandoque usurpatur. Nam 1. simplex alicujus nominatio non est statim religiosa ejus invocatio. Pii Israëlitae in precibus suis nominarunt Abrahamum, Isaacum et Jacobum, quando Deum vocarunt *Deum Abrahami, Deum Isaaci et Deum Jacobi*, ac recordati sunt foederis, quod Deus cum majoribus ipsorum inierat, sed ex eo inferri nequit, quod Abrahamum, Isaacum et Jacobum invocaverint, quin potius contra pronuntiant, Esa.

63, v. 16: *Abraham nescit nos, Israël ignorat nos, tu autem Domine pater noster es.* 2. Invocare ex vi nominis est aliquem in auxilium vocare. Jam vero nominare aliquem non est statim in auxilium vocare. Ergo nominare aliquem non est statim eundem invocare. Constat autem, Pontificios invocationem sanctorum proprie sic dictam defendere. Ergo non nude et simpliciter eos nominari, sed etiam in auxilium vocari volunt. 3. In V. T. sanctorum invocationem nondum fuisse usitatam, vulgata Pontificiorum est hypothesis, quam ex eo probant, quod patriarchae V. T. descenderint in limbum. Jam vero pii Israëlitae V. T. in precibus suis nominarunt sanctos majores. Exod. 32, v. 13. orat Moyses: *Recordare Abraham et Isaac et Israël servorum tuorum*, non quod ipsos invocaverint, vel ad eorum merita confugerint, sed ut rationem foederis, quod cum Abrahamo, Isaaco et Jacobo Deus pepigerat, nimirum se posteritati ipsorum benefacturum, Deo in precibus suis proponerent seque promissionibus divinis ad patriarchas factis niti ostenderent, unde statim additur apud Moysen: *Recordare Abraham et Isaac* etc. *quibus jurasti per temet ipsum dicens: Multiplicabo semen vestrum sicut stellas coeli et universam terram hanc dabo semini vestro* etc. Illa vero promissio temporalis de multiplicatione posteritatis et concessione terrae Canaan inclusam habuit promissionem de Messia, propter quem et per quem reconciliationem cum Deo, remissionem peccatorum et necessariorum bonorum largitionem posteri a Deo petiverunt. Quare cum Israëlitae V. T. sanctos majores in precibus suis nominarint, nec tamen eosdem invocaverint, ex eo manifestum est, nominationem non esse invocationem.
XVIII. 94. Psalm. 132, v. 1. orat David: *Memento Domine David*, v. 2. *qui juravit votum Domino* etc. v. 10. *propter David servum tuum*, hoc est propter promissionem Davidi factam, *non avertas faciem Christi tui.* Es. 38, v. 3. orat Ezechias: *Memento quaeso Domine, quomodo ambulaverim coram te in veritate et in corde perfecto, et quod bonum est, in oculis tuis fecerim.* In hisce precibus David et Ezechias semetipsos nominant, neque tamen a semetipsis auxilium petunt, nec ad merita sua confugiunt, sed promissiones piis factas Deo proponunt, perinde ut Psalm. 27, v. 8. David loquitur: *Cor meum proponit tibi verbum tuum, quaerite faciem meam.* 4. Et quid multis? ipsimet Pontificii fatentur, se non tantum sanctos in precibus suis nominare, sed etiam ad ipsorum intercessionem, merita, opem et auxilium confugere, adeoque *suppliciter* et *religiose* eos invocare.

376. 4. Non esse quaestionem *de nuda sanctorum praedicatione*, quo sensu Hebr. קָרָא itidem quandoque usurpatur pro *praedicavit*, *concionatus est.* Nam 1. libenter concedimus, memoriam sanctorum defunctorum de Christi ecclesia bene meritorum esse reverentur conservandam, Hebr. 13, v. 7: *Mementote praepositorum vestrorum;* concedimus, dona, labores, martyria etc. sanctorum esse praedicanda, sanctos ipsos esse laudandos, quod donis suis fideliter fuerint usi, cumprimis vero doctrinam, quam proposuerunt et sanguine suo obsignarunt, esse propagandam, sed ex eo nondum sequitur, sanctos religiose esse invocandos. Augustana confessio art. 21. concedit, *quod memoria sanctorum in ecclesia proponi possit, ut imitemur fidem eorum et bona opera juxta vocationem.* Sed Caesar Carolus et principes Pontificii hunc articulum repudiarunt. *Hic articulus*, inquiunt, *confessionis toties damnatus penitus rejiciendus est et cum tota universali ecclesia orthodoxa reprobandus.* 3. Praedicatio sanctorum, qua doctrina et opera ipsorum commendantur atque ad imitationem aliis proponuntur, locum habere potest, si vel maxime ad eorum opem et auxilium per religiosam invocationem non confugiamus nec ipsorum meritis in precibus nostris nitamur, ut ex praxi ecclesiarum nostrarum constat. Jam vero Pontificii ad merita et auxilium sanctorum jubent confugere. Ergo ultra et praeter sanctorum praedicationem aliquid aliud requirunt, videlicet religiosam eorum invocationem.

377. 5. Non esse quaestionem *de nuda sanctorum compellatione*, quia sancti moneantur et invitentur, ut pro ecclesia in terris adhuc militante orent, quo modo a piis in his terris viventibus vel coram, vel per literas petimus, ut pro nobis apud Deum intercedant, suas preces nostris conjungant iisdemque salutem nostram fideliter commendent, quam vivorum compellationem quidam in significatione perquam lata, impropria et Scripturis inusitata *invocationem* appellant. (Dico *lata et impropria*, quia invocare Deum proprie est religioso cordis affectu eum in se, in auxilium, imo in cor suum vocare, ut pii veteres testantur, Hieronymus vel potius Beda in prov. lib. 1. cap. 2. Augustinus lib. 1. conf. cap. 2. id quod de sanctis dici nequit. Dico *Scripturis inusitata*, quia verbum invocandi nuspiam pro viventium compellatione accipitur, nisi forte quis huc referat locum Es. 34, v. 12: *Regem potius invocabunt*, ubi tamen in malam partem accipitur.) Quamvis enim nec hanc defunctorum sanctorum compellationem simpliciter probemus, cum illi non amplius ut sancti in terris adhuc viventes rebus nostris intersint, nec de tali compellatione defunctorum sanctorum praeceptum vel promissio pel probatum exemplum exstet, XVIII. 95.
cumque periculum subsit, ne ex tali compellatione absentium ad religiosam eorundem invocationem fiat progressus; tamen ex praxi et confessione Pontificiorum constat, eos non esse tali sanctorum compellatione contentos, sed *religiose* et *suppliciter* eosdem invocare, *cultum adorationis* ipsis tribuere, ad eorum non tantum *intercessionem*, sed etiam *merita*, *opera et auxilium* confugere, in ipsos *spem et fiduciam cordis sui collocare*, ipsis *vovere*, per *eos jurare*, *beneficiorum corporalium et spiritualium datores constituere*, *altaribus*, *missis*, *feriis*, *peregrinationibus* etc. *colere*, ut ex antitheseos Pontificiae descriptione inferius apparebit.

378. 6. Denique non esse quaestionem *de coelesti*

*sanctorum gloria et beatitudine*, an scilicet ipsorum animae somno oppressae ante diem judicii otiosae torpeant, an vero coelesti gloria et beatitudine cum Christo in coelis perfruantur. Pontificii quidem ex eo, quod sanctorum invocationem negamus, inferunt, nos ψυχοπαννυχίαν defendere, animas sanctorum a coelestis gloriae consortio et beatifica Dei visione excludere, unde Bellarminus lib. 1. de beat. sanct. c. 1. Friderici Staphyli calumniam repetit, *quod Lutherus in praelectionibus super Genesin statuerit, animas omnes sanctorum usque ad ultimum diem judicii servari in quibusdam abditis receptaculis, ubi nec Deum videant, nec beatae dici possint, nisi in spe.* Sed et Luthero et nobis luculentam faciunt injuriam, ut ex illis, quae superius de animarum sanctarum post mortem statu et conditione disputata sunt, patere potest. Nos beatitudinem sanctorum etiam ante diem judicii minime negamus, sed ex ea invocationem eorum religiosam elici posse inficias imus. Viderint autem Pontificii, quomodo Johannem XXII. pontificem Romanum a ψυχοπαννυχίας dogmate liberare possint, cum is publice docuerit, declaraverit et ab omnibus teneri mandaverit, *quod animae purgatae ante finale judicium non habeant stolam, quae est clara et facialis Dei visio, ut ex Occamo, Gersone, Marsilio* etc. docuimus superius.

Sanctos religiose invocari non permittit 1. conditio Dei.

379. Hisce de vero quaestionis statu praemissis contra invocationem sanctorum argumenta nostra producimus, generalem hunc syllogismum proponentes. Quidquid 1. nec *Dei*, 2. nec *Christi*, 3. nec *sanctorum*, 4. nec *invocationis religiosae* conditio permittit, illud in ecclesia approbari minime debet. Jam vero sanctos invocari 1. nec *Dei*, 2. nec *Christi*, 3. nec *sanctorum*, 4. nec *ipsius religiosae invocationis* conditio permittit. Ergo sanctorum invocatio in ecclesia approbari minime debet. De majore nulla potest esse dubitatio. Minor per singula membra est demonstranda. Primum membrum assumtionis sic habet, quod conditio Dei non permittat, sanctos religiose invocari. Illud demonstramus hoc argumento. Quodcunque uni et soli vero Deo competit, illud sanctis non potest nec debet deferri juxta evidens Jehovae effatum Es. 42, v. 8: *Ego Dominus, hoc est nomen meum, gloriam meam alteri non dabo,* quod repetitur cap. 48, v. 11. Jam vero cultus religiosae invocationis uni et soli vero Deo competit. Ergo cultus religiosae invocationis sanctis non potest nec debet deferri. Minoris notanda *1. explicatio, 2. confirmatio.* Circa explicationem notandum, quando dicimus, cultum religiosae invocationis uni et soli vero Deo competere, tum 1. non excludi *Filium et Spiritum s.* quippe qui cum Patre sunt unius essentiae, aequalis potestatis et
XVIII. 96. gloriae. Ut ergo non excluduntur a divinitate, ita quoque non excluduntur ab adorationis honore. 2. Nec excludi *humanam Christi naturam,* ea enim cum sit λόγῳ secundae deitatis personae unita et ad Dei dextram in thronum gloriae collocata, ideo a religiosae adorationis objecto excludi nequit, ut alibi latius demonstratur. 3. Sed excludi ab objecto adorationis omne, quod non est Deus per essentiam nec Deo personaliter unitum. Quare cum defuncti sancti nec sint Deus per essentiam, nec Deo personaliter uniti, consequens est, quod non minus quam reliquae creaturae a religiosae adorationis objecto exclusi intelligantur. Minorem negat Pistorius in hodeg. p. 280. sic scribens: *Nuspiam in tota Scriptura praeceptum, ut solum Deum adoremus vel invocemus*, sed confirmatio ejusdem depromi potest, *1. ex manifestis et perspicuis Scripturae dictis.* Deut. 6, v. 13. Matth. 4, v. 10: *Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies.* Psalm. 50, v. 15: *Invoca me in die tribulationis.* Esa. 55, v. 6: *Invocate Dominum, dum prope est.* Apoc. 14, v. 7: *Adorate eum, qui fecit coelum et terram. 2. Ex verbis mandati divini.* Exod. 20, v. 3. Deut. 5, v. 7: *Non habebis deos alienos coram me.* Qui cultum et honorem religiosae invocationis soli Deo debitum transfert ad peregrinum et extraneum objectum, introducit deos alienos et gloriam soli Deo propriam alteri tribuit. Probatur hoc ex c. 20. Exod. v. 3. postquam enim prohibuisset Dominus, *ne habeamus Deos alienos*, subjungit v. 4: *Non facies tibi sculptile* etc. *non adorabis nec coles ea*, eo ipso ostendens, quod adorationis cultus delatus ulli alicui objecto praeter et extra solum verum Deum introducat deos alienos et faciat ex illis, quibus defertur, deos alienos. *3. Ex descriptione objecti invocationis in Scripturis tradita.* Scriptura de invocatione sic docet, quod in precibus nostris compellare debeamus Deum unum in essentia et trinum in personis, Patrem scilicet, Filium ac Spiritum s. qui promisit, quod nos sit benigne exauditurus, quique potest nobis auxilari, cum sit omnipotens. De tali invocatione, quae ad hoc objectum dirigitur et ex fide proficiscitur, Scriptura testatur, quod sit vera, Deo grata et efficax, quod per eam impetrare possimus omnia, quae sunt ad hanc et futuram vitam necessaria. Nuspiam vero sanctos religiosae invocationis objectum statuit, quo ipso intelligendum relinquit, religiosam invocationem esse cultum soli Deo debitum. *4. Ex necessariis requisitis in objecto invocationis.* Qui a nobis religiose invocandus est, illum oportet esse omniscium, omnipotentem, omnipraesentem, scrutatorem cordium, ipsam sapientiam, veritatem et bonitatem, in quem fiducia cordis collocari possit. Jam vero solus Deus est omniscius, omnipotens, omnipraesens etc. ut in praecedentibus quaestionibus comprobatum. Ergo solus Deus est a nobis religiose invocandus, et per consequens religiosa invocatio uni et soli vero Deo competit. *5. Ex idololatriae accusatione* intentata omnibus illis, qui honorem et cultum religiosae invocationis ulli creaturae praeter et extra verum Deum tribuerunt. Deut. 17, v. 3: *Cum reperti fuerint, qui vadant et serviant Diis alienis et adorent eos, solem aut lunam aut omnem militiam coeli, quae non praecepi.* 2. Reg. 17, v. 33: *Cum Dominum colerent, diis quoque suis serviebant juxta consuetudinem gentium.* Rom. 1, v. 25: ἐλά-

*τρευσαν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα.* Gal. 4, v. 8: *Serviebatis iis, qui natura non sunt dii.* Quodsi ergo idololatrae merito censentur, qui honorem religiosae invocationis ulli creaturae praeter et extra Deum tribuunt, relinquitur, quod honor religiosae invocationis sit cultus soli Deo debitus, ac proinde immota persistit conclusio, quod hic honor defunctis sanctis non sit deferendus. *6. Ex veterum*
XVIII. 97. *probatione.* Pii veteres contra Arianos et Macedonianos disputantes Filium et Spiritum s. esse verum Deum, probant ex eo, quia religiose invocantur. Tertullianus vel potius Novatianus de Trin. cap. 14: *Si homo tantummodo Christus, cur homo in orationibus invocatur, cum invocatio hominis ad praestandam salutem inefficax judicetur?* Athanasius orat. 2. contra Arianos, *Christum esse verum Deum*, probat ex eo, *quia ejus auxilium in rebus afflictis invocatur.* Basilius lib. de Spiritu s. c. 22. *Spiritum s. esse verum Deum*, probat ex eo, *quia piorum preces ubique locorum exaudit.* At nisi invocatio esset cultus soli Deo debitus, argumentum hoc nihil omnino concluderet. *7. Ex tacita adversariorum confessione.* Bellarminus lib. 1. de Christo cap. 8. divinitatem Christi probat ex eo, *quod ecclesia in toto terrarum orbe Christum colat templis, aris, invocationibus, festis diebus.* Praesupponit igitur, hunc religiosum cultum nemini nisi soli vero Deo deberi. *8. Ex collatione.* Oblatio sacrificii est cultus soli Deo debitus ut concedunt Pontificii. Jam vero religiosa adoratio est species quaedam sacrificii ac sacrificii oblatio est realis quaedam invocatio et gratiarum actio, nec potest religiose adorari, cui non possit etiam sacrificium offerri. Ergo etiam religiosa invocatio est cultus soli Deo debitus. Assumtum probatur, quia uti prohibitum *alii immolare praeterquam Deo soli* Exod. 22, v. 20. ita quoque prohibitum est alium invocare praeterquam solum Deum Deut. 6, v. 13. quinimo invocatio est sacrificium quoddam internum et spirituale.

Exceptio Bellarm. I. disting. esse inter λατρείαν et δουλείαν.

380. Excipit Bellarminus lib. 1. de beat. sanctor. cap. 14. *si per cultum religionis intelligatur cultus latriae, sese fateri, quod sancti non debeant coli cultu religionis, ex eo vero inferri non posse, quod non sint ullo religionis cultu honorandi, cum praeter latriam et cultum civilem detur tertius quidam cultus, videlicet dulia, qui etiam sit religionis licet secundario, et hunc cultum deberi sanctis.* De hoc latriae et duliae discrimine in praeced. cap. 12. latius ex Scholasticis sic disserit. *Notandum*, inquit, *adorationem tres actus complecti. Primo actum intellectus, quo apprehendimus excellentiam alicujus; secundo actum voluntatis, quo nos illi interius inclinamur et aliquid volumus facere actu interiore vel exteriore, quo protestemur ejus excellentiam et nostram subjectionem; tertio actum exteriorem, quo caput inclinamus vel genuflectimus vel aliquid aliud signum subjectionis ostendimus. 2. Tot esse species adorationis sive cultus, quot sunt species excellentiae, honor enim sive cultus debetur personae propter excellentiam. Jam vero tres sunt species excellentiae. Prima est excellentia divina et infinita, cui respondet prima species cultus, quae dicitur latria; secunda est excellentia humana seu naturalis, quae posita est in humanis virtutibus, dignitatibus etc. cui respondet secunda species cultus, quae dici potest cultus civilis et observantia quaedam humana; tertia est excellentia quaedam media inter divinam et humanam, qualis est gratia et gloria sanctorum; ista enim sunt dona supernaturalia et excellentissima, et huic excellentiae respondet tertia species cultus, quam theologi vocant duliam. Et quia inter sanctas creaturas humanitas Christi, si seorsim consideretur, singulariter excellit propter unionem ad Verbum, et similiter Virgo, ut mater Filii Dei, praestat aliis sanctis, ut dici possit regina et domina nostra, quod aliis sanctis non convenit, nisi admodum imperfecte, ideo theologi hanc tertiam speciem, quam vocant duliam, dividunt in duliam proprie dictam et hyperduliam, tribuentes illam sanctis ceteris, istam vero soli humanitati Christi et matri ejus.* Respondemus: 1. de vocabulis, 2. de re ipsa. Quod attinet voces *λατρείας* ac *δουλείας*,
monemus, 1. Bellarminum ipsummet fateri cap. 14. XVIII. 98.
§. 3. et §. 6. *secundum profanos auctores duliam et latriam idem significare.* 2. Suidam, Laur. Vallam, Ludov. Vivem in comm. lib. 10. August. de civ. Dei c. 1. atque alios linguarum peritissimos indifferentem horum vocabulorum usum non solum in profanis scriptoribus, sed etiam in Scripturis s. annotasse, quam observationem verissimam esse patebit ex sequentibus. Hebraeum עָבַד LXX reddiderunt modo per *δουλεύειν*, modo per *λατρεύειν*. Confer Deut. 6, v. 13: *αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις.* et 1. Sam. 7, v. 3: *δουλεύσατε αὐτῷ μόνῳ.* Sic 1. Sam. 12, v. 20: *δουλεύσατε τῷ κυρίῳ ἐν ὅλῃ καρδίᾳ.* et Deut. 10, v. 12: *λατρεύειν κυρίῳ τῷ θεῷ σου ἐξ ὅλης καρδίας.* Ut prohibentur Israëlitae *λατρεύειν θεοῖς ἑτέροις* Exod. 20, v. 5. Deut. 4, v. 19. ita quoque prohibentur *δουλεύειν θεοῖς ἑτέροις* Jerem. 22, v. 9. c. 35, v. 15. etc. ac Christus expresse dicit Matth. 6, v. 24. non potestis *θεῷ δουλεύειν καὶ μαμμωνᾷ.* Hebraeum שֵׁרֵת itidem verterunt per *λατρεύω* Num. 16, v. 9. Ezech. 20, v. 32. et *δουλεύω* Esa. 56, v. 6. etc. Lev. 22, v. 7. *opus servile non facietis*, LXX reddiderunt *ἔργον λατρευτόν*, ubi vox *λατρείας* ponitur pro servitio humano. Regerit Bellarminus, *textum Hebraeum et Latinum habere vocem communissimam, quae ad omne servitium accommodatur.* At hoc nostram potius confirmat sententiam, si enim vox Hebraea et Latina communiter ad omne servitium accommodari potest, ergo etiam dictio *λατρείας*, qua LXX interpretes in voce Hebraea exprimenda usi sunt, generalem significationem habere potest. Quinimo ipsum verbum *δουλεύειν* saepius adhibent ad cultum vere divinum soli Deo competentem, Jud. 2, v. 7 1. Reg. 7, v. 3. cap. 12, v. 14. 2. Paral. 30, v. 8. idem fit a Christo et apostolis in N. T. Matth. 6, v, 24. Act. 30, v. 19. Rom. 7, v. 6. cap. 14, v. 18. cap. 16, v. 18. Gal. 4, v. 9.

Eph. 6, v. 7. Col. 3, v. 24. 1. Thess. 1, v. 9. 3. Ecclesiasticos scriptores indifferenter his vocabulis uti. Augustinus q. 94. in Exod. dicit, *tam latriam quam duliam Deo tribui, latriam ut Deo, duliam ut Domino.* Regerit Bellarminus, *ex eo ipso patere, latriam non posse communicari creaturae, quia unus tantum est Deus, duliam autem communicari posse, quia multi sunt vere et proprie domini.* At si duliae nomen ideo convenit creaturis, quia multi sunt domini, etiam latriae nomen creaturis conveniet, quia multi sunt dii, videlicet magistratus. Si latria ideo soli Deo convenit, quia *unus est Deus*, etiam dulia ideo soli Deo convenit, quia *unus est Dominus* 1. Cor. 8, v. 6. Fulgentius lib. de fid. orth. ad Donat.: *Si Filius Dei creatura esset, serviendum ei Scripturarum sacrarum auctoritas non juberet, sed potius prohiberet. In primo enim decalogi praecepto sicut unius Dei cultura servitusque manifeste praecipitur, ita omni creaturae adoratio ac servitus a fidelibus exhibenda vehementissime prohibetur.* Nonnus in paraphr. Joh. 16, v. 2. vocem *λατρείας* interpretatur per *δουλοσύνην* ac *δοῦλον* in seq. cap. per *λάτριν*. 4. Bellarminum ex hoc fateri cap. 12. §. 10. *quod in lingua Hebraea nullum sit nomen, quo proprie designetur cultus solius Dei, sed omnia esse communia et idem nomen nunc tribui cultui creaturae, nunc negari, prout nimirum aliter atque aliter accipitur, nam quod Graeci verterunt Deut. 6. αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις, in Hebraeo est* אֹותוֹ תַעֲבוֹד, *verbum autem* עָבַד *tam est commune Hebraeis quam Latinis servire.* Et postea §. 12: *In lingua Graeca una vox est propria cultui Dei, nempe θεοσέβεια, quae non multum est in usu. Praeter istam vocem sunt alia quatuor, εὐσέβεια pietas, θρησκεία religio et λατρεία et δουλεία servitus; sed nullum horum est, quod non attribuatur etiam creaturis.* Atqui si nec in Hebraea, nec in Graeca lingua discrimen illud inter *δουλείαν* et *λατρείαν* monstrari potest, quomodo ex Scripturis illud petitam dici poterit? Unde §. 13. h. c. absque circui-
XVIII. 99. tione fatetur Bellarminus *scholam, theologorum*, id est Scholasticos, *hoc discrimen inter λατρείαν et δουλείαν excogitasse.* 5. Ex proprietate Graecae linguae majus quid esse *δουλείαν* quam *λατρείαν*. *Δουλεία* enim proprie dicitur de servo, qui domini censetur totus; *λατρεία* vero de mercenario, qui operam suam libere locando ad tempus servit, sicut etiam in Latina lingua eadem ratione plus est *servitus*, quae voce *δουλείας* significatur, quam *honor*, qui voce *λατρείας* exprimitur. Inde est, quod Martinus Peresius Pontificius libr. de traditionib. part. 3. consid. 7. scribit, *non multum sibi probari nomen duliae pro cultu sanctorum sumtum, cum dulia proprie significet servitutem, et nos non simus servi sanctorum, sed conservi*, cui frigide respondet Bellarminus cap. 14. §. 5. *nos non esse servos sanctorum perfecte, sed imperfecte, quatenus illi nos movent et juvant ad bene operandum exemplo suo et intercessione ad Deum*, haec enim nondum sufficiunt ad servitutem religiosam introducendam de qua unice hoc loco sermo est, sed soli Deo religiose servire convenit docente Christo Matth. 4, v. 10. Nec verum est, quod Bellarminus addit, *nos ideo sanctorum esse servos saltem imperfecte, quia nos movent et juvant ad bene operandum suo exemplo et intercessione apud Deum*, nam discipulus etiam condiscipuli, magistratus aliorum magistratuum exempla ad majorem industriam excitatur, neque tamen propterea illorum servus constituitur. Potest insuper Peresii sententia probari ex dicto apostolico 1. Cor. 7, v. 23: *Nolite fieri servi hominum*, servitute scilicet religionis, de qua unice hic sermonem esse denuo monemus. 6. Augustinum lib. 5. de civ. Dei cap. 15. lib. 7. cap. 32. libr. 10. cap. 1. disputantem, *quod cultus soli Deo debitus non possit vocabulo Latino satis commode exprimi, Graecis autem proprie et significanter dici λατρείαν, θρησκείαν, θεοσέβειαν, εὐσέβειαν*, nequaquam voluisse sanctorum invocationem stabilire vel fundamenta eidem substernere, sed hoc duntaxat ostendere, quod sit aliquis cultus, qui in Scriptura soli Deo assignetur (distinctus ab honore et cultu, qui creaturis recte impenditur), qui quandocunque creaturis tribuitur, idololatria committitur, quocunque tandem nomine pallietur, jam vero talis cultus est religiosa invocatio.

381. Sed de vocabulis plura non addemus, cum ipse Bellarminus diffidat, se posse discrimen horum vocabulorum ex Scripturis eruere, sic enim scribit c. 12. §. 13: *Quamvis ista vocabula non sint propria divino cultui secundum primam ipsorum vocabulorum institutionem, tamen schola theologorum non sine causa excogitavit illam distinctionem de dulia et latria. Nam cum in re inveniatur manifesta distinctio inter cultum Dei et sanctorum, oportebat etiam ad vitandam aequivocationem distincta invenire vocabula, optima vero erant ista duo.* Et postea c. 14. §. 6: *Secundum usum profanorum scriptorum idem sunt dulia et latria, secundum usum Scripturae latria fere nunquam accipitur pro cultu, qui exhibetur creaturae, secundum usum autem ecclesiae nunquam omnino. Et si licuit ecclesiae antiquae contra veteres haereticos nova vocabula invenire, ut ὁμοούσιος, cur non licuit etiam ecclesiae posteriori contra haereticos posteriores nova aliqua vocabula invenire aut certe iisdem in alia significatione uti?* Ad rem ipsam igitur progredimur ac monemus, 1. modum divini cultus non esse petendum ex ingenii humani de distinctis excellentiarum generibus speculatione, sed ex Spiritus sancti in divinis literis instructione. Ut enim credendorum, ita quoque faciendorum, ut fidei, ita quocunque cultus unica norma et regula est Dei verbum. Jam vero Scriptura sacra nec mandatum,
nec promissionem, nec probatum aliquod exemplum XVIII. 100
de sanctorum invocatione nobis proponit. Possent omnes idololatrae hoc schemate factum suum ornare, quod non tribuant illi objecto, quod adorant summam excellentiam et honorem soli Deo summo omnium rerum principio proprium, sed inferiorem aliquam excellentiam et honorem civili majorem,

divino inferiorem. Si omnis λατρεία tantum illis duobus officiis concluditur, *summa scilicet voluntatis prostratione, et ejus quod λατρείᾳ colitur ut primi principii et ultimi finis, adeoque summi et increati entis a summi boni apprehensione*, consequens fuerit, nullam committi idololatriam, nisi ab iis, qui rem creatam ut primum principium ac summum bonum apprehendunt ac voluntatem suam coram eo summe prosternunt. Sed consequens est absurdum. Ergo et antecedens. Connexio probatur, quia εἰδωλολατρεία est λατρείας ad creaturas et fictitia numina translatio. Assumtum probatur, quia Israëlitae in μοσχοποιΐᾳ καὶ μοσχολατρείᾳ committentes idololatriam non fuere tam vecordes et absurdi, ut vitulum ante pauculas horas ex auro fusum haberent pro summo et increato omnium rerum principio, nec saniores gentiles lignis et lapidibus hoc tribuebant, quod essent primum et summum omnium rerum principium, sed utrique voluerunt Deum coeli terraeque creatorem per has imagines colere, nihilo tamen minus utrique idololatrias in Scripturis accusantur, illi quidem Exod. 32, v. 4. et seqq. 1. Reg. 12, v. 28. hi vero Rom. 1, v. 23. 2. De eo non sumus admodum soliciti, quo vocabulo cultum illum, quem sanctis defunctis tribuunt, Pontificii denominent, sed quid secundum Spiritus sancti judicium in Scripturis revelatum de eo sit pronuntiandum. Ea vero manifeste docet, idololatriam esse, si cultus religiosae invocationis soli Deo debitus aliis tribuatur. Nihil ergo aliud agunt Pontificii, quam ut sub nomine δουλείας idololatriam suam occultent atque pallient. 3. Quando igitur negant, *in sanctorum invocatione idololatriam a se committi, propterea quod non tribuant sanctis divinam et infinitam excellentiam nec habeant illos pro primo, summo, aeterno et infinito principio*, obvertimus illis, quod Satan a Christo προσκύνησιν, prostrationem, inclinationem et servitutem sibi exhiberi flagitans Matth. 4, v. 9. Luc. 4, v. 7. non petebat a Christo, se haberi absolute pro Deo et summo principio, dicebat enim *mihi tradita sunt regna terrae;* nihilominus tamen a Christo repellitur, ac si idololatricum cultum postulasset, et opponitur illi madatum divinum, *Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies* Matth. 4, v. 10. Luc. 4, v. 8. Bellarminus regerit c. 14. §. 10. *diabolum postulasse a Christo προσκύνησιν in signum latriae et proinde postulasse latriam*, quod verum quidem est, si de divino honore accipiatur, non autem si de proprio divini honoris objecto intelligatur, id est Satanas voluit sibi divinum sive Deo soli proprium honorem deferri, nec tamen se pro primo et infinito omnium rerum principio venditavit, sed voluit Christo persuadere, Deum administrationem hujus mundi et distributionem bonorum temporalium non curare, sed eam sibi utpote hujus mundi principi cessisse. Confer harm. evang. cap. 19. p. 49. 4. Concedimus quidem, aliam esse majestatem solius veri Dei propriam, aliam dignitatem et excellentiam angelorum et sanctorum in vita aeterna, aliam hominum in hac vita, ac proinde alium cultum, puta religiosum et in prima decalogi tabula praescriptum soli Deo, alium honorem defunctis sanctis, alium viventibus, in terra hominibus tribuendum esse, in quo probando Bellarminus prolixam, sed frustraneam ponit operam c. 13. sed ex eo nulla
consequentiae lege infertur, sanctos esse invocandos XVIII. 101.
et talem duliam, qualem Pontificii ipsis vendicant, eisdem esse tribuendam, proceditur enim hac ratione a genere indeterminato ad certam et determinatam speciem, ab honore et cultu in genere ad cultum religiosum. Quem et qualem honorem Scriptura defunctis sanctis tribuat, ex illis, quae de statu quaestionis dicta sunt superius, colligi potest. 5. Pontificii non sunt contenti illis limitibus honoris in Scriptura definitis, sed tribuunt sanctis duliam, quam sic definiunt, *quod sit media quaedam inclinatio voluntatis cum apprehensione excellentiae plus quam humanae et minus quam divinae*, religiose eos invocant, beneficia spiritualia et corporalia ab eis petunt, meritis eorum confidunt, honorant eos votis, jejuniis, peregrinationibus etc. Atqui ad religiosum ejusmodi cultum non sufficit quaevis excellentia, sed requiritur summa et divina excellentia una cum obligatione ejus, qui colit, ad eum, qui colitur. 6. Res ipsa igitur ostendit, λατρείαν, quam soli Deo sese relinquere dictitant, et dulian, quam sanctis deferunt, omnibus causarum generibus invicem convenire. *Causa efficiens* utriusque est mens hominis, quae et Deum et sanctos alloquitur, quae Deum et sanctos colit atque invocat. *Causa formalis* est fiducia impetrandi illud, quod petitur, quae utrobique locum habet, quemcunque enim invocamus, in illum etiam fiduciam collocamus et ab eo nos exaudiri confidimus, Rom. 10, v. 14. *Materia* utrobique est eadem, tam enim a sanctis per duliam, quam a Deo per latriam beneficia corporalia et spiritualia petunt. *Causa finalis* itidem eadem est, quia in corporis et animae emolumentum tam a sanctis quam a Deo ejusmodi bona petuntur. Quodnam ergo discrimen remanet inter δουλείαν et λατρείαν? Latria est talis religiosus cultus, quo agnoscimus eum, quem invocamus, esse καρδιογνώστην, audire nostras preces, ac certo credimus, quod velit et possit nobis in omni adversitate succurrere ac bona animae et corporis nobis largiri. Jam vero Pontificii hunc ipsum honorem et cultum sanctis tribuunt. Ergo eosdem latria colunt, nisi velint definitionem concedere et definitum negare. 7. Si obvertere velint, *duo adhuc remanere differentiae capita, quorum prius consistit in objecto, quod latria soli Deo, dulia etiam sanctis exhibeatur; posterius in fiduciae gradu ac modo quod bona in precibus petita a Deo tanquam a fonte omnium bonorum principaliter et primario, a sanctis vero tanquam ab intercessoribus et mediatoribus minus principaliter et secundario sperentur*, responsio; *καθ' ὕστερον, ad posterius*, fiduciam in sanctos collocari absque Scripturae suffragio, absque Dei mandato, absque promisso, absque probato exemplo.

Ostendant enim, ubi in Scripturis Deus nos remiserit ad sanctos tanquam ad patronos? ubi proposuerit nobis eos invocandos? ubi promiserit, se per illorum manus nobis daturum beneficia? Quod si praestare non possunt, agnoscant, se spem ad fiduciam suam sine Dei verbo et ordinatione, imo contra Dei verbum in creaturam aliquam collocare, ac proinde honorem soli Deo competentem ac creaturas transferre et per consequens idololatriam committere. Adde, quod fides verbo destituta non possit esse vera fides, sed sit inanis persuasio; nec cultus verbo destituta non possit esse vera fides, sed sit inanis persuasio; nec cultus verbo destitutus possit esse Deo gratus, sed sit ἐθελοθρησκεία, cum inter fidem et verbum, inter cultum Deo gratum et verbum revelatum sit perpetua relatio. Quodsi ergo in hac fiducia et invocatione sanctorum destituuntur verbo mandati et promissionis, ut destituuntur, consequens est, eam non esse nec esse posse fiduciam et invocationem Deo gratam. Quod *prius* attinet, principium in eo petitur, quod praeter Deum etiam sancti statuuntur religiosi cultus et invocationis ob-
XVIII. 102. jectum. Quando enim cultus soli Deo competens rei alicui creatae praeter et extra Deum impenditur, non emergit inde diversum aliquod honoris genus licitum ac Deo gratum, sed sub idololatriae nomine gravissime in Scripturis accusatur. Idololatriae enim duplex est species. Una, *quando verus Deus colitur non divine*, id est juxta modum in verbo praescriptum; altera, *quando divine colitur id, quod non est Deus*, quae posterior idololatriae species a Pontificiis committitur, quando extra et praeter unum verum Deum alios patronos, defunctos scilicet sanctos, absque Dei verbo quaerunt et cultum Deo debitum ipsis impendunt. Nam εἰδωλολατρεία est τοῦ εἰδώλου λατρεία, quod idolum potest esse vel extra, vel intra animum, ut suo loco plenius fuit demonstratum. 8. Schroederus contra Pontificiorum effugium, quod in distinctione inter λατρείαν et δουλείαν quaerunt, utitur hoc argumento in apod. de sanctis th. 104. et seqq.: Quod est invisibile et in altera vita constitutum, non potest invocari per caritatis δουλείαν. Jam vero sancti defuncti sunt invisibiles et in altera vita constituti. Ergo non possunt invocari per caritatis δουλείαν, et per consequens, si invocantur, λατρείας cultu invocantur. Minor est manifesta. Major probatur. Omnis δουλεία caritatis aut est erga superstites *officiosa*, aut *memorialis*. Jam vero invocatio, qua id, quod est invisibile aut in altera vita constitutum, colitur, nec est erga superstites *officiosa*, nec *memorialis*. Ergo invocatio, qua id, quod est invisibile aut in altera vita constitutum, colitur, non est δουλεία caritatis. Propositio est manifesta. Quibus enim per caritatis δουλείαν est serviendum, illi aut sunt nostri in hac vita socii et commilites, aut in altera vita absentes. Prioribus servitur per δουλείαν caritatis *officiosam*, qua illis operam praestare, honorem exhibere, beneficentiam erga eos exercere convenit. Posterioribus non potest aliter serviri, quam per δουλείαν caritatis *memorialem*, qua gratam eorum memoriam animo circumferimus, optima quaeque de illis sentimus et loquimur, virtutes et res gestas ipsorum praedicamus atque aliis ad imitandum proponimus, quo pertinet illud Augustini libr. 10. de civ. Dei cap. 1: *Si tantummodo cultus ipse dicatur, non soli Deo deberi videtur. Dicimur enim etiam colere homines, quos honorifica vel recordatione vel praesentia frequentamus.* Assumtio habet duo membra, quorum prius est manifestae veritatis, posterius probatur ex eo, tum quod memoria non sit eorum, ad quos loquimur, sed eorum, de quibus loquimur, invocatio vero eorum, ad quos loquimur, non de quibus loquimur, proinde nulla invocatio proprie erit *memorialis;* tum quod Scriptura memoriam sanctorum nobis commendet, invocationem vero sanctorum prohibeat; tum quod veteres martyrum memorias honorificentissime celebrabant, eosdem vero a se invocari diserte negabant, ut patebit inferius. 9. Nec illud in distinctione Pontificiorum ferri potest, *quod eodem cultu, ὑπερδουλείᾳ scilicet, sanctam Christi carnem et Beatam Deiparam prosequuntur*, ejus enim consequens est, ut aut sancta Christi caro sua majestate, quam per unionem personalem et collocationem ad Dei dextram consecuta est, spolietur inque reliquarum creaturarum ordinem redigatur, quin et nefaria ac Nestoriana divulsione a Λόγῳ, cui personaliter unita est, separetur, aut ut Maria quoque in ipsam deitatem assumta inque thronum dextrae Dei evecta, adeoque σύνθρονος Deo facta statuatur. Nos contra ex Scripturis et canon. 8. Ephesinae synodi docemus, assumtam Christi carnem utpote ἐν αὐτῷ τῷ Λόγῳ subsistentem et ad dextram Dei evectam una et eadem adoratione cum Λόγῳ esse colendam.
Jesuita Cotton. libr. 1. instit. cathol. cap. 19. XVIII. 103
pag. 99: *Eo cultu et religionis officio, hyperdulia scilicet, sanctissima Filii Dei humanitas coleretur, si esset ab hypostasi sejugata.* Subsumo, humanitas Filii non est ab ejus hypostasi sejugata vel separata. Ergo non debet coli hyperdulia, sed latria. 10. Sed ne *Mariolatrian et Hagiolatrian* suam distinctione inter latriam, duliam et hyperduliam palliare pergant, notandum, quod Virgini non solum *hyperdulian*, sed etiam *latrian* certo respectu assignent. Sic enim scribit Tannerus disp. 4. in 2. 2. Thomae th. 41. pag. 676: *Praeter duplicem hanc cultus rationem* (qua Virgio hyperdulia honoratur, tum *maternitatis* seu cujusdam proximae consanguinitatis cum Christo Filio Dei, quae etiam *affinitas cum Deo* recte vocatur, tum *singularis sanctimoniae*, qua super omnes angelorum choros evecta est, respectu) *potest etiam Virgo, quantum saltem est ex ipsa rei natura, per accidens etiam adorari cultu perfectae latriae, in quantum concipitur, vel ut eximia quaedam imago Dei, vel quasi per modum excellentissimae cujusdam reliquiae sacrae ob sanctissimum et peculiarem contactum Filii Dei*, in quam sententiam allegat Cajetanum part. 3. quaest. 25. artic. 3. Vasquez. ibid. et addit,

*ratione tamen scandali et periculi errandi hic cultus communiter non est adhibendus.* Item quod sanctis etiam latrian certo respectu tribui posse asserant. Sic enim Tannerus disserit ulterius thes. 42. p. 677: *Sanctorum cultus sacer in genere quintuplex statui potest. Primus ille est, quo colantur saltem improprie, eo quod Deus in illis colatur velut in sua creatura et imagine, qui utique latriae cultus est. Et tametsi ut in aliis rebus creatis per se et natura sua non est illicitus, moraliter tamen et regulariter non est adhibendus. Secundus est, quo colantur ipsi velut templa, servi, filii, amici et domestici Dei ob excellentiam Dei increatam, qui cultus respectivus est et ex veriore, quidquid alii communiter negent, ad ipsam religionis virtutem* (latriam) *pertinet, etsi vera et perfecta latria non sit, sed ea multo inferior. Tertius est, quo colantur ob intrinsecam et absolutam excellentiam gratiae ac donorum spiritualium, qui cultus proprie ad duliae virtutem pertinet a religione distinctam. Quartus, quo colantur velut capaces ejusmodi donorum et ad ea divinitus destinati, quae dignitas sanctis cum impiis communis est. Et hic cultus habitu a priori non differt, cum primaria ratio colendi sit eadem. Quintus, quo colantur ob officia seu munia sacra, quae juxta divinam ordinationem in ecclesia obeunt, ut sacerdotis, episcopi, vicarii Christi* etc. Suarez in comm. part. 3. Thomas tom. 2. quaest. 37. disp. 22. artic. 4. pag. 206. addit aliquam mitigationem sic scribens: *Virgo publico et communi cultu non est adoranda propter extrinsecam excellentiam Christi seu propter contactum ad illam, tamen si ita aliquando ab aliquo adoretur, certum est, illud adorationis genus ad religionem pertinere atque dici posse secundariam latriam, quatenus ab eadem virtute latriae proficiscitur, quamvis revera sit actus distinctus ab adoratione latriae proprie et simpliciter dictae.*

2. Dictum Mosaicum Deut. 6. intelligendum de servitute, quae soli Deo convenit.

382. Ex dictis facile apparet, quid ad reliquas Bellarmini exceptiones argumento nostro oppositas respondendum sit. *1. Dictum Mosaicum Deut. 6. a Christo repetitum Matth. 4: Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies, cap. 14. §. 8. sic intelligendum esse dicit: 'soli Deo servies ea servitute, quae soli Deo convenit, nam in Graeco est λατρεύσεις, unde Augustinus quaest. 61. in Genes. annotavit, ideo non esse dictum, solum Deum adorabis et illi soli servies, sed Deum adorabis et*
XVIII. 104. *illi soli servies, quia adoratio convenit etiam creaturis, non autem servitus latriae, quae hic nominatur. Sed praeterea, quamvis esset scriptum illi soli δουλεύσεις, eodem modo exponi deberet, nimirum illi soli servies certo quodam genere servitutis, non autem absolute illi soli servies. Siquidem in textu Hebr. est* תַּעֲבֹד, *et tamen invenimus non obstante hoc praecepto dictum Jacobo Gen. 27. serviant tibi populi et adorent te filii matris. Praeterea sicut legimus, illi soli servies, ita legimus 1. Tim. 6: qui solus habet immortalitatem, et tamen scimus, angelos et animas esse etiam immortales suo quodam modo.* Respondemus: Servitus et adoratio illa, quae sanctis tribuitur ex hypothesi Bellarmini, non est mere humana et externa, sed inter divinam et humanam media, plus quam humana et religiosa, non specie, sed gradu duntaxat distans ab ea, quae Deo tribuitur. Ergo servitus et adoratio soli Deo debita ex parte, si non ex toto ad sanctos transfertur, quod manifeste pugnat cum oraculo illo divino: *Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies.* Particula *solus* non tantum certum quendam gradum divinae servitutis, sed omnem omnino religiosam servitutem a creaturis removet, cum cultus divinae adorationis et religiosae servitutis sit simplicissimus et prorsus indivisibilis, nec gradus vel partes admittat, sed totus alicui vel tribuatur, vel denegetur. Ut enim inter creaturam et creatorem non datur medium, ita quoque inter cultum divinum et humanum medius non datur. Quemadmodum ita agnoscendus est unus Deus, ut non agnoscamus alios quosdam deos inferiores; ita quoque ea ratione colendus est unus Deus, ut nullus cultus divinus gradu inferior eo, qui Deo soli debetur, ullis creaturis tribuatur. Sicut maritus rivalem in amore conjugali ferre nequit, nec excusationem uxoris adulterae admittit affirmantis, se summo quidem amore maritum prosequi, inferiori autem gradu adulterum amare; sic Deus, qui *zelotem* sese nominat Exod. 20, v. 5. ferre nequit, ut cultum religiosae adorationis in gradu inferiore aliis deferre velimus. Sicut fiducia religiosa in primo praecepto mandata respectu objecti non admittit gradus, sed est indivisibilis; ita quoque religiosa invocatio non admittit gradus, sed est absolute ac simpliciter ἀδιαίρετος, ita ut hic cultus alicui ex toto vel tribuendus, vel denegandus. Cultus ille, quem Pontificii sanctis tribuunt, aut ad *primam aut secundam decalogi tabulam* referendus. Si prius statuant, erit cultus mere divinus soli Deo debitus; si posterius, erit cultus politicus et externus honor, qualis defertur regibus, parentibus, quod tamen negat Bellarminus. Saniores gentiles *πολυθεΐαν* et *εἰδωλολατρείαν* suam eodem modo palliarunt, quod deos suos non pro summo et infinito rerum omnium principio, sed pro diis inferioribus et minoribus haberent, quodque non eo cultu, qui soli summo Deo debetur, sed inferiori quodam cultu eos honorarent, nihilo tamen minus a prophetis et apostolis idololatriae sunt accusati. Ut enim praeter unum solum verum Deum non est alius, ita quoque praeter religiosum ac divinum cultum soli Deo debitum non est alius inferiori gradu divinus ac intermedius. *Ego Dominus gloriam meam alteri non dabo*, inquit Esa. 42, v. 8. ubi cum divina gloria et cultus Deo debitus simpliciter denegetur creaturis, ideo nullus ejusdem gradus illis tribui potest. Quod Bellarminus addit, *adorationem etiam convenire creaturis, ac Jacobo dictum esse, servient tibi populi*, id prorsus est *ἀπροσδιόνυσον*, neque enim de externa, civili et politica, sed de religiosa, divina et plus quam humana adoratione et servitute

hoc in loco quaestio est, quam soli Deo deberi ex hoc oraculo immote colligimus. Ut enim sancti non sunt Deus per essentiam, nec ex toto, nec ex parte;
XVIII. 105. ita cultus divinus non potest eis deferri in gradu, vel superiore, vel inferiore. Quae *de immortalitate angelis et animabus cum Deo communi* addit, itidem sunt a scopo aliena. Nam honor religiosae adorationis cum fundamenti loco praesupponat omniscientiam, omnipotentiam, omnipraesentiam etc. ita Deo proprius est, ut nulli creaturae communicetur, nisi soli assumtae carni Christi, quae Λόγῳ personaliter est unita; sed immortalitas est attributum κοινωνητὸν, creaturis communicabile. Adde, quod immortalitas Dei et creaturarum toto genere differant. Deus enim est immortalis a se et essentialiter, quo sensu *solus dicitur habere immortalitatem;* creaturae quaedam immortales sunt Dei conditoris beneficio et accidentaliter. At religiosae adorationis cultus, quem Pontificii sanctis tribuunt, est idem numero cultus cum eo, quem Deo tribuunt.

3. Gentilium duntaxat deorum et Satanae adorationem prohiberi.

383. Alii ex Pontificiis pondus oraculi divini, *Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies,* sic enervare conantur, ut obvertant, *falsorum duntaxat deorum gentilium et Satanae adorationem eodem prohiberi, se vero sanctos, qui sunt Dei amici, invocare.* Respondemus: 1. exclusiva *solus* religiosam adorationem penitus removet ab omni eo, quod non est Deus. Quod enim exclusiva non tantum ad *posterius* membrum de servitute, sed etiam *ad prius* de adoratione pertineat, scopus allegationis ostendit, quia Christus ex hoc dicto demonstrat, diabolum non esse adorandum, cum soli Deo adorationis cultus tribuatur. Idem agnoscunt saniores Pontificii; Erasmus in annot. Matth. monet, *in his verbis emphaticis et singularibus, Jehovam tuum adorabis, contineri exclusivam solus;* Maldonatus in comm. evang. pag. 91: *Cum Deus jubet adorare se sibique servire, vetat alios adorare deos et servire illis. Itaque idem est, Dominum Deum tuum adorabis et illi servies, ac si dixisset, Dominum tuum solum adorabis illique soli servies.* 2. Si haec exceptio est solida, Christus Satanam directe et firmiter non confutasset, quia diabolus non erat ex numero deorum gentilium. 3. Distinguendum igitur inter conclusionem et argumentum tertium. *Conclusio* est, diabolum non esse adorandum, *argumentum tertium* sive medium concludendi, quia non est deus, cui soli adoratio competit. Eodem argumento sanctorum adoratio evertitur.

4. Sanctos invocari non ut bonorum largitores, sed ut intercessores.

384. Lib. ejusd. cap. 17. §. 2. Bellarminus excipit, *sanctos non invocari ut bonorum divinorum auctores, sed ut impetratores ac intercessores, qui suis precibus ac meritis a Deo nobis obtineant, quod petimus, quique precibus suis nos adjuvent, ut facilius a Deo impetremus, quae poscimus, ac proinde per sanctorum invocationem gloriam soli Deo debitam non transferri ad sanctos.* Respondemus: Ostendimus superius quaest. 4. sanctos non solum ut *intercessores,* sed etiam ut *opitulatores et largitores* divinorum beneficiorum ab ipsis invocari, unde singulis provinciis, singulis civitatibus, singulis statibus, imo singulis hominibus peculiares ac proprios assignant patronos ac diversa beneficia a diversis sanctis postulant. Denique cap. 20. §. 3.

5. Sanctos invocari ut Dei amici.

excipit, *quemadmodum non fit injuria regibus sed potius honor, quando eorum amici honorantur et ad eos legati mittuntur, ita Deo non injuriam sed honorem deferri, quando sancti non ut dii, sed ut amici Dei honorantur et tanquam patroni apud Deum accipiuntur, alioquin etiam faceret Deo injuriam, qui a viventibus orationes postularet.* Respondemus: ex Augustino lib. de vera relig. cap. 55. XVIII. 106 *honorandi sunt sancti propter imitationem, non autem adorandi propter religionem.* Aliud ergo est, sanctos honorare eo modo, quo ex praescripto verbi possunt ac debent honorari; aliud vero honorare eos cultu soli Deo debito, religiosae scilicet invocationis. Invertimus proinde argumentum: Quemadmodum alius honor est, quo reges, alius, quo amici regum honorantur, et quemadmodum injuriam regibus inferret, qui honorem ipsis unice competentem amicis eorum deferret; ita alius honor est, quo Deus, alius, quo amici Dei, videlicet sancti, sunt honorandi, ac injuria Deo infertur, si honor unice ipsi competens, qualis est religiosae adorationis cultus, sanctis tribuatur. Philo in lib. de decal. p. 479: *Quemadmodum si quis magni regis honores satrapis ejusque praefectis tribueret, non stultitiae solum argueretur, sed et periculosae audaciae, tribuens servis, quod debetur domino; ita quicunque sic creaturas colit ut creatorem, sciat se impudentissimum et injustissimum, qui paria largiatur imparibus, non tam in honorem inferiorum, quam in potioris contumeliam.* Confer Ambrosium in cap. 1. Quod attinet ἔνστασιν de precibus viventium, ea inferius suam habebit explicationem.

2. Christi conditionem non permittere, ut sancti invocentur.

385. 2. *Christi conditionem* non permittere, ut sancti invocentur, probamus hoc modo: Omnis vera et Deo grata invocatio in solius Christi, utpote unici mediatoris et intercessoris nostri, nomine fieri debet. Invocatio sanctorum non fit in solius Christi nomine. Ergo ea non est vera et Deo grata invocatio. Ulterius, quaecunque invocatio non fit in solius Christi nomine, ea derogat honori Christo mediatori et intercessori nostro debito. Invocatio sanctorum non fit in solius Christi nomine. Ergo invocatio sanctorum derogat honori Christo mediatori et intercessori nostro debito. Quod *solus* Christus sit noster *intercessor ac mediator,* in cujus solius nomine Pater coelestis sit invocandus, patet 1. *ex manifesto Christi mandato et promissione* Joh. 14, v. 13: *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.* v. 14. *Si quid petieritis in nomine meo, hoc faciam.* cap. 16, v. 23: *Amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* In Christi nomine petere est propter Christi meritum et intercessionem petere, fiducia in

Christi satisfactionem ac meritum collocata petere, agnoscere, Christum esse unicum mediatorem et intercessorem, qui nos Patri suo sanctissimae passionis suae merito reconciliavit. Cyrillus lib. 11. in Joh. cap. 7: *Ideo addit in nomine meo, ut mediatorem et collargitorem sese ostendat.* Haec est primaria et principalis hujus phraseos significatio, secundario etiam mandatum et exemplum Christi eadem complectitur, ut sic in Christi nomine petere sit ad mandatum et exemplum Christi petere. Quare cum amplissimam hic habeamus promissionem, quod petentes in Christi nomine simus impetraturi a Patre coelesti, quae petimus, ideo firma cordis fiducia in precibus nostris ea possumus niti. De invocatione autem, quae fit in nomine ac per merita sanctorum, nuspiam in Scripturis talis exstat promissio. Christi meritum est sufficientissimum ac perfectissimum, imo infinitum, alterius cujusdam meriti supplementum minime desiderans, est instar vestis cujusdam preciosissimae et perfectissimae, quae peregrinas lacinias minime admittit. Ergo sanctorum merita non sunt addenda Christi merito, nec fiducia cordis, qua in precibus nos a Deo exaudiri speramus, ita dividenda est, ut partim propter Christum, partim propter sanctos, partim propter Christi, partim propter sanctorum merita nos exaudiri statuamus. *2. Ex omnium illorum*
XVIII. 107. *Scripturae dictorum assertione*, quae Christum mediatorem et intercessorem nostrum vocant, quorum occurrunt longe plurima, hoc loco urgemus emphasin illorum dictorum, in quibus habetur exclusiva, quod *solus* Christus sit noster mediator et intercessor, quod *solus* Patri nos reconciliet, quod per ipsum *solum* pateat nobis aditus ad Patrem coelestem etc. Esa. 63, v. 3: *Torcular calcavit solus.* Joh. 14, v. 6: *Ego sum via, veritas et vita. Nemo venit ad Patrem nisi per me.* Actor. 4, v. 12: *Non est in alio salus.* 1. Tim. 2, v. 5: *Unus est mediator Dei et hominum,* *homo Christus Jesus, qui dedit semet ipsum pretium redemtionis pro omnibus. 3. Ex verae et Deo gratae invocationis descriptione.* Ea enim in Scripturis sic describitur, quod dirigi debeat ad solum Deum Patrem, Filium et Spiritum sanctum, ad eum, qui potest audire preces et gemitus nostros, qui scrutatur corda, qui potest auxiliari, quia est omnipotens; qui promtus est ad ferendum auxilium, quia est summe misericors; qui novit vias ac modos nos e periculis eripiendi, quia est ipsa sapientia. Quia vero indigni sumus, qui coram Deo utpote justissimo ac severissimo omnium peccatorum vindice compareamus ac vel minimum beneficium ab ipso flagitemus, ideo Scriptura addit, quod *in Christi nomine* Deum invocare debeamus, id est quod vera fide statuere debeamus, nos propter Christi ad dextram Patris pro nobis interpellantis Rom. 8, v. 34. 1. Johan. 2, v. 2. meritum et intercessionem exaudiri. 1. Tim. 2, v. 5: *Ut unus Deus est religiose invocandus, ita quoque unus mediator, in cujus nomine Deus invocandus.* Dan. 9, v. 17. propheta sic orat: *Domine exaudi nos propter Dominum* (promissum Messiam). Ab hac forma invocationis divinitus nobis praescripta discedit invocatio sanctorum, sive invocentur ut *largitores* divinorum beneficiorum, sive ut *intercessores*, quorum meritis impetremus, quae a Deo petimus. Jam vero discedere a forma invocationis divinitus praescripta pugnat cum mandato divino. *Non addas nec detrahas quidquam* Deut. 4, v. 12. cap. 12, v. 32. ac subruit necessariae in precibus fiduciae ac spei de exauditione fundamentum. *4. Ab intercessoris nostri conditione.* Is solus est et esse potest efficax apud Deum in coelo deprecator et intercessor, qui sanctissimo suo merito nos Deo reconciliavit, quia intercessio nihil aliud est quam redemtionis applicatio et continuus quasi vigor, favorem apud Deum jugiter nobis concilians. Jam vero solus Christus sanctissimo suo merito nos Deo reconciliavit. Ergo etiam vi illius satisfactionis ac meriti solus est et esse potest efficax noster apud Deum intercessor ac mediator, unde in Scripturis haec duo perpetuo conjunguntur. Roman. 3, v. 24: *Per redemtionem, quae est in Christo Jesu*, v. 25. *quem proposuit Deus ἱλαστήριον per fidem.* cap. 5, v. 1: *Justificati fide pacem habemus apud Deum per Dominum nostrum Jesum Christum*, v. 2. *per quem habemus accessum fide in gratiam istam.* Eph. 3, v. 12: *In quo habemus fiduciam et accessum in confidentia per fidem ejus.* 1. Tim. 2, v. 5: *Unus est mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus*, v. 6. *qui dedit se ipsum pretium redemtionis pro omnibus.* Hebr. 2, v. 17: *Debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret et fidelis pontifex ad Deum, ut propitiaret delicta populi* etc. Ex quibus omnibus constat, in solius Christi utpote unici mediatoris et intercessoris nostri nomine Deum esse invocandum. Jam vero invocatio sanctorum non fit in solius Christi nomine, quia meritis et intercessionibus sanctorum sese exaudiri petit ac sperat. Ergo invocatio sanctorum non potest esse Deo grata et accepta, sed derogat potius honori soli Christo debito. *5. Ex typi praefiguratione.* Israëlitis promissa erat exauditio, si facie ad templum versa orarent, 1. Reg. 8, v. 38. sic in precibus XVIII. 108.
nostris unice nos convertere debemus ad mediatorem Christum, qui est divinitatis *templum* Joh. 2, v. 19. Apoc. 8, v. 3: *Alius angelus venit et stetit ante altare habens thuribulum aureum, cui dati sunt suffitus multi, ut offerret cum precibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum.* (Per hunc angelum intelligendus est Christus praefiguratus Exod. 30, v. 7: *Sacerdos accedit ad altare suffitus, ut immolet suffitum Deo.* Sic Christus est unus pontifex noster et summus sacerdos preces nostras per suffitum praefiguratas Deo offerens, ut sint ipsi gratae et acceptae, quo de loco inferius dicetur uberius)

386. Excipit Bellarminus libr. 1. de beat. sanct. cap. 17. prop. 2: *Sancti non sunt immediati nostri intercessores apud Deum, sed quidquid a Deo nobis impetrant, per Christum impetrant.* Illud

Exceptiones Bellarmini. 1. Sanctos non esse immedia-

tos apud Deum intercessores. latius declarat hoc modo, *tres personas posse considerari, quando nos Deum oramus, unam ipsius Dei, a quo petimus beneficia; alteram ipsius Christi, per cujus meritum ea cupimus nobis dari; tertiam ejus, qui petit beneficia per Christum. Ex his tribus personis non potest prima tribui sanctis, quia sancti non invocantur ut auctores divinorum beneficiorum, nec secunda, sed solum tertia. Itaque sanctos invocamus ad hoc solum, ut faciant id, quod nos facimus, quia melius et efficacius ipsi facere possunt quam nos, melius illi et nos simul quam nos soli* etc. *Solus Christus est, qui mundum reconciliavit Deo et qui meruit nobis gratiam et gloriam et omnia necessaria ad salutem, unde vocatur noster mediator et advocatus apud Deum. Ergo nihil a sanctis petere possumus, nisi ut intercedant apud Deum, quo nobis Christi meritum applicetur, et per Christum gratiam et gloriam consequamur.* Respondemus: 1. Pontificii sanctos invocant non solum ut *intercessores*, sed ut *largitores ac distributores divinorum beneficiorum*, ut superius fuit demonstratum. Ergo non solum *per sanctos*, sed etiam *a sanctis* beneficia petunt. 2. Petunt, se *propter merita sanctorum* exaudiri, ac docent, ideo ad sanctorum auxilia esse confugiendum, *ut eorum meritis ac votis salvemur.* Ergo non per solius Christi meritum beneficia cupiunt obtinere. 3. Sanctos constituunt *mediatores intercessionis* ac *mediatores ipsius mediatoris Christi*, ut ex sequenti exceptione apparebit. Ergo non solum Christum mediatorem et intercessorem esse agnoscunt nec in solius Christi nomine Deum invocant. Ideo sanctos invocant, ut per illorum *intercessionem ac merita* nobis pateat aditus ad Christum, et sic in nomine sanctorum Christum invocant. 4. Quinimo majorem in sanctorum quam ipsius Christi intercessione fiduciam collocant, cum Christum per sanctos placandum esse doceant, ne severi judicis partes adversus nos exerceat. In psalterio Mariae Psalm. 72: *Deus judicium tuum regi da et misericordiam tuam reginae matri.* Psalm. 93: *Deus ultionum Dominus, sed tu mater misericordiae ad miserandum inflectis eum.* Bernhardus de Busto in Mariali lib. 1. c. 2: *Saepe quos justitia Filii damnat, matris misericordia liberat, unde a foro justitiae Dei ad forum misericordiae matris appellandum esse* docet. Anselmus de excell. virg. cap. 6: *Velocior est nonnunquam salus memorato nomine Mariae quam invocato nomine Jesu.* Discipulus de tempore et sanctis p. 916: *Peccatores fiducialius ad matrem misericordiae confugiunt* (quam ad Christum), *siquidem filius ejus non solum est misericors, sed etiam justus in omnibus operibus suis.* Robert. Holcot. in lib. Sapient. lect. 36: *Si quis a Filio, qui ad dextram Patris sedet, terreatur, quia judex est, matrem adeat, quia medicina est et misericors.*
XVIII. 109. Antoninus part. 4. sum. tit. 15: *Christus non solum advocatus est, sed etiam judex, ideo providit nobis Deus de advocata, quae mitis est et suavis, in qua nihil invenitur asperum.* Neve existimes, Pontificios ab hac opinione alienos esse, nota sequentes flosculos. Eccius in enchir. p. 154: *Accedamus fontem gratiae et Patrem misericordiarum, at commodius illud faciemus per sanctos; quia Deus noster ignis consumens est, merito timemus, ne pereamus a facie ejus, sicut fluit cera a facie ignis, ob hoc mediatores quaerimus et intercessores.* Cens. Colon. p. 208. adducit dictum Bernhardi serm. de B. Virgine, qui incipit Signum magnum: *Fidelis plane et potens mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus. Sed divinam in eo homines reverentur majestatem, opus enim est mediatore ad mediatorem istum, nec aliter nobis utilior quam Maria.* Costerus in ench. p. 404: *Sancti pro nobis Deum precantur ad malitiam peccatorum nostrorum detestandam, quae tanta est, ut ipsi per nos soli nec ad Deum Patrem, nec ad Filium accedere audeamus, sed interpellatores quaeramus Deo cariores, ut sanctorum meritis et precantium multitudine Deus ad misericordiam inflectatur.* Si praxin respicere velimus, merito conqueritur Cassander in consult. art. 21. *quod homines non mali certos sibi sanctos tanquam patronos deligant inque eorum meritis et intercessione plus quam in Christi merito fiduciam ponant, atque adeo unico illo adorationis Christi officio obscurato sanctos atque in primis virginem Mariam in illius locum substituant. Imo*, inquit, *non defuerunt viri celebres, qui assererent, id quod promisit Assuerus Hester, se petenti dimidium regni daturum, in Maria completum esse, in quam Deus regni sui, quod judicio et misericordia constat dimidium, hoc est misericordiam, transtulerit, altera regni parte sibi retenta,* quod ex Biele lect. 8. in canon. missae repetit Joh. David in Pancarpio Mariano p. 207. edit. Antwerp. an. 1607. Suarez tom. 2. comm. in Thom. disp. 23. q. 37. sect. 3: *Optima sunt verba illa Germani Constantinopolitani in serm. de zona Virginis: Quaeso ut in adventu filii tui, cum assistemus omnes judicandi, tu ut maternam habens fiduciam et maximam potentiam valida illa manu tua ab aeterno igne nos eripias.* (Statuunt igitur, Mariam esse mediatricem apud Christum judicem nobis iratum.) Barradius tom. 1. comm. in concil. evang. p. 328: *In coelo astrologi inter leonem et libram virginis signum interponunt. Nos inter leonem de tribu Juda, hoc est Christum, in hora mortis judicem, et libram illam judicii terribilem, qua omnes cogitationes nostrae, opera ac verba examinantur, non virginis signum, sed Virginem, judicis matrem, multis precibus advocatam interponamus.* Judicet quilibet, an non hac ratione a fiducia in mediatorem Christum collocanda et ab invocatione in Christi nomine facienda ad fiduciam in sanctos et ad invocationem in sanctorum nomine faciendam homines abducantur? 5. Id quod adhuc manifestius patet ex eo, quod negant, hac precandi formula utendum esse: *Christe ora pro nobis.* Lindanus in scripto, cui titulum fecit *Concordia discors*, p. 143. disputat, *esse injuriam, contumeliam et irreligiosam*

*blasphemiam, qua Christus Dominus Deus noster irreverentia summa in sanctorum ordinem redigatur, quando ita invocetur: Advocate noster ora pro nobis Deum.* Salmeronius disp. 7. in 1. Tim. 2. tom. 15. p. 459: *Orare Deum actus est latriae, ideo non dicitur, Christe ora pro nobis, quia Christus est nomen suppositi.* Disp. 8. p. 476: *Christo non est dicendum, intercede pro me aut ora pro me, quemadmodum Sacramentarii nostro seculo ausi sunt dicere: Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, ora pro me, et Salve rex misericordiae, vita, dulcedo, spes nostra, et: Ora pro nobis sancte Dei genite; qua in re isti nebulones impudenter Christo tribuunt, quod ecclesia a tot retro seculis B. Deiparae tribuit. Quod autem non liceat ita*
XVIII. 110. *invocare Christum, docet in primis ecclesiae consuetudo, quae in sacris litaniis idem petit a Christo, quod a Patre et Spiritu sancto, nempe misericordiam, cum ait, Kyrie eleison, Christe eleison. Item petit audiri atque exaudiri et suscipere nostram deprecationem perinde a Christo atque a Patre et Spiritu sancto. Tertio, quia oratur et exoratur Pater in nomine Christi, et Pater cum Filio praestat omnia, quae petuntur. Quarto, dum Christus in terris degebat, nullus eum, ut pro se oraret, rogavit, sed omnes pedibus et genibus ejus provoluti opem et misericordiam supplices implorabant* etc. (quasi vero invicem pugnent, invocare Christum ut verum cum Patre et Spiritu sancto Deum et eundem invocare ut mediatorem atque intercessorem, qui expresse dicit Johan. 11, v. 16: *Rogabo Patrem, et alium paracletum dabit vobis.* et cap. 17, v. 20: *Non pro eis tantum rogo, sed pro omnibus, qui per verbum ipsorum in me credituri sunt.* Regerit quidem Salmeronius, *haec fuisse opera naturae humanae infirmae et humiliatae in Christo, at postquam illam naturam exaltavit Pater et constituit eum supra omnem potestatem* etc. *esse longe alium.* Sed quid fiet manifestissimis dictis apostolicis Rom. 8, v. 34: *Christus est ad dextram Patris et interpellat pro nobis.* Hebr. 9, v. 24: *Ingressus est in ipsum coelum, ut appareat vultui Dei pro nobis.* 1. Joh. 2, v. 1: *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Deum.* Servi formam Christus in exaltatione deposuit, sed officium mediatoris et intercessoris nequaquam. Adde quod contradicat Salmeronius sibi ipsi, nam p. 459. scribit: *Ut beatitudo summa, qua Christus perfruitur, non tollit illi, quin pro nobis possit interpellare; ita etiam nec sancti beatitudine absorbentur sic, quin valeant pro nobis intercedere.* p. 469: *Christus perfecta beatitudine fruitur, nec tamen ab interpellatione pro nobis cessat.* p. 474: *Christus est et judex omnium et advocatus.* Ambrosius in cap. 6. Lucae scribens ait: *Advocatus et judex est. In altero pietatis officium, in altero insigne est potestatis.* Praeterea si in exaltatione demum Christus *longe alius factus est* (ut Nestoriano modo Salmeronius loquitur), ergo in diebus carnis suae invocari ut intercessor potuit, quod ipsum tamen Salmeronius negat esse factum. Neve quid absurditatibus et blasphemiis desit, idem Salmeronius sub finem 7. diputationis p. 467. scribit, *orationem illam, quae fit per sanctos, meliorem esse, quam est ea, quae fit per solum Christum, 1. quia secum continet duplicem actum, quando enim fundo orationem ad sanctum, etiam sanctus orat pro me; 2. majus est in se et in sanctis Deum honorificare quam Deum tantum in se ipso; 3. quia ecclesia, quae Spiritum Christi habet, frequentissime per sanctos recurrit ad Deum, rarius per se ad Deum accedit; 4. precatio Dei per invocationem sanctorum arguit majorem humilitatem.* Sic ergo majoris meriti et efficaciae statuitur oratio, quae fit per sanctos sine verbo, quam quae fit ex fide in Christi nomine praelucente verbo etc. Similia occurrunt apud Pistorium in hodegetic. pag. 271. ex quibus cuilibet manifestum, quod Pontificii sanctos non solum in officio mediatoris et intercessoris Christo conjungant, sed quantum in se est, Christum ab hoc officio prorsus removeant et in ipsius locum sanctos substituant.

387. Lib. ejusd. cap. 20. Bellarminus sic excipit, *2. nullam injuriam fieri Christo per invocationem sanctorum, neque enim invocari sanctos, ut fungantur vice Christi vel ut Christum adjuvent, sed ut adjuvent nos, quo facilius a Deo per Christum impetremus, quae poscimus.* Respondemus: 1. Quicunque sanctis illud tribuit, quod soli Christo tribuendum esse Scriptura docet, ille injuriam Christo infert. Atqui invocatio sanctorum tribuit sanctis
illud, quod soli Christo tribuendum esse Scriptura XVIII. 111.
docet, videlicet in ipsius nomine esse Deum invocandum, ipsum esse unicum nostrum mediatorem et intercessorem etc. Ergo. Certe quando sanctorum intercessione et meritis Pontificii nos jubent uti, affectu φιλανθρωπίας ac συμπαθείας Christum exuunt et a familiari ipsius accessu nos ablegant, ad quem tam benevole nos invitat Matth. 11, v. 28. Joh. 6, v. 37. cap. 14, v. 6. 2. An non derogat honori Christi, quod Mariam sic compellant: *O felix puerpera, jure matris impera. Ora humiliter, praecipe sublimiter* etc.? 3. Qui Christum animis hominum inprimunt ut iratum judicem, ad quem non nisi per sanctos pateat accessus, quique sanctos statuunt esse *mediatores mediatoris*, illi revera sanctos ideo invocant, ut fungantur vice Christi. Ratio connexionis est manifesta, quia hoc Christi est officium et quidem proprium, mediatoris et intercessoris partibus apud Deum fungi, reconciliare Deo Patri, suis meritis et intercessione exauditionem nobis impetrare. Atqui Pontificii hoc faciunt, ut constat ex praxi. Exstant picturae in templis publice propositae, in quibus Maria pallio misericordiae suae tegit, quos Christus iridi insidens tetrico vultu intuetur, jacula in eos projicit et damnationi adjudicare constituit. Exstat etiam in templis talis pictura: infimo loco stat peccator facie ad B. Virginem versa hac illam compellans precatione:

2. Sanctos non invocari, ut Christum, sed ut nos adjuvent.

*Te rogo Virgo pia, nunc me defende Maria.*

Ex uno latere B. Maria denudatis uberibus Christum filium sic alloquitur:

*Haec quia suxisti, fili, veniam precor isti,*

digito monstrans peccatorem. Ex altero latere conspicitur Christus vulnera Patri coelesti monstrans his verbis:

*Vulnera cerne Pater, da quod rogitat mea mater.*

In sublimi constitutus Pater coelestis respondet:

*Quaeque petita dabo, fili, tibi nulla negabo.*

4. Qui sanctos vocant *coadjutores et cooperatores in opere redemtionis ac salutis nostrae*, illi revera sanctos ideo invocant, ut Christum adjuvent. Pontificii sanctos vocant coadjutores et cooperatores in opere redemtionis ac salutis nostrae. In Mariali anno 1493. Argentinae edito per Martinum Simmium in fol. libr. 1. cap. 5. fol. 13. b. sic legitur: *Ad ultimum fuit Dominus cum ea* (Maria) *et ipsa cum Domino in eodem labore et in eodem opere redemtionis. Mater misericordiae adjuvit Patrem misericordiarum in opere nostrae salutis, unde praedictum est de prima muliere, faciamus ei adjutorium. Quid est ergo, quod Dominus dicit Esa. 63: Torcular calcavi solus, et de gentibus non fuit vir mecum? Verum est Domine, quod non fuit vir tecum, sed mulier una tecum est, quae omnia vulnera, quae tu suscepisti in corpore, suscepit in corde.* Antoninus part. 3. summae tit. 3: *Securum accessum habes ad Deum o homo, ubi mater stat ante Filium, Filius ante Patrem. Mater ostendit Filio pectus et ubera, Filius Patri latus et vulnera.* Idem part. 4. tit. 15. cap. 44. §. 9. Mariam introducit cum Seraphim sic colloquentem: *Oportet impleri Scripturam dicentem: Non est bonum, hominem esse solum* etc. *non decet igitur eum* (Filium meum) *esse solum, sed me matrem suam secum juxta eum datam sibi in adjutorium, in redemtione per compassionem, in glorificatione per intercessionem continuam pro humano genere, ut cum minatus fuerit subvertere terram sicut in diluvio, ego appaream tanquam arcus, ut recordatus foederis repropitietur.* In exercitiis Tauleri super passionem
XVIII. 112. Domini editis a Laurent. Surio Lugdun. pag. 346: *Jam duo hic videre erat altaria coelesti Patri praeparata. Unum in Christi corpore, alterum in corde virginis Mariae. Christus quidem carnem et sanguinem obtulit, Maria autem animam suam.* Et paulo ante: *Quia dolor tuus* (Maria) *filii tui cruciatibus respondebat, fuit ea propter et crux tua et afflictio tua incomprehensibilis ac immensa et merita infinita. Porro quandoquidem ita constitutum erat a Deo, ut beatissima virgo Maria media esset et conciliatrix Dei et hominis peccatoris, eam ob rem idem ipse eam tanta animi aegritudine ac moerore corripi permisit, ut tanta essent afflictionis ejus merita, quanta ut essent, talem decebant conciliatricem, qua et sufficere posset omnibus et ex immensis meritorum suorum thesauris omnibus opem fere.* Brigitta in revelat. cap. 3. Christum sic loquentem introducit: *Ego Filius Dei bene dicere possum, quod mater mea et ego quasi cum uno corde salvavimus hominem, ego patiendo corde et carne, ipsa cordis dolore et amore.* Vincentius Brunius in medit. festorum Beatae Virginis edit. Colon. anno 1599. pag. 11: *Cum Deus decrevit, Filio suo unigenito pro redimendo genere humano assumendam esse carnem, simul etiam decrevit et praedestinavit, quae deberet esse ejus mater et redemtionis nostrae cooperatrix.* Suarez tom. 2. comm. in Thom. disp. 22. q. 37. sect. 2: *Maria ad nostram redemtionem singulari modo cooperata est.* Lorin. in comm. 1. Joh. 2. p. 32: *Impartitur Christus hunc honorem* (patrocinii) *amicis suis, ut ipsius adjutores, ministri, cooperatores et coadvocati sint.* Osorius t. 4. conc. p. 530: *Christus in calvaria carnem, Maria immolabat animam.* Salmeronius t. 10. tract. 41: *Maria stetit sub cruce, ut esset adjutrix liberationis et corredemtrix, quemadmodum Eva una cum Adamo malum invexit.* Sotus in conf. cath. sanctos in coelo dicit esse *coadjutores et cooperatores in opere salutis nostrae.* 5. Qui meritis sanctorum se in precibus adjuvari confidunt, illi merita sanctorum merito Christi addunt et sanctos ideo invocant, ut Christum adjuvent. Pontificii id faciunt. Ergo. Majoris firmitas patet ex eo, quia ubi plures causae ad unum effectum producendum necessario concurrunt, ibi una alteram adjuvet. 6. Si sanctos ideo invocare debemus, ut nos adjuvent, quo nos facilius a Deo impetremus, quae petimus, utique Christo mediatori et intercessori ut adjutores eosdem conjungimus. Si enim propter solum Christum nos exaudiri orantes non ita facile impetramus, quae petimus, quam si intercessionem et merita sanctorum nobis in precibus comparemus, ergo sancti revera Christo in impetrandis a Deo beneficiis conjunguntur. 7. Ubi vero exstat in Scripturis promissio, quod Deus nos citius velit exaudire et quod facilius ea, quae petimus, debeamus impetrare, si una cum Christi merito etiam sanctorum merita ad tribunal Dei afferamus, nec Christi tantum, sed etiam sanctorum intercessioni confidamus? Certe Deus, per Christum mediatorem in vera poenitentia et fide a nobis invocatus, paratissimus est nobis dare, quidquid petimus Matth. 18, v. 19. Joh. 16, v. 23. 1. Joh. 5, v. 14. etc. ac major est Christi erga nos dilectio, quam ullius sancti Joh. 15, v. 13. Hebr. 4, v. 15. etc. meritum ipsius tam perfectum et absolutum est, ut merita sanctorum minime desideret, quibus in reconciliatione cum Deo et precum nostrarum exauditione adjuvemur. Solius Christi merito et intercessione, non autem sanctorum meritis nec propria dignitate vel dispositione preces nostrae niti debent, si velimus eas esse Deo gratas et ab ipso exaudiri. Nullus sanctorum tanta nobis praestitit, quanta Christus, nullus pro nobis mortuus est, nullus tam arcte nos diligit; majori igitur fiducia per Christum et in Christi nomine Deum possumus

XVIII. 113. invocare, quam sanctorum meritis et intercessioni confidere. 8. Ex Scripturis demonstrandum erat, Deum voluntatem suam in verbo sic revelasse, quod magis paratus sit nos exaudire, si meritis et intercessionibus defunctorum sanctorum in precibus confidamus, quam si solius Christi merito et intercessioni confidentes in vera poenitentia ac fide Deum invocemus. *Cor contritum et humiliatum Deus non despiciet* Psalm. 51, v. 19. *et gaudium in coelo est super peccatore poenitentiam agente* Lucae 15, v. 10. Quo ergo nos indigniores in vera poenitentia, fide et humilitate statuimus, eo acceptiores erunt nostrae preces per Christum et in Christi nomine Patri oblatae. Ad nostram dispositionem et dignitatem non est quod respiciamus, vera enim precantis dispositio haec est, agnoscere, se non esse satis dispositum ac dignum, in vera poenitentia et humilitate indignitatem et indispositionem suam agnoscere, afferre cor contritum et humiliatum, orare in spiritu et veritate etc. ad sanctorum etiam dispositionem sive merita non est respiciendum iisque confidendum, sed quod nobis nostraeve dispositioni deest, ex solius Christi perfectissimo merito unice petendum, in ipsius solius nomine orandum, in ipsum solum omnis exauditionis et salutis fiducia collocanda, ipsius unius satisfactio et meritoria dignitas judicio Dei opponenda etc.

3. Tollerentur etiam vivorum intercessiones.

388. *Si argumentum aliquid valeret, etiam concluderet, non esse petendas vivorum intercessiones, quod Scripturis contrarium.* Idem repetit Becanus in l. de invoc. sanct. p. 14: *Si invocatio eorum, qui nobiscum in hac vita degunt, non cedit in Dei aut Christi injuriam, ergo nec invocatio defunctorum.* Respondemus: est maxima diversitas inter *invocationem* sanctorum defunctorum et *petitionem intercessionis* viventium. 1. Vivorum intercessionem petimus permoti praecepto apostolico 1. Tim. 2, v. 1. Jac. 5, v. 16. promissionibus Gen. 20, v. 7. Job. 42, v. 8. et probatis piorum exemplis in Scriptura annotatis 1. Sam. 7, v. 8. Job. 42, v. 8. Rom. 15, v. 30. Eph. 6, v. 19. Col. 4, v. 3. 1. Thess. 5, v. 25. 2. Thess. 3, v. 1. Hebr. 13, v. 18. sed de sanctorum defunctorum invocatione non exstat aliquod *mandatum*, vel *promissio*, vel *probatum exemplum.* 2. Aliud est praesentis et viventis compellatio, aliud absentis et rebus humanis exemti religiosa invocatio. *Potes*, ait Lutherus in art. Schmalc. *ut Christianus et sanctus in terris pro me orare, non in una tantum sed in omni necessitate, propterea autem non debeo te adorare, invocare, ferias, jejunia, oblationes, missas in tui honorem et cultum celebrare et fidem ad salutem meam tibi mancipare, cum aliis modis te honorare, diligere et tibi in Christo gratias agere possim.* Compellatio viventium est opus caritatis et pertinet ad secundam decalogi tabulam; invocatio defunctorum est cultus religionis et pertinet ad primam decalogi tabulam. 3. Non ideo viventes ad preces suas nobis conjungendas compellamus, ac si propter ipsorum merita nos petita impetraturos confidamus, id quod defunctis sanctis Pontificii asscribunt, sed ut Christianae caritatis affectum ipso facto declarent, ut precibus suis nobiscum contra Satanam et omnes hostes pugnent, *ut Deum quasi manu facta precationibus nobiscum ambiant orantes, haec vis Deo grata est*, Tertullianus in apolog. c. 39. 4. Sancti in terris adhuc viventes nobis praesentes adsunt, calamitates nostras vident, desideria et vota nostra audiunt; sed defuncti ex terrenae et animalis vitae consortio in coelestem societatem sunt translati, ideo ne quidem eos alloqui aut pro suffragio atque auxilio compellare possumus, sicut vivos et praesentes in calamitatibus adire et ut sua nobiscum XVIII. 114.
vota conjungant, vel viva voce, vel per literas, vel internuntios compellare licet. Si demortuos sanctos compellamus, ea quae Dei solius propria sunt, omniscientiam, omnipotentiam, omnipraesentiam etc. illis adscribimus, quod in altera vita degentes nihilominus exaudiant preces, quae in terris et quidem diversis in locis funduntur, quod introspiciant arcana cordium et preces ex poenitentia et fide profectas ab hypocriticis discernant. 5. In vivos illos sanctos, quorum intercessionem petimus, non collocamus cordis nostri fiduciam neque in ipsorum nomine preces nostras Deo offerimus, quem honorem defunctis sanctis Pontificios exhibere manifestum est. Non ergo illorum compellatio, sed horum religiosa invocatio Christi mediatoris honori derogat. 6. Si viventium et defunctorum sanctorum est eadem ratio, ergo, ut vivi largiuntur viventibus eleemosynas, alter alteri occurrit solatio, mutuo se invisunt; ita quoque idem dicendum erit de defunctis. Itemque ut vivi mutuo se compellant et ad preces invitant; ita quoque defuncti vivos de precibus compellabunt, cum ipsi ab his eodem fine compellentur. 7. Nullum viventium sanctorum compellamus, ut sit noster apud Deum mediator, ut Deo nos reconciliet, ut sit salutis nostrae cooperator, ut sit beneficiorum spiritualium ac coelestium largitor, ut liberet nos ab aeterna damnatione etc. sed hunc honorem defunctis sanctis Pontificii tribuunt.

4. Christus manet solus mediator.

389. *4. Tribus de causis Christus dicitur unus et solus mediator Dei et hominum, 1. quia solus ipse fuit mediator per modum redemtionis. Notandum enim, posse tribus modis unum mediatorem reconciliare duos dissidentes. Uno modo declarando, uter justum petat; altero modo solvendo creditori pro debitore; tertio modo orando creditorem, ut debitum remittat. Primus modus declarationis inter Deum et hominem locum non habet, quia constat, Deum ab homine esse offensum. Secundo modo solus Christus est mediator Dei et hominum, et hoc modo loquitur apostolus 1. Tim. 2. ut patet tum ex eo, quod subdit: Qui dedit semet ipsum redemtionem pro nobis; tum etiam quia scribit ad Timotheum episcopum Ephesi in Asia, ubi tunc vigebat haeresis Simonis, quae angelos loco Christi introducebat. Postremo modo etiam sancti possunt dici mediatores inter Deum et eos, pro quibus orant. Neque est, cur timeamus nomen mediatoris*

*transferre ad sanctos, sicut ad eos transferimus nomen advocati et intercessoris, quae Christo tribuuntur Rom. 8. 1. Joh. 2. cum etiam Moyses dicatur mediator Deut. 5. Gal. 3. Hebr. 9. et 12. 2. Quia Christus non solum est mediator ratione officii, quia conciliat Deum homini, sed etiam ratione naturae, quia est medius inter Deum et hominem, cum ipse et Deus et homo sit, id quod erat necessarium ad reconciliandum hominem Deo. 3. Quia solus Christus ita est mediator omnium hominum, ut ipse nullo mediatore indigeat. Nam sancti ceteri etsi mediatores sunt inter Deum et nos, quia Deum suis precibus nobis propitium reddunt; tamen et ipsi indiguerunt reconciliari Deo per mediatorem Christum, et nunc etiam quidquid nobis impetrant, per Christum impetrant, Christus autem nec pro se, nec pro nobis ullo mediatore indiguit vel indiget, sed accedit per semet ipsum ad Deum semper vivens ad interpellandum pro nobis Heb. 7.* Eadem distinctione utuntur alii Pontificii. Eccius in enchir. c. 15. distinguit inter *mediatorem redemtionis et intercessionis*, ac sanctos negat esse mediatores redemtionis, sed tantum intercessionis. Salmeronius tom. 16. comm. in 1. Joh. p. 197: *Dicimus, hunc advocatum alios non excludere tanquam*
XVIII. 115. *invidum, sed potius includere.* Suarez. tom. 1. comm. in Thom. in fine q. 26, art. 1: *Quamvis solus Christus sit per se mediator praecipuus inter nos et Deum, nihilominus sancti homines et angeli quodam modo sunt mediatores, tamen per ipsum Christum.* Becanus de invoc. sanct. p. 94: *Christus dicitur unicus mediator, non quia solus est, sed quia principalis est, sancti sunt mediatores secundarii.* Alii distinguunt inter *mediatorem immediatum*, quem concedunt esse solum Christum, et *mediatores mediatos*, quos dicunt esse defunctos sanctos, quam distinctionem etiam affert Bellarminus c. 16. §. penult. Respondemus: 1. quidam ex sanioribus Pontificiis agnoscunt, *sanctos defunctos proprie non posse dici mediatores Dei et hominum*, cum apostolus expresse dicat: *Unus est mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus.* Joh. Hesselius professor Lovaniensis (quem Philippus rex misit ad concilium Tridentinum quemque Joh. Molanus censor regius et apostolicus praefatione in censuram Hesselii *pietatis, prudentiae, zeli pro domo Dei aliarumque virtutum nomine* singulariter laudat) in comm. 1. Tim. 2. sic scribit: *Ob eam causam Christus dicitur mediator Dei et hominum, quia Deum hominibus reconciliat placando eum super peccatis commissis et impetrando nobis spiritum obedientiae, quo deinceps placeamus Deo. Itaque ex dictis manifestum est, sanctos homines et angelos non esse mediatores, ut Scriptura loquitur, quia non possunt per se ipsos Deo placere; imo ut impropria locutione mediatores dicantur, non tamen mediatores esse Dei et hominum, sed si ita loquendum est, mediatores ad mediatorem. Quidquid enim aut angelus, aut homo sanctus a Deo petit, id petit per Christum mediatorem neque ipse ad Deum immediate accedit, ut Christus.* Claudius Espencaeus episcopus in append. comm. 1. Tim. tract. de Christo mediatore c. 9: *Per illum* (Christum) *et unicum et solum mediatorem Dei et hominum oblationes et preces nostrae sunt exaudibiles*, quod probat ex verbis Petri 1. ep. 2, v. 5. asserentis, *ecclesiam esse domum spiritualem, sacerdotium sanctum ad offerendum Deo spirituales hostias acceptabiles per Christum.* 2. Si solum Christum esse *mediatorem redemtionis* ex animo Pontificii credunt, cur ergo Mariam in opere redemtionis Christi adjutricem statuunt, ut superius vidimus? cur merito Christi conjungunt merita sanctorum et sperant, se non solum intercessione, sed et meritis sanctorum apud Deum juvari? cur operibus supererogationis a sanctis praestitis confidunt ac propter illa se exaudiri sperant? 3. Sicut *unus est Deus*, ita quoque *unus mediator Dei et hominum* 1. Tim. 2, v. 4. 5. At Deus ideo unus est, non quia Deus alius est *principalis*, alius *secundarius*, sed quia solus est et numero unus Deus nec praeter eum alius statuendus. Ergo etiam mediator Dei et hominum ita unus est, non ut alius sit principalis, alii secundarii, sed ut solus sit mediator et praeter eum nullus alius. 4. *Mediator intercessionis* in sacris literis sic describitur, quod ratione personae et officii sit θεάνθρωπος, inter Deum et homines medius, 1. Timoth. 2, v. 4. perfecte *justus* 1. Joh. 2, v. 1. qui *purgationem peccatorum nostrorum fecerit per se ipsum* Hebr. 1, v. 3. *qui dederit se ipsum pretium redemtionis pro omnibus* 1. Tim. 2, v. 6. qui sit *propitiatio pro totius mundi peccatis* 1. Joh. 2, v. 2. qui sit *in omnibus, quibus nos tentamur, etiam ipse tentatus, excepto peccato et hinc sensu infirmitatum nostrarum possit affici* Hebr. 4, v. 15. cap. 2, v. 18. *quem sacerdotes V. T. praefigurarint, quorum munus proprium hoc erat, ut intercederent pro suis et populi peccatis* Hebr. 4, v. 1. c. 8, v. 8. *qui ideo in coelum adscenderit et ad dextram Dei consederit, ut vultui Dei pro nobis appareret et pro nobis intercederet* Rom. 8, v. 34. Hebr. 8, v. 1. c. 9, v. 24. *qui sit pontifex noster magnus, qui coelos penetraverit* Hebr. 7, v. 25. *per quem pacem habeamus apud Deum* Rom. 5, v. 1. *per quem pateat nobis* XVIII. 116.
*aditus ad Deum* Rom. 5, v. 2. Eph. 3, v. 12. *qui propterea quod in aeternum manet, perpetuum habeat sacerdotium ἀπαράβατον, quod non transeat ad alios, unde ad plenum et perfecte salvare potest, qui per ipsum ad Deum accedunt, semper vivens, ut interpellet pro iis* Hebr. 7, v. 25. *per quem assidue offerre possumus sacrificium laudis, hoc est fructum labiorum confitentium nomini ejus* Hebr. 13, v. 15. *in cujus nomine possimus ac debeamus orare* Joh. 16, v. 23. *qui sit misericors ac fidelis pontifex in his, quae apud Deum nobis peragenda* Hebr. 2, v. 18. *ad quem ceu thronum gratiae cum fiducia accedere possumus et consequi misericordiam et gratiam invenire ad opportunum auxilium* Hebr. 4, v. 16. *qui omnes laborantes et oneratos unice ad se vocat et refectionem animarum*

*ipsis promittit* Matth. 11, v. 28. *qui sit auctor et consummator salutis nostrae* Hebr. 12, v. 2. jam vero haec membra descriptionis et conjunctim et separatim accepta non conveniunt sanctis, sed soli Christo. Ergo sancti defuncti non sunt mediatores intercessionis apud Deum, sed solus Christus. 5. Mediatoris nostri apud Deum intercessio nititur ejusdem satisfactione ac merito, unde in sacerdotali Christi officio *satisfactio, meritum et intercessio* indivulso nexu conjunguntur 1. Timoth. 2, v. 5. 1. Joh. 2, v. 2. etc. Non potest ergo inter *mediatorem redemtionis et intercessionis* eo modo distingui, ut solus Christus statuatur mediator redemtionis, sancti autem Christo adjungantur in officio mediatorio intercessionis, sed ut solus Christus est mediator redemtionis, ita quoque solus est mediator intercessionis. Mediatorem nostrum oportet esse a Deo ipso ad hoc officium electum, constitutum et ordinatum; item oportet eum esse sine peccato et perfecte justum; denique oportet ipsum nos Deo reconciliare. At hae conditiones uni et soli Christo, non autem sanctis conveniunt. **Augustinus in lib. meditat. cap. 5: *Quem alium dirigam tibi intercessorem nisi hunc, qui est propitiatio pro peccatis nostris?*** 6. Neque est, quod regeras, *etiam viventes sanctos pro viventibus intercedere, ac proinde non solum Christum esse intercessionis mediatorem.* Distinguendum enim inter sacerdotalem, *mediatoriam* et *ἱλαστικήν*, *meritoriam ac propitiatoriam intercessionem*, qua solus Christus vi sanctissimi ac sufficientissimi sui meriti pro nobis praestiti apud Deum Patrem intercedit, et *intercessionem συναγωνιστικήν*, qua sancti, qui in terris adhuc militant, conjunctis precibus adversus Satanam et ejus organa nobiscum pugnant. *In terris* habemus multos intercessores, qui humiliter nobiscum divinam misericordiam et opem implorent, sed *in coelis* unicum mediatorem et intercessorem vi sanctissimi sui meriti pro nobis deprecantem habemus Jesum Christum. Pontificii vero hunc honorem soli Christo debitum cum sanctis communicant. 7. Si sancti defuncti essent mediatores intercessionis, tum haberent mandatum, quo partes illae divinitus ipsis imponerentur, haberent promissionem, quod pro aliis intercedentes certissime debeant exaudiri, essent conscii omnium eorum, quae in terris geruntur, adeoque omnium calamitatum, quibus illi premuntur, qui in precibus ad ipsos confugiunt etc. Sed nihil horum defunctis sanctis competit. Ergo non sunt mediatores intercessionis. 8. Si distinctionem illam inter *mediatorem redemtionis et intercessionis* novisset rex Usias 2. Paral. 26, v. 18. luculente refutare potuisset Azariam et alios sacerdotes Jehovae, qui dixerunt, *ejus non esse adolere incensum, sed sacerdotum filiorum Aaronis.* Distinguere enim eodem modo potuisset, sacerdotes quidem solos offerre oportere super altare sacrificiorum et victimarum tanquam mediatores redem-
VIII 117 tionis, sed super altare suffitus, quod erat altare intercessionis, etiam alios offerre posse. 9. Si sancti defuncti sunt *mediatores mediati*, per quos ad Christum nobis parandus aditus, qui est sacerdos et *mediator immediatus*, consequens fuerit, sanctos majori dilectione nos complecti quam ipsum Christum, quia sanctos accedere possumus sine mediatore, ad Christum autem aliis mediatoribus nobis opus. 10. Mediatoris est parti laesae satisfacere At Christus, ad quem per sanctos accedimus, est pars laesa. Huic ergo satisfacient sancti vel immediate, et sic erunt immediati intercessores, quod tamen negant Pontificii; vel mediate, et sic edisserant nobis aliud medium, per Christum enim agere non possunt, cum sit judex, neque possunt Pontificii exprimere aliud medium. Ergo sancti nec sunt mediati mediatores et per consequens prorsus non sunt mediatores, sicque Pontificii *nesciunt, quid adorent* Joh. 4, v. 22. 11. Si defunctis sanctis preces nostrae per divinam revelationem innotescunt, non possunt invocari ut *mediatores intercessionis.* Sed prius statuunt multi ex Pontificiis, ut vidimus in quaestione prima, agnoscant ergo etiam posterius. Connexio majoris probatur, quia qui mediatoris officio fungi expetit, ille debet per se audire preces eorum, qui ipsius intercessionem desiderant. Qualis enim mediator erit is, cui ab eo, apud quem mediatorem agere debet, prius indicandum, quod ab alio sit mediator et intercessor prius fuerit compellatus? 12. Si sancti essent mediatores intercessionis, tunc in Scripturis uspiam hoc encomio ornarentur. Sed hoc posterius probari nequit. Ergo nec prius asserendum. Regerit quidem Bellarminus, *Moysen vocari mediatorem*, sed hoc argumentum est a quaestione alienum. Quaestio enim est de sanctis defunctis, sed argumentum loquitur de Moyse in terris officium suum exsequente. De tali mediatore hoc loco quaestio est, qui *meritoriam intercessionem* Deo pro nobis in coelo offerat. Talis mediator nec Moyses, nec ullus homo fuit, sed hic honor soli Christo competit. Quo sensu ac respectu Moyses dicatur mediator, satis manifeste exponitur Deuter. 5, v. 5: *Ego stabam inter Deum et vos in tempore illo, ut annuntiarem vobis verba ejus.* Ergo quatenus Moyses fuit internuntius divinae voluntatis et minister *νομοθεσίας*, eatenus vocatur mediator: Atqui tale officium sanctis competere Scriptura nuspiam asserit. 13. Si sancti defuncti essent mediatores intercessionis, utique *in ipsorum nomine* orandum foret, et hoc honoris encomium etiam sanctis viventibus pro nobis apud Deum interpellantibus tribui posset. Sed consequens est absurdum. 14. Concedit Bellarminus, *Christum ideo vocari unum ac solum mediatorem Dei et hominum, quia non solum ratione officii, sed etiam ratione naturae est mediator, cum sit Deus et homo*, ex quo ita inferimus. Quicunque apud Deum est mediator intercessionis: *ratione officii*, illum etiam oportet esse mediatorem *ratione personae.* Connexio probatur, quia officium mediationis talem personam necessario requirebat, quae esset Deus et homo, ut suo loco plenius demonstratur. Chrysostomus hom. 7. in 1. ep. Tim.

*Enimvero mediator utrisque* (Deo scilicet et hominibus) *debet societate conjungi, quorum mediator est. Quodsi unum quidem societate contingat, ab alio vero fuerit separatus, mediator dici non potest. Nisi igitur consors sit paternae naturae, mediator profecto non est, quippe cum a Patris sit substantia separatus.* Intercedit Christus mediator vi sui meriti, quia enim infinitum meritum pro nobis praestitit, ideo etiam efficaciter pro nobis interpellare potest. Infinitas illa meriti dependet ab infinitate personae, quae non solum homo sed et Deus. Quicunque ergo non sunt mediatores *ratione*
XVIII. 118. *naturae* seu *personae*, illi etiam non possunt esse mediatores *ratione officii*. Jam vero constat, sanctos non esse mediatores ratione naturae, ergo non possunt esse mediatores ratione officii. Idem probat res ipsa. Qui enim cupit esse *mediator intercessionis*, illum oportet iram Dei placare, peccata tollere, ab aeterna morte liberare, maledictionem legis abolere, perfectam justitiam adducere, Spiritum s. credentibus et ex fide orantibus donare. Jam vero haec omnia praestare nemo potest, nisi qui sit mediator etiam *ratione naturae*, id est in personae unitate verus Deus et verus homo. Deus est justissimus, imo ipsius justitia est ignis consumens, nos sumus instar stipulae. Accedentibus ergo nobis ad Deum mediatore et intercessore opus, et quidem tali, qui peccata expiaverit et justitiae divinae satisfecerit. Ejusmodi mediator et intercessor non est nec esse potest alius quam solus Christus. 15. Denique tribus illis causis a Bellarmino assignatis, ob quas solus Christus dicatur mediator Dei et hominum, addendum vel maxime illud, quod Christus inde atque ideo dicatur unus mediator Dei et hominum, quia *per ipsum solum patet nobis aditus ad Patrem* Joh. 14, v. 6. *et quia non est in alio quoquam salus, neque aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* Act. 4, v. 12. quod ipsum si probe observetur, in fumum abeunt, quaecunque de sanctis in consortium mediatorii officii adscitis Pontificii magno, sed irrito conatu disputant. Christum pro nobis apud Patrem intercedere ex Scripturis certum est, cum fiducia igitur ad thronum gratiae per ipsum accedere et in ipsius nomine preces nostras Deo offerre possumus de exauditione minime dubii; sed quod per sanctorum defunctorum intercessionem et merita ad Deum accedere possimus, de eo altum in Scripturis silentium. Teneamus igitur certum relicto incerto.

3. Sanctorum conditionem minime ferre, ut invocentur. 1. quia non sunt omniscii.

390. 3. Ut *Dei et Christi mediatoris*, ita quoque ipsorummet *sanctorum* conditio non permittit, sanctos invocari, 1. quia *non sunt omniscii*, nec *καρδιογνῶσται*. Sic enim concludimus. Ille solus est religiose invocandus, qui est omniscius et *καρδιογνώστης*. Sancti non sunt omniscii nec *καρδιογνῶσται*. Ergo sancti non sunt religiose invocandi. Assumtionis veritas in quaestione 1. fuit demonstrata. Major propositio probatur 1. *ex objecti*, ad quod invocatio dirigenda est, *descriptione*. Matth. 6, v. 6: *Ora Patrem tuum, qui est in occulto, et Pater tuus, qui videt in occulto, reddet tibi in propatulo.* Jer. 11, v. 20: *Tibi Domine, qui judicas juste et probas corda et renes, revelavi causam meam* (per pias et serias preces). Psalm. 44, v. 21: *Si expandissemus manus nostras ad deum alienum*, v. 22. *nonne Deus investigaret ista? ipse enim novit abscondita cordis* etc. 2. *Ex illatione.* Sancti ex eo concludunt, se ad Deum clamantes exaudiri, quia Deus, qui exauditionem paterne promisit, est omniscius et *καρδιογνώστης*. Ergo a contrario sensu, quando invocatur is, qui non est omniscius nec *καρδιογνώστης*, non possumus esse certi de exauditione. Psalm. 18, v. 7: *In tribulatione mea invocavi Dominum et ad Deum meum clamavi, et exaudivit de templo sancto suo vocem meam, et clamor meus in conspectu ejus introivit in aures ejus.* Psalm. 38, v. 10: *Domine ante te omne desiderium meum et gemitus meus a te non est absconditus.* v. 17. *In te Domine speravi, tu exaudies me Domine Deus meus.* Psalm. 79, v. 11: *Introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum.* Paulus Rom. 8, v. 27. preces piorum Deo gratas esse et ab ipso exaudiri probat hoc argumento: *Qui scrutatur corda, scit, quid desideret spiritus.* 3. *Ex oppositione.* Elias propheta 1. Reg. 18, v. 27. Baalitarum deum non XVIII. 1
esse invocandum demonstrat ex eo, quia non potest exaudire preces se invocantium. Psalm. 115, v. 6: *Simulacra gentium aures habent et non audiunt.* 4. *Ex illius, qui invocandus est, necessaria conditione.* Qui religiose invocandus est, illum oportet audire preces sibi oblatas, alias invocatio erit inanis sonus aërem diverberans. Jam vero exaudire preces piorum requirit et omniscientiam et *καρδιογνωσίαν*. Ratio prioris est, quia uno eodemque tempore in locis compluribus preces a piis funduntur, ac proinde ad preces ipsorum exaudiendas non sufficit particularis quorundam notitia, sed requiritur generalis, plenaria et perfectissima omnium circumstantiarum cognitio. Ratio posterioris est, quia preces quandoque solo cordis gemitu sine voce exteriore peraguntur, ac proinde eum, qui velit preces exaudire, oportet esse cordis scrutatorem et arcanorum in cordibus hominum latitantium conscium.

Exceptiones Bellarmini. 1. alius fungitur vice sanctorum.

391. Excipit Bellarminus cap. 20. resp. ad 3. *1. consecutionem hujus argumenti negari posse. Nam cum certum sit ex patrum testimoniis et miraculis a Deo ostensis, eos, qui invocant sanctos, exaudiri et impetrare, quod petunt, ideo non frustra invocantur sancti, etiamsi demus, eos non audire neque cognoscere preces nostras, nam aliquis alius eorum vice fungitur, sicut non frustra supplicat regi, qui certe scit, regem non lecturum supplicationem, sed aliquem alium ex aula ejus, et nihilominus ita se impetraturum, quod petit, ac si rex legisset supplicationem.* Respondemus: 1. Invocationem sanctorum nec ex unanimi patrum consensu, nec ex miraculis demonstrari posse, postea ostendemus. 2. Hoc loco urgemus illud, quod nec patrum dicta, nec miracula solidum et immotum praebeant

fidei fundamentum, sed solum et unicum Dei verbum. Fides enim nostra non potest nec debet niti hominum auctoritate vel miraculis incertis, sed solius Dei assertione. 3. Immota et necessaria est illa connexio. Si sancti non audiunt nec cognoscunt preces nostras, non debent a nobis invocari, ut patet ex argumentis paulo ante adductis. 4. Ecquis vero est ille *alius, qui sanctorum vice fungitur?* Sanctos Pontificii vocant *mediatores ad mediatorem* Christum. Quodsi alius vice sanctorum fungitur, qui preces nostras illis revelet, tunc aliis mediatoribus ad hos mediatores opus erit. Sic Maria est mediatrix ad mediatorem Christum; Johannes vel alius quidam sanctus est mediator ad Mariam, quis vero erit mediator ad Johannem? Nos non novimus alium Dei et hominum mediatorem quam Christum Jesum. 5. Sanctis preces nostrae revelantur vel per Deum, vel per angelos. Prius dici nequit, ut in quaestione 1. demonstravimus; posterius itidem affirmari nequit, quia altum hac de re in Scripturis silentium, et quia angelorum ut essentia, ita quoque scientia est finita, unde arcanos cordium humanorum recessus intueri et omnes in diversis locis Deum invocantes audire nequeunt. 6. Si per eum, qui sanctorum vice fungitur, Bellarminus intelligit Deum ipsum, *a quo ea, quae in terris geruntur, sanctis revelari* paulo post scribit, consequens fuerit, Deum esse mediatorem, imo ministrum sanctorum. Qui enim alterius vice fungitur, is est mediator, imo minister ejus. 7. Idem ex adducta similitudine deducitur. Si enim sancti conferuntur regi, qui non legit supplicationes, Deus illi, qui supplicationes regi inscriptas legit, utique sancti constituuntur domini, Deus autem ipsorum vicem tenens vel cancellarius vel secretarius vel silentiarius constituitur. 8. Longe alia ac diversa ratio est curiae coe-
XVIII. 120. lestis quam terrenae. Reges terreni propterea utuntur opera ministrorum et consiliariorum, qui supplicationes subditorum ad ipsos deferant, quia ipsi per se non possunt omnia audire et expedita dare; Deus autem noster, quem invocamus, est omniscius et omnipotens, ideo nullis ipsi opus est referendariis, multo minus ipse est sanctorum referendarius, qui preces nostras ipsis revelet, ut postea pro nobis intercedant. 9. Eodem subterfugio gentium idololatria palliari poterat. Etsi idola ipsa non audiant, esse tamen alium, qui ipsorum vice fungatur, ideoque idola non frustra invocari.

2. Sancti praesunt rebus terrenis. 392. *2. Etsi dubitatio esse possit de modo, quo sancti cognoscunt absentia et quae solo cordis affectu interdum proferuntur, tamen certum est, eos cognoscere, cum praesint nobis et rerum nostrarum curam gerant. Et certe melior est haec consequentia, sancti recte invocantur, ergo sciunt, quid petamus; quam illa, non sciunt, quid petamus, ergo non recte invocantur. Nam antecedens primi argumenti habetur ex consensu totius ecclesiae; antecedens secundi non probatur ullo solido fundamento.* Respondemus: 1. hoc vero est τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν. De eo enim quaeritur, an sancti ea ratione praesides rerum nostrarum constituti sint, ut in particulari noverint omnia, quae in terris geruntur. De eo vel maxime adhuc dubitatur, an sancti sint religiose invocandi, proinde nec ex praesidentia, nec invocatione sanctorum ipsorum omniscientia et χαρδιογνωσία probari potest. 2. Possunt sancti *in genere* pro nobis deprecari et curam nostrorum gerere, ex eo tamen inferri nequit, quod *in particulari* omnia noverint, quod occultos cordium gemitus audiant, quod religiose sint invocandi. 3. Si est verus verae ecclesiae consensus, sanctos esse religiose invocandos, tum apertis et perspicuis Scripturae testimoniis id ipsum comprobari debet, quia vera ecclesia verbo Dei sese subjicit et ex eo se informari patitur. 4. Sanctos defunctos in particulari nescire, quae in terris geruntur, superius evidentibus argumentis et, ut phrasis Epiphanii habet, λευκοῖς ἐλέγχοις fuit comprobatum. 5. Gentiles eodem argumento suam excusare potuissent idololatriam. Qui idola invocant, exaudiuntur. Ergo idola recte invocantur. 6. Consensus ecclesiae verbo Dei destitutus est humanus. Atqui consensus ecclesiae de invocandis sanctis destituitur Dei verbo. Ergo est duntaxat humanus et per consequens non potest immotum fidei fulcrum praebere. Nostra autem assertio, quod sancti defuncti nesciant in particulari, quae in terris geruntur, deducitur ex manifestis Scripturae dictis. Ergo est dogma divinum et per consequens meliorem suppeditat consequentiam pro evertenda sanctorum invocatione quam consensus ecclesiae pro eadem stabilienda. 7. Nondum demonstratum est, invocationem sanctorum niti perpetuo totius ecclesiae consensu. Multi ex Pontificiis agnoscunt, in V. T. non fuisse invocatos sanctos, jam vero Israëlitica ecclesia V. T. non potest a totius ecclesiae consortio separari. Quae de quatuor distinctis modis, quibus sancti cognoscant ea, quae in terris geruntur, Bellarminus subjungit, superius in 1. quaestione sunt discussa.

393. *2. Quia non sunt omnipraesentes*, ubi sic inferimus. Ille solus est religiose invocandus, qui est omnipraesens. Sancti non sunt omnipraesentes. Ergo sancti non sunt religiose invocandi. Minoris veritas confirmata fuit superius quaestione 2. Major propositio probatur 1. *ex objecti*, ad quod dirigenda est invocatio, *descriptione*. Deuter. 4, v. 7: *Non* XVIII. 121.
*est alia natio, quae habeat deos appropinquantes sibi, sicut Dominus Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.* Psalm. 91, v. 15: *Clamabit ad me, et audiam eum, cum ipso sum in tribulatione, eruam eum.* Psalm. 145, v. 18: *Dominus prope est omnibus invocantibus eum.* Esa. 55, v. 6: *Invocate Dominum, dum prope est.* *2. Ex illatione.* Matth. 18, v. 19: *Dico vobis, si duo ex vobis consenserint super terram de omni re, quamcunque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in coelis est.* v. 20. *Ubi enim duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Ubi observa particulam αἰτιολογικὴν γάρ, inde atque ideo orantes in meo

2 Sancti non sunt omnipraesentes.

nomine exaudientur, inquit Christus, quia ubi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorum. *3. Ex oppositione.* Elias propheta 1. Reg. 18, v. 27. ex eo demonstrat, Baalitarum deum non esse invocandum, quia non adsit praesens invocantibus. *Clamate*, inquit ad Baalis sacerdotes, *voce majore, deus enim est et forsitan meditatur aut negotium habet, aut in itinere est, aut certe dormit, ut excitetur. 4. Ex illius*, qui invocandus est, *necessaria conditione.* Qui religiose invocandus est, illum oportet praesentem adesse iis, a quibus invocatur, ut possit eos ex omnibus periculis et adversis potenter eripere ac salutem illis praestare.

**Exceptio Pistorii, omnipraesentiam non requiri in invocationis objecto.**

394. Excipit Pistorius in hodeget. cap. 6. p. 227. *absentiam sanctorum nihil facere ad hoc argumentum, ut nimirum inde concludatur, sanctos non esse invocandos.* Atqui 1. argumenta modo in medium allata ostendunt, religiosam invocationem omnino requirere praesentiam ejus, ad quem invocatio dirigitur. 2. Qui non est praesens, ille etiam non potest audire preces invocantium, nec potest invocantibus auxilium praestare et ex periculis eos eripere. Si obvertere velint, *sanctis loco absentibus preces nostras vel divinitus revelari, vel per angelos ac animas e terris venientes statum viventium ipsis manifestari*, repetenda erunt ea, quae de modis illis notitiae dicta sunt in quaestione 1. 3. Bellarminus ipse agnoscit, omnipraesentiam ejus, qui invocatur, ad religiosam invocationem requiri, sic enim scribit cap. 20. resp. ad 3. arg.: *Ad cognoscendas preces, quae eodem tempore fiunt in diversissimis locis, non sufficit celeritas, sed requiritur vera ubiquitas, quam nec angelorum, nec hominum spiritibus convenire credimus.* Idem tamen in resp. ad arg. 6. addit: *Sancti non sunt absentes quoad exauditionem, licet loco absentes videantur*, cui breviter responsum fuit superius quaestione 2. quia sancti sunt *loco absentes*, ideo etiam quoad *exauditionem sunt absentes.* Nullus enim religiose invocari debet, nullus religiose invocantes exaudire potest, qui est loco absens, cum Scriptura haec duo arctissime conjungat. Vidit hoc Bellarminus, ideo dubitative scribit, *licet absentes loco videantur.* Atqui alterutrum horum eligendum. Aut sancti nobis in terris re vera sunt praesentes, aut non sunt religiose invocandi. 4. Si ad quaestionem de invocatione sanctorum nihil facit ipsorum vel absentia, vel praesentia, cur quidam ex ipsis Pontificiis ἄτερ γραφῶν omnipraesentiam vel certe praesentiam in terris magno conatu sanctis vendicant?

**3. Quia non sunt omnipotentes.**

395. *3. Quia non sunt omnipotentes,* ubi sic concludimus. Ille solus est religiose invocandus, qui est omnipotens. Sancti non sunt omnipotentes. Ergo sancti non sunt religiose invocandi. Assumtum confirmavimus superius quaestione 3. Major propositio demonstratur *1. ex objecti*, ad quod dirigenda
XVIII. 122. est invocatio, *descriptione.* Exod. 15, v. 2: *Fortitudo mea et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem, iste Deus meus, et glorificabo eum.* Psalm. 18, v. 2: *Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus petra mea, et arx mea et liberator meus, Deus meus, rupes mea et sperabo in eum.* v. 4. *Laudans invocabo Dominum.* v. 49. *Eripies me a viro violento, propterea confitebor tibi in nationibus Domine et nomini tuo psalmum dicam.* Psalm. 62, v. 6: *Spes mea in Deo est.* v. 7. *Profecto ipse est petra mea et salus mea.* v. 12. *Potestas Dei est, et tibi Domine misericordia* etc. 2. *Ex oppositione.* Psalm. 115, v. 3: *Deus noster in coelo omnia, quaecunque voluit, fecit.* v. 4. *Simulacra gentium argentum et aurum.* Psalm. 146, v. 2: *Laudabo Dominum in vita mea.* v. 3. *Nolite confidere in principibus, neque in filiis hominum, in quibus non est salus.* Lutherus, sie können ja nicht helfen. *3. Ex illius*, qui invocandus est, *necessaria conditione.* Qui religiose invocandus est, illum oportet infinita virtute esse praeditum, ut in quibusvis adversis auxilium praestare possit, haec enim sunt duo fulcra nostrae in precibus fiduciae, primo quod is, quem invocamus, sit benignissimus noster parens, ad auxilium promtissimus; secundo, quod sit omnipotens sufficientibus ad auxilium nobis ferendum viribus instructus. Horum alterutrum si desit, non possumus firmam de exauditione animo concipere fiduciam. Excipit Bellarminus cap. 17. *sanctos invocari tantum ut intercessores, non ut auctores divinorum beneficiorum, ac proinde non esse necessarium, ut sanctis tribuamus omnipotentiam.* Respondemus: si sancti non sunt omnipotentes, ergo nec religiose invocandi, quia omnipotentiam cum religiosa invocatione Scriptura perpetuo conjungit. Si sancti non sunt omnipotentes, ergo nec cordis fiducia in illos collocanda, quia objectum fiduciae omnipotenti virtute debet esse instructum. Adde quod sanctos non solum invocent ut intercessores, sed etiam ut largitores divinorum beneficiorum. Confer quae dicta superius quaestione 3. et 4.

**4. Quia non sunt largitores beneficiorum.**

396. *4. Quia non sunt largitores beneficiorum tam spiritualium, quam corporalium*, ubi sic inferimus. Ille solus est invocandus, qui est dator beneficiorum spiritualium et coelestium. Sancti non sunt datores beneficiorum spiritualium et corporalium. Ergo non sunt religiose invocandi. Minor confirmata fuit superius quaestione 4. Major patet 1. *ex dictis Scripturae*, quae Deum ideo invocandum esse docent, quia est fons omnium bonorum ad hanc et futuram vitam necessariorum. Psalm. 121, v. 2: *Auxilium meum a Domino, qui fecit coelum et terram.* Psalm. 146, v. 8: *Dominus solvit compeditos, Dominus illuminat coecos, Dominus erigit allisos, Dominus diligit justos*, v. 9. *Dominus custodit advenas.* Jac. 1, v. 5: *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter.* v. 17. *A quo omnis donatio bona et omne donum perfectum descendit. 2. Ex fine invocationis.* Ideo enim preces fundimus, ut omnia, quae ad hanc et futuram vitam nobis necessaria sunt, consequamur. Necessarium igitur est, ut ad eum preces nostras

dirigamus, qui est fons bonorum omnium et ex sua plenitudine absque ullo sui ipsius defectu eadem nobis elargiri potest. *3. Ex confessione adversariorum.* Bellarminus lib. 1. de beat. sanctor. cap. 17: *Non licet a sanctis petere, ut nobis tanquam auctores divinorum beneficiorum gloriam vel gratiam aliaque ad beatitudinem media concedant. Probatur hoc ex Scriptura* Psalm. 83: *Gratiam et gloriam dabit Dominus* etc. *Secundo ex usu ecclesiae; nam in orationibus, quae leguntur in missa vel in officio in celebritatibus sanctorum, nihil unquam aliud petimus, quam ut eorum precibus a Deo*
VIII. 123. *nobis beneficia concedantur. Tertio ratione; nam ea, quibus indigemus, superant vires creaturae ac proinde etiam sanctorum. Ergo nihil debemus a sanctis petere, nisi ut a Deo impetrent, quae nobis sunt utilia.* Excipiunt, *sanctos invocari posse ut impetratores ac intercessores*, sed quid de intercessione illa sanctorum statuendum sit, patet ex illis, quae in 2. sententiae nostrae argumento dicta sunt superius.

5. Quia non sunt praesides rerum humanarum.

397. *5. Quia non sunt praesides ac gubernatores rerum humanarum, cumprimis vero ecclesiae in terris adhuc militantis*, ubi sic inferimus. Ille solus est religiose invocandus, qui est praeses ac dominus totius universi et qui providentia sua terrena omnia, cumprimis vero ecclesiam gubernat. Sancti non sunt praesides ac gubernatores terrenorum, cumprimis ecclesiae. Ergo sancti non sunt religiose invocandi. Minoris veritas elucet ex illis, quae in quaestione 5. sunt allata. Major probatur tum ex *dictis Scripturae*, quae providentiam et rerum humanarum curam cum objecto religiosae invocationis perpetuo conjungunt. Psalm. 55, v. 23: *Jacta super Dominum curam tuam* (per pias et serias preces), *et ipse te sustentabit et non dabit in aeternum fluctuationem justo.* Psalm. 57, v. 2: *In umbrâ alarum tuarum sperabo*, v. 3. *clamabo ad Deum altissimum, Deum qui benefecit mihi;* v. 4. *mittet de coelo et liberabit me.* 1. Petr. 5, v. 7: *Omnem solicitudinem vestram projicite in eum* (per preces), *quoniam ipsi cura est de vobis.* Inde Israëlitae nolunt invocare Abrahamum et Jacobum, quippe qui eorum non agerent curam, sed ad solum Deum per preces sese convertunt. Esa. 63, v. 16: *Abraham nescit nos, Israël ignorat nos; tu autem Domine Pater noster es* etc. Tum ex *necessaria illius*, qui invocandus est, *conditione.* Qui enim religiose invocandus est, illum oportet esse dominum naturae et praesidem ecclesiae, ut potenter avertere possit, quae sunt nobis noxia, et ecclesiam ab hostibus defendere eosdemque efficaciter reprimere.

6. Quia in sanctos non est spes et fiducia collocanda.

398. *6. Quia in sanctos non est spes et fiducia collocanda*, ubi eo modo ratiocinamur. Ille solus est religiose invocandus, in quem fiducia et spes cordis collocanda. In sanctos defunctos non est fiducia et spes cordis nostri collocanda. Ergo sancti defuncti non sunt religiose invocandi. Assumtio confirmata est superius quaestione 6. Major probatur 1. *ex fidei et invocationis perpetua connexione.* Psalm. 2, v. 12: *Beati omnes, qui confidunt in eo* (Christo), confer Joël. 2, v. 32. Act. 2, v. 21. Rom. 10, v. 13: *Qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Matth. 21, v. 22: *Omnia quaecunque petieritis in oratione, credentes accipietis.* Marc. 11, v. 24: *Quaecunque orantes petitis, credite, quia accipietis et evenient vobis.* Jacob. 1, v. 5: *Cui deest sapientia, petat eam a Deo*; v. 6. *postulet autem in fide nihil haesitans.* Hebr. 11, v. 6: *Accedentem ad Deum oportet credere, quod sit et requirentibus eum largiatur praemia.* Illustre cumprimis est illud apostoli Rom. 10, v. 14: *Quomodo invocabunt, in quem non credunt?* ubi diserte docet, non posse nec debere eum invocari, in quem non est cordis fiducia collocanda. Chrysostomus homil. 18. in epist. Rom. in illa verba sic commentatur: *Salus in eo est, ut invocetur nomen Domini, invocatio vero fidem exigit, fides autem, ut auditum sit* etc. *2. Ex invocationis conditione.* Invocatio vera et Deo grata non potest esse absque fide, quae statuit, sese propter Christum mediatorem exaudiri, unde Gregorius Nyss. in lib. de orat. homil. 1. eam definit *eorum, quę petuntur certam fidem.* Ergo non potest religiose invocari, nisi is solus, in quem cordis fidu- XVIII. 124.
ciam et spem possumus collocare. Et fiducia et invocatio est cultus ad primam decalogi tabulam pertinens ac soli Deo debitus, fiducia enim ad primum, invocatio ad secundum decalogi praeceptum pertinet. Utriusque ergo unum atque idem est objectum, videlicet solus verus Deus. *3. Ex adversariorum confessione.* Quidam enim ipsorum agnoscunt, non posse sanctos invocari, nisi in eos etiam fiducia collocetur, ut vidimus superius q. 6. §. 398.

Exceptiones Pontificiorum.

399. Excipiunt Pontificii 1. *si hoc argumentum deberet militare, consequens fore, quod nec viventes sint compellandi, ut pro nobis intercedant, cum in illos nemo credat*, Costerus in enchirid. p. 407. Respondemus: est maxime dispar ratio inter religiosam invocationem sanctorum defunctorum, ut sua intercessione ac meritis apud Deum nos adjuvent et beneficia nobis necessaria largiantur; ac viventium et nobis in terris praesentium compellationem, ut Christianae caritatis officium nobis praestent et precibus suis nobiscum contra hostes ecclesiae pugnent. Religiosa invocatio, qualem defunctis sanctis Pontificii tribuunt, non potest esse absque cordis fiducia. Quodsi enim sanctos defunctos religiose invocamus, certos nos esse oportet, ipsos preces nostras exaudire et velle ac posse nos juvare. At haec fiducia soli Deo omniscio et omnipotenti debita nuspiam in sanctos jubetur collocari. *2. Non hoc velle apostolum Rom. 10, v. 14. quod nemo debeat invocari nisi is solus, in quem credimus, sed hoc tantum dicere, quod nemo invocare, orare ut honorare possit Deum, si eum ignorêt et non in eum credat*, ibid. Respondemus: imo vero apostolus diserte docet, non solum fidem requiri in invocatione, sed etiam unum idemque esse objectum religiosae invocationis

et fiduciae, adeo ut nemo possit invocare eum, in quem non collocat cordis sui fiduciam, *πῶς ἐπικαλέσονται*, inquit, *εἰς ὃν οὐκ ἐπίστευσαν*; Quodsi ergo Pontificii obtinere volunt, sanctos esse religiose invocandos, concedant necesse est, in ipsos etiam esse credendum et fiduciam cordis collocandam. *3. Apostolum ibi agere de invocatione, qua aliquis invocatur ut Deus et primus auctor bonorum, praecedit enim: Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit,* Bellarminus de beat. sanctor. cap. 20. resp. ad 1. Respondemus: concedimus, apostolum loqui de invocatione Dei religiosa, et ex eo inferimus, cultum religiosae invocationis nemini posse vel debere deferri nisi illi, in quem etiam cordis fiducia collocari potest, ut indivulsa connexio fiduciae et invocationis ostendit. Quod Bellarminus tacite praesupponit, *posse sanctos religiose invocari, licet non invocentur ut dii et primi auctores bonorum*, in eo petit principium, quia jam ante ostendimus, nemini religiosae adorationis cultum esse deferendum, nisi qui sit primus auctor bonorum. Vidit hanc textus apostolici evidentiam et immediatam fiduciae ac religiosae invocationis connexionem Bellarminus, ideo concedit *suo modo in sanctos esse credendum* et *in eis ut patronis sperandum*, qua de re quid statuendum sit, expositum fuit superius quaestione 6.

7. Quia sancti repudiant honorem religiosae invocationis.

400. *7. Quia sancti non recipiunt honorem religiosae invocationis sibi delatum, sed eundem potius repudiant*, ubi sic concludimus. Quem honorem sancti ductum verbi coelestis secuti nequaquam recipiunt, sed eundem potius repudiant, is non est sanctis deferendus. Sed honorem religiosae invocationis sancti ductum verbi coelestis secuti repudiant. Ergo honor religiosae invocationis non est ipsis deferendus. Major est manifestae veritatis.
XVIII. 125. Eccur enim ejusmodi honorem velimus sanctis deferre, quem illi non ex ficta quadam humilitate, sed juxta normam verbi coelestis a sese removent? Minor probatur 1. *exemplis sanctorum viventium.* Non est dubium, sanctos defunctos eodem modo erga Deum esse affectos, quo fuere in terris adhuc viventes. Jam vero sancti in terris adhuc viventes ex serio et sincero reverentiae erga Deum affectu honores divinos sibi oblatos repudiarunt, ne divinam majestatem offenderent honorem sibi minime debitum acceptando. Actor. 10, v. 25. cum Cornelius centurio coram Petro apostolo procideret ipsumque adoraret, apostolus hunc honorem admittere noluit, sed hominem erigens dixit: *Surge, et ego ipse homo sum*, id est cum homo sim, divinos honores mihi deberi minime agnosco. Actor. 14, v. 15. cum Paulus et Barnabas intelligerent, sacerdotes Lycaonios sacrificium sibi parare, conscissis tunicis exsiluerunt in turbas clamantes et dicentes: *Viri quid haec facitis? et nos mortales sumus similiter affecti homines, ὁμοιοπαθεῖς ὑμῖν ἄνθρωποι, annuntiantes vobis, ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit coelum et terram*, id est nulli hominum, sed soli Deo coeli terraeque creatori honor sacrificii et religiosae invocationis est deferendus. Noverant enim, Herodi male cessisse, quod honores divinos sibi oblatos admiserit, cum ipsi pro tribunali sedenti acclamaretur: *Vox Dei et non hominis* Act. 12, v. 22. *2. Exemplo angelorum.* Non est dubium, sanctos defunctos beatis angelis in ecclesia triumphante conjunctos eodem modo esse affectos, quo sunt angeli. Jam vero angeli divinos honores sibi oblatos repudiant nec patiuntur ab hominibus se adorari, ut patet ex Apocal. 19, v. 10. etc. cap. 22, v. 8.

Exceptiones Pontificiorum 1. Cornel. Act. 10

401. Excipit Bellarminus de beat. sanct. cap. 14. *1. Cornelium Actor. 10. vel aliquid divinum in Petro inesse putavisse et ideo jure correctum, vel pie quidem Petrum veneratum, sed Petrum ex modestia eum honorem, qui alioqui sibi debebatur, recusasse.* Respondemus: 1. hae interpretationes non sunt subordinatae, sed oppositae. Si enim Cornelius divinum quid Petro inesse falso existimavit et ideo jure correctus est, non potuit Petrum *pie* venerari. 2. Si Cornelius merito fuit hoc nomine reprehensus, quod Petro aliquid divini inesse putaverit, utique etiam Pontificii eodem jure reprehendendi sunt, quod sanctis aliquid divini inesse statuant. Bellarminus lib. 3. de cult. sanctorum cap. 9. §. penult.: *Sanctos cum Christo regnantes certo scimus esse deos per participationem.* Costerus in enchir. p. 390. dicit, *eos esse divinitate repletos.* 3. Cornelium putavisse aliquid divini Petro inesse tripliciter intelligi potest; vel quod judicaverit, Petrum esse natura deum; vel quod judicaverit ipsum esse Dei legatum et divino in suo ministerio fungi officio, vel quod existimaverit, divinos honores ipsi deberi. Primum nullo modo verisimile est, noverat enim Cornelius, *unum esse natura verum Deum*, et ab angelo didicerat, Petrum non esse deum, sed Dei ministrum et legatum v. 6. In secundo Cornelius non errasset ac proinde jure correctus non fuisset. Restat ergo tertium, quod Cornelius in eo erraverit, quod Petro ob divinum officium etiam divinos honores deberi judicabat. Jam vero id ipsum statuunt Pontificii de sanctis defunctis. Ergo eodem jure reprehendendi sunt. 4. Non modestiae duntaxat, multo minus fictae et *hypocriticae humilitati* tribuendum, quod Petrus divinum honorem sibi a Cornelio oblatum recipere noluit, sed etiam ac cumprimis *pietati*, quod contra praescriptum verbi coelestis de solo Deo religiose colendo et invocando nihil quidquam agere vel admittere voluerit. 5. Si Cornelius civilem duntaxat et externum honorem, qualis honor et reverentia ministris ecclesiae, magistratui et personis in sublimitate constitutis debetur, XVIII. 1
Petro detulisset, apostolus eundem minime repudiasset. 6. Qualem honorem et cultum Cornelius apostolo deferre voluerit, manifeste colligitur ex verbis Petri: *Surge, et ipse homo sum.* Talem ergo honorem ipsi detulit, qui erat major humano, qui non conveniebat homini, et ob quem homini delatum jure fuit correctus. Atqui talis honor non est externa quaedam reverentia, sed honor divinus.

Contra t. 14. 402. *2. Sacrificium esse cultum soli Deo debitum, ideoque Paulum Act. 14. merito hunc honorem a se repulisse.* Respondemus: 1. ut sacrificium, ita quoque honor religiosae invocationis soli Deo debetur, cum uterque sit cultus ad secundum decalogi praeceptum pertinens. 2. Invocatio et gratiarum actio religiosa in Scripturis vocatur *sacrificium internum ac spirituale* Psalm. 50, v. 14. Psalm. 107, v. 22. Psalm. 141, v. 2. Hoseae 14, v. 3. Hebr. 5, v. 7. cap. 13, v. 15. 1. Petr. 2, v. 5. Apoc. 5, v. 8. cap. 8, v. 3. etc. Quodsi ergo actus sacrificii corporalis et externi soli Deo debetur, utique etiam actus sacrificii spiritualis et interni, unde Augustinus lib. 10. de civit. Dei cap. 19. pari in censu habet religiosam invocationem et sacrificium. *Sicut*, inquit, *orantes atque laudantes ad eum dirigimus significantes voces, cui res ipsas, quas significamus, offerimus; ita sacrificantes non alteri sacrificium offerendum esse noverimus quam illi, cujus in cordibus nostris invisibile sacrificium ipsi esse debemus.* 3. Eadem est ratio *voti et sacrificii*, ut constat. Jam vero Pontificii vovent sanctis, ergo deferunt sanctis honorem, qui sacrificio aequiparatur. *4. Omnes actus adorationis exteriores communes sunt omni adorationi, id est latriae, duliae et cultui civili, excepto sacrificio et quae ad illud referuntur altaribus, templis et sacerdotibus, voluit enim Deus hunc cultum sacrificii sibi soli exhiberi,* scribit Bellarminus de beat. sanct. cap. 12. §. 8. Subsumo: Pontificii erigunt sanctis templa et altaria, ut postea demonstrabimus. Ergo tribuunt sanctis tales adorationis actus, quos Deus sibi soli exhiberi voluit. 5. Ubi specierum est eadem ratio, ibi ab una specie recte progredior ad aliam, sacrificii et religiosae adorationis est eadem ratio, cum uterque sit cultus divinus. Ergo ab una hujus cultus specie ad aliam recte progredior, proinde cum Paulus unam religiosi cultus speciem repudiaverit, merito concluditur, quod alteram etiam speciem, religiosam scilicet invocationem, et Paulus et omnes sancti repudient.

Contra sec. 19. 22. 403. *3. Vel Johannes putavit, eum, qui sibi apparuerat, esse Deum aut angelum. Si Deum, merito reprehensus est; si angelum et tamen adoravit, cur nos reprehendimur, qui facimus, quod Johannes fecit?* Respondemus: 1. Angelus non nudis duntaxat verbis repulit Johannem adorationis cultum sibi deferentem, sed etiam duo efficacia addidit argumenta: *Vide, ne feceris, conservus tuus ego sum, Deum adora.* 2. Pontificii ergo non debebant sequi Johannem errantem, sed angelum hunc Johannis errorem corrigentem. 3. Argumenta angeli ostendunt, ipsum penitus omnem divinum honorem a se remotum velle, proinde non habet locum distinctio, quod Johannes exhibuerit angelo *latriam*, cum exhibere tantum debuisset *duliam*, uterque enim est religiosus et divinus cultus, utrumque a se repudiat angelus. 4. Si aliquo modo concessum est religiose colere et adorare angelos, nulla erit in argumento angeli consequentia. Qui non est Deus, non est religiose colendus, vel illi soli debetur religiosae adorationis cultus, qui est verus Deus. Ego non sum Deus, sed tuus conservus. Ergo non XVIII. 127.
sum religiosae adorationis cultu honorandus. Potuisset enim Johannes obvertere, quamvis Deus non sis, tamen es Dei angelus, ac proinde religiosae adorationis cultu minore scilicet et inferiore adorandus. 5. Si angelos religiose colere et adorare licet, consequens fuerit, servos posse conservos suos religiose colere, ratio connexionis est, quia angeli sunt conservi. Consequens est absurdum, quia religiosa invocatio non nisi ab inferiore superiori defertur. Ergo et antecedens. Vidit Bellarminus has difficultates, ideo aliter excipit.

404. *4. Johannem ideo fuisse reprehensum, quia forte angelus sic apparuit, ut potuerit existimari Christus, dixerat enim cap. 1: Ego sum primus et novissimus, itaque poterat existimari Christus, cujus personam gerebat, nisi ipse explicuisset, se non esse Christum, et ideo corrigendus fuit adorator non propter errorem adorationis, sed propter errorem personae.* Respondemus: 1. Si Johannes erravit in persona, utique erravit in adorationis objecto. Si erravit in adorationis objecto, ergo error est angelos adorare, nam propterea ab angelo fuit correctus, quod divinum adorationis honorem voluit deferre ei, qui non erat Christus sive verus Deus. 2. Johannes non ideo duntaxat reprehenditur, quod erraverit in persona, sed etiam quod erraverit in adoratione. *Vide, ne feceris*, inquit angelus. Quid vero illud erat? *Cecidi*, inquit, *ante pedes ejus, ut eum adorarem.* In ipsa igitur adoratione erravit, quod scilicet honorem adorationis deferre voluerit secum loquenti angelo. 3. Inanis est suspicio, quod angelus sic apparuerit, ut potuerit existimari Christus, unde particulam dubitandi *forte* Bellarminus addit. 4. Alius est, qui cap. 1. ad Johannem dicit: *Ego sum primus et novissimus*, videlicet ipse Christus; alius vero, qui cap. 19. et 22. prohibet se adorari, videlicet angelus aliquis creatus. Bellarminus statuens, angelum creatum in persona Christi dixisse: *Ego sum primus et novissimus*, Photinianis arma suppeditat, quibus contra nos pugnent. Ipsi enim arcte tenent hanc hypothesin', quod angelis utpote Dei legatis nomen, attributa, opera divina in Scripturis tribuantur. 5. Apocal. 22, v. 6. diserte distinguitur inter duas illas personas cum Johanne collocutas. *Et dixit mihi: Haec verba fidelissima sunt et vera. Et Dominus Deus sanctorum prophetarum misit angelum suum ostendere servis suis, quae oportet fieri cito.* v. 8. *Cecidi, ut adorarem ante pedes angeli, qui mihi haec ostendebat,* ubi in Graeco est idem verbum δεικνύειν, quod habetur v. 6. Recte igitur facit Bellarminus, quod huic etiam exceptioni non multum tribuit, addens

405. *5. Johannem recte voluisse angelo cultum debitum exhibere, sicut meminerat, fecisse majores suos, tamen angelum prohibuisse ob reverentiam humanitatis Christi. Nam ante Christi adventum angeli se ab hominibus adorari patiebantur, at posteaquam Deus homo factus est et omnes angeli

*hominem in Christo adorare coeperunt, noluerunt ipsi ab hominibus adorari et praecipue ab apostolis aliisque summis viris, nec tamen sequitur, nos male facere, si angelos adoremus. Nam et nos recte illos adoramus et ipsi recte adorari recusant. Itaque Johannes ipse cum c. 19. semel audivisset, vide ne feceris, tamen c. 22. iterum voluit eundem angelum adorare, intelligebat enim, et se recte facere adorando, et angelum recte facere recusando.* Respondemus: 1. haec exceptio pugnat cum priore. Si enim Johannes recte fecit adorando angelum, ergo non erravit in adorationis objecto. 2. Si Johannes recte fecit adorando angelum, recte fecit tribuendo illi cultum latriae. Connexio probatur,
XVIII. 128. quia ex hypothesi Bellarminus existimabat, eum, qui secum tunc loquebatur, esse Christum, jam vero Christo debetur cultus latriae. At consequens est absurdum, quia idololatricum, cum ipsimet Pontificii concedant, *angelis non deberi latriam, sed duliam.* 3. Si Johannes recte fecit angelum adorando, minus recte fecit angelus adorationem illam prohibendo. Quorsum enim prohiberetur Johannes a cultu Deo grato et accepto? 4. Angelus non tantum dicis causa vel ex modestia et reverentia erga Christi humanitatem prohibet sui adorationem, sed maxime serio et ex subjectione Deo debita, quia addit prohibitioni suae argumenta. 5. Majores Johannis, Abrahamum scilicet ac Lothum, angelos religiose adorasse, nunquam probare poterit Bellarminus, vel enim externam tantum reverentiam, non autem religiosum cultum angelis sibi apparentibus obtulere, vel is, qui ipsis apparuit, non fuit creatus aliquis angelus, sed angelorum omnium dominus, Dei scilicet Filius, quod ex cujusque loci circumstantiis petendum. 6. Illum cultum angelus a se removit, qui non debetur conservis, sed soli Deo; ut patet ex responsione angeli. Jam vero cultus ille soli Deo debitus ex hypothesi Pontificiorum non est dulia, sed latria. Ergo Johannes non duliae, sed latriae cultum voluit angelo exhibere, et per consequens, Johannes non recte fecit angelum adorando. 7. Si cultus duliae angelis debitus distinctus est a latria Christo secundum divinam naturam debita et ab hyperdulia Christo secundum humanam naturam debita, consequens est, per cultum duliae angelis delatum nihil quidquam derogari cultui latriae et hyperduliae Christo debitae, et per consequens non potest dici, quod ob reverentiam erga Christi humanitatem angeli cultum adorationis sive duliae repudient. Sed prius asserunt Pontificii, ut constat. Ergo. 8. Si angeli nolunt adorari, ab eorum adoratione merito abstinemus. Aut enim haec ipsorum voluntas adorationem sui repudians conformis est divinae voluntati, aut ab ea discrepans. Posterius dici nequit, quia Bellarminus dicit, *ipsos recte facere, dum recusant adorari.* Manet ergo prius, ex quo consequens est, divinae voluntati conformem se praestare eum, qui angelos non adorat. 9. Blasius de Viegas in comm. Apocal. p. 790. repudiat hanc rationem a Bellarmino allatam. *Quidam* (inquit) *existimant, ob mysterii incarnationis reverentiam angelum ejusmodi adorationem repulisse; quidam rationem ducunt ex virginitate, in qua angelus iste Johannem non hominem sed angelum multo se nobiliorem agnoscebat; quidam rationem depromunt ex sacerdotio. Cum enim Johannes sacerdos et pontifex esset novae legis gratiae potestatem habens duplicem altissimam, videlicet remittendi peccata et consecrandi corpus Christi, quam ob causam omnibus angelis etiam supremis longe praestabat, merito iste angelus eum sibi ad pedes accedentem ferre non potuit* etc. Postea addit suam ἐπίκρισιν: *Recte quidem et ingeniose haec omnia dicuntur, sed tamen ad contextum minus accommodate. Itaque nullam superiorum expositionum literalem germanamque esse arbitramur, idque meo judicio evidenter ostenditur ex ipsismet verbis angeli, vide ne feceris, conservus tuus sum.* Tandem subjicit, *germanam rationem, cur angelus non fuerit passus Johannem pronum ad suos provolutum pedes jacere, fuisse eam, quoniam reveritus fuerit in Johanne spiritum prophetiae, siquidem additur, testimonium enim Jesu est spiritus prophetiae.* 10. Sed et haec ratio, quam Viegas profert, eodem laborat vitio. Quare enim angelus a Johanne nolit adorari, ejus rei causas exposuit ipse sufficientissimas, *vide ne feceris, conservus tuus ego sum, Deum adora.* Verba illa, *testimonium enim Jesu est spiritus prophetiae,* proprie non continent αἰτιολογίαν prohibi-
tionis, sed periphrasin prophetarum, quorum conser- XVIII.
vum sese angelus erat professus, quod scilicet habeant testimonium Jesu, id est mandatum testificandi, Jesum esse unicum salvatorem. Quidam ea sic exponunt, quod in his verbis declaretur, quinam illi sint, qui testimonium Jesu habent, videlicet illi, qui a Deo acceperunt donum prophetandi, hoc est de mysteriis regni coelestis disserendi. Possunt etiam non incommode haec verba eo accipi sensu, quod ad Jesum tanquam ad ultimum et certissimum scopum omnes prophetiae referantur. 11. Pontificiorum opinio, quod *ob reverentiam humanitatis Christi angelus se adorari prohibuerit,* Photinianorum opinioni perquam affinis est, sic enim scribit Schmaltzius in refutat. eorum, quae examini centum errorum objecerat Smiglecius p. 48: *Angelus satis indicat, antea id fieri quidem potuisse, vel etiam factum esse (quod angeli fuerint adorati), at nunc postquam in unam familiam cooptati sunt angeli et homines fideles et uni Domino serviunt, id fieri non debere. Est enim inter cultum angelorum et aliarum rerum, quarum cultus idololatriam constituit, hoc discrimen, quod aliae omnes personae coli non debeant, quia nec imperium divinum habeant, nec praeceptum sit, ut colantur; angeli vero coli non debent, quia etiamsi divinum quoddam imperium habeant, tamen totum illud Christi imperio subjectum est et aliquid Christo exaltato illis accidit, quod non permittit, ut colantur, nempe subjectio illorum una cum fidelibus ipsi Christo, qui fidelium servator est.* p. 53: *Deus olim permisit, ut angeli adora-*

*rentur. Et hoc ipsum, quod angelus Johannem ut se adoraret prohibuit, tacite innuere videtur, fieri id potuisse, nisi aliud quid novum tunc intercessisset, quod scilicet angelus iste conservus factus sit Johannis, qualis antea non fuerat tempore aliorum cultorum Dei sub veteri testamento.* Sic ergo tam Pontificii, quam Photiniani statuunt, licuisse sub veteri testamento angelos adorare. Causam, quare angeli recusent adorari, Pontificii referunt ad *Filii Dei incarnationem*, Photiniani ad *Christi exaltationem*, cum rectius referatur ad *divinae legis prohibitionem: Non habebis deos alienos coram me*, ad quam ipse angelus hoc loco nos remittit: *Vide ne feceris, conservus tuus sum, Deum adora.* 12. Coronidis loco notari potest illud, quod Costerus in explicatione hujus argumenti Johannem Evangelistam cum Johanne Baptista inscite confundat. *Angelus* (inquit part. 2. concion. p. 70.) *a Johanne Baptista non sustinuit adorari suspiciens in eo culmen apostolicum et angelicam puritatem.*

8. Quia non sunt praeferendi angelis. 406. *8. Quia sancti non sunt in honore praeferendi electis angelis, quos religiose invocare non licet*, ubi sic concludimus: Quem honorem beatis angelis deferre non debemus, is etiam sanctis defunctis non est tribuendus: Epiphanius haeres. 79. contra Collyrid.: *Si Deus angelos adorari non vult, quanto minus eam, quae genita est ab Anna* (Mariam). Jam vero honorem religiosae invocationis sanctis angelis deferre non debemus. Ergo nec sanctis defunctis. Majorem Pontificii concedunt, nisi quod existiment, Mariae deberi cultum hyperdulias, cum angelis dulias tantum honor debeatur. Confirmatur vero majoris connexio ex eo, *quod angeli nobis adsint; quod in manibus nos gerant, quod castra circa nos metentur* etc. Quodsi ergo illos religiose invocare non licet, quanto minus sanctos, qui in coelo sunt et res nostras in particulari ignorant. *Quae est ratio de angelis*, inquit Eccius in enchiridio cap. 15. *eadem est de sanctis, qui in regno coelorum ipsis sunt aequales.* Minorem probamus 1. quia religiosa angelorum invocatio est cultus ἄγραφος, destituitur enim mandato
XVIII. 130. divino, exauditionis promisso et probatis piorum exemplis. Quae in contrarium a Pontificiis proferuntur, suo loco excutientur. 2. Quia est cultus ἀντίγραφος. Scriptura enim uni ac soli vero Deo religiosae adorationis cultum exhiberi jubens eo ipso ab objecto religiosae adorationis angelos excludit, unde apostolus Coloss. 2, v. 18. *cultum angelorum* refert inter ἐθελοθρησκείας seductrices ac Deo minus gratas. 3. Quia angeli destituuntur attributis, quae in religiosae adorationis objecto requiruntur, neque enim sunt omniscii Marc. 13, v. 32. neque sunt omnipotentes, sed tantum potentes Psal. 103, v. 20. neque sunt omnipraesentes, sed e coelo ad nos descendunt et adscendunt, neque sunt auctores beneficiorum spiritualium et coelestium, neque in ipsos cordis nostri fiducia collocari potest etc. 4. Quia ipsimet angeli cultum adorationis sibi delatum repudiant, ut probavimus ex Apoc. 19, v. 10. et cap. 22, v. 8. 5. Quia cultus angelorum ab ethnicis introductus est. Plato constituebat *daemonas*, quos vocabat ipse, nos angelos, mediatores inter Deum et homines, ut apparet ex ipsius verbis in Symposio, ubi Diotima instituit Socratem. *Daemonum*, inquit, *natura intermedia est inter deum et mortalem. Interpretis autem et portitoris munere funguntur, ut humana ad deos, divina ad homines transmittant, horum preces et sacrificia, illorum mandata et remunerationes ac praemia referant ad homines.* Idem docent Porphyrius lib. 2. de abstinentia ab animalibus et Appulejus libr. de dogmatibus Platonis et deo Socratis. Quam Platonicorum opinionem multis refellit Augustinus lib. 9. et 10. de civ. Dei et confess. lib. 10. cap. 42. 6. Quia cultus angelorum ab haereticis propugnatus, ab antiquissimis vero ecclesiae primitivae doctoribus est repudiatus, ut postea demonstrabitur.

407. Excipit Bellarminus de sanct. beat. cap. 20. Exceptio Pontificiorum contra Coloss. 2.
resp. ad 2. arg. *apostolum Col. 2. damnare haeresin Simonis Magi, qui Platonicos secutus docuit, quosdam angelos adorandos quasi minores deos, qui et mundum fabricarunt et per prophetas locuti sunt, nec posse ullum placare summum deum, qui invisibilis est, nisi per hos angelos.* Respondemus: 1. religiosum angelorum cultum apostolus refert inter ἐθελοθρησκείας, ut patet ex textu. Jam vero cultus ille, quem Pontificii angelis deferunt, est ἐθελοθρησκεία, destituitur enim divino mandato et praescripto. 2. Concedit Bellarminus, *damnari ab apostolo illam angelorum venerationem, quae est Deo propria.* Atqui honor religiosae invocationis est veneratio Deo propria. Ergo. 3. Platonici et eos secuti haeretici non coluerunt angelos loco Dei summi, sed velut minores quosdam deos, per quos summus Deus sit placandus. Idem faciunt Pontificii, quia angelos et sanctos invocant ut mediatores et intercessores. Ergo ad ipsos quoque apostolica praemonitio pertinet. Chrysostomus in comm. h. l.: *Sunt nonnulli, qui dicunt, non oportere per Christum reconciliari et ad Patrem accedere, sed per angelos. Propterea* (Paulus) *sursum ac deorsum, quae de Christo sunt, versat.* Eodem modo exponunt Oecumenius et Theophylactus. Jam vero constat, Pontificios itidem docere, quod ad Deum per angelos et sanctos tanquam mediatores accedendum sit. Ergo hactenus et hoc respectu cum illis, quos refellit apostolus, consentiunt. 4. Non est verisimile neque ex Epiphanio, Theodoreto et aliis hanc haeresin describentibus colligi potest, quod haeretici illi disertis et exsertis verbis Christum plane repudiaverint, quia alias non amplius fuissent Christiani, sed voluerunt Christo mediatori alios adjungere mediatores, sanctos scilicet angelos, quo nomine etiam ab apostolo reprehenduntur. Idem faciunt Pontificii. Ergo et hos apostolus perstringere merito cen-
setur. 5. Concedimus, Pontificios in eo non tueri XVIII. 131.
Simonis Magi haeresin, quod fabricationem mundi, locutionem per prophetas et redemtionem humani generis tanquam opus Filio Dei, ut putabat, indig-

num more Platonicorum angelis asscribant; tamen quod haeretici ex falsa ista opinione, ut consequens aliquod inferebant, cum ipsis commune habent. Ut enim illi angelos ideo colebant, quia per eos sese creatos et salvandos falso sibi persuadebant; sic Pontificii angelos religiose colunt et invocant, eo quod per angelos multa beneficia sibi conferri statuunt. Ac velut Simoniani aras et oratoria in honorem angelorum exstruebant, ut ex synodo Laodicena Theodoretus in comm. h. l. annotat; ita quoque Pontificii in honorem angelorum et sanctorum templa et aras exstruunt.

9. Quia sunt creaturae.

408. *9. Quia sunt creaturae*, ubi sic concludimus: Nulla creatura est religioso adorationis cultu honoranda, (nisi sit hypostatice Deo unita). Sancti defuncti sunt creaturae. Ergo. Major probatur, quia Paulus idololatriae eos accusat, qui *servierunt creaturae παρὰ τὸν κτίσαντα, praeter creatorem* vel *una cum creatore, qui ignorantes Deum servierunt illis, qui natura non sunt dii*, Gal. 4, v. 8. Rom. 1, v. 25. ac pii veteres contra Nestorianos, Arianos et Photinianos perpetuo urgent hoc argumentum. Si Christus tantum creatura est, non potest nec debet religiose invocari. Inde Nicena synodus act. 7. epistola ad Constantinum et Irenem anathematizat *Nestorii* idololatriam in homine, hoc est idololatriae eum propterea accusat, quod Christum Mariae filium divino cultu venerabatur, quem merum ac nudum hominem esse credebat. Idem Nestorius a Cyrillo in lib. de rect. fide ad Regin. *anthropolatriae* accusatur et a Justiniano constit. 5. C. de sum. Trinit. et fide cath. § haec igitur etc. et Const. 6. cum Salvatorem § his ita etc. tit. eod. *anthropolatria* vocatur. Athanasius orat. 5. contra Arian. disputat, Arianos esse idololatras, propterea quod Christum, quem negabant esse verum natura Deum, adorandum esse docerent. *Non creaturam*, inquit, *adoramus. Absit. In ethnicos et Arianos ejusmodi delirium competit, sed Dominum rerum creatarum, incarnatum Dei verbum adoramus.* Et postea: *Cognoscant, nos qui Dominum in carne adoramus, non creaturam adorare, sed creatorem corpore creato indutum.* Confer eundem Athanasium orat. 1. contra Arian. Cyrillum de recta fid. ad Theodosium, Nyssenum orat. in laudem Basilii.

4. Conditionem verae et Deo gratae invocationis non permittere, ut sancti invocentur. 1. quia Sanctorum invocatio destituitur divino mandato.

409. 4. Ut *Dei Patris, Christi mediatoris* et ipsorummet *sanctorum*, ita quoque verae et Deo gratae *invocationis* conditio non permittit, defunctos sanctos invocari, id quod sequentibus argumentis demonstramus. 1. Vera et Deo grata invocatio debet habere Dei mandatum in Scripturis propositum. Invocatio sanctorum non habet Dei mandatum. Ergo non potest esse vera et Deo grata invocatio. Major probatur 1. quia invocatio est praecipua pars cultus Deo debiti. Jam vero Scriptura est unica regula et norma divini cultus, id quod ex Scripturae perfectione et fine alibi plenius probatur, hoc loco unicum illud urgemus argumentum: Quodcunque est unica et perfecta norma fidei et morum, illud etiam est unica et perfecta norma cultus divini. Ratio connexionis est, quia cultus divinus ex fidei sinceritate et vitae integritate efflorescit. Jam vero Scriptura est unica et perfecta norma fidei et morum, Deut. 4, v. 2. cap. 12, v. 32. Psalm. 19, v. 8. XVIII. 132.
Joh. 5, v. 39. cap. 20, v. 31. 2. Timoth. 3, v. 16. Apocal. 22, v. 18. etc. Ergo etiam est unica norma divini cultus. 2. Quia invocatio destituta Dei mandato est ἐθελοθρησκεία, ut constat. Jam vero ἐθελοθρησκείαι Deo non probantur, Deut. 12, v. 8. Numer. 15, v. 39. 40. Esa. 1, v. 12. cap. 29, v. 13. Ezech. 20, v. 19. Jer. 7, v. 31. Zach. 7, v. 5. Amos. 5, v. 25. Matth. 15, v. 9. Coloss. 2, v. 20 etc. 3. Quia invocatio Deo grata debet proficisci ex fide, ut constat ex dictis, quae fidem et invocationem arctissime conjungunt, enumeratis superius Matth. 21, v. 22. Marc. 11, v. 24. Rom. 10, v. 14. Jac. 1, v. 5. Quibus etiam haec adde, Rom. 5, v. 2: *Per Christum habemus accessum fide in gratiam istam.* Rom. 14, v. 23: *Quidquid non est ex fide, peccatum est.* Eph. 3, v. 12: *In Christo habemus fiduciam et accessum in confidentia per fidem ejus.* Hebr. 4, v. 16: *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiae.* Heb. 11, v. 6: *Sine fide impossibile est Deo placere, credere enim oportet accedentem ad Deum.* Vera ergo fides est verae invocationis mater. Jam vero invocatio destituta Dei verbo et mandato non potest proficisci ex fide, quia inter fidem et verbum est perpetua relatio, Joh. 17, v. 20. Rom. 10, v. 17. unde evangelium vocatur *verbum fidei* Rom. 10, v. 8. *praedicatio fidei* Galat. 3, v. 2. etc. 4. Quia invocatio destituta Dei verbo et mandato in gentilibus et superstitiosis expresse improbatur. Deut. 17, v. 3. de idololatricis gentibus dicit Dominus *adorant* אֲשֶׁר לֹא צִוִּיתִי, *quod sive de quo non praecepi*, 2. Reg. 17, v. 33. de Samaritanis dicitur, ipsos propterea fuisse a Deo rejectos, quod *cum Dominum timerent* (juxta patefactionem verbi coelestis colere vellent), *nihilo tamen minus etiam diis suis servierint juxta consuetudinem gentium.* Psalm. 106, v. 39: *Fornicati sunt in adinventionibus suis.* Joh. 4, v. 22. dicit Christus de Samaritanis: *Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus*, id est non habetis Dei verbum, quod in hoc monte debeatis adorare, Israëlitae autem habent expressum verbum, quod Hierosolyma a Deo sit electa et destinata, ut sit locus divini cultus Deut. 12, v. 14. 1. Reg. 11, v. 32. Psalm. 76, v. 3. etc. vestra igitur invocatio non potest Deo probari. Et postea v. 23: *Veri adoratores in spiritu et veritate adorant*, ubi veritas inter cetera etiam significat veram veri Dei notitiam ex Dei verbo unice depromendam, Joh. 17, v. 17. illa vero destituntur, qui sine expresso Dei verbo invocationis aliquod objectum sibi ipsis eligunt. Rom. 1, v. 25. arguuntur gentiles, quod *servierint creaturae praeter creatorem* (ex proprio cordis arbitrio sine patefactionis divinae suffragio), quod non tantum creatorem, sed etiam creaturas *praeter creatorem* et una cum creatore coluerint atque adorarint. Ita namque usurpatur vocula παρά 1. Corinth. 3, v. 11. Gal. 1, v. 1. Nimirum vera invocatio, qua

ecclesia Deum suum invocat, a falsa gentilium invocatione, qua se creatorem coeli et terrae invocare asserunt, vel unice vel praecipue ea ratione distinguitur, quod ecclesia eum invocat modo eo, quo se in verbo suo patefecit, a quo invocationis modo cum gentiles aberrent, verum Deum vere invocare merito negantur. 5. Quia invocatio destituta Dei mandato non potest cor quietum reddere, semper enim dubitare cogimur, an coram Deo sit rata et grata, cum tamen proprietas verae invocationis sit cor quietum et pacatum reddere, Psalm. 56, v. 11: *In quacunque die invocavero te, ecce cognovi, quoniam Deus meus es.* Nec possumus esse certi de exauditione, si adoramus sine verbo et mandato, cum tamen verae invocationis proprietas sit de exauditione certum reddere invocantem, Psalm 138, v. 3: *In quacunque die invocavero te, exaudies me, multiplicabis in anima mea virtutem.* Minor propositio patet tum ex quorundam Pontificiorum con-
XVIII. 133. fessione, quam inferius proponemus, tum ex consideratione illorum dictorum, quae pro stabilienda invocatione sanctorum ex Scripturis afferri consueverunt, quae in peregrinum detorqueri sensum, primo statim intuitu manifestum. Hoc in loco proponimus ingenuam confessionem Bellarmini libr. 1. de beat. sanctorum cap. 8. sub finem: *Sancti coeperunt in ecclesia coli non tam lege aliqua quam consuetudine.*

Exceptiones Bellarmini. 1. sequeretur etiam, sanctos non orare pro ecclesia. 2. ipsam necessitatem esse loco mandati.

410. Excipit Bellarminus de beat. sanctorum c. 20. resp. ad 6. arg. 1: *Si hoc argumentum concluderet, efficeret etiam, sanctos non orare pro ecclesia nec in genere, nec in particulari, quod tamen apologia Augustanae confessionis aperte concedit.* Respondemus, cum Chemnicio. *Quia in Scriptura canonica nullum expressum et perspicuum testimonium habetur, quod probet, sanctos, qui ex hac vita discesserunt, pro ecclesia militante orare et intercedere, ideo nec illud pro necessario et indubitato fidei articulo urgeri ac defendi potest,* interim verisimiliter id colligi potest ex eo, quod sancti sciant, ecclesiam in terris adhuc militantem subjectam esse cruci, pro qua ex caritate, quae in vita aeterna non excidit, soliciti esse et in genere pro ea intercedere, propterea haud absurde judicantur. Maxima igitur est disparitas inter has quaestiones, an sancti in genere orent pro ecclesia et an sancti religiose sint invocandi. Prior destituitur quidem expressis Scripturae dictis, non tamen pugnat cum Scriptura, sed verisimiliter ex eadem colligi potest. Posterior est non solum ἄγραφος, sed etiam ἀντίγραφος. *2. Nullum mandatum requiritur, quando ipsa necessitas nos impellit.* Respondemus: pericula ac mala cervicibus nostris imminentia orandi quidem necessitatem nobis imponunt, non autem sanctos invocandi necessitatem, sed confugiendi ad Deum Patrem nostrum benignissimum in nomine mediatoris Christi invocandum. *Abest secundi adjecti, adest tertii adjecti, et ab actu indeterminato ad objectum determinatum non potest legitime procedi.* Invocatio est necessaria, sed sanctorum invocatio non est necessaria, per Christum enim et propter Christum mediatorem patet nobis aditus ad Deum, qui et potest et vult nobis succurrere. Fortassis autem per illam necessitatem hoc intelligit Bellarminus (cum enim diserte non exposuerit, ideo divinatione opus erit), quod nos propter peccata indigni simus exauditione, beati autem in coelo suis meritis et intercessionibus nobis patrocinentur et causam nostram apud Deum agant. At Scriptura unicum nobis ostendit mediatorem Christum Jesum, cujus merito et intercessioni tutissime innitimur. Deus per Christum mediatorem invocatus ad nos exaudiendos et juvandos paratissimus est, ergo cum fiducia ad thronum gratiae in Christo mediatore nobis promissae accedere possumus. Adde quod in cultu divino necessitas et mandatum sibi invicem subordinentur. Quia enim necessarium est, ut Deum colamus, interim tamen ex nostro ingenio modum et formam divini cultus petere non debemus, ideo etiam necessarium est mandatum ac norma divini cultus in verbo manifestata, qua destituti vel eam postponentes in idololatriam prolabuntur. Quae contra majorem argumenti propositionem pro evertenda Scripturae perfectione et stabilienda traditionum ac verbi non scripti necessitate ab aliis Pontificiis afferuntur, suo loco, in articulo scilicet de Scriptura sacra, refelluntur. Pistorius in hodeg. p. 270. agnoscit, ad veram et Deo gratam invocationem requiri mandatum, unde Bellarmino contradicens asserit, *Deum mandasse, sanctos invocari.* Sed tale mandatum ex Scripturis nondum vidimus demonstratum.

411. 2. Vera et Deo grata invocatio debet ha- XVIII. 134.
bere promissionem exauditionis in Scripturis expressam. Invocatio sanctorum non habet promissionem exauditionis in Scripturis expressam. Ergo non est vera et Deo grata invocatio. Major probatur 1. ex omnibus Scripturae dictis, quae veram et Deo gratam invocationem exaudiri testantur, Psalm. 50, v. 15. Psalm. 91, v. 15. Psalm. 138, v. 3. Psalm. 145, v. 18. Joel. 2, v. 32. Matth. 7, v. 7. cap. 18, v. 19. Luc. 18, v. 7. Joh. 16, v. 23. 1. Joh. 5, v. 14. 15. etc. 2. Ex natura verae invocationis, ea enim est amicum cum Deo benignissimo Patre colloquium et ἀνάβασις, *adscensus, mentis in Deum, mentis ad Deum peregrinatio* Clemens Alex. orat. 1. contra gent. Cyprianus lib. 2. epist. 2. Damascenus lib. 3. orthod. fid. cap. 24. Jam vero fieri nequit, ut coelestis Pater illud colloquium non audiat. Vera invocatio oritur ex fide, ac fides est invocationis anima, Gregorius Nyssen. de orat. p. 7: *Oratio est conversatio sermocinatioque cum Deo eorumque, quae concupiscuntur, certa fides.* Jam vero fides est salutare organum, per quod omnis generis beneficia a Deo obtinemus. Vera invocatio oritur ex Spiritu et fit in Spiritu; jam vero fieri nequit, ut irritum ac frustraneum sit, quod a Spiritu s. proficiscitur. 3. Ex discrimine invocationis piae, Christianae et Deo gratae ab invocatione ethnica, superstitiosa, hypocritica, quod inter reliqua etiam in eo consistit,

2. Destituitur promissione.

quod prior habet promissionem invocationis, qua posterior destituitur. 4. Ab exemplis eorum, quorum preces fuere exauditae. Ea namque exempla sunt velut quaedam sigilla, quibus promissio de exauditione in cordibus nostris obsignatur. Talium vero exemplorum in Scripturis sacris ubique plurima annotata exstant. Minor confirmatur *1. ex Scripturae silentio.* Nuspiam enim in tota Scriptura talis exstat promissio, quod illi, qui sanctos invocant, de exauditione debeant esse certi. Quod exaudiendi sint, qui Deum in Christi mediatoris nomine invocant, passim in Scripturis legimus, sed quod exaudiendi sint, qui sanctos invocant, nuspiam legimus. *2. Ex defectu mandati.* Ubi nullum mandatum, ibi quoque nulla promissio. Sed de invocandis sanctis nullum exstat mandatum, ut patet ex praecedenti argumento. *3. A contrario.* Ut nulla habetur promissio de exauditione facta illis, qui invocant sanctos; ita quoque nulla comminatio, nullum exemplum poenae illis, qui sanctos non invocarunt, inflictae in sacris literis reperitur. Quid quod fatetur Salmeronius disp. 8. in 1. Timoth. 2. pag. 468. *Christum esse solum mediatorem, qui per se et semper exauditur; sanctos autem non semper exaudiri.* Quodsi ergo non semper exaudiuntur, utique nulla adest promissio exauditionis. Excipit Bellarminus dicto loco, *promissionem minime desiderari, cum innumerabilia signa et prodigia ad invocationem sanctorum facta satis testentur, Deum audire eos, qui sanctorum patrocinia ad impetrandum aliquid a Deo adhibent.* Respondemus: ex miraculis verbo destitutis non potest aliquis fidei articulus demonstrari nec de voluntate divina quidquam statui, Deuteronom. 13, v. 1. et sequentibus. Quaecunque ergo miracula ad invocationem sanctorum facta, illa vel confirmant doctrinam in propheticis et apostolicis scriptis traditam, vel aliam ab ea diversam. Si prius, proferenda sunt dicta prophetica et apostolica de sanctorum invocatione ex verbo Dei; si posterius, non debent attendi vel curari, qua de re in tractat. de eccles. §. 272. et sequentibus latissime fuit disputatum.

XVIII. 135. 3. Destituitur probatis exemplis.

412. 3. Vera invocatio debet habere probata piorum exempla. Invocatio sanctorum destituitur probatis exemplis. Ergo non potest esse vera et Deo grata invocatio. Major probatur, quia ut pii *habent eundem spiritum fidei*, 2. Corinth. 4, v. 13. ita quoque habent eundem spiritum precum, quia spiritus fidei est etiam *spiritus precum* Zach. 12, v. 10. unde *in uno spiritu* Deum invocare dicuntur Ephes. 2, v. 18. Sicut omnium piorum *unus Dominus, una fides* Ephes. 4, v. 5. ita quoque una invocatio. Adde quod probatorum exemplorum eadem sit ratio cum regula. Jam vero regula verae et Deo gratae invocationis continetur in Scripturis, ut vidimus. Ergo etiam exempla. Minoris veritas tamdiu stabit, donec contrarium ex Scripturis probetur. Wolffius in memorab. lect. centuria 16. pag. 13. ex Petermanno Eterlin auctore vetustissimi chronici Helvetiorum refert, haberi in eo sic annotatum, *mirum esse, non quemquam beatorum sanctorum per vitam suam invocasse alium aliquem sanctum praeter unum Deum suum creatorem et servatorem, et tamen nos ejus vecordiae esse, ut Deum nostrum derelinquentes eos divos subinde imploremus.* Exstant in Scripturis plurima omnino invocationis exempla, in patriarchis, prophetis, apostolis et sanctis mulieribus praemonstrata, sed ne unicum quidem legitur, quod aliquis defunctum sanctum invocaverit. Excipit quidem Bellarminus dicto loco, *exempla plurima invocationis sanctorum suppetere in utroque Testamento*, sed quid de illis statuendum sit, postea apparebit, hoc loco notamus illud, quod Bellarminus sibi ipsi contradicat, nam praecedenti cap. 19. §. 2. scribit: *Ante Christi adventum sancti, qui moriebantur, non intrabant in coelum, nec Deum videbant, nec cognoscere poterant ordinarie preces supplicantium, ideo non fuit consuetum in V. T. ut diceretur, Sancte Abraham ora pro me, sed solum orabant homines ejus temporis Deum et allegabant merita sanctorum, qui jam obierant, ut illis eorum orationis adjuvarentur.* Atqui si in V. T. non fuit consuetum, ut diceretur, *Sancte Abraham ora pro me*, quomodo in utroque Testamento suppetunt plurima invocationis sanctorum exempla? Adde quod nec ex N. T. ullum ibidem afferat exemplum, quod sancti defuncti fuerint invocati, sed duntaxat illud colligit ex eo, quod *viventes a viventibus invocati fuerint.* Tandem igitur profert Bellarminus locum Jobi cap. 42, v. 8, in quo et *mandatum et promissionem et exemplum* haberi asserit. *Ite ad servum meum Job*, ait Dominus ad amicos Jobi, *en mandatum; et orabit pro vobis, en exemplum; et ego suscipiam faciem ejus, ut non imputetur vobis stultitia, en promissio.* Respondemus: argumentum hoc est a proposita quaestione alienum. Quaestio enim est de sanctis defunctis, argumentum in medium allatum agit de sancto adhuc vivente. Excipit Bellarminus, *sanctos nunc maxime vivere ea parte sui, qua preces audire et pro supplicibus interpellare Deum possint. Nec esse quoad exauditionem absentes, licet loco absentes videantur.* Respondemus: 1. sanctos vivere ratione animae et pro ecclesia in genere intercedere concedimus, ex eo tamen inferri nequit, quod religiose a nobis invocandi sint. 2. Esse eos a nobis absentes et *quoad locum* et *quoad exauditionem*, ac proinde etiam non esse religiose invocandos, ostendimus superius quaestione secunda. 3. Sanctos, qui ex hac vita discesserunt, recte vocari *defunctos*, Scripturae et patrum exemplo in statu quaestionis confirmavimus. 4. Ex eo, quod sancti a nobis absint, recte infertur, quod non sint religiose invocandi (quia religiosa invocatio requirit praesentiam, imo omnipraesentiam ejus, qui invocatur). Sed ex praesentia sanctorum non propterea XVIII. 136.
statim inferri potest religiosa eorum invocatio, quippe ad quam plura adhuc requiruntur. Angeli et sancti in his terris viventes nobis sunt praesentes, nec tamen religiose invocantur. Ex remotione unius cau-

sae vel requisiti necessarii recte proceditur ad remotionem effectus, sed ex positione unius causae vel requisiti necessarii non statim infertur positio effectus. 5. Quodsi ergo vel maxime probasset Bellarminus, sanctos nobis esse praesentes et preces nostras audire, nondum tamen evictum foret, sanctos esse religiose invocandos. 6. Neque id probari potest ex dicto Jobi, quia illud a quaestione est alienum, ut ostendimus. 7. Si propterea sancti invocari possunt ac debent, *quia ea parte sui vivunt, qua preces audire possunt et quoad exauditionem nobis sunt praesentes*, consequens fuerit, etiam V. T. sanctos invocari potuisse. Ratio connexionis est, quia ipsi non minus quam sancti N. T. vixerunt illa sui parte, qua preces audire potuerunt. Jam vero consequens negat ipse Bellarminus ergo nec antecedens ponere debuisset. Si obvertas, *diversitatem esse in eo, quod illi fuerint in limbo*, discedis a causa adaequata, quam Robertus Bellarminus assignavit, alia in ipsius locum substituta. Salmeronius disputatione 8. in 1. Tim. 2. p. 473. excipit, *etiam Abelem non habuisse ullum exemplum sacrificandi agnos et adipes eorum, qui tamen sacrificando fide placuit Deo, ut docet apostolus.* Respondemus, Abelem mandatum sacrificandi divinitus accepisse, ut in tract. de legib. cerem. §. 14. ostendimus; proferant ergo et ipsi mandatum de sanctorum invocatione, neque amplius urgebimus, ut probatum aliquod exemplum adducant.

**4. Non congruit cum forma invocationis a Christo praescripta.**

413. 4. Vera et Deo grata invocatio congruere debet cum forma invocationis in Scriptura sacra et quidem in Oratione Dominica praescripta. Invocatio sanctorum non congruit cum forma invocationis in Scriptura praescripta. Ergo invocatio sanctorum non potest esse vera et Deo grata invocatio. Majoris partes duae sunt. Prior *generalis*, quod vera et Deo grata invocatio debeat congruere cum forma invocationis in Scriptura sacra expressa; posterior *specialis*, quod debeat congruere cum forma invocationis in Oratione Dominica a Christo praescripta. Prior probatur *1. ex illis fundamentis*, quibus superius demonstravimus, invocationem Deo gratam debere niti mandato divino, promissione et probatis piorum exemplis in Scriptura traditis. *2. Ex natura verae invocationis.* Illa enim est praecipua pars divini cultus, ergo soli Deo competit ejus normam ac formam praescribere. Deus enim de se ipso est solus idoneus testis ac de sui cultu est solus idoneus doctor. Est sapientia solius ecclesiae propria scire, quis sit invocandus et quomodo sit invocandus. Ergo ex verbo Dei id unice discendum. *3. Ex fine divinae patefactionis.* Deus hoc fine normam et formam divinae invocationis cum omnibus necessariis partibus et requisitis in verbo suo praescripsit, ut eam in nostra invocatione unice ac praecise sequeremur. Posterior probatur *1. ex causa efficiente* hujus orationis, quae est Christus ipsa *Dei sapientia* 1. Cor. 1, v. 24. qui *ex sinu Patris* mysteria regni coelestis nobis attulit Johan. 1, v. 18. qui solus cor Patris coelestis exactissime novit. Tertullianus de oratione cap. 9: *Quid mirum? Deus solus docere potuit, ut se vellet orari. Ab ipso igitur ordinata religio orationis.* Cyprianus sermon. 6. in explic. orat. Dom.: *Qui fecit vivere, docuit et orare, benignitate scilicet, qua et cetera dare et conferre dignatus est, ut dum prece et oratione, quam Filius docuit, apud Patrem loquimur, facilius audiamur. Iam praedixerat, horam venire, quando veri adoratores adorent Patrem in* XVIII. 137. *Spiritu et veritate, et implevit, quod ante promiserat, ut qui Spiritum et veritatem de ejus sanctificatione percepimus, de traditione quoque ejus vere et spiritualiter adoraremus. Quae enim potest esse magis spiritualis oratio, quam quae a Christo nobis data est, a quo nobis et Spiritus sanctus missus est? Quae vera magis apud Deum precatio, quam quae a Filio, qui est veritas, de ore ejus prolata est? Ut aliter orare, quam docuit, non ignorantia sola sit, sed et culpa, quando ipse posuerit et dixerit, rejicitis mandatum Dei, ut traditionem vestram statuatis. Oretis itaque fratres dilectissimi, sicut magister Deus docuit. Amica et familiaris oratio est, Deum de suo rogare, ad aures ejus adscendere Christi orationem. Agnoscat Pater Filii sui verba, cum preces facimus. Qui habitat intus in pectore, ipse sit et in voce. Et cum ipsum habeamus advocatum apud Patrem pro peccatis nostris, quando peccatores pro delictis nostris petimus, advocati nostri verba promamus. Nam cum dicat, quia quodcunque petieritis a Patre in nomine meo, dabit vobis, quanto efficacius impetramus, quod petimus in Christi nomine, si petimus ipsius oratione.* Chrysostomus hom. 14. operis imperf. in Matth.: *Qui non sic orat, quemadmodum docuit Christus, nec est Christi discipulus, quia nec Pater libenter exaudit orationem, quam Filius non dictavit, cognoscit enim Pater Filii sui sensus et verba, nec suscepit, quae usurpatio humana excogitavit, sed quae sapientia Christi exposuit. 2. A materia*, quia haec oratio miranda et nervosa brevitate complectitur omnia, quae sunt in vera et Deo grata invocatione necessaria. Exprimit objectum, ad quod dirigenda invocatio, exprimit materiam sive bona a Deo petenda, exprimit fulcra, quibus nostra in precibus fides niti potest ac debet. Merito igitur pro norma et forma verae ac Deo gratae invocationis habetur. Petimus in Oratione Dominica *1. vitae nostrae finem*, tum *principalem*, qui est gloria Dei, petitione prima; tum *subordinatum*, qui est nostra salus, petitione secunda. *2. Quae ducunt ad utrumque illum finem*, videlicet *1. acquisitionem mediorum*, tum *principalis*, quod est pietas, petitione tertia; tum *secundarii*, quod est sustentatio vitae, petitione quarta; *2. remotionem impedimentorum*, videlicet peccatorum tum praeteritorum, petitione quinta, tum futurorum, petitione sexta; denique *liberationem ex omnibus adversis*, petitione septima, unde Tertullianus in lib. de orat. Dom. vocat eam *breviarium totius evangelii.* Augustinus epist. 121. cap. 12: *Si per omnia precationum sanctarum*

*verba discurras, nihil invenies, quod non ista Dominica contineat et concludat oratio.* Item: *Quisquis in oratione id dicit, quod istis evangelicis precibus non continetur, vel carnaliter, vel illicite orat. 3. A fine.* Christus hoc fine formulam hujus orationis suis discipulis praescripsit, ut certum orandi modum haberent, id quod patet tum ex discipulorum petitione Luc. 11, v. 1: *Domine, doce nos orare, sicut et Johannes docuit suos discipulos;* tum ex Christi responsione ac jussione, Matth. 6, v. 9: *οὕτως προσεύχεσθε ὑμεῖς*, ubi emphasis est in particula *ὑμεῖς*, per quam Christi discipuli ac homines vere pii opponuntur gentilibus *βαττολογοῦσιν* et hypocritis, quorum in praecedentibus versiculis facta erat mentio, voluit ergo Christus falsis orationum formulis hanc suam *προσευχῆς* formam opponere ac discipulos suos precantes ab ethnicis et hypocritis preculas suas sine mente et fructu demurmurantibus discernere, Luc. 11, v. 2: *Cum oratis, dicite, Pater noster.* Inde Tertullianus hanc orationis formulam a Christo praescriptam vocat *legem orandi*, in lib. de oratione cap. 9. Cyprianus d. l.: *Qui inter cetera salutaria sua monita et praecepta divina, quibus populo suo consulit ad salu-*
XVIII. 138. *tem, orandi ipse formam dedit, ipse quid precaremur, monuit et instruxit.* Coelestinus dicit, *legem orandi esse legem credendi et legem agendi.*

414. Minor propositio, quod sanctorum invocatio non congruat cum forma invocationis in Scripturis sacris et in Oratione Dominica expressa, probatur *1. ex praeteritione.* Quod in fidei articulis non habetur in Scriptura expressum, illud pro rejecto ac repudiato a Scripturis dogmate merito censetur. Invocatio sanctorum in Oratione Dominica non habetur expressa. Ergo. *2. A Patris appellatione.* Illum in precibus nostris invocamus, qui est Pater Domini nostri Jesu et propter illum ac in illo etiam noster Pater. Ita enim Christus non solum verbo, sed etiam exemplo nos docuit Joh. 12, v. 27. cap. 17, v. 1. Matth. 26, v. 39. etc. Atqui haec appellatio non convenit sanctis. *3. A mediatoris denominatione.* Invocamus illum Patrem nostrum in nomine Christi mediatoris, in quo *dilecto etiam nos diligimur* et exaudimur, Ephes. 1, v. 6. Jam vero sancti non sunt unicus ille mediator. *4. Ab objecti descriptione.* Illum in Oratione Dominica invocamus, qui *est in coelis*, id est qui est ubique praesens, ut Philippus Melanchthon in locis recte exponit, qui ob divinam suam omnipotentiam et omnipraesentiam nos exaudire, ex omnibus malis eripere et quaevis necessaria nobis conferre potest. Jam vero sancti non sunt omnipotentes nec omnipraesentes. *5. Ex eorum quae petimus enumeratione.* Illum solum invocamus ex Christi praescripto, a quo petimus, *ut regnum ipsius adveniat, ut nomen illius sanctificetur, fiat ejus voluntas, ut det nobis panem quotidianum, remittat nobis debita nostra, non inducat in tentationem, sed liberet nos a malo.* At a sanctis haec omnia in sensu complexo et universim sumta petere non possumus, quod ne ipsi quidem Pontificii saniores negare poterunt. *6. Ex Orationis Dominicae conclusione.* Illum solum ex Christi mandato et praescripto invocamus, *cujus est regnum et potentia et gloria in secula seculorum*, Matth. 6, v. 13. Quamvis enim haec coronis in Latina versione non habeatur, nec exponatur ab Hieronymo et patribus Latinis in comm. h. l. unde Bellarminus libr. 2. de verbo Dei cap. 7. §. 9. *eam de textu esse* negat, contra vero *a Graecis additam* asserit, *cum Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus ejus nullam faciant mentionem, cumque Graeci in sua liturgia recitent quidem in illa verba, non tamen cum oratione Dominica continuent* (dicunt Graeci, *sacerdoti duntaxat licere illa verba proferre*, illis enim verbis respondere solet sacerdos in missa, quando populus dixit, *sed libera nos a malo*, referente Bened. Aria Montano h. l.); illis tamen nondum permoveri possumus, ut cum Bellarmino, Maldonato et aliis hanc clausulam pro peregrina et adjectitia habeamus, sed partem Scripturae canonicae eandem esse credimus, 1. quia in plerisque omnibus Graecorum exemplaribus est adjecta. Robertus Stephanus in vetustissimo codice Graeco eam reperit, qui extra unum fuit antiquissimus, Erasmus in omnibus Graecis exemplaribus eam reperiri asserit. 2. In Syriaca paraphrasi illa clausula itidem habetur. 3. Chrysostomus et ejus abbreviator Theophylactus eandem interpretantur. 4. Sunt verba Scripturae canonicae omni ex parte conformia, cumprimis vero gratiarum actioni Davidicae 1. Paral. 29, v. 11: *Tibi Domine magnificentia*, Heb. גְּדֻלָּה, *et potentia et gloria et victoria et honor, quia cuncta, quae in coelis et terra sunt, tua sunt, tuum est regnum et exaltatio super omnem principem.* 5. Paulus 2. Tim. 4, v. 18. repetens ultimam petitionem de liberatione a malo, clausulam illam *εὐλογιστικὴν καὶ εὐχαριστικὴν* addidit, *cui gloria in seculum.* 6. Joh. XVIII. 139.
Ditenbergerus in glossis hujus loci fatetur, haec verba in Graecis exemplaribus haberi. Hactenus major propositio, sequitur minor. Jam vero haec clausula non potest referri ad sanctos, cum ubique in Scripturis ad solum Deum, nuspiam vero ad creaturas referatur, Rom. 1, v. 25. cap. 9, v. 5: *ὅς ἐστιν εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας.* cap. 11, v. 36: *Ipsi gloria in secula.* cap. 16, v. 27: *Soli sapienti Deo gloria in secula.* Confer Gal. 1, v. 5. Eph. 3, v. 21. Philip. 4, v. 20. 1. Tim. 1, v. 17. 2. Tim. 4, v. 18. Heb. 13, v. 21. etc. 1. Petr. 4, v. 11: *ᾧ ἐστιν ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.* cap. 5, v. 11: *αὐτῷ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας αἰώνων.* 2. Petr. 3, v. 18: *αὐτῷ ἡ δόξα καὶ νῦν καὶ εἰς ἡμέραν αἰῶνος.* Jud. v. 25: *Soli sapienti Deo Salvatori nostro gloria et magnificentia, robur et potestas et nunc et in omnia secula.* Apoc. 1, v. 6: *Ipsi gloria et imperium in secula seculorum.* Apoc. 4, v. 11: *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam et honorem et virtutem, quia tu creasti omnia et propter voluntatem tuam sunt et creata sunt.* Apoc. 5, v. 13: *Sedenti*

*in throno et Agno benedictio et honor et gloria et potestas in secula seculorum.* Apocal. 19, v. 1: *Laus et gloria et virtus Deo nostro.* 7. *Ex particulae asseverandi amen adjectione.* Talis debet esse ex Christi praescripto nostra invocatio, ut ex vera et immota cordis fiducia adjicere possimus *amen.* Jam vero in sanctorum invocatione non possumus adjicere *amen*, h. e. fiet, quia destituimur promissione exauditionis. Ergo sanctorum invocatio non convenit cum forma invocationis a Christo in oratione Dominica praescripta.

**Exceptiones Bellarmini. 1. appellatio Patris non excludit Filium et Spiritum sanctum.**

415. Excipit Bellarminus de beat. sanct. cap. 20. resp. ad. 5. argum. 1: *Appellatio Patris non excludit Filium et Spiritum sanctum. Ergo etiam non excludit angelos et sanctos ab invocationis objecto.* Respondemus: 1 itane vero in Arianorum et Photinianorum castra Bellarminus descendet Filium et Spiritum in unam eandemque classem cum creaturis, angelis sc. et defunctis sanctis, compingens? 2. Est profecto inter Filium et Spiritum sanctum ac angelos et sanctos respectu objecti invocationis a Christo expressi ratio maxime dispar. Unus ille verus Deus ac Pater noster a nobis invocandus in verbo suo sese sic patefecit, quod sit Pater, Filius et Spiritus sanctus, sed quod angelos et sanctos etiam religiose invocare debeamus, de eo altum in Scripturis silentium. 3. Patris nomen in Scripturis accipitur dupliciter. Primo οὐσιωδῶς et *essentialiter*, ut est tribus deitatis personis, Patri, Filio et Spiritui sancto, ex aequo commune, hic enim est unus ille verus Deus, pater noster, jure creationis, redemtionis, regenerationis, sanctificationis, dilectionis et factae de aeterna hereditate promissionis. Secundo ὑποστατικῶς et *personaliter*, ut primae deitatis personae peculiariter tribuitur. In oratione Dominica nomen Patris accipitur in priore significatione, cum in invocatione non sint separandae deitatis personae. 4. Si vel maxime in posteriore significatione nomen Patris accipiatur, nondum tamen ab invocationis objecto per id excluduntur Filius et Spiritus sanctus, quia invocamus illum Patrem, qui ab aeterno genuit Filium sibi coaeternum et consubstantialem et a quo et Filio ab aeterno procedit Spiritus sanctus. Quisquis ergo Patrem invocat, is etiam Filium invocat, quia Pater et Filius unum sunt Joh. 10, v. 30. Pater est *in Filio* et Filius est *in Patre* Joh. 14, v. 10. *ut omnes honorare debeant Filium* καθὼς, *sicut*, *Patrem* Joh. 5, v. 23. ita quoque omnes invocare debent Filium καθὼς, sicut, Patrem. Qui vero Patrem et Filium invocat, is etiam Spiritum sanctum invocat, qui unius et ejusdem est cum Patre et Filio es-
XVIII. 140. sentiae, potentiae, majestatis et gloriae. Sic ergo ex Christi praescripto in oratione Dominica invocamus Patrem Domini nostri Jesum, *qui Spiritum Filii sui misit in corda nostra clamantem Abba Pater* Galat. 4, v. 6. 5. Nota est regula Cyrilli lib. 10. thesauri cap. 6: *Particula exclusiva* solus *uni deitatis personae addita non excludit personas reliquas, sed tantum creaturas et fictitia numina.* Quodsi ergo vel maxime in formula orationis exclusiva particula *solus* Patris nomini adjiceretur, nondum tamen per eam excluderentur Filius et Spiritus sanctus, sicut per eam ab objecto adorationis excluduntur angeli et homines. 6. Illum invocamus, a quo petimus, *ut sanctificetur ejus nomen, ut adveniat regnum ejus etc. et cujus est regnum, potentia et gloria.* Jam vero haec praedicata competunt Filio et Spiritui, ut ex plurimis Scripturae dictis demonstrari potest. Ergo etiam ab objecto adorationis non excluduntur. Angelorum et hominum sanctorum est ratio maxime dispar, qui ut sunt extra deitatis essentiam, ita quoque ab objecto religiosae adorationis exclusi.

**2. Christus noluit docere, quis orandus, sed quae sint petenda.**

416. *Christum, cum apostolos docuit orare, non de eo, qui orandus est, sed de iis rebus, quae petendae sunt, discipulos admonere voluisse. Satis enim constabat, Deum esse orandum et solum etiam Deum, cum auctor donorum quaeritur, sed de modo orandi sive de petendis rebus apostoli ambigebant, cum dicerent Luc. 11: Domine doce nos orare.* Respondemus: 1. si constat, Deum et quidem *solum Deum* esse orandum, utique sancti non sunt religiose invocandi. Neque enim exclusiva *solus* in consortium objecti adorationis admittit sanctos. 2. *Si de modo orandi* Christus discipulos suos instruxit, ergo etiam de *adorationis objecto*, quia ad modum verae et Deo gratae invocationis vel maxime pertinet, ut in ipso adorationis objecto a norma divinae voluntatis non aberremus. 3. Utrumque ergo Christus discipulos docere et voluit et debuit, si modum et formam verae invocationis docere voluit, videlicet quae sint petenda et a quo ea sint petenda. Praecipua enim pars doctrinae de invocatione in eo consistit, ut sciamus, quemnam in precibus nostris compellare debeamus. 4. Si Christus tantum *de materia rerum petendarum*, non autem de orationis objecto discipulos docere voluit, eccur in ipso limine *Patris* nomen ponit? cur sub finem addit, *tuum est regnum et potentia et gloria?* 5. *Constabat, Deum esse orandum*, ait Bellarminus. Addimus nos, ex Eccio et aliis Pontificiis, imo ipso Bellarmino constabat, praeter Deum tunc temporis sanctos non esse religiose invocandos. Quodsi ergo in forma invocationis ecclesiae N. T. praescripta Christus voluisset, etiam sanctos invocari, utique etiam eorum mentionem fecisset, nec ad solum Patrem, sed etiam ad sanctos orationem dirigere mandasset. 6. Discipuli in genere petunt, formam invocationis sibi a Christo praescribi Luc. 11, v. 1. quodsi fingamus, etiam sanctos esse invocandos. consequens fuerit, formulam a Christo praescriptam esse imperfectam, ecquis enim inficias ire poterit, ad perfectam de oratione doctrinam vel maxime pertinere mentionem objecti? 7. Discipulis itidem jam ante constabat, quaenam a Deo essent petenda ac Dei esse regnum et potentiam et gloriam, nihilo tamen minus Christus in forma orationis ipsis praescripta eorum mentionem facere voluit. 8. Christus nec hoc loco, nec alibi in evan-

gelica historia alium nominat, quem adorare discipuli debeant, quam Patrem coelestem. Quodsi ergo sancti etiam essent invocandi, Christus formam invocationis non plene nec perfecte apostolis tradidisset et per consequens non revelasset illis omnia
XVIII. 141. ad salutem necessaria et utilia, cujus contrarium ipse testatur Joh. 15, v. 15.

5. Non est certa de eo, quem invocat.

417. 5. Vera et Deo grata invocatio semper est certa de eo, quem invocat ac invocare etiam debet. Sanctorum invocatio non est certa de eo, quem invocat. Ergo sanctorum invocatio non est vera et Deo grata invocatio. Major probatur, 1. quia nisi certi simus de objecto invocationis, non possunt preces ex fide proficisci. 2. Quia dubitatio in precibus a Spiritu sancto reprehenditur ac repudiatur, Marc. 11, v. 23: *Qui dixerit monti huic tollere et mittere in mare et non haesitaverit in corde suo, sed crediderit, quia quodcunque dixerit fiat, fiet ei.* Jac. 1, v. 6: *Postulet in fide nihil haesitans.* At quando de objecto non sumus certi, non possumus absque dubitatione petere. 3. Quia hac certitudine vera et Deo grata invocatio ab ethnica et superstitiosa distinguitur. Psalm. 79, v. 6. Jerem. 10, v. 25: *Effunde iram tuam super gentes, quae non noverunt te, et super provincias, quae non invocaverunt nomen tuum.* Jon. 1, v. 5: *Clamaverunt quilibet ad deum suum*, sed v. 9. dicit Jonas: *Hebraeus ego sum et Dominum Deum coeli ego timeo, qui fecit mare et aridam* (qui se Hebraeis sive Israelitico populo per verbum patefecit). Joh. 4, v. 22: *Vos adoratis, quod nescitis, nos adoramus, quod scimus, quia salus ex Judaeis est.* Assumtio probatur, quia sancti quidam invocantur, de quibus merito dubitatur, non solum an sancti fuerint, sed etiam an unquam in rerum natura exstiterint, quales sunt Christophorus, Georgius, Catharina etc. Bessarion cardinalis referente Bodino in methodo histor. cap. 4. cum inter divos inepta quadam ἀποθεώσει Romae quamplurimos referri videret, quorum vitam improbarat, *se valde dubitare* dixit, *utrum vera essent, quae ab antiquis essent prodita.* Georgius Cassander in consult. art. 21. pag. 142. reprehensione dignum censet, *quod veteribus et compertis sanctis propemodum neglectis novos et incognitos vulgus hominum ardentius et impensius colat.* ibid. diserte scribit, *in sanctorum historiis commemorari illos, qui an unquam fuerint, merito dubitetur;* item, *multa figmenta historias sanctorum conspurcasse.* Balaeus in Marcello II. Vergerius in concilio Trident. legendas Georgii et Christophori veras esse negant. Melchior Canus in loc. comm. lib. 11. cap. 6: *Gelasius pontifex hujus generis historias multoties in concilio reprobavit, quae, ut ipse loquitur, ab infidelibus scripta esse putantur, sicut Georgii aliorumque passiones, quae ab haereticis probantur conscriptae.* Baronius in martyrolog. 25. Julii: *Nihil habeo, quod de gigantea Christophori statura dicam.* Becanus ipse lib. de invoc. sanct. p. 113. *incertum esse* scribit, *an re ipsa Christophorus fuerit.* Picturam Christophori symbolicis picturis annumerandam esse per allegoricam suam interpretationem innuit Vida in hym. D. Christophori. Id ipsum manifestius docet Villavincentius lib. 3. de rad. stud. theol. cap. 7. p. 384. *Dubium* (inquit) *nemini est, picturam hanc a s. patribus in hunc usum proprie excogitatam, ut evangelii praeconem adumbret, qui dum Christum extollit et circumfert visendum cognoscendumque omnibus, periclitatur in procellis et fluctibus hujus mundi, sustentatus tamen spe jucundissimorum fructuum in posterum et vel post hanc vitam recipiendorum, quos baculus superne virens et florens promittit.* Huius tamen Christophori picti et ficti patrocinium Angli, Galli et Germani implorarunt, ut constat ex missal. Salisburg. et ord. Hildesheim. ex hortulo animae Parisiensi p. 99. Lugdunensi p. 118. De Georgio sic scribit Baronius in martyrol. Romano Aprilis 23: *Pictura illa S. Georgii, qua effingitur eques armatus, qui hastae cuspide draconem interficit, juxta quem etiam virgo posita manus supplices tendens imploret* XVIII. 142
*auxilium, symboli potius quam alicujus historiae opinor esse expressam imaginem, in nullis enim quae recensuimus Gregorii actis antiquis quidquam ejusmodi legitur, sed a Iacobo de Voragine absque aliqua majorum auctoritate ea ad historiam referuntur, quae potius typum exprimunt.* Hujus tamen ficti et picti Georgii tutelam in precibus suis implorarunt de ipso dicentes: *Hic nos salvet a peccatis, ut in coelo cum beatis possimus quiescere.* De Catharina memorant Vincentius Beluacensis in spec. histor. libr. 13. cap. 5. Jacobus de Voragine aur. legend. cap. 167. Antoninus part. 1. hist. tit. 8. cap. 1. § 38. *quod fuerit virgo et martyr Alexandrina, Costi regis filia, quae quinquaginta philosophos ab imperatore Maxentio adhibitos disputando vicerit eosque una cum conjuge Maxentii ad fidem Christi converterit. Ubi vero Maxentius rotas clavis acutissimis et serris obsitas ad corpus ipsius dilaniandum parari jussisset easque angelus quidam confregisset, fertur obtruncata ipsiusque corpus ab angelis in montem Sinai fuisse deportatum,* inde porro fingunt, *Deum morienti Catharinae promisisse, exauditum iri omnes, qui memoriam passionis ejus celebrarent et in quacunque afflictione nomen virginis invocarent.* Inde duplici festo eam colunt, in litaniis, in missa aliisque orationibus suis eam invocant, et lac, quod pro sanguine e cervice decollata fluxerit, Romae in reliquiis habetur, vide brev. Roman. missal. Roman. in festo S. Catharinae, hortul. anim. in suffrag. Virg. Atqui nec Eusebius nec alii probatae fidei historici hujus miraculi mentionem faciunt, unde quidam ex ipsis Pontificiis legendam Catharinae in dubium vocant teste Cassandro in scholiis ad hymnum de Catharina pag. 278. operum. Ecquis credat, vera esse, quae de S. Longino referuntur a Vincentio lib. 7. speculi cap. 47. Petro de Natalibus lib. 3. cap. 201. Jacobo de Voragine legenda 47? Summa fabulae huc redit, *militem Longinum esse illum ipsum, qui*

*Christi latus lancea aperuerit quique sanguine ex Christi latere profluente adspersus a coecitate oculorum ac mentis liberatus et ad Christum conversus fuerit.* Sed quilibet videt, ex voce λόγχης, qua evangelista in descriptione hujus historiae de apertione lateris Christi utitur, nomen fictitii illius sancti esse deductum. Ut autem coluerunt eos, qui nunquam in rerum natura exstitere, ita quoque cultum illis exhibuerunt, qui non fuere vere sancti. Sulpitius in vita Martini scribit, *quod cum populus quidam coleret nescio quem hominem pro martyre et Beato Martino suspecta esset illa religio, quod nihil certi a majoribus de illo sancto accepisset, tandem oranti Martino apparuit anima ejus, qui ibi colebatur et confessa est, se animam damnatam esse latronis cujusdam, qui pro suis sceleribus extremi supplicii poenas luerat.* Idem accidit tempore Alexandri III. ut patet ex c. Audivimus extr. de reliquiis et sanctorum veneratione, ubi reprehendit quosdam, *qui hominem in ebrietate occisum pro martyre venerabantur.* Utrumque totidem verbis recitat Bellarminus lib. 1. de sanctorum beatitudine cap. 7. §. ultimo. Idem cap. 9. §. ultimo ad dictum Augustini: *Multorum corpora honorantur in terris, quorum animae torquentur in gehenna*, respondet, *locum hunc fortasse non esse Augustini, praeterea intelligi posse de impiis, qui honorantur superbissimis sepulcris, cum tamen animae torqueantur in gehenna, vel de corporibus sanctorum non canonizatorum, vel de corporibus fraude aliqua suppositis pro corporibus sanctorum, vel de martyribus Donatistarum, qui honorabantur ab haereticis ut martyres, cum eorum animae revera torquerentur in inferno.* Quaecunque vero responsio adhibeatur, nihilo tamen minus relinquitur, religiosum defunctorum sanctorum cultum incerto fundamento niti et cum periculo idololatriae esse
XVIII. 143. conjunctum. Imago Georgii Cappadocis in templo collegii Anglicani Romae depicta fertur addito hoc encomio: *Georgium Cappadocem Anglia sibi protectorem eligit et maximis beneficiis tum pace, tum bello receptis religiosissime semper coluit.* Atqui Athanasius apol. de fuga sua et in epistola ad solitar. vitam agentes et Gregorius Nazianzenus oratione in laudem Athanasii testantur, Georgium Cappadocem *fuisse hominem improbum et Arianum, qui cum militari manu et satellitibus Alexandriam a Constantino missus pro episcopo urbis sese gessit, postea vero cum teste* Ammiano Marcellino libro 22. *a Juliano Apostata trucidatus esset, cineribus, ne tanquam martyr a Christianis sepulcro inferretur, projectis in mare, a nonnullis pro martyre coli coepit;* teste Epiphanio haeres. 76. inde prodiit *passio Georgii* a sectatoribus ejus evulgata, quae multos fefellit, ut putarint, Georgium Cappadocem sanctum fuisse martyrem. Confer Baronium in notis ad martyrologium Romanum Aprilis 23. ubi dicit, totam illam de actis Georgii fabulam fuisse commentum Arianorum. Thomam Becketum in Anglia invocarunt hisce verbis:

*Tu per Thomae sanguinem, quem pro te impendit,*
*Fac nos Christe scandere, quo Thomas adscendit.*

Sed qualis fuerit illa Thomae sanctitas, ex Neubrigensi ostendit Ivellus part. 2. operum p. 255. Bellarminus ipse cap. 20. respons. ad. 8. arg. concedit, *quorundam sanctorum historias apocryphas et incertas esse.* Postea addit: *Historiae, quae feruntur vel ex Abdia, vel ex aliis, ut plurimum non sunt prosus indubitatae. Item Gelasius papa c. sancta Romana* etc. *dist. 15. historiam sancti Georgii inter apocryphas numerat.* At quorum historiae sunt apocryphae, illi non possunt certa fide invocari.

418. Excipit Bellarminus d. l. 1. *licet sanctorum quorundam historiae sint apocryphae et incertae, ex eo tamen non esse consequens, sanctos ipsos nunquam fuisse. Si enim ita liceret argumentari, plerique apostoli non poterunt inter sanctos numerari.* Respondemus: 1. est dispar ratio inter historiam apostolorum et legendas Christophori, Georgii, Catharinae etc. Nam de apostolis quaedam in Scripturis habentur, fatente ipsomet Bellarmino. *Habemus*, inquit, *in evangelio vocationem apostolorum nec non felicem dormitionem sancti Jacobi majoris* Act. 11. *et sancti Petri gloriosam mortem a Domino praedictam* Joh. 21. sed de fictis illis Papistarum sanctis nihil exstat in sacris literis. 2. Ne quidem indubitatae apostolorum historiae probant, apostolos esse invocandos, quanto minus ex apocryphis et incertis sanctorum historiis colligi poterit, sanctos illos esse invocandos. 3. Quae Abdias et alii scriptores fabulosi de apostolis referunt, merito repudiamus, interim apostolos ipsos et vere fuisse et a nobis honorandos esse, libenter concedimus, cum Scriptura sacra utrumque doceat, sed de sanctis illis fictitiis neutrum statui potest propter incertas et apocryphas eorum historias. 4. Invocatio sanctorum potissimum nititur illo fundamento, quod miraculis illustres fuerint. Jam vero historiae quam plurimae de miraculis sanctorum sunt dubiae vel incertae, quomodo ergo certa et indubitata fide eos invocare possumus? Vide Rainoldum lib. 1. de Rom. eccles. idololat. cap. 5. pag. 209. 210.

419. *2. Si apocryphae sunt historiae trium vel quatuor sanctorum, innumerabilium aliorum certissimae sunt atque indubitatae, quorundam etiam sanctitas in ipsis divinis literis praedicatur, ut Mariae, Joannis Baptistae, Petri, Stephani et aliorum. Quocirca si ideo nolunt adversarii Georgium, Christophorum aut Catharinam colere, quod eorum historiae incertae sint, cur Mariam, Johannem, Stephanum, Petrum etc. non colunt, quorum historias negare non possunt?* Respondemus: 1. A XVIII. 144.
remotione unius necessarii requisiti ad effecti remotionem recte proceditur, sed a positione unius necessarii requisiti non potest ad effecti positionem statim procedi. Recte igitur concludo, illos sanctos non esse religiose invocandos, quorum historiae sunt apocryphae et incertae, ac de quibus haud injuria dubitatur, an unquam in rerum natura ex-

stiterint; sed ex eo non potest inferri, ergo illi sancti, quorum historiae certae sunt et qui revera exstiterunt, sunt religiose invocandi. 2. Si illi sancti essent religiose invocandi, qui revera exstiterunt, ergo etiam sancti in terris viventes essent religiose colendi. 3. De illis ipsis sanctis, quorum historiam scriptura exponit, multa exstant falsa et fictitia in legendis papisticis, quomodo scilicet ad eorum invocationem etiam post mortem edita fuerint miracula etc. quae proinde a nobis ut incerta et apocrypha merito repudiantur. 4. Leviusculum est, quod Bellarminus addit, *cur in calendariis eos ponamus, quos homines perditissimos fuisse, interdum etiam diversae religionis a nostra, fateri cogamur?* Aliud enim est memoriae causa nudum nomen calendario inserere, aliud historias sanctorum scribere; et vicissim aliud est sanctorum meminisse, aliud religiose eosdem invocare. Retinentur appellationes ethnicis usitatae, quibus dies Dominica vocatur *dies Solis*, feria prima *dies Lunae*, feria secunda *dies Martis* et sic consequenter, non quod ethnicam idololatriam probemus, sed ut tenebras, quibus majores nostri in gentilismo impliciti haeserunt, in memoriam nobis revocemus ac pro earum per evangelii lucem dispulsione gratias Deo agamus; eodem fine nomina sanctorum illorum, quorum historiae apocryphae sunt et incertae, calendariis inseruntur ac *μιμητικῶς, δοκητικῶς*, respectu ad Pontificiorum opinionem habito, *sancti* appellantur.

6. Non caret omni superstitione et ethnica imitatione.

420. 6. Vera et Deo grata invocatio caret omni superstitione et ethnica imitatione. Ratio est in aprico, quia per invocationem ecclesia Christiana a coetibus gentilium distinguitur et verus Dei cultus, qualis est religiosa invocatio, ab omni superstitione debet esse alienus, confer Deut. 12, v. 29. 30. 31. Jam vero invocatio sanctorum non caret omni superstitione et ethnica imitatione. Ergo non potest esse vera et Deo grata invocatio. Prius membrum assumtionis, *quod sanctorum invocatio non careat superstitione*, probatur hac ratione. Cultus in Dei verbo non praescriptus est superstitiosus. Sanctorum invocatio religiosa est cultus in Dei verbo non praescriptus, fatentibus quibusdam ex ipsis Pontificiis. Ergo. Superstitionem definiunt Thomas 2. 2. q. 82. art. 1. et reliqui Scholastici, *quod sit vitium religioni contrarium, non quia plus exhibeat in cultum divinum, quam vera religio, sed quia exhibet cultum divinum vel cui non debet, vel eo modo, quo non debet.* Jam vero invocatio sanctorum exhibet cultum divinum illis, quibus non debetur, ac Deum colit eo modo, quo non praecepit. Ergo est superstitiosa. *Superstitio*, inquit Bonaventura 4. sent. dist. 13. in explic. text., *est sententia contra fidem ratione adinventionis et dicitur superstitio quasi superflua institutio.* Jam vero religiosa invocatio sanctorum non est ex fide, sed humano arbitrio inventa et superflue (quia praeter verbum) instituta. Ergo est superstitio. Neve ulla supersit dubitatio, sanctorum invocationem in papatu esse cum superstitione conjunctam, adscribam ea de re confessionem quorundam ex ipsis Pontificiis. Bodinus in meth. histor. cap. 5. pag. 100: *Antonius a plerisque in Italia et Gallia Narbonensi ardentiore voto, certe majore metu colitur quam Deus immortalis.* Ludov. Vives in comm. l. 8. Aug. de XVIII. 1
civ. Dei cap. 27.: *Multi Christiani in re bona plerunque peccant, quod divos divasque non aliter venerantur quam Deum* etc. Georg. Cassander in consult. art. 21. pag. 141. errorem vocat, *quod nonnulli certos sibi sanctos deligunt;* pag. 142. *quod virgini matri subjiciatur Filius in precatione, ora matrem et jube Filio* etc. at quis negare poterit, haec omnia esse superstitiosa? Ante illos omnes Gerson. Parisiensis cancellarius part. 3. de direct. cordis consid. 16. varias superstitiones in cultu sanctorum eo tempore receptas taxavit, utpote *quod gallus pro pueris, gallina pro puellis S. Christophoro vel Johanni Baptistae offeratur, quod ad S. Hubertum pro morsu canis rabidi vota fiant, quod S. Antonius creditur plus virtutis habere in curando sacrum ignem quam alii sancti, quod in hac ecclesia dedicata beatissimae Virgini ipsius virtus statuatur potentior quam in alia ad faciendum miracula et succurrendum invocantibus se, et hoc praesertim ratione talis, vel talis imaginationis suae vel ratione solitae peregrinationis illic continuatae, et sic de similibus absque numero.* Haec omnia et longe plura ejus generis Gerson ibidem enumerat et taxat.

421. Posterius assumtionis membrum, quod scilic. *sanctorum invocatio non careat imitatione ethnica*, probo 1. *ex confessione ipsorum Pontificiorum. Non video*, inquit Ludov. Vives d. l. *in multis, quod sit discrimen inter eorum opinionem de sanctis et id quod gentiles putabant de diis sanctis.* Augustinus lib. 1. contra Maxim. Arian. episcop. cap. 11. graviter scribit, esse ethnicam idololatriam, si sanctis templa exstruantur. *Si templum* (inquit) *alicui sancto angelo excellentissimo de lignis et lapidibus faceremus, anathematizaremur a veritate Christi et ab ecclesia Dei, quoniam creaturae exhiberemus eam servitutem, quae uni debetur Deo* (quod Paulus Rom. 1, v. 25. gentilibus tribuit); ad hunc Augustini locum in margine sic scribit Erasmus: *Hoc nunc fit quibuslibet divis.* Vulgatus est in papatu versiculus Baptistae Mantuani:

*Ut Martem Latii, sic nos te Dive Georgi.*

2. *Ex ipsa collatione cultus*, qui sanctis in papatu exhibetur cum gentilium idololatria. Talis collatio potest institui duplex, *1. ratione objecti.* Sicut ethnici viros celebres et bene meritos referebant in numerum divorum, unde Augustinus lib. 8. de civit. Dei cap. 26. de illis scribit, *quod omnis religio paganorum circa homines mortuos fuerit impleta. In omnibus enim literis paganorum aut non inveniri, aut vix inveniri deos, qui non homines fuerint, quibus omnibus tamen honores studeant exhibere divinos, quasi nihil unquam humanitatis habuerint;*

ita quoque Pontificii per suam canonizationem referunt defunctos in numerum sanctorum ab omnibus invocandorum. Sicut ethnici praeter unum summum Deum plurimos colebant mediatores, per quos ad illum sibi parabant accessum, *qui ab hominibus auferrent desiderata et ad eos referrent impetrata*, ut de illis loquitur Augustinus lib. 8. de civ. Dei cap. 21. *qui tanquam internuntii et interpretes hinc ferrent petitiones nostras*, *inde referrent deorum suppetias, quia meritis hominibus superiores essent*, ut idem loquitur lib. ejusd. cap. 22. quibus uti debeamus advocatis et patronis, *qui ad deos perferant preces hominum et inde ad homines impetrata, quae possunt*, ut loquitur lib. ejusd. c. 18. qui cum sint amici Dei, votis et supplicationibus colerentur, *ut hominum causas apud supremum Deum adjuvarent*, ut Celsus apud Origenem testatur. Ac tales mediatores constituebant duplices, videlicet tum daemones, quo nomine intellexerunt spirituales essentias; tum *heroas*, per quos intel-
VIII. 146. lexerunt animas a corporibus separatas, quae virtutem quandam habeant, qua post mortem res humanas in fidem curamque suam recipiant et iis praesint, referente Eusebio lib. 13. de praeparat. evang. cap. 7. *Credemus igitur* (inquit) *Hesiodo, postquam aurei generis homines mortui sunt, a multis homines angustiis semideos factos liberare mortaliumque omnium esse custodes* ἀλεξικάκους, *ac in posterum quasi deos colemus eorumque adorabimus monumenta; similiter etiam omnes, qui praeclare vixerunt, quoquo modo mortui sunt, honorabimus.* Ita quoque Pontificii per angelos et animas sanctorum defunctorum tanquam *mediatores intercessionis* ad Deum in precibus sibi accedendum esse statuunt, unde eos ut Dei amicos et Deo proximos invocant, ut preces ac vota sua ad Deum et Christum per intercessionem deferant, a Deo vero et Christo suis meritis auxilium et beneficia sibi referant. Sicut ethnici diversas provincias diversis assignabant patronis, contra diversos morbos diversis supplicabant diis, diversis vitae statibus diversos praeficiebant auxiliatores; Graeci enim colebant *Palladem*, Aegyptii *Osirin*, Babylonii *Belum*, Latini *Martem*, Thessali *Chironem*, Tyrii *Herculem* etc. ventis praeerat *Aeolus*, mari *Neptunus et Venus*, sylvis *Satyri*, *Fauni*, *Dryades*, *Napaeae*, montibus *Oreades*, fluviis *Naiades* etc. vinum curabat *Bacchus*, fruges *Ceres*, prata et hortos *Flora*, ignem *Vesta* etc. contra pestem invocabatur *Aesculapius*, contra febrim *Februs*, contra fistulas *Castor* etc. literati supplicabant *Minervae*, musici ac medici *Phoebo*, mercatores *Mercurio*, bellatores *Marti*, venatores *Dianae*, fabri *Vulcano*, pastores *Pani et Pali*, amatores *Veneri*, puerperae *Junoni* etc. vide Lilium Giraldum in opere de diis gentium, Augustinum lib. 4. de civit. Dei cap. 22: *Dicebat Varro*, *ita esse utilem cognitionem deorum*, *si sciatur*, *quam quisque deus vim aut potestatem habeat cujusque rei. Ex eo enim*, *inquit*, *poterimus scire*, *quem cujusque rei causa deum advocare atque invocare debeamus*, *ne faciamus*, *ut mimi solent*, *et optemus a Libero* (vini deo) *aquam*, *a Lymphis* (aquarum deabus) *vinum*. Ita quoque Pontificii alios sanctos, aliis praeficiunt nationibus ac provinciis, alios aliis urbibus, alios aliis templis et sacellis, alios aliis vitae generibus, alios aliis morbis curandis, alios aliis beneficiis conferendis, alios aliis malis avertendis (ut ostendimus superius q. 5.), adeo ut de Pontificia idololatria non solum usurpari possit illud propheticum Jerem. 2, v. 28. et cap. 11, v. 13: *Secundum numerum civitatum tuarum erant dii tui Juda;* sed etiam ob incrementum et additamentum subjungi, *secundum numerum templorum et altarium tuorum sunt dii tui*, quia in eadem urbe aliud templum consecratum est *Stephano*, aliud *Johanni Baptistae*, aliud *Mariae*, aliud Ciliano etc. ac in eodem templo aliud altare est unius, aliud alterius sancti, quinimo quilibet peculiarem sibi eligit patronum, quem ardentiore voto et peculiari cultu veneratur, ut ex praxi constat. Neve quidquam huic comparationis membro desit, notandum, quod Salmeron. diserte scribat disp. 7. in 1. Tim. 2. pag. 464. *gentiles in eo non peccasse*, *quod diversos beneficiorum auctores colerent et invocarent*, *sed quod honorem non meritum exhibebant illis*, *qui non erant dii nec natura*, *nec participatione.* Sicut ethnici suos divos divasque a diversis locis, in quibus colebantur, et a diversis beneficiis, quae ab ipsis petebant, diversis appellationibus denominabant, unde Jupiter alias dicebatur *Jupiter Agamemnonius*, alias *Jupiter Apomyius*, alias *Jupiter Calvus*, alias *Jupiter Ultor*, alias *Vejupiter*, alias *Jupiter Latialis* etc. Juno dicebatur alias *Juno Lucina*, alias *Juno Saturnia*, alias *Juno Curitis* etc. ita quoque Pontificiis B. Virgo alias est *Maria miraculosa*, alias
*Maria populi*, alias *Maria Laurentana*, alias *Maria* XVIII. 147.
*Oetingensis*. 2. *Ratione modi*, quem in cultu adhibent. Ethnici deastros suos colebant per battologias teste Christo Matth. 6, v. 7. et 8. idem faciunt Pontificii, ut testantur rosaria, in quibus juxta numerum sphaerularum minutiorum recitant salutationes angelicas 50, et secundum numerum sphaerularum grandiuscularum minutioribus interjectarum Orationes Dominicas quinque. Ethnici divis suis exstruebant altaria et templa, instituebant illis festa, nuncupabant vota, dedicabant imagines, accendebant lampades, praeficiebant flamines, honorabant suffitu et odoramentis etc.; idem in honorem sanctorum Pontificios facere, viva praxis testatur, confer quae de cultu imaginum dicta sunt tract. de lege §. 81. Sicut ethnici alia donaria aliis offerebant divis, utpote *Aesculapio* gallum, *Proserpinae* bovem etc. sic Pontificii *Antonio* offerunt porcum, *Martino* anserem, *Vito* gallinas etc. confer Ursinum in stupendis templ. Jesuit. p. 336. et seqq. Et quid multis? constat ex Theodoreto lib. 8. de cur. Graec. affect. in fine, *templa deorum gentilium olim conversa fuisse in templa martyrum*, ex quo tandem progressu temporis factum,

ut honores, quos olim gentiles diis suis detulerunt, etiam martyribus in ecclesia fuerint oblati. *Suos mortuos*, inquit, *Dominus Deus noster in templa pro diis vestris introduxit ac illos quidem cassos gloria vanosque reddidit, suis autem martyribus honorem illorum dedit. Pro Pandiis enim Diasiisque ac Dionysiis, hoc est Jovis Liberique patris solennitatibus, Petro, Paulo, Thomae, Sergio, Marcello, Leontio, Antonino, Mauritio aliisque sanctis martyribus solennitates populari epulo peraguntur.* Idem esse factum agnoscit Bellarminus de beat. sanctor. cap. 20. resp. ad 2. sic scribens: *Quod templa idolorum olim conversa sint in basilicas martyrum et aliorum sanctorum, certum est ex Theodoreto lib. 8. de martyribus, et adhuc Romae videtur templum omnium deorum conversum in templum omnium sanctorum et templum Castoris et Pollucis in templum Cosmae et Damiani; et Gregorius lib. 2. dialogor. cap. 8. scribit, a S. Benedicto conversum fuisse fanum Apollinis in oratorium sancti Martini* etc. Regerit quidem ibid. resp. ad. 1. argum. *Theodoretum significare voluisse, gloriam deorum esse translatam in martyres, quia templa et festa deorum conversa sunt in templa et festa martyrum, sed tamen eorum, quos religio vera permittit, ut martyres non pro diis habeamus, sicut illi habebant Jovem et Liberum et alios, sed pro viris sanctis et amicis Dei, qui nos exemplis, meritis et precibus suis plurimum juvant.* Atqui templa et festa deorum non debebant converti in templa et festa martyrum, *quia anathematizatur ab ecclesia, qui templum alicui sancto angelo facit*, teste Augustino lib. 1. contra Maxim. cap. 11. quinimo ipse Bellarminus lib. ejusd. cap. 12. hunc honorem soli Deo relinquendum esse agnoscit. *Omnes fere actus exteriores* (inquit) *communes sunt omni adorationi, excepto sacrificio et quae ad illud referuntur, templis, altaribus et sacerdotibus, voluit enim Deus hunc cultum sacrificii sibi soli exhiberi.* Observa autem, merito dubitari, an libri illi de curandis Graecorum affectionibus sint Theodoreti, quia scopus auctoris in loco allegato est demonstrare, Christianos martyribus suis vel eundem vel etiam majorem honorem deferre, quam gentiles diis suis. At hoc directe pugnat cum illis, quae de ἀγγελοθρησκείᾳ habet Theodoretus in comm. Coloss. 2. Praeterea in catalogo operum Theodoreti apud Nicephorum lib. 14. hist. eccles. cap. 54. non memorantur, nec apud Photium in bibliotheca, qui pluribus locis ea recenset.

XVIII. 148. 422. Excipit Bellarminus, *Deum posse, si voluerit, per quemlibet sanctorum omnia concedere et sine sanctis etiam multa vel omnia dare, interdum tamen velle unius intercessione miraculum aliquod operari, aliud vero intercessione alterius operari. Quis autem novit consilium Dei, aut quis ei dicere potest, cur ita facis? sicut etiam per unum operatur Deus multa miracula et per alterum fortasse majorem nulla, cujus rei causam ipse solus novit, ut docet Augustinus epist. 137. ad clerum et pop. Hipp. His accedat, quod etsi quidam sancti aliquo genere miraculorum interdum magis clarent quam alii, tamen ab omnibus omnia petimus, nec putamus ab uno ita unum esse petendum, ut non etiam existimemus alterius intercessione obtineri posse.* Respondemus: 1. haec assertio Bellarmini, *quod ab omnibus sanctis omnia petant*, adversatur praxi in papatu publice receptae. 2. Eadem adversatur Costero, qui in enchirid. pag. 413. scribit: *Non adversari fidei, si sanctis beatam cum Christo in coelo vitam degentibus et haec inferiora administrantibus pro diversitate meritorum diversa vel loca commendata dicantur, vel dona ad fidelium Christianorum auxilium.* 3. Bellarminus contradicit sibi ipsi. Primo enim scribit, *Deum posse, si voluerit, per quemlibet sanctorum omnia concedere*, ubi opponit Dei voluntatem ac potestatem, concedens, *posse* quidem Deum per quemlibet sanctorum omnia concedere, negans interim, illud ipsum *velle;* mox vero subjungit, *ab omnibus sanctis omnia petimus, nec putamus, ita ab uno petendum esse unum, ut non etiam existimemus, alterius intercessione obtineri posse.* Atqui si Deus non vult dare omnia per quemlibet sanctum, non debent ab omnibus omnia peti, et vicissim si omnia ab omnibus recte petuntur, ergo etiam Deus vult per quemlibet sanctum dare omnia, alias enim sequeretur, invocationem illam, qua ab omnibus sanctis omnia petuntur, divinae voluntati et ordinationi adversari. 4. Invertimus igitur Bellarmini exceptionem. Si Deus et potest et vult per omnes sanctos omnia dare, utique etiam non sunt peculiaria beneficia a certis sanctis petenda, nec distributio illa sanctorum, qua certis provinciis gubernandis, certis malis averruncandis, certis beneficiis conferendis praeficiuntur, approbanda. Sed Deus potest per quemlibet sanctorum omnia concedere, ut totidem verbis Bellarminus asserit. Deus etiam vult per quemlibet sanctorum omnia concedere, alias non possent pie omnia ab omnibus peti, quod tamen recte fieri Bellarminus asserit. Ergo non sunt peculiaria beneficia a certis sanctis petenda. 5. De voluntate Dei unice ex Scriptura sacra, quippe quae divinam patefactionem continet, nobis certi quid constare potest. Jam vero in Scripturis altum est de hac Dei voluntate silentium, quod velit a distinctis sanctis distincta beneficia per preces postulari. Ad miracula confugere non possunt, quia distributio illa sanctorum non semper nititur miraculis per illos sanctos factis, sed hominum superstitiosorum opinionibus, ac si vel maxime niteretur, nondum tamen deberet approbari. Miracula enim illa non fiunt hoc fine, ut stabiliatur sanctorum invocatio, sed ut doctrina ipsorum confirmetur, ut etiam superius monuimus. 6. Augustinus in loco allegato nihil quidquam habet de invocatione illa sanctorum, per quem a distinctis sanctis distincta petuntur beneficia, sed agit de miraculis, quae illo tempore circa martyrum sepulcra fieri solebant ad confirmationem doctrinae, pro qua mortem obire non fuerant veriti. *Ubique*

*quidem*, inquit, *Deus est et nullo continetur vel includitur loco, qui condidit omnia; veruntamen quis potest consilium ejus perscrutari, quare in aliis locis haec miracula fiant, in aliis non fiant?* etc.

III. 149. 7. Si Deus vult interdum unius sancti intercessione miraculum aliquod operari, aliud vero intercessione alterius operari, tum quaerimus, unde constet sanctorum adoratoribus, quod Deus determinate et in specie illud, quod petunt, per hunc sanctum conferre et operari velit et non per alium? Verbi gratia, unde sciant, quod dentium dolores curare velit per Apolloniam, oculorum vitia per Otiliam etc. ex Scripturis nihil proferre possunt, consequens ergo est, ipsos vagari in incerto et adorare quod nesciunt. 8. Confirmatur hoc argumentum ex eo, quod Bellarminus postquam dixerat, *Deum interdum velle unius intercessione miraculum aliquod operari, aliud vero intercessione alterius operari*, immediate subjungat, *quis autem novit consilium Dei?* Fatetur igitur, se ignorare, quando hoc velit Deus et quaenam sint illa beneficia, quae per hunc vel alium sanctum conferri velit. Quae ergo potest esse in invocatione certitudo, quae de exauditione fiducia? 9. Denique Bellarminus causam hujus diversitatis statuit esse ignotam et soli Deo cognitam, sed Costerus in enchirid. p. 413. duas ejusdem assignat causas, quarum prior haec est, *quod sancti peculiari cura ea loca foveant, in quibus sacra eorum ossa asservantur;* posterior, *quod illum populum curent prae ceteris, ex quo originem ducunt.* Frid. Staphylus in defens. contra Flacium pag. 184: *S. Ulricum patronum colunt Augustani cives, quia evangelium Christi in illa urbe instauravit, miraculis illustravit, propagavit alio etiam; Salisburgenses contra Rupertum, quod et ipse fuit in Alpibus illis primarius evangelii apostolus. Eadem de aliis ratio et causa est.*

**7. Non est ecclesiae utriusque Testamenti communis.**

423. 7. Vera et Deo grata invocatio est ecclesiae tam V. quam N. T. communis. Sed invocatio sanctorum non est ecclesiae utriusque Testamenti communis. Ergo invocatio sanctorum non est vera et Deo grata invocatio. Major probatur 1. quia ut una est ecclesia, *una fides, unus Dominus*, ita quoque una religiosa invocatio. 2. Quia ut in V. T. Deus graviter testatur, *se gloriam suam non velle alteri dare* Esa. 42, v. 8. ita quoque in N. T. eodem zelo est affectus. 3. Sicut in V. T. prohibitum fuit *incurvare se deo peregrino* vel, ut vulgata reddidit, *recenti* Psalm. 81, v. 10. ita quoque in N. T. non debet invocari alius, quam qui in V. T. fuit religiose invocatus. Non est, quod regeras, *in N. T. Christi carnem esse religiosae adorationis objectum, quae in V. T. nondum exstitit*, illa enim non adoratur, nisi quatenus est *λόγῳ* personaliter unita, jam vero *λόγος ἔνσαρκος* non est alius sive alia persona quam *λόγος ἄσαρκος* Ergo etiam per adorationem assumtae carnis, quatenus ea in ipso *λόγῳ* subsistit, non invocatur alius in N. T. quam in V. T. adoratus fuit. *Si de persona* quaeratur, nullus adorandus est nisi solus verus Deus; *si de natura*, nihil adorandum, quod non sit essentialiter Deus vel saltem hypostatice Deo unitum. Minor probatur *ex confessione ipsorummet Pontificiorum*. Salmeron. disput. 8. in 1. Tim. 2. tom. 15. pag. 473: *Dicendum est, ideo non fuisse morem in V. T. adeundi sanctos intercessores, quia nondum erant beati et glorificati, ut modo sunt* etc. *erat etiam periculum idololatriae.* Suarez in part. 3. Thom. q. 52. disp. 42. sect. 1. pag. 524: *In V. T. quod aliquis directe invocaverit sanctos defunctos, ut pro se orarent, nunquam legimus.* Bellarminus lib. de beat. sanct. cap. 19. §. 2: *Notandum est, quia ante Christi adventum sancti, qui moriebantur, non intrabant in coelum, nec Deum videbant nec cognoscere poterant ordinarie preces supplicantium, ideo non fuisse consuetum in T. V., ut diceretur, Sancte* XVIII. 150.
*Abraham ora pro me, sed solum orabant homines ejus temporis Deum et merita sanctorum allegabant.* Similia occurrunt apud Dionysium Carthusianum in comm. Luc. 23. post medium, Eccium in loco mox allegando et Gregorium de Valentia in apologetico contra disput. D. Heerbrandi de multiplici papatus idolomania fol. 39. qui omnes disputant, *sanctos in V. T. non fuisse invocatos, utpote in limbo adhuc exsistentes.*

424. Excipit Suarez tom. 2. comment. in Thom. disput. 22. q. 37. sect. 1. *B. Virginem ab initio seculi tam in ecclesia triumphante quam in militante aliquo modo fuisse adoratam, cum verisimile sit, cognitam eam fuisse a sanctis angelis vel communi conceptu ut in statu viae credendo Deum ex femina sumturum carnem, vel proprio et particulari, ut in beatitudine intuendo feminam illam, ex qua verbum incarnandum erat; item praecognitam eam fuisse etiam ante Christi adventum a patriarchis et prophetis.* Respondemus: 1. Non entis nulla potest esse adoratio; sed Maria non exstitit ab initio seculi. Ergo nec potuit adorari. 2. A cognitione ad adorationem nulla consequentiae lege proceditur. Si ergo vel maxime angeli et patriarchae in individuo cognovissent ac praevidissent virginem Deiparam, nondum tamen ex eo inferri posset, quod eandem adorassent. 3. Cognitio illa angelorum, patriarcharum et prophetarum potius fuit *confusa et generalis*, quod Messias nasciturus sit ex virgine, quam *distincta et specialis*, quod ex hac virgine sit nasciturus. De angelis testatur Petrus 2. epist. 1, v. 12. quod *desiderent παρακύψαι in mysteria evangelii*, unde Bernhardus, qui alias in cultum Mariae propensior est, homil. 1. super Missus est, et Laurent. Justinianus serm. de annunciat. angelis accommodant illa verba: *Quae est ista, quae progreditur?* quasi inquirentibus de persona sibi ignota. 4. Non possunt ex scriptis N. T. demonstrare, quod Maria fuerit adorata, postquam promissum Messiam in lucem ediderat; et tamen audent a nobis postulare, ut credamus, eam fuisse adoratam, antequam in rerum natura exstiterit.

8. Destituitur consensu Ecclesiae primitivae.

425. 8. Vera et Deo grata invocatio unanimi primitivae, temporibus apostolicis vicinae ecclesiae consensu ac suffragio gaudet. Sanctorum invocatio consensu illo destituitur. Ergo non potest esse vera et Deo grata invocatio. Major a Pontificiis in dubitationem vocari nequit, cum ex perpetuo ecclesiae consensu omnia sua dogmata stabilire nitantur. Minor probatur 1. *ex ipsa Pontificiorum confessione.* Nam 1. quidam ipsorum fatentur, de invocatione sanctorum in sacris literis nihil contineri. At si in Scriptura de hoc dogmate nihil quidquam habetur, quanto minus unanimi primitivae ecclesiae, temporibus apostolorum vicinae, suffragio illud gaudebit, nisi velimus dicere, nova dogmata praeter et extra Scripturas jam tum fuisse in ecclesiam introducta. Eccius in enchir. cap. 15. sub. fin.: *Explicite non est praecepta sanctorum invocatio in sacris literis. Non in V. T. ubi populus alioquin erat propensus in idololatriam et patres erant in limbo nondum beati*, Esa. 64: *Abraham nescivit nos, Israel ignoravit nos. Sub evangelio etiam non fuit praeceptum, ne conversi gentiles crederent, se iterum induci ad cultum terrigenarum, ut pro veteri more sanctos non ut patronos, sed ut deos adorassent, sicut Lycaones Paulo et Barnabae sacrificare volebant. Porro si apostoli et evangelistae docuissent sanctos venerandos, arrogantiae fuisset eis datum, ac si ipsi post mortem gloriam illam quaesivissent. Noluit ergo Spiritus sanctus expressis Scripturis docere venera-*
XVIII. 151. *tionem sanctorum, sed ejusmodi firmatos in fide docuit per miracula et sanctorum auxilia, fusis ad eos precibus illos venerandos.* Canisius in catech. fol. 230. *sanctorum invocationem non constare ex Scripturis* fatetur. Tannerus in compendiaria relatione colloquii part. 2. cap. 6. pag. 37: *Fateantur quaeso, si lubet, multa fide infallibili et divina credenda esse, quae in Scriptura sola non contineantur, nec ex ea sola evidenter deducantur et tum nihil cum illis amplius magnopere contendemus. Fateantur, inquam, invocationem sanctorum.* Censur. Colon. pag. 230: *Sacra Scriptura quidem nusquam docet sanctorum invocationem, nihilominus tamen est credenda, recipienda et servanda.* Salmeron. disput. 7. in 1. Tim. 2. tom. 15. pag. 459: *Cum ante Christi adventum introitus non pateret in coelum, omnes pii et fideles in limbo detinebantur, nec erant perfecti in sanctitate, nec beati, ideo pauca hujus veritatis invenimus testimonia. Evangelia quoque vitam et passionem Christi describunt ejusque dicta et gesta. Et quia eo tempore nondum erant beati, nihil de hac re habetur expressum, sicut nec invenitur in epistolis Pauli vel canonicis vel catholicis apostolorum, quae ob alias speciales materias fuerunt conscriptae, in reliquis vero mittunt nos ad traditionem, in qua est thesaurus totius doctrinae N. T. In Apocalypsi vero, ubi erat locus scribendi futuros successus ecclesiae, per modum prophetiae et praesertim status gloriae jam inchoatus* (de intercessione sanctorum) *expresse habetur.* Disp. 8. pap. 473: *Dicendum est, ideo non fuisse morem in V. T. adeundi sanctos intercessores, quia nondum erant beati et glorificati, ut modo sunt, ideo non debebatur illis tantus honos, quantus est iste* etc. *Erat etiam olim periculum idololatriae, unde etiam sublatus fuit imaginum usus* etc. *Ad aliud vero, quod non sit in N. T. expressum, dicendum est, quod abunde id expressum fuit, si non scripto, saltem traditione viva et consuetudine, quae vim legis habet* etc. *et durum esset id Judaeis praecipere et occasio daretur gentibus putandi, sibi exhibitos multos deos pro multitudine deorum, quos relinquebant, et hoc quantum ad Scripturas. Nam quantum ad verbo et ore traditam doctrinam, non est dubium, quin ecclesiis apostoli eam tradiderint.* Petrus Cotonus lib. 1. institut. cathol. cap. 16. pag. 91. ad argumentum, *quod nullum sit in divinis oraculis edictum, quo a beatis coelitibus opem et praesidium exposcere jubeamur,* respondet hoc modo: *Nullum quidem praeceptum ecclesiae voce atque imperio fuit hactenus significatum, nisi quatenus eidem obsecundare omnes debemus et praecipienti parere, quod qui recusant ethnicis et publicanis sociantur* etc. Fatetur igitur, invocationem sanctorum non niti mandato divino in Scripturis patefacto, sed ecclesiae (Romanae) ordinatione. 2. Primitivae ecclesiae, apostolis vicinae, hunc cultum ignotum fuisse partim expresse, partim tacite fatentur. Jac. Faber Stapulensis praefat. in evang.: *Utinam credendi forma a primitiva peteretur ecclesia, quae tot martyres Christo consecravit, quae nullum scopum praeter Christum habuit, nulli cultum praeterquam uni trinoque Deo impendit.* Censura Coloniensis pag. 209. fatetur, *cultum hunc in ecclesia non esse antiquiorem annis mille ducentis,* quo ipso agnoscit, tres annorum centurias a nato Christo effluxisse, antequam cultus sanctorum in ecclesia innotesceret. Lindanus in tabb. analyticis pag. 225. in prima acie collocat *Cyprianum,* qui tertio post Christum natum vixit seculo; Durandus in ratione divin. officior. cap. 38. fatetur, *quod ecclesia post tempus Sylvestri sanctorum confessorum memoriam venerari coeperit.* Vixit autem Sylvester tertio post Christum natum seculo. Bellarminus de beat. sanctor. cap. 19. Cyprianum praetermittit agnoscens, in genuinis ejus scriptis nullum hujus dogmatis exstare vestigium. Adducit quidem dicta antiquiorum, ut Dionysii Areopagitae, Irenaei et Athanasii, sed ea partim ex ψευδεπιγράφοις scriptis petita, partim in XVIII. 1
peregrinum sensum esse detorta, suo loco ostendemus.

Pii veteres. 1. negant sanctos esse invocandos.

426. 2. *Ex patrum doctrina et testificatione.* Talia enim apud pios veteres, cumprimis vetustiores, occurrunt pronuntiata, quae religiosae sanctorum invocationi vel directe vel indirecte sunt opposita. Distribuemus ea in certas classes. Prima classis continet ea dicta, in quibus negant, *sanctos defunctos esse invocandos,* Origenes lib. 8. adv. Celsum *Eat nunc Celsus et ex eo, quod una cum Deo Fi-*

*lium ejus colimus, colligat, nos quoque non solum Deum, verum etiam ministros ejus colere, qui quidem si intellexisset veros ministros Dei post ipsius unigenitum, Gabrielem, Michaëlem reliquosque angelos, eosque colendos contenderet, fortasse colendi significatum repugnantes et actiones colentium dixissemus aliquid de hoc loco, pro tanta rei dignitate* etc. Ecclesia Smyrnensis in epist. de martyrio Polycarpi, quam recitat Eusebius lib. 4. hist. eccles. cap. 15: *Sed ille aemulus totius boni et adversarius omnium justorum, postquam vidit, quod et pro martyrii gloria et pro vitae egregiae virtutibus* (Polycarpus martyr) *coronatus est et per mortem praemia immortalitatis indeptus, satis agere coepit, ut reliquias ejus ad sepulturam nostris desiderantibus nemo concederet. Instigabatur ergo Nicetas Herodis pater, frater autem Dalcae, adire judicem et petere ab eo, ne humandum concederet corpus, ne forte, inquit, relinquentes illum, qui crucifixus est, Christiani hunc colere incipiant, Judaeis maxime ista machinantibus, qui et nostros intentis oculis observarunt, ne eum e flammis adhuc ardentibus raperent, ignorantes miserrimi, quia neque Christum aliquando possumus derelinquere, qui mortem pro totius mundi salute sustinuit, neque alium quenquam colere* (σέβειν, Christophorsonus in versione addidit *ut Deum*, quod in Graeco non habetur), *quoniam verum Deum et qui solus colendus sit, noverimus. Martyres vero tanquam discipulos Domini diligamus et veneremur*** (in Graeco non habetur venerari, sed ἀγαπᾶν ἀξίως),** *quasi integre fidem magistro servantes et Domino, quorum nos quoque in fide et perseverantia caritatis optamus esse consortes.* Et postea: *Celebramus diem natalitium Polycarpi, hoc est memoriam eorum, qui certamen suum jam decertarunt et ad sequentium exercitationem et praeparationem ut sequentium animi ad praecessorum viam insignibus exemplis suscitentur, audientes, ipsos ob certamina celebrari et jam corona incorruptionis ornatos ac brabeo incomparabili donatos esse.* Athanasius orat. 2. contra Arianos sub fin. pag. 184: *Agnoscant* (Ariani) *sanctos non a creato postulare, ut auxiliator sit.* orat. 3. contra Arian. ante med.: *Nec angelos, neque homines sanctos adoratione colendos esse docent.* Epiphanius lib. 3. contra haereses tom. 2. haeres. 79. contra Collyridianos (qui Mariam θεοτόκον adorando collyridas seu placentulas offerendo, imaginem ejus circumferendo et honorando colebant) pag. 447. edit. Graec. Basil. col. 882. edit. Paris. Lat.: *Quaedam mulieres currum quendam sive sellam quadratam ornantes expasso super eum linteo, in die quadam illustri anni per aliquot dies panem proponunt et offerunt in nomen Mariae, omnes autem pane participant* etc. illis talem opponit Epiphanius refutationem: *Unde non est simulacrificum hoc studium et diabolicus conatus? praetextu enim justitiae semper subiens hominum mentes diabolus, mortalem naturam in hominum oculis deificans statuas humanas imagines prae se ferentes per artium varietatem expressit. Et mortui quidem sunt, qui adorantur, ipsorum vero imagines, quae nunquam vixerunt, neque enim mortuae esse* XVIII. 153.
*possunt, quae nunquam vixerunt, adorandas introducunt, adulterante mente ab uno et solo Deo, velut commune scortum ad multam multiplicis coitus absurditatem irritatum et quod temperantiam legitimi conjugii unius viri detrivit. Revera sanctum erat corpus Mariae, non tamen Deus; revera virgo erat ipsa virgo et honorata, sed non ad adorationem nobis data,* οὐχ εἰς προσκύνησιν ἡμῖν δοθεῖσα, *sed ipsa adorans eum, qui ex ipsa, carne genitus est, de coelis vero ex finibus paternis accessit. Et propterea evangelium munit nos dicens, quod ipse Dominus dixerit: Quid mihi et tibi curae est mulier? nondum venit hora mea. Quo non putarent aliqui, magis eximiam esse sanctam virginem, mulierem eam appellavit, velut prophetans, quae futura essent in terra sectarum ac haeresium gratia, ut ne aliqui nimium admirati sanctam, in hanc haeresin ejusque deliramenta dilabantur. Est enim ludibrium tota res et anicularum fabula, ut ita dicam, tota haeresis tractatio. Quae vero Scriptura de hoc narravit? Quis prophetarum praecepit hominem adorari, nedum mulierem? Eximium quidem est vas, sed mulier, et nihil a natura immutata, verum et intellectu et sensu in honore honorata, velut corpora sanctorum, et si quid amplius, ad glorificationem dixerim, sicut Helias, ex matre virgo et sic manens in perpetuum et translatus et mortem non conspicatus; sicut Johannes, qui super pectus Domini recubuit, quem diligebat Jesus, sicut Tecla sancta. Et Maria adhuc honoratior hac est propter dispensationem mysterii, qua digna facta est. Sed neque Elias adorandus est, etiamsi in vivis; sed neque Johannes adorandus est, quamquam per preces suas proprias dormitionem suam admirandam effecerit, imo potius ex Deo gratiam acceperit; sed neque Tecla, neque quisquam sanctus adoratur. Non enim dominabitur nobis antiquus error, ut relinquamus viventem et adoremus ea, quae ab ipso facta sunt. Coluerunt enim et adoraverunt creaturam praeter creatorem et stulti facti sunt. Si enim angelos adorari non vult, quanto magis eam* (adorari non vult), *quae genita est ab Anna, quae ex Joachim donata est Annae, quae per preces omnem diligentiam secundum promissionem patri ac matri data est, non tamen aliter genita est praeter hominum naturam, sed sicuti omnes ex semine viri et utero mulieris* etc. Et postea: *De coelis descendit et carnem induit Deus verbum ex sancta virgine, non tamen ut adoretur virgo, neque ut Deum hanc efficeret, non ut in nomen ipsius offeramus, non ut post tot secula mulieres sacerdotes ac sacrificulas efficeret. Non complacuit hoc Deo in Salome fieri, non in Maria; non permisit ipsi dare baptisma, non benedicere discipulos, non imperare in terra jussit, sed solum ipsam sanctificationem esse et dignam factam esse regno ipsius*, et paucis interjectis: *Sit in honore Maria;*

*Pater, Filius et Spiritus sanctus adoretur, Mariam nemo adoret, non dico mulierem, imo neque virum. Deo debetur hoc mysterium; neque angeli capiunt talem glorificationem. Deleantur, quae male scripta sunt in corde deceptorum, tollatur ex oculis cupiditas ligni, convertatur rursus figmentum ad Dominum, revertatur Eva cum Adam, ut Deum colat solum, ne ducatur serpentis voce, sed permaneat in Dei praecepto, ne comedas de ligno. Et erat lignum non error, sed per ipsum lignum facta est inobedientia erroris, ne comedat quis de errore, qui est propter sanctam Mariam. Nam etsi pulchrum est lignum, sed tamen non ad cibum; etsi pulcherrima est Maria et sancta et honorata, at non ad adorationem. Hae vero rursus renovant fortunae mixturam et praeparant diabolo et non Deo mensam, velut scriptum est, et pascuntur cibo impietatis, velut dicit divina Scriptura, et feminae terunt pollicem et filii colligunt ligna, ut faciant placentas oleo subactas exercitui coeli. Compescantur a Jeremia tales mulieres et ne turbent orbem terrarum. Ne dicant, honoramus Reginam coeli, novit enim Taphnas has punire. Noverunt*
XVIII. 154. *loci horum aedificiorum corpora suscipere ad putrefactionem. Ne credas Israël mulieri* etc. Tandem concludit: *Et quam multa dicere possem? Sive enim velut ipsam adorantes Mariam, ipsi offerunt collyridem sive placentam vanae istae mulieres, sive pro ipsa offerre conantur praedictam hanc putidam oblationem, tota res stolida est et aliena et ex daemonum motu fraus et impostura. Quo vero non longius extendam sermonem, sufficient nobis relata. Maria in honore sit, Dominus adoretur, justi enim nemini exhibent errorem.* (Bellarminus de invoc. sanct. cap. 15. §. 2. existimat, *Epiphanium eorum duntaxat errorem refellere, qui statuebant, posse ac debere Mariam, quae praecipua sanctorum est, invocari non secus ac Deus invocatur.* Sed inane illud subterfugium ipse Epiphanius refellit, qui simpliciter adorari prohibet Deiparam, cum adoratio soli Deo, non autem angelis vel creaturis ullo modo competat. Collyridiani non habebant Mariam pro summo numine coeli ac terrae creatore, sed illi ut sanctae Deiparae honores divinos deferendos esse judicabant; Epiphanius contra honorandam esse concedit, adorandam vero esse negat ac multis argumentis id ipsum probat. Quod ergo in haeres. praeced. 78. contra Antidicomarianitas Epiphanius Collyridianis tribuit, *ipsos pro Deo virginem introduxisse*, id non est eo sensu accipiendum, quasi Mariam habuerint pro summo Deo coeli terraeque conditore, sed quod divinos honores ipsi deferendo ἑπομένως et consequenter pro Deo eandem introduxisse convincantur. *Mirati sumus*, inquit, *alios ita desipere, ut in tractatione de ipsa sancta semper virgine pro Deo hanc introducere studuerint* etc. *quaedam enim mulieres illic in Arabia a partibus Thraces hanc vanitatem invexerunt, ut in nomen semper virginis collyridem quandam sacrificent et simul congregentur, et in nomen sanctae virginis ultra modum quid tentent aggredi nefario ac blasphemo negotio, et in nomen ipsius sacra celebrent per mulieres, quod totum est impium ac nefarium, alienum a praedicatione sancti Spiritus, ut sit totum diabolicum opus et spiritus immundi doctrina. Impletur enim et in his hoc, deficient a sana doctrina, attendentes fabulis et doctrinis daemoniorum. Erunt enim*, inquit, *mortuis divinum cultum praestantes, quemadmodum etiam in Israël coluerunt* etc.) Et postea: *Sive enim est mortua sancta virgo et sepulta, in honore ipsius dormitio et in castitate mors et in virginitate corona; sive sublata est, velut scriptum est, animam ipsius pertransibit gladius, inter martyres est ipsius gloria et in laudibus sanctum ipsius corpus, per quam lux orta est mundo; sive mansit, nam non est Deo impossibile omnia facere, quae vult, finis enim ipsius nemini notus est; non convenit sanctos colere ultra decorum, sed honorare ipsorum Dominum. Cesset igitur error seductorum. Neque enim Deus est Maria, neque de coelo corpus habet, sed ex conceptione viri et mulieris* etc. *ut nemo in nomen hujus offerat, suam enim animam perdit, neque rursus debacchetur contumelia afficiens sanctam virginem.* Ibidem: *Sancti sunt in honore, quies ipsorum in gloria, profectio ipsorum hinc in perfectione, sors ipsorum in beatitudine, in mansionibus sanctis, tripudium cum angelis, diaeta in coelo, conversatio in divinis Scripturis, gloria in honore incomparabili ac perpetuo, bravia in Christo Jesu Domino nostro, per quem et cum quo gloria Patri cum sancto Spiritu in secula seculorum.* Lactantius lib. 2. instit. cap. 18: *Inexpiabile facinus est deserere viventem, ut defunctorum monumentis servias.* Ibid.: *Manifestum est eos, qui vel mortuis supplicant vel terram venerantur, impietatis ac sceleris sui supplicia pensuros.* Ambrosius in comm. 1. Roman. tom. 5. pag. 177: *Solent tamen pudorem passi neglecti dei misera uti excusatione, dicentes, per istos posse ire ad Deum, sicut per comites pervenitur ad regem.*
*Age, numquid ita demens est aliquis aut salutis suae* XVIII. 15
*immemor, ut honorificentiam regis vendicet comiti, cum de hac re si qui etiam tractare fuerint inventi, jure ut rei damnentur majestatis? Et isti se non putant reos, qui honorem nominis Dei deferunt creaturae et relicto Domino conservos adorant, quasi sit aliquid plus, quod servetur Deo. Nam et ideo ad regem per tribunos aut comites itur, quia homo utique est rex et nescit, quibus debeat rempublicam credere. Ad Deum autem (quem utique nihil latet, omnium enim merita novit) promerendum suffragatore opus non est, sed mente devota. Ubique enim talis locutus fuerit ei, respondebit illi.* Ibid.: *Quanta aegritudo, quanta stultitia, hos se sapientes appellare ad suam damnationem, apud quos plus mortui possint quam vivi, et mortui potiores sint vivis, a vivo enim Deo recedentes mortuis favent.* Excipit Bellarminus de beat. sanct. cap. 20. *Ambrosium agere contra ethnicos, qui*

*astrorum cursus colebant, contra quos ibidem apostolus agit, unde etiam dicit, eos colere conservos, id est creaturas, non secus ac Deum, quomodo faceret, qui honores regios comiti deferret.* Respondemus: Argumenta Ambrosii sunt generalia, quibus omnes hagiolatrorum praetextus refellit. Dicunt illi, *se sanctos invocando honorare eos ut Dei amicos*, respondet Ambrosius, hoc esse honorem Dei transferre ad creaturas. Dicunt illi, *se honorare sanctos*, respondet Ambrosius, omnem honorem religiosum attributum creaturis reos divinae majestatis facere. Dicunt illi, *se in sanctis Deum adorare*, imo vero, ait Ambrosius, relicto Domino conservos adoratis. Dicunt illi, *se cultum latriae Deo reservare*, imo vero, ait Ambrosius, nihil Deo reservatur, quando religiosa adoratio creaturis defertur. Dicunt illi, *si ad regem sine intercessoribus non patet aditus, multo minus ad Deum sine intercessione sanctorum*, imo vero, inquit Ambrosius, ratio est maxime dispar, cum Deus non sit rerum nostrarum ignarus, sicut rex terrenus eorum, quae in ipsius ditione contingunt. (*Atqui*, inquit Bellarminus, *ethnici putabant, summum Deum non esse immediate accessibilem, nec aliter ad eum veniri nisi per cultum inferiorum virtutum.* Respondemus: eodem modo docent Pontificii, ad Deum et Christum mediatorem, utpote justum et severum judicem, non patere nobis aditum nisi per sanctorum intercessiones). Idem lib. 3. de Spiritu sancto cap. 12. pag. 112: *Haud dubie etiam Spiritus sanctus adorandus est, quando adoratur ille, qui secundum carnem natus est ex Spiritu. Ac ne quis hoc derivet ad virginem Mariam, Maria erat templum Dei non Deus templi. Et ideo ille solus adorandus, qui operabatur in templo.* Hieronymus tom. 2. epist. 53. adversus Vigilantium ad Riparium presbyterum pag. 119: *Nos autem non dico martyrum reliquias, sed ne solem quidem et lunam, non angelos, non archangelos, non Cherubim, non Seraphim et omne nomen, quod nominatur et in praesenti seculo et in futuro, colimus et adoramus, ne serviamus creaturae potius quam creatori, qui est benedictus in secula.* pag. 120: *Quis enim, o insanum caput, aliquando martyres adoravit?* Idem Hieronymus (vel potius Sophronius) in homil. de assumtione Mariae epist. 10. tom. 9: *Virginis nullus honor est alius, nisi cum ille jure honoratur, qui nasci dignatus ex ea.* Augustinus epist. 42: *Videtis imperii nobilissimi eminentissimum culmen ad sepulcrum piscatoris Petri submisso diademate supplicare* (quod scilicet non ipsi Petro, *sed Deo* licet apud monumentum Petri supplicet, ut ex aliis locis patebit). Cum Maximus Madaurensis grammaticus apud Augustinum epist. 43. dixisset, *Christianos in Africa loco Jovis, Junonis, Minervae et Veneris habere et colere Punicos martyres*, Augustinus ei respondens epist. 44. nequaquam concedit, *martyres in ecclesia invocari*, supplicationibus et precibus coli, sed improbatis vulgi superstitionibus
XVIII. 156. veram ecclesiae fidem et confessionem repetit. *Scias*, inquit, *a Christianis catholicis nullum coli mortuorum, nihil denique ut numen adorari, quod sit factum et conditum a Deo, sed unum ipsum Deum, qui fecit et condidit omnia*, ubi nota, Augustinum non confugere ad distinctionem λατρείας et δουλείας, sed simpliciter negare, quenquam mortuorum a Christianis coli vel adorari. lib. de vera relig. cap. 55: *Non sit nobis religio cultus hominum mortuorum, quia si pie vixerint, non sic habentur, ut tales quaerant honores, sed illum a nobis coli volunt, quo illuminante laetantur, meriti sui nos esse conservos. Honorandi ergo sunt propter imitationem, non adorandi propter religionem, si autem male vixerint, ubicunque sint, non sunt colendi.* Et paulo post: *Honoramus eos caritate, non servitute* (ubi observa, etiam δουλείαν religiosam derogari sanctis), *nec eis templa constituimus* (quaedam exemplaria legunt *construimus*), *nolunt enim se sic honorari a nobis, quia nos ipsos, cum boni sumus, templa summi Dei esse noverunt.* lib. de catech. rudib. cap. 7: *Non ideo nobis proponuntur exempla justorum, ut ab iis justificemur, sed ut eos imitantes ab eorum justificatore nos quoque justificari sciamus.* (Contra faciunt Pontificii, dum a sanctis inter alia etiam justificationis gratiam in precibus suis petunt.) lib. 7. de civit. Dei cap. 27: *Si templo, si sacerdote, si sacrificio, quod Deo vero debetur, colatur, aliquod elementum mundi vel creatus aliquis spiritus, etiamsi non immundus aut malus, non ideo est malum, quia illa mala sunt, quibus colitur, sed quia illa sunt talia, quibus solus ille colendus sit, cui talis servitus cultusque debetur.* lib. 8. de civit. Dei cap. 27: *Honoramus memorias martyrum, ut ea celebritate et Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, et nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum eodem invocato in auxilium et ex eorum memoriae renovatione adhortemur.* Ibid.: *Nec tamen nos eisdem martyribus templa, sacerdotia, sacra et sacrificia constituimus, quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. Honoramus sane memorias eorum tanquam sanctorum hominum Dei, qui usque ad mortem suorum corporum pro veritate certaverunt, ut innotesceret vera religio, falsis religionibus victis atque convictis, quod etiamsi qui antea sentiebant, timendo reprimebant. Quis autem audivit aliquando fidelium stantem sacerdotem ad altare etiam super sanctum corpus martyris ad Dei honorem cultumque constructum, dicere in precibus, Offero tibi sacrificium Petre, vel Paule, vel Cypriane, cum apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos et homines et martyres fecit et sanctis suis angelis coelesti honore sociavit.* lib. 22. de civit. Dei cap. 10: *Nos autem martyribus nostris non templa sicut diis, sed memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt spiritus, fabricamus, nec ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus martyribus, sed uni Deo et martyrum et nostro sacrificium immolamus, ad quod sacrificium sicut homines Dei, qui mundum in ejus confessione vicerunt, suo loco et ordine nominantur, non tamen a sacerdote, qui sacrificat, invocantur, Deo quippe*

*non ipsis sacrificat, quamvis in memoria sacrificet eorum, quia Dei sacerdos est, non illorum.* Fausto objicienti, *quod Catholici idola verterint in martyres, quos votis similibus colant*, respondet lib. 20. contra Faustum cap. 21: *Colimus martyres eo cultu dilectionis et societatis, quo et in hac vita coluntur sancti Dei homines, quorum cor ad talem pro evangelica veritate passionem paratum esse sentimus. Sed illos tanto devotius, quanto securius post incerta omnia superata, quanto etiam fidentiore laude praedicamus jam in vita feliciore victores, quam in ista adhuc usque pugnantes. At illo cultu, quae Graece latria dicitur, Latine uno verbo dici non potest, cum sit quaedam proprie divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus nisi unum Deum. Cum autem ad hunc cultum pertineat oblatio sacrificii, unde idololatria dicitur*
XVIII. 157. *eorum, qui hoc etiam idolis exhibent, nullo modo tale aliquid offerendum praecipimus, vel cuiquam martyri, vel cuiquam sanctae animae, vel cuiquam angelo. Et quisquis in hunc errorem delabitur, corripitur per sanam doctrinam, sive ut corrigatur, sive ut caveatur. Ipsi enim sancti vel homines vel angeli exhiberi sibi nolunt, quod uni Deo deberi norunt. Apparuit hoc in Paulo et Barnaba, cum commoti miraculis, quae per eos facta sunt, Lycaonii tanquam diis immolare voluerunt. Conscissis enim vestibus suis ista sibi fieri vetuerunt. Apparuit et in angelis, sicut in Apocalypsi legimus, angelum se adorari prohibentem et dicentem adoratori suo: Conservus tuus sum et fratrum tuorum. Superbi spiritus ista sibi exigunt diaboli et angeli ejus.* (Observa, Augustinum immediate tanquam duas species ἀντιδιῃρημένας sibi invicem opponere, cultum religiosum soli Deo debitum et civilem creaturis deferendum. Ergo non agnoscit tertiam aliquam speciem cultus intermediam, divina inferiorem et humana majorem, quam Pontificii introducunt.) tract. 1. in Johan.: *Non potest esse in pace, qui spem ponit in homine. Nolite sic erigere oculos in montem, ut putetis, in homine spem esse vestram collocandam. Et sic dicito, levavi oculos meos in montes, unde veniat auxilium mihi, ut statim subjungas, auxilium meum a Domino, qui fecit coelum et terram. Unde enim et montes acceperunt, ibi et spes nostra ponenda est. Mons erat et ille Baptista Johannes, qui dixit, non sum ego Christus, ne quisquam spem in monte ponens caderet ab illo, qui montes illustrat.* lib. de pastorib. cap. 8: *Nolite putare, te injuriam facere montibus sanctis, quando dixeris, auxilium meum non a montibus, sed a Domino, qui fecit coelum et terram. Ipsi montes hoc tibi clamant. Mons erat Paulus* etc. *Ergo ubi levaveris oculos tuos in montes, unde veniet auxilium tibi, id est in auctores Scripturarum divinarum; attende omnibus medullis tuis omnibus ossibus clamantes, Domine quis similis tibi? ut securus sine ulla montium injuria dicas, auxilium meum a Domino, qui fecit coelum et terram. Non solum tunc tibi non succensebunt montes, sed tunc amabunt, tunc magis favebunt. Si in ipsis spem tuam posueris, contristabuntur.* Id confirmat exemplo angeli, qui noluit adorari ab Johanne, cui multa mirabilia ostenderat, sed ad Dominum illum revocavit. Cyrillus lib. 6. contra Julian. f. 52: *Sanctos martyres neque deos esse dicimus, neque adorare consuevimus, laudamus autem eos potius summis honoribus, quod pro veritate strenue certarunt et fidei sinceritatem servaverunt, ita ut et suam animam contemserint et mortis terroribus valedicentes praevaluerint in summis periculis tantaeque fuerint fortitudinis, quasi statuas sibi suae vitae excitaturi.* Et postea: *Nos autem non deos factos esse diximus sanctos martyres (non cultu religioso, non adoratione, non invocatione), sed omni honore eos dignari consuevimus, quodammodo reponentes memoriam illis immarcescibilem pro honoribus et remuneratione fortitudinis tam conspicuae.* Ibid. cum recensuisset, quo pacto Graeci suos daemonas e praestantibus hominibus factos tanquam custodes et auxiliares superstitum coluerint; subjicit ipse: *Proinde nos quidem minime, Graeci autem potius deprehenduntur hominum fuisse cultores et Dei gloriam incircumspecte, quibus voluerunt, tribuisse.* lib. 10. contra Julianum ait, *Christianos magni facere reverentiam et honorem erga sanctos martyres*, sed addit: *Scriptura nobis unum Deum praedicavit, alium autem praeter illum omnino nullum adorare consuevimus.*

**2. Negant angelos esse invocandos.**

427. Secunda classis continet dicta illa, in quibus negant, angelos esse adorandos, ex quo apparet, quod nec defunctos sanctos adorari voluerint, cum angelorum et sanctorum defunctorum hac in parte sit par ratio. Irenaeus l. 1. cap. 23. testatur, XVIII. 158.
*haereticos fuisse usos angelorum invocationibus*, et cap. 35. exprimit formam invocationis: *O angele te oro.* lib. 2. adv. haeres. cap. 57. pag. 160: *Non est numerum dicere gratiarum, quas ecclesia a Deo accipiens in nomine Jesu Christi per singulos dies in opitulationem gentium perficit, nec invocantibus angelicis aliquid facit, nec incantationibus, nec aliqua prava curiositate, sed munde et pure et manifeste orationes dirigentes ad Dominum, qui fecit omnia, et nomen Domini nostri Jesu Christi.* Origenes lib. 5. advers. Celsum: *Angelos invenimus interdum deos* [Elohim] *vocari a Scriptura sacra, sed non sic, ut jubeamur eos adorare aut divinis honoribus colere, quamvis dona Dei nobis afferant. Omnia enim vota, omnes interpellationes, deprecationes et gratiarum actiones destinandae sunt ad Deum rerum omnium dominum per majorem angelis summum pontificem, vivum verbum et Deum* etc. *Angelos invocare absque ipsorum cognitione, cujus homo capax non est, non videtur rationi consentaneum. Atque ut demus, ab homine comprehendi miram quandam et arcanam eorum naturae notitiam officiorumque, quibus funguntur singuli, hoc ipsum cohibeat, ne quis audeat offerre preces nisi Domino soli, qui unus abunde sufficit* etc. lib. 8.

advers. Celsum pag. 948: *Praedicamus eos* (angelos) *ut beatos, quibus a Deo commissae sunt utilitates hominum, non tamen honorem soli Deo debitum his reddimus. Nam nec Deus vult, nec ipsi, quibus haec commissa sunt, et amant nos, quia non sacrificamus eis, non enim opus habent istis nidoribus.* Concilium Laodicenum can. 35: *Quod non oporteat ecclesiam Dei relinquere et abire, atque angelos nominare et congregationes facere, quae interdicta noscuntur. Si quis igitur inventus fuerit huic occultae idololatriae serviens, sit anathema, quia derelinquit Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei et se idololatriae tradidit.* (Excipit Bellarminus cap. 20. *concilium non damnare quamlibet venerationem angelorum, sed eam, quae Deo propria est.* Respondemus: nec nos damnamus venerationem angelorum, sed eam, quae Deo unice debetur, jam vero religiosa adoratio debetur soli Deo. Concedit Bellarminus, *hunc canonem oppositum esse Simonianis, qui dicebant, Deum apprehendi non posse, sed per angelos esse placandum.* Jam vero Pontificii itidem docent, ad Deum et Christum per angelos et sanctos ut mediatores ac intercessores nobis parandum esse aditum. Surius in margine apposuit, *pro angelis legendum esse angulos*, quam corruptelam etiam secunda canonum editio retinet. Sed eam refellit tum prima editio, quae sic habet: *De his, qui angelos colunt*, tum recentior versio Gentiani Herveti Pontificii ibidem apposita, quae habet *angelos nominare.* Eadem falsitatis convincitur ex Theodoreto in comm. Coloss. 2. quem locum paulo post adducemus. Confer Balsamonem in hunc canonem. Athanasius orat. 3. contra Arianum: *Angelus Johannem in Apocalypsi se adorare volentem non admisit dicens: Vide, ne feceris* etc. *Quocirca solius numinis est adorari. Neque id ab angelis ignoratur, qui quanquam ceteros gloria transcendunt, creaturas tamen se esse neque in classibus adorandorum, sed adorantium Dominum agnoscunt se computari debere.* Idemque orat. 4. contra Arianos t. 2. p. 259: *Nunquam quisquam precaretur accipere a Deo et ab angelis aut ullis rebus creatis. Neque quisquam hanc verborum formam concepit, det tibi Deus et angelus, sed contra a Patre et Filio propter unitatem uniformemque rationem dandi.* Chrisostomus homil. 7. in epist. 1. Cor.: *Sunt nonnulli, qui dicunt, non oportere per Christum reconciliari et Patrem accedere, sed per angelos. Propterea Paulus sursum ac deorsum, quae de Christo sunt, versat.* Epiphanius haeres. 79. contra Collyridianos: *Deus angelos adorari non vult.* Et postea: *Neque angeli*
XVIII. 159. *capiunt talem glorificationem* [adorationis]. Hieronymus epist. ad Riparium: *Nos nec angelos, nec archangelos, nec Cherubim, nec Seraphim adoramus.* Ambrosius in comm. Coloss. 1: *Cuncta in ipso* [Christo] *constant, quia in omnibus ipse primatum tenet, ut si quis alicui elementorum aut angelorum vel potestatum devotum se debere esse putet, errare se sciat.* Augustinus lib. de vera relig. cap. 55: *Hoc ipsos angelos velle credamus, ut unum cum ipsis colamus Deum. Recte itaque scribitur, hominem ab angelo prohibitum, ne se adoraret, sed unum Deum, sub quo esset et ille conservus.* lib. 10. confess. c. 42: *Quem invenirem, qui me reconciliaret tibi? an eundum mihi fuit ad angelos? qua prece? quibus sacramentis? multi conantes ad te redire, neque per se ipsos valentes, sicuti audio, tentarunt haec et digni habiti sunt illusionibus.* lib. 8. de civ. Dei cap. 25: *Nullo modo quasi per daemonum medietatem ambiendum est ad benevolentiam seu beneficentiam deorum vel potius angelorum bonorum, sed bonae voluntatis similitudinem, qua cum illis sumus, cum illis vivimus et cum illis Deum, quem colunt, colimus.* lib. 1. contr. Maximin. Arian. cap. 11: *Si templum alicui sancto angelo excellentissimo de lignis et lapidibus faceremus, anathematizaremur a veritate Christi et ab ecclesia Dei, quoniam creaturae exhiberemus eam servitutem, quae uni tantum Deo debetur* (ubi Erasmus in margine annotavit: *Hoc nunc fit quibuslibet divis*, agnoscens, praxin papatus huic Augustini monito repugnare.) libr. 2. contr. Faust. cap. 21: *Ipsi sancti angeli exhiberi sibi nolunt, quod uni Deo deberi norunt*, quod probat ex Apoc. 19. et 22. Idem in enarr. Psalm. 34: *Sed forte et hic dicetur mihi, angelos cole, angelos adora. Et hic dicam, Domine, quis similis tibi? et, ipsos angelos tu creasti. Nihil sunt angeli nisi videndo te. Melius est cum ipsis possidere te, quam ipsos adorando cadere a te.* In enarr. Psalm. 96. objicientibus, *non colimus daemonia, angelos, quos dicitis, ipsos et nos colimus*, respondet: *Utinam ipsos colere velletis, facile ab ipsis disceretis illos non colere.* Et postea: *Nemo dicat, timeo, ne irascatur mihi angelus, si illum non colo pro Deo meo. Tunc tibi irascitur, quando ipsum colere volueris. Quomodo enim daemones irascuntur, si non colantur, sic angeli indignantur, si pro Deo colantur.* Ibidem: *Omnes sancti vel angeli illius quaerunt gloriam, quem diligunt. Ad ejus cultum, ad ejus orationem, ad ejus contemplationem omnes, quos diligunt, rapere et inflammare student. Volunt potius, ut Deus unus colatur, unus adoretur, Deo uni sacrificium offeratur, non sibi.* libr. de pastoribus cap. 8: *Angelus multa divina et mira ostendens homini ab homine adorabatur, ille tanquam levantem oculos ad montem revocat ad Dominum, noli, inquit, facere, Deum adora. Nam ego conservus tuus sum et fratrum tuorum.* tract. 13. in Joh.: *Haec est religio Christiana, ut colatur unus Deus et non multi dii, quia non facit animam beatam nisi unus Deus. Participatione Dei fit beata, non participatione angeli fit beata sancta anima. Sed si quaerit beata esse infirma anima, quaerat, unde beata sit sancta anima. Non enim beatus efficieris ex angelo tu, sed unde angelus beatus, inde et tu.* Theodoretus in comm. Col. 2: *Qui legem defendebant, eos etiam ad angelos colendos inducebant dicentes, fuisse legem per eos*

*datam. Mansit autem diu hoc vitium in Phrygia et Pisidia. Quocirca synodus quoque, quae convenit Laodiceae, quae est Phrygiae metropolis, lege prohibuit, ne precarentur angelos. Et in hodiernum usque diem licet videre apud illos et eorum finitimos oratoria Sancti Michaelis. Illi ergo hoc consulebant utique humilitate utentes, dicentes, universorum Deum nec cerni, nec comprehendi, nec ad eum posse perveniri et oportere per angelos divinam sibi benevolentiam conciliare. Hoc autem dicit, in humilitate et cultu angelorum, illud autem inflatus, non est contrarium humilitati, eam enim prae se ferebant, sed re vera insolentiae vitio laborabant. Hoc autem in* XVIII. 160. *iis, quae non vidit, incedens, pro eo quod est, propriis rationibus et cogitationibus utens, hoc enim subjunxit, temere inflatus a mente carnis suae.* **Verba illa Theodoreti etiam exstant in Oecumenio manuscripto vetere membranaceo bibliothecae Augustanae in cap. 2. Col. quae tamen in libris editis omissa: *οἱ τῷ νόμῳ συνηγοροῦντες καὶ τοὺς ἀγγέλους σέβειν εἰσηγοῦντο, ὅτι δι' αὐτοὺς καὶ ὁ νόμος ἐδόθη· ἔμεινε δὲ τοῦτο κατὰ Φρυγίαν τὸ ἔθος, ὡς καὶ τὴν ἐν Λαοδικείᾳ σύνοδον νόμῳ κωλῦσαι τὸ προσιέναι ἀγγέλοις καὶ προσεύχεσθαι, ἀφ' οὗ καὶ ναοὶ παρ' αὐτοῖς τοῦ ἀρχιερατήγου Μιχαὴλ πολλοί.*** in cap. 3. Col.: *Quoniam enim illi angelos jubebant adorare, ipse contrarium praecipit, ut et dicta et facta exornent recordatione Christi Domini. Et Deo, inquit, et Patri gratiarum actionem emittite per ipsum, non per angelos. Hanc etiam legem sequens Laodicena synodus et volens veteri illi morbo mederi, lege cavit, ne precarentur angelos et ne relinquerent Dominum nostrum Jesum Christum.* (Excipit Bellarminus, *Theodoretum hoc velle, quod ab apostolo damnentur Simoniani, qui dicebant, Deum apprehendi non posse, sed per angelos esse placandum.* Illud, quod de *oratoriis S. Michaelis* dicitur, *duobus modis intelligi posse. Uno modo, quod velit dicere, haereticos aedificare oratoria S. Michaeli, ut eum ibi colerent secundum haeresin Simonis ei sacrificando; altero modo, quod significare voluerit, templa ab haereticis exstructa ad sacrificandum malis angelis esse conversa a Catholicis in oratoria S. Michaelis et ex multitudine talium locorum colligi, quam multum haeresis Simonis ibi olim grassata fuerit.* Respondemus: Haeretici illi, contra quos disputat apostolus, non adorabant angelos loco Dei, sed per angelorum cultum summum Deum sibi placare voluerunt, quae ipsa Papistarum est doctrina. Theodoretus nequaquam illis tribuit, quod disertis et expressis verbis Christum mediatorem rejecerint, quamvis ex angelolatria illud *ἑπομένως* recte inferatur, sed quod precum sacrificiis angelos colendos esse docuerint ex humilitate, quia ad Deum non possit nisi per angelos mediatores perveniri, et quia angeli divinam nobis concilient benevolentiam, quam esse ipsissimam Pontificiorum *ὑπόληψιν* ex scriptis et praxi constat. Quo sensu *Michaelis oratoria* Theodoretus adhuc superesse scribat, ex contextu manifestum est. *Apud ipsos,* inquit, *et eorum finitimos in hodiernum usque diem oratoria Michaelis videre licet,* in quibus sc. adhuc cultum suum ab apostolo damnatum exercent.) Idem in compend. haeret. fabb. Cainis tribuit, quod *angeli alicujus nomen invocarint.* Remigius in Psalm. 96: *Nec etiam angelus adorandus est, quia legitur in Apocalypsi, cum quidam voluisset adorare angelum pro miraculis, quae fecit, quod ipse prohibuisset, ne adoraretur.*

**3. Solum Deum invocandum esse docent.**

428. Tertia classis complectitur illa dicta, in quibus *solum Deum, non autem ullam creaturam religiose et suppliciter colendum, invocandum et adorandum esse statuunt,* ex quo manifeste sequitur, defunctis sanctis religiosae adorationis cultum minime esse deferendum. Ignatius in epistol. ad Philadelphum 6: *Virgines solum Christum in precibus vestris ante oculos habete et Patrem illius illuminate a Spiritu.* Tertullianus in apolog.** cap. 17: *Quod colimus nos, Deus unus est.*** cap. 30: *Nos pro salute imperatorum Deum invocamus aeternum, Deum verum, Deum vivum* etc. Idem vel potius Novatianus Romanae ecclesiae presbyter in lib. de Trin. cap. 14: *Si homo tantummodo Christus, quomodo adest ubique invocatus? cum haec hominis natura non sit, sed Dei, ut adesse omni loco possit. Si homo tantummodo Christus, cur homo in orationibus mediator invocatur? cum in-* XVIII. 61. *vocatio hominis ad praestandam salutem inefficax judicetur. Si homo tantummodo Christus, cur spes in illum ponitur? cum spes in homine maledicta referatur.* **Justinus apol. 2: *ὡς καὶ τὸν θεὸν μόνον δεῖ προσκυνεῖν, οὕτως ἔπεισεν εἰπών· Μεγίστη ἐντολή ἐστιν, κύριον τὸν θεόν σου προσκυνήσεις καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις.* Et postea: *ὅθεν θεὸν μὲν μόνον προσκυνοῦμεν, ὑμῖν δὲ* (vobis imperatoribus) *πρὸς τὰ ἄλλα χαίροντες ὑπηρετοῦμεν.*** Origenes in epist. Rom. cap. 10. super verba *quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? In principio epistolae* [inquit], *quam ad Corinthios scribit, ubi dicit: Cum omnibus, qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi in omni loco, ipsorum et nostro, eum, cujus nomen invocatur, Deum Jesum Christum esse pronuntiat. Si ergo et Enos et Moyses et Aaron et Samuel invocabant Dominum, et ipse exaudiebat eos, sine dubio Christum Jesum Dominum invocabant. Et si invocare Domini nomen et adorare Deum unum atque idem est, sicut invocatur Christus et adorandus est Christus, et sicut offerimus Deo Patri primo omnium orationes, ita et Domino Jesu Christo; et sicut offerimus postulationes Patri, ita offerimus postulationes et Filio, et sicut offerimus gratiarum actiones Deo, ita gratias offerimus Salvatori.* (Observa, Origeni invocationem et adorationem esse *ἰσοδυναμοῦντα* ac utramque soli vero Deo tribui, omnibus autem creaturis denegari.) Cum Origeni Celsus objecisset, *supremo Deo non posse displicere, si etiam alii inferiores, quos daemonas appellabant, votis et supplicationibus colantur, ut hominum causas apud supremum Deum adjuvent;* Origenes non respondit, loco daemonum

supplicandum esse sanctis angelis et defunctis hominibus, sed ecclesiae fidem et publicam confessionem Celso opposuit. ** libr. 1. contra Cels.: *Quomodo non credendum potius summo Deo eique, qui docet, hunc solum adorandum, reliqua vel quia non sint, vel quia sint quidem, ac proinde honore digna, at non adoratione et cultu praetermittenda?* lib. 5. de Christianis: *Quodsi pro nobis dicendum, qui aequaliter* (cum Judaeis) *neque angelos colimus, neque solem, neque lunam, neque astra.* libr. 1. in Epist. Rom.: *Ut breviter et omni in unum collecta definitione dicamus, adorare alium quempiam praeter Patrem et Filium et Spiritum s. impietatis est crimen.* ** lib. 8. contra Cels. in princ. *Ipsi*, inquit, *Deo omnibus praesidenti per unigenitum ipsius Filium supplices vota offerimus, cui supplicamus, quandoquidem nostrorum peccatorum ille sit propitiatio, ut tanquam pontifex nostras Deo offerat preces.* Item: *Deus namque et solus est adorandus unigenitusque et primogenitus omnis creaturae Deus, Verbum, suppliciter et ut pontifex est deprecandus, ut nostras, quae ad se pervenerint, preces ad Deum referat.* Cumque Celsus afferret consuetudinem seculi, qua non ipsi tantum reges et principes, sed primo potentiores et secundum hos reges sint placandi, Origenes hisce respondet pag. 494: *Licet plena sit haec vita exemplorum, quod primum potentiores placentur et secundum hos reges, unus tamen nobis placandus est Deus, et ut propitius sit, exoptandum, qui utique pietate et virtute placatur. Quodsi quis alios velit praeter Deum omnipotentem placatum iri Celsus intelligat, sicut corpus hoc cum movetur et umbram habet se subsequentem, sic item et qui summum Deum placarit et illius amicos, ut propitios habeat, sequitur, angelos scil. animasque et spiritus ceteros beatiores, quippe qui simul sentiant, quinam Dei sint benignitatem promeriti. Nec solum se hi erga digniores quousque propitios reddunt, sed et Deo gratificari volentibus opitulantur, hisque et placabiliorem hunc faciunt, unaque et supplicant et precantur.* Vide locum integrum. Arnobius lib. 3. adv. gentes pag. 101: *Ad*
XVIII. 162. *cultum divinitatis obeundum satis est nobis Deus primus, Pater rerum ac Dominus, in hoc omne, quod colendum est, colimus, quod adorari convenit, adoramus* etc. *Atque ut in terrestribus regnis necessitate nulla compellimur, regalibus in familiis constitutos nominatim cum principibus adorare, sed in regum ipsorum cultu quidquid illis annexum, tacita in se sentit honorificentia comprehendi, non alia ratione quicumque hi dii sint, quos esse nobis proponitis, si sunt progenies regia et principalis, oriuntur e capite, etiamsi nullos accipiant a nobis nominatim cultus, intelligunt se tamen honorari communiter cum suo rege atque in illius venerationibus contineri.* Hilarius in Psalm. 124. invocationis honorem ideo communicat cum Christo, quia credit, ipsum esse verum Deum, addita ratione: *Adest enim et cum fideliter invocatur, per naturam suam praesens est et ei, qui in eum credit, assistit.* In Psalm. 129: *De profundis ad te clamavi Domine. Deus ergo*, inquit, *ubique est et ubique adest, audit, videt, efficit, sed orandus a nobis est, ut secundum precem nostram adsit, audiat, videat, efficiat. Naturae suae est, ut audiat; sed fidei nostrae est, ut precemur audiri* etc. (Sic ergo omnipraesentiam statuit invocationis fundamentum, quae soli Deo competit.) **Lactantius lib. 1. c. 20: *Religio et veneratio nulla nisi unius Dei tenenda est.* ** Athanasius t. 1. disp. 1. contra Arianos pag. 126: *Apostolus quidem increpat ethnicos, quod res conditas venerentur et quod praeterito creatore Deo creaturis inserviant. Isti autem* [Ariani] *cum Christum et creaturam pronuntiant, illi tamen quanquam creaturae religionis cultu ceremoniisque inserviunt? Quid igitur quaeso ab ethnicis differunt? qui fieri potest, si ita sentirent, ut non verba jam e Paulo recitata ejusque incusatio ad ipsos pertineat?* orat. 2. contra Arian. pag. 184: *Sancti non postulant a creato aliquo, ut sit auxiliator. Christus ergo, cujus auxilium sancti invocant, est verus Deus.* orat. 3. contra Arian.: *Creatura non adorat creaturam, sed Deum, Christus ergo, qui adoratur, Deus est.* orat. 4. cont. Arian. pag. 263: *Cur igitur Ariani, cum hoc sensu sint, sese non annumerant gentilibus? siquidem utrique omisso creatore Deo creaturae inserviat.* (Potuissent Ariani eadem cum Pontificiis excusatione uti, videlicet se non relinquere creatorem, nec Filio eundem religiosum cultum deferre, quem summo Deo, sed cultu humano majorem et divino inferiorem. Verum Athanasius nullos in religioso cultu agnoscit gradus, sed simpliciter pronuntiat, eum, qui praeter summum Deum creaturam religioso cultu honorat, ethnicae idololatriae affinem esse.) lib. de incarn. Verbi pag. 528: *Si adoras hominem Christum eo, quod ibi inhabitet Dei Verbum, eadem opera adora quoque sanctos ob Deum, qui ibi domicilium habet.* Eusebius de praepar. evang. lib. 4. cap. 5: *Nos solum omnium Deum religiose colere, σέβειν, edocti sumus.* cap. 10. *illi soli τὸ προσῆκον σέβας, debitam venerationem, tribuimus.* lib. 7. hist. cap. 10. *Dionysium episcopum Alexandrinum dixisse* memorat: *Illum, qui solus Deus est, et nullum alium veneror, τὸν θεὸν τὸν ὄντα μόνον καὶ οὐχ ἕτερόν τινα σέβω.* Gregorius Nazianz. orat. 3. de pace: *Unum Deum in Trinitate venerari debemus, μηδὲν ὑπερσέβοντες, μηδ' ὑποσέβοντες, τὸ μὲν γὰρ ἀδύνατον, τὸ δὲ ἀσεβές* (exspirat ergo distinctio religiosi cultus in *λατρείαν* ac *δουλείαν*.) Basilius referente Nazianzeno in orat. in Basilium Magnum pag. 269. [edit. Graec. pag. 89.] *Valenti imperatori* aperte dixit: *οὐ δὲ κτίσμα τι προσκυνεῖν ἀνέχομαι, creaturam non sustineo ullam adorare.* Idem Nazianzenus orat. de Spiritu sancto edit. Graec. pag. 215: *εἰ προσκυνητόν, πῶς οὐ σεπτόν; εἰ δὲ σεπτόν, πῶς οὐ θεός; si adorandum, quomodo non et religiose colendum? et si religiose colendum, quomodo non et Deus?* **Basilius in

Psalm. 28: *Quasi creatum aliquid dicit et tamen adorat, agnoscat sortem suam, qua conjunctus est cum gentibus.* Idem orat. morali 15. quae est de principatu et potestate: *Quemadmodum aliud quippiam praeter Deum colere, sic neque in alio spem reponere quam in Deo omnium Domino, haud fuerit consentaneum.*** Epiphanius haeres. 79. p. 448:
XVIII. 163. *Sit in honore Maria; Pater, Filius et Spiritus sanctus adoretur. Mariam nemo adoret* etc. *Deo debetur hoc mysterium.* haeres. 74. pag. 381: *Spiritum sanctum esse Deum, non creaturam,* probat ex eo, *quia religiose adoratur,* et addit: *οὐ λατρευτέα δὲ ἡ κτίσις, non adoranda autem creatura.* haeres. 64. pag. 341: *πῶς ἔτι προσκυνητός, εἰ ἔσται ποιητός; quomodo vero adhuc erit adorandus, si factus fuerit?* Et postea: *κατὰ τὴν εὐσεβῆ πίστιν τὴν μηκέτι κτίσει προσκυνοῦσαν, ἀλλὰ τῷ κτίσαντι, secundum piam fidem, quae non adorat creaturam, sed creatorem.* Item: *πᾶν γὰρ τὸ κτιστὸν οὐ προσκυνητέον, omne creatum non adorandum,* vel *nullum creatum adorandum.* Hieronymus [vel potius Beda] in comm. Proverb. libr. 1. cap. 2: *Nullum invocare, id est in nos orando vocare, nisi Deum debemus.* Ambrosius libr. 1. de fide ad Gratian. cap. 7: *Prohibuit me Paulus creaturae servire, sed Christo admonet serviendum. Non ergo creatura Christus. Paulus, inquit, servus Jesu Christi. Bonus servus, qui Dominum recognoscit, ipse creaturae servire nos prohibet. Quemadmodum ergo Christo Domino ipse serviret, si creaturam Christum putaret?* lib. 2. de Spiritu sancto cap. 6: *Si igitur creator est Spiritus, non est utique creatura. Creaturam enim apostolus creatoremque divisit dicens: Servierunt creaturae potius quam creatori, simul creatori admonet serviendum, damnando eos, qui serviunt creaturae* Rom. 1. *cum creatori servitium debeamus. Et quoniam creatorem Spiritum noverat, docet eidem serviendum dicens: Videte canes* etc. *nos enim sumus circumcisio, quia Spiritui Deo servimus* etc. *ergo si serviendum dicat Spiritui idem apostolus, qui non creaturae, sed creatori asserit serviendum, evidenter utique ipse sanctum ostendit Spiritum creatorem et in aeternae divinitatis honore venerandum, quia scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies.* (At si religiosa servitus etiam sanctis debetur, quomodo ex ea divinitas Spiritus sancti ab Ambrosio probari posset?) lib. 3. de Spiritu sancto cap. 12. ** *Neque adorandum quidquam praeter Deum legimus, quia scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies.* Theod. Therapeuticon 2: *Deus jussit in servitio manere, δουλείᾳ προσμεῖναι, nec cultum partiri, verum ei soli, qui est, tribuere.* ibid.: *Homines virtute eximios tanquam viros optimos honoramus, at solum omnium* (vel ex omnibus) *Deum adoramus Patrem ejusque Verbum et Spiritum s.*** Augustinus in ench. c. 11: *Non nisi a Domino Deo petere debemus, quidquid speramus nos vel bene operaturos, vel pro bonis operibus adepturos.* lib. de morib. eccl. Cath. cap. 30: *Merito ecclesia Catholica, mater Christianorum verissima, non solum ipsum Deum, cujus adeptio vita est beatissima, purissime atque castissime colendum praedicat, nullam nobis adorandam creaturam inducens, cui servire jubeamur, et ab illa incorrupta et inviolabili aeternitate, cui soli homo subjiciendus est, cui soli rationalis anima cohaerendo non misera est, excludens omne quod factum est, quod obnoxium commutationi, quod subditum tempori.* ** Gregorius Nyssenus apud auctor. Melissae c. 11. Sic instituti sumus, ut quidquid creatum est, intelligamus alienum esse a divina natura et solam naturam increatam adorandam ac colendam, cujus nota et differentia est neque initium habere, neque finem exsistendi.** Cyrillus Alexandrin. libr. 2. thesauri c. 1. contra Eunom. sic disserit: *Sed sic primum in idololatriam incides, cum Dominum vere non fatearis adoresque illum, quem Deo Patri consubstantialem esse non credas, sed potius creaturam. Quicquid enim vero Deo consubstantiale non est, id natura Deus esse non potest. Dominus, inquit,* XVIII. 164.
*Deus vester Dominus unus est. Una enim natura deitatis est, quam solummodo adorare oportet. Dominum, inquit, Deum tuum adorabis et illi soli servies, servitute scil. qua Deus colendus est.* Idem de recta fid. ad Regin.: *Assumtus est in coelum, sed ut Deus, annuntiatur praestare petitiones adorantium, si in nomine ejus fecerint preces. Jam cui magis convenit facere compotes votorum sanctos et largiri quod petunt quam ei, qui solus natura et vere est Deus?* Fulgentius lib. ad Donat. de fide orthod.: *Si Filius Dei creatura esset, serviendum ei Scripturarum sacrarum auctoritas non juberet, sed potius prohiberet. In primo enim decalogi praecepto, sicut unius Dei cultura servitusque manifestissime praecipitur; ita omni creaturae adoratio ac servitus a fidelibus exhibenda vehementissime prohibetur.* Sedulius in cap. 1. Rom.: *Adorare alium praeter Patrem et Filium et Spiritum sanctum impietatis crimen est.*

**4. A solo Deo auxilium et gratiam petendam esse docent.**

429. Quartam classem assignabimus dictis illis, in quibus a solo Deo, non ab angelis vel sanctis opem, auxilium, gratiam, beneficia corporalia et spiritualia religiose, suppliciter ac fiducialiter petenda esse docent. Clemens Alexandr. lib. 7. stromat.: *Extrema est inscitia ab iis, qui non sunt dii, tanquam a diis petere, unde merito, cum sit bonus unus Deus, ab ipso ex bonis alia quidem dari, alia vero permanere precamur nos et angeli.* Tertullianus in apolog. cap. 30: *Haec ab alio orare non possum, quam a quo scio me consecuturum, quoniam et ipse, qui solos praestat, et ego sum, cui impetrare debetur, famulus ejus, qui ipsum solum observo.* Origenes lib. 8. contra Celsum: *Quanto satius est, securum istius voluptatis daemoniacae etc. concedere se Deo universorum Domino per Jesum Christum nostrae doctrinae auctorem et ab illo poscere omne auxilium et sanctorum angelorum justorumque*

*custodiam, ut nos liberent a circumterraneis d monibus.* Athanasius orat. 2. contra Arian.: *Agnoscant, quod sancti creatum non dignantur fieri auxiliatorem sibi et domum refugii.* orat. 4. contra Arian.: *Nunquam quispiam precaretur aliquid accipere a Patre et angelis vel ab ullis rebus creatis* etc. Cyrillus de recta fide ad Regin.: *Christus quatenus Deus annuntiatur praestare petitiones adorantibus, si in nomine ejus fecerint preces Jam cui magis convenit facere compotes votorum sanctos et largiri, quod petunt, quam ei, qui solus natura et vere Deus est?* Augustinus lib. 20. contra Faust. cap. 21: *Sanctus Daniel accusatores ac persecutores pertulit, quod regis edicto proposito, ut nihil a quoquam Deo peteretur nisi a rege solo, Deum suum, id est unum et verum Deum, adorare deprecarique deprehensus est.*

5. Docent, solum Christum esse mediatorem.

430. Quinta classis continet dicta, in quibus solum Christum statuunt esse mediatorem nostrum non tantum redemtionis, sed etiam intercessionis. Clemens Roman. lib. 2. constitut. apostol. (quas Pontificii ut genuinas agnoscunt) cap. 32: *Non enim ad Deum omnipotentem accedere licet nisi per Christum.* Irenaeus lib. 2. advers. haeres. cap. 58: *In illius* (Christi) *nomine, qui vere sunt illius discipuli, ab ipso accipientes gratiam perficiunt ad beneficia reliquorum hominum.* Origenes contra Celsum lib. 8: *Adscendit ad summum Deum is, qui eum inseparabiliter et indivisibiliter colit per Jesum Dei Filium, cujus solius ductu pervenitur ad Patrem.* ibidem: *Unum Deum et unum ejus Filium ac Verbum et imaginem, quantum possumus, supplicationibus et honoribus veneramur, offerentes Deo universorum Domino preces per suum uni-*
XVIII. 165. *genitum, cui prius eas adhibemus, rogantes, ut ipse qui est propitiator pro peccatis nostris, dignetur tanquam pontifex preces nostras et sacrificia et intercessiones offerre Deo Optimo Maximo* etc. Cyrillus libr. 11. in Johan. cap. 7: *Praeterea ad petendum cum fiducia impellens eos, amen, amen affirmans dixit, impetrabitis a Patre, quidquid in nomine meo petieritis. In nomine autem meo addit, ut mediatorem se et collargitorem ostendat. Nullus enim accedit ad Patrem nisi per Filium, per quem adductionem habemus ad Patrem in Spiritu, ut scriptum est. Ideo se portam et viam appellat, quia nemo, inquit, venit ad Patrem nisi per me. Nam in quantum Filius et Deus est, una cum Patre vobis bona largitur; in quantum vero mediator est et pontifex et paracletus, nostras preces ad Deum adducit* etc. cap. 9: *Petere aliquid per orationem a Patre nullo modo permittit nisi in nomine suo Patremque facillime daturum pollicetur.* Arnobius libr. 2. contra gentes p. 27: *Hoc necesse a nobis est, ut debeatis accipere, a nullo animas posse vim vitae atque incolumitatis accipere nisi ab eo, quem rex summus huic muneri officioque praefecit* [Christo]. *Hanc omnipotens imperator esse voluit salutis, hanc vitae ut dixerim januam; per hoc solum est ingressus ad lucem, neque alias datum est vel irrepere, vel invadere ceteris omnibus clausis atque inexpugnabili arce munitis.* (Per solum igitur Christum aditum ad Deum nobis ac precibus nostris patere, non autem per sanctorum mediationem et intercessionem Deum compellandum esse docet). Eusebius libro 4. demonstrat. evangel. cap. 17. [in edit. Graec. est p. 117]: *Christus nominatim postulata a Patre impetrans.* Rationes profert hasce: *1. Cum enim propter nos et pro nobis factus homo omnes contumelias acceperit, una cum illo supplicante et Patrem pro nobis deprecante ipsi quoque docemur orare, tanquam cum eo, qui bella adversus nos sive visibilia, sive invisibilia propulset. 2. Quoniam illi proprium est, οἰκεῖον, tanquam ei, qui summus sit pontifex, spiritualia in glorificationibus et praedicationibus de Deo sacrificia pro multis conficere. 3. Quoniam ut sacerdos est, semet ipsum ipse, et quem assumsit de terra hominem pro nobis perfectum atque integrum sacrificium Deo Patri obtulit.* (Ut ergo solus Christus pro nobis se ipsum in ara crucis obtulit, ita quoque solus noster est apud Deum intercessor vi et virtute sui meriti pro nobis praestiti). Ambrosius libro de Isaac et anima cap. 8: *Christus est vox nostra, qua Patri loquimur; est oculus noster, quo Patrem videmus; est dextra nostra, per quam Patri sacrificia offerimus.* Augustinus libr. 10. confess. cap. 43: *Verus mediator, quem secreta tua misericordia demonstrasti humilibus, homo Christus Jesus inter mortales peccatores et immortalem justum apparuit. Merito mihi spes valida in illo est, quod sanabis omnes languores meos per illum, qui sedet ad dextram tuam et te interpellat pro nobis, alioquin desperarem conterritus peccatis meis et mole miseriae meae.* libr. 9. de civit. Dei cap. 15: *Si omnes homines, quamdiu mortales sint, etiam miseri sint necesse est, quaerendus est medius, qui non solum homo, verum etiam Deus sit, ut homines ex mortali miseria ad beatam immortalitatem hujus medii beata mortalitas interveniendo perducat, quem neque non fieri mortalem oportebat, neque permanere immortalem* etc. *Boni igitur angeli inter miseros mortales et beatos immortales medii esse non possunt, quia ipsi quoque et beati et immortales sunt* etc. *Ut ad unum illud beatificum bonum perduceremur, non multis, sed uno mediatore opus erat* etc. *Non oportet quaeri alios mediatores, per quos arbitremur nobis perventionis gradus esse moliendos.* lib. 2. contra Parmenianum cap. 8: *Si Johannes ita diceret haec scripsi vobis, ut non peccetis, et si quis peccaverit, mediatorem me habetis apud Patrem, ego exoro pro peccatis vestris, sicut Parmenianus quodam loco mediatorem posuit episcopum inter populum et Deum, quis eum ferret bonorum atque fidelium Christianorum? quis sicut* XVIII. 166.
*apostolum Christi, et non sicut Antichristum eum intueretur?* Et infra: *Si esset mediator Paulus, essent utique et ceteri coapostoli ejus, ac si multi mediatores essent, nec ipsi Paulo constaret ratio,*

*qua dixerat, unus enim Deus, unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus.* Ibidem: *Homines Christiani invicem se commendant orationibus suis, pro quo autem nullus interpellat, sed ipse pro omnibus, hic unus verusque mediator est.* (Excipit Bellarminus cap. 20. resp. ad 2. *Augustinum loqui de mediatore redemtionis ac Christum ideo vocare unum mediatorem, quia solus ita est mediator, ut non indigeat alio mediatore.* Respondemus: Imo vero in genere negat, esse plures mediatores, ac disputat contra eos, qui Johannem et Paulum vocabant mediatores. At nemo tunc illos habuit pro mediatoribus redemtionis, sed pro mediatoribus intercessionis quidam eos honorare voluerunt, quorum errorem improbat. Testantur hoc ipsum diserta Augustini verba, quod de mediatore intercessionis agat, sic enim scribit: *Si Johannes diceret, mediatorem me habetis apud Patrem, ego exoro pro peccatis vestris, quis eum ferret? Verba illa, pro quo nullus interpellat, sed ipse pro omnibus hic unus verusque mediator est,* non sunt *limitativa*, quasi Christus ea duntaxat ratione sit et dicatur solus mediator, quia pro omnibus ipse interpellat et nullus pro eo, sed sunt *ratiocinativa*, Christum scil. inde atque ideo esse solum et unicum mediatorem tum redemtionis tum intercessionis, quia ipse solus pro omnibus interpellat. Quamvis enim Christiani sese invicem commendent orationibus suis, tamen non sunt sibi invicem mediatores intercessionis, sed hic honor soli Christo relinquendus, id quod ex aliis Augustini dictis erit manifestius.) in enarr. 2. Psalm. 29: *Dictum est ab apostolo etiam post resurrectionem Domini nostri Jesu Christi, qui sedet ad dextram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Quare interpellat pro nobis? quia mediator esse dignatus est. Quid est mediatorem esse inter Deum et homines? non inter Patrem et homines, sed inter Deum et homines. Quid est Deus? Pater, Filius et Spiritus sanctus. Quid sunt homines? peccatores, impii, mortales. Inter illam Trinitatem et hominum infirmitatem et iniquitatem mediator factus est homo, non iniquus, sed tamen infirmus, ut ex eo, quod non iniquus, jungeret te Deo; ex eo, quod infirmus, propinquaret tibi, atque ita ut inter Deum et hominem mediator exsisteret. Verbum caro factum est, id est, Verbum homo factum est.* (At haec ratio non convenit sanctis, sed soli Christo.) in enarrat. Psalm. 36: *O popule, talem elige sacerdotem, pro quo non cogaris orare, sed de cujus oratione pro te securus esse possis. Ipse est Dominus noster Jesus Christus, unus mediator Dei et hominum.* in enarr. Psalm. 94: *Si sacerdotem requiras, super coelos est, interpellat pro te, qui in terra mortuus est pro te.* in Psalm. 108: *Non est justa oratio nisi per Christum. Oratio autem, quae non fit per Christum, non solum non potest delere peccatum, sed etiam ipsa fit in peccatum.* tract. 1. in 1. epist. Joh. cap. 2: *Clama, advocatum habemus apud Patrem. Videte ipsum Johannem servantem humilitatem, certe vir justus erat et magnus, qui de pectore Domini mysteriorum secreta bibebat, ille, qui in bibendo de pectore Domini divinitatem ructavit. In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum. Ille talis vir non dixit, advocatum habetis apud Patrem, sed si quis peccaverit, advocatum habemus, inquit, non dixit habetis. Nec me habetis dixit nec ipsum Christum habetis dixit, sed et Christum posuit, non se, et habemus dixit, non habetis. Maluit se ponere in numero peccatorum, ut haberet advocatum Christum, quam ponere se pro Christo advocatum.* Confer tract. 22. in Joh. ser. 55. de verb. Dom. et Anselmum in meditationibus, Theodoretum in 1. Tim. 2. XVIII. 167.

431. Sextam classem assignabimus dictis illis, in quibus docent, piis ad Deum et Christum sine aliis intercessoribus immediatum patere accessum, ex quo consequens est, intercessionem sanctorum non necessario in precibus nostris requiri. Ambrosius in comm. Roman. 1. tom. 5. fol. 374: *Ad Deum suffragatore non est opus, sed mente devota.* Chrysostomus in homil. de profectu evangelii tom. 5. fol. 428: *Vis discere, quod etiam per nos ipsos orantes plus apud Deum efficimus, quam dum alii pro nobis orant? Clamavit Cananaea et accesserunt discipuli, et ad illos quidem dixit: Non sum missus nisi ad perditas oves domus Israel. Quando autem ipsamet accessit, tunc beneficium dedit. Vides, quomodo repulit, cum alii precarentur, ubi vero ipsamet orans clamavit, annuit. Cum haec omnia non ignoremus, licet peccatores simus et indigni, licet soli simus et intercessoribus careamus, non despondeamus animum.* Ibidem: *Ceterum non opus est patronis apud Deum, neque ullo discursu, ut blandiare aliis, sed licet solus sis patronoque careas et per te ipsum Deum preceris, omnino tamen voti compos eris. Neque enim tam facile Deus annuit, cum alii pro nobis orant, ut cum ipsimet oramus, etiamsi plurimis pleni sumus malis.* hom. 5. in Matth.: *Si mente vigilemus, multo magis nostro quam alieno tuti esse possumus suffragio. Nam et Deus salutem nostram non tam aliis pro nobis rogantibus vult donare quam nobis. Sic enim et Cananaeam illam miseratus est, sic etiam meretrici donavit fidem, sic denique latronem a cruce in paradisum transtulit nullius patroni, nullius precibus mediatoris inflexus.* Eadem fere repetit hom. 44. in Gen. in praefat. Psalm. 4. hom. 4. de poenit. et in hom. 12. de muliere Cananaea scribit tom. 2. fol. 38: *Vide prudentiam mulieris. Non rogat Jacobum, non obsecrat Johannem, neque pergit ad Petrum, neque intendit apostolorum chorum, non quaesivit mediatorem, sed pro omnibus illis poenitentiam accipit comitem, quae advocati locum implevit, et sic ad summum fontem perrexit. Propterea, inquit, descendit, propterea carnem assumsit et homo factus est, ut ego audeam illi loqui.* Ibidem: *Ubique Deus praesens est, non clauditur loco, invocanti dicit, adsum. Ubi-*

**6. Negant alio mediatore nos indigere.**

*cunque fueris aut invocaveris, audiet te. Non ostiario, non mediatore, non ministro opus est, sed dicito, Deus miserere mei, et illico aderit, adhuc loquente te dicet, adsum.* Theophylactus in cap. 15. Matth.: *Observa, quod licet sancti orent pro nobis, sicut pro Cananaea apostoli, tamen nos pro nobis ipsis petentes magis audimur.* (Excipit Bellarminus, *Chrysostomum loqui de iis, qui preces mortalium implorant, non de iis, qui sanctos cum Christo regnantes invocant, ac reprehendere illos, qui pro se non orant, sed tantum aliorum orationes petunt.* Respondemus: in schola Pontificiorum pari passu ambulabant compellare sanctos viventes et invocare sanctos defunctos, cum ex priore inferre conentur posterius. Quodsi ergo viventium intercessio non est simpliciter necessaria, ergo nec sanctorum defunctorum. Si poenitentibus et credentibus immediatus ad Deum et Christum mediatorem patet accessus, utique sanctorum invocatio non est ipsis necessaria). Septimam classem assignare possumus dictis illis veterum, in quibus negant, sanctos *esse omniscios, omnipraesentes, omnipotentes, ecclesiae in terris praesides, fiduciam in ipsos esse collocandam* etc. quae in superioribus quaestionibus sunt enumerata. Octavam complere possent dicta, in quibus negant, *merita aliorum hominum nobis applicari posse*, et ad solius Christi meritum ac satisfactionem nos remittunt, illud enim directe pugnat cum hypothesi Pontificiorum, quod sancti ideo sint
XVIII. 168. invocandi, ut eorum merita nobis suffragentur. Dicta illa alia sunt enumerata.

**Origo hujus dogmatis.** 432. 3. Ex dogmatis hujus origine. Invocationem sanctorum Petrus Gnapheus haereticus in ecclesiam introduxit. Ergo ea non nititur unanimi ac perpetuo ecclesiae consensu. Nicephorus lib. 15. hist. eccl. cap. 28: *Petrus cognomine Gnapheus templi S. Bassae martyris apud Chalcedonem Bithyniae presbyter Zenonem imperatoris generum Antiochiam secutus tumultus ibi non minimos excitavit, res plerasque apud plebem per confusionem miscens* (favore enim Zenonis Isaurici sedem episcopalem legitimo episcopo Martyrio deturbato invaserat) *et insolita quaedam adversus fidem inducens, quodque maximum est, omnes eos, qui Deum crucifixum et passum esse non crederent, anathematis fulmine jaciens. Atque ubi opinionem suam confirmavit, ter sancto illi hymno accessionem istam Qui crucifixus est pro nobis, tandem adjecit, quae verba ad hunc usque diem apud Theopaschitas obtinent* (fuit ergo Eutychianus ac Theopaschita). *Illum Petrum Gnapheum quatuor ista ecclesiae catholicae commodissima reperisse dicunt, ut sacrum unguentum in populi totius praesentia consecraretur; ut ad vesperam sanctorum Theophaniorum unda in sacrum lavacrum infunderetur; ut symbolum sanctum, quod semel tantum antea magno et sancto parasceves die dici solitum fuerat, in synaxi et conventu ecclesiae quovis decantaretur; et ut in precatione omni Dei genitrix nominaretur et divinum ejus nomen invocaretur* καὶ ταύτης τὴν θείαν κλῆσιν ἐπικαλεῖσθαι. Cedrenus in compend. hist. pag. 290: *Petrus Gnapheus per tyrannidem occupato Antiochiae throno* πρῶτον ἐπενόησε, *primum excogitavit, ut in unaquaque prece Dei genitrix nominaretur*, ἐν ἑκάστῃ εὐχῇ τὴν θεοτόκον ὀνομάζεσθαι. Confer Theodorum Anagnosten lib. 2.

**Confessio ipsorum Pontificiorum.** 433. Ostendimus hactenus, nec *Dei*, nec *Mediatoris nostri Christi*, nec ipsorummet *sanctorum*, nec verae et Deo gratae *invocationis* conditionem permittere, ut sancti religiose a nobis invocentur. Coronidis loco addimus, quosdam ex ipsis Pontificiis sanioribus religiosae sanctorum invocationi non multum tribuere ac abusus, qui per eam in ecclesia Pontificia invaluerunt, nobiscum redarguere. Nicolaus Kuss sacerdos Rostochiensis in lib. de triplici funiculo circa ann. Christi 1511. docuit, *sanctos non esse invocandos.* Wolffius centur. 16. memoral. pag. 27. Refert Sacerius, *cum Georgius dux Saxoniae hostis Lutheri* ἄσπονδος *in agone constitutus esset ac monachi certatim eum exhortarentur, alius ut Mariam, alius ut angelos, alius ut diversos sanctos auxiliatores invocaret, tandem nobilem quendam ducis familiarem accessisse et ducem ita compellasse: Celsitudo Vestra in politicis negotiis semper usa fuit hoc proverbio, recta sine ambagibus progredi esse viam maxime compendiariam. Quare igitur in hac via periculosissima Celsitudo Vestra tam varias ambages sectatur et non potius invocatione sua recta per Christum ad Deum ipsum, qui certo juvare vult et potest, accedit?* Ludov. Vives in comm. lib. 8. August. de civ. Dei cap. 27: *Multi Christiani in re bona plerumque peccant, quod divos divasque non aliter venerantur quam Deum. Nec video in multis, quod sit discrimen inter eorum opinionem de sanctis, et id quod gentiles putabant de diis suis. Impia est opinio Vigilantii, qui omni honore martyres privabat, stulta Eunomii, qui ne cogeretur adorare mortuum, templa martyrum non ingrediebatur. Venerandi sunt martyres, non adorandi ut Deus, quemadmodum Hieronymus in Vigilantium disserit.* (Hunc Ludovicum Vivem *semicatholicum* vocat Bellarminus, sed
Claudius Espencaeus episcopus comm. in 2. Tim. XVIII. 169.
part. 2. appellat *virum undiquaque doctissimum, extra omnem irreligiosi animi suspicionem, scriptorem legis dignissimum.*) Erasmus in colloquio, quod inscripsit *Naufragium*, quendam introducit alterum interrogantem, *an imminente mortis periculo imploraverit alicujus divi praesidium?* respondet ille: *Ne id quidem. Quamobrem autem?* inquit. *Quia spatiosum est coelum. Si cui divorum commendavero salutem meam, puta Petro, quia fortasse prius audiet, quod adest ostio, priusquam ille conveniat Deum, priusquam exponat causam, ego jam periero.* in dial. de peregrin. relig. ergo epistolam nomine Mariae Virginis ad Glaucoplutum habet, in qua eam sic loquentem introducit: *Quod Lutherum secutus strenue suades, supervacaneum esse invocare divos, a me quidem isto nomine bonam magnamque gratiam iniisse te scito·*

*Nam antehac tantum non enecabar improbis mortalium implorationibus. Ab una petebantur omnia, quasi filius meus semper infans esset, quia talis fingitur pingiturque in sinu meo.* (Citat haec ex Erasmo Bellarminus in praefatione libror. de ecclesia triumphant. ac Luciano propterea eundem comparat, sed meminisse debebat Bellarminus, illum talia scripsisse, quem Leo X. *dilectum suum filium* vocavit in epistola versioni N. T. praefixa, qui a Luthero ita abhorruit, *ut malle se in mille partes discerpi diceret quam illius sectae adhaerere*, referente Duraeo adv. Witaker. f. 232. cui Sadoletus ac Bembus cardinalis in epistolis ad eum datis honorificum dedere testimonium, de quo in cardinalium collegium cooptando Paulus III. pontifex proximo ante ipsius mortem anno cogitavit, ut patet ex epistola Bembi ad Erasm. lib. 27. pag. 1108). Andreas Fricius Modrevius lib. 4. de republ. emend. cap. 13: *Ista si accuratius expendas, non abs re mireris, Eccium prius dixisse, patres in limbo pro suis orasse, deinde ex sententia Esaiae pronuntiare, Abrahamum nescivisse nos, Israëlem ignorasse nos. Quomodo enim pro eo aliquis orat, quem nesciat, quem ignoret? Quae affert postea* [Eccius] *de propensione populi veteris in idololatriam et de suspicionibus novi, si quid audivissent de divis precibus vocandis, ut vera sint, tamen non satis explicant quaestionem. Quid enim si quis non factae mentionis de invocandis divis illas praeterea afferat causas, quae vulgo narrantur, ut quod illi nesciunt nos, ignorant nos, quemadmodum ex Esaia diximus, quod unus sit mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, qui pro nobis interpellet, quod idem sit veritas et via, extra quam non sit alia, qua perveniatur ad Patrem. Haec an non sunt speciosiora illis, quae ab Eccio dicuntur? Quodsi vere Eccius dicit, non esse praeceptam in sacris literis invocationem sanctorum nec veteri nec novo populo, an non inde consequens est, non esse illam ipsam invocationem necessariam, quae praecepta non sit? Certe quae audivit Filius Dei a Patre suo, ea dicit se omnia annuntiasse nobis. Quae igitur non annuntiavit, ea nec a Patre audivit. Qua igitur lege imponeretur populo Dei necessitas ejus rei, quae nec a Patre coelesti audita est, nec ulla coelesti pollicitatione ornata? Haec enim consequentia sunt eorum, quae sumta sunt ab Eccio, ut illis concessis et haec concedi sit necesse. Vetant passim divina oracula nostra, nos haesitare in precibus, eadem requirunt a nobis in iisdem fidei constantiam. At fides est ex verbo Dei. Porro verbo Dei jubemur Deum invocare in Christi nomine, quo intercessore nobis accessus pateat ad Patrem, quo advocato adire possimus thronum gratiae. Haec clara sunt, haec verbis et exemplis apostolorum et prophetarum contestata. De divis autem aliis quid simile? Quod Eccius addit de auxiliis et miraculis sanctorum, non est ejusmodi,*
XVIII. 170. *ut inde debeat aliquod dogma statui in ecclesia, in qua qui loquitur, loqui debet, ut Petrus inquit, eloquia Dei, divina oracula, extra quae propheta deorum ignotorum cultum suadens, etiamsi signa et portenta praedicat, quae eveniant, jubetur tamen occidi* Deut. 13. *Surrecturos autem tales Christus olim praedixit, atque ut ab illis caveremus, admonuit* etc. *Nota sunt et illa, Satanam se solere transformare in angelum lucis et spiritus probandos esse, num sint ex Deo. Unde vero certius argumentum spirituum capere possumus quam ex eloquiis Dei?* Idem libr. ejusd. pag. 283. laudat hanc Erasmi sententiam: *Religiosi affectus est credere, sanctos nonnihil apud Deum posse, at quibus diversa subit opinio, pura mente sinceraque fide invocent Patrem, Filium et Spiritum sanctum.* (Fuit hic Fricius serenissimi regis Poloniae secretarius. Libri ejus quinque de republica emendanda impressi sunt Cracoviae anno 1551. Jussus est cum aliis legatis ad concilium Tridentinum proficisci ac sua ad religionis negotium tractandum consilia conferre, idque ut ipse persuasus erat, non absque consensu imo hortatu Romani pontificis. Sic enim scribit in epistola sua ad Paulum IV. pontificem: *Puto pater sancte, regem, quos legatos decrevit, eos decrevisse tuo hortatu, ut non minus me tuo hortatu a rege designatum esse existimem atque ipsos oratores.* Ac si cui adhuc dubium, an hic Fricius haberi voluerit Romanae religioni addictus, is legat dictum tractatum de emend. republ. f. 210. 143. 260. 264. 334. et 541. Cassander in sua consultatione ab *eruditione concordiae studio et animi moderatione* ipsum maximopere commendat). Joh. Hoffmeisterus postquam in locis communibus multas sententias veterum de invocatione sanctorum coacervasset, tandem concludit illa sententia, quae exstat in libris de visitatione infirmorum, qui tribuuntur Augustino libr. 2. cap. 2: *Tutius et jucundius loquor ad meum Jesum quam ad aliquem sanctorum spirituum Dei, plus debet mihi Christus quam alicui coelestium spirituum.* Georgius Cassander in consultat. artic. 21. de cultu sanctorum in operibus pag. 966: *Oratio, qua Deum invocamus, simpliciter ad salutem necessaria est, sine qua orationes omnes et interpellationes sanctorum inanes sunt, quae preces, quibus Deum invocamus, apud Deum efficaces esse possunt, etiamsi nulla hujusmodi sanctorum interpellatio accedat* etc. Et postea: *Non igitur haec, quae de interpellatione sanctorum dicuntur, eo pertinent, ut simpliciter horum interpellatio ad salutem necessaria putetur.* pag. 970: *Fatendum est, et multos et magnos errores praetextu intercessionis et meritorum in vulgi animos et mores invasisse, quibus etiam quorundam doctorum virorum inconsiderata scripta et dicta occasionem et fomentum suppeditarunt; quos inprimis et quidem summa diligentia correctos oportuit, ut ex quibus contrarii errores totius ecclesiae consuetudinem damnantium originem duxerunt* etc. *Primus itaque error est; quod impii homines et in peccatis perseverantes ac nullam vitae emendationem meditantes sanctorum intercessioni ac me-*

*ritis temere confidunt, nec ipsi poenitentia ducti preces suas ad Deum adjungunt* etc. *Haec autem falsa et perniciosa opinio quantum in vulgus invaluerit, nimis compertum est, existimarunt enim homines improbi et in sceleribus suis perdurantes, sola sanctorum, quos sibi patronos delegerunt et frigidis, ne dicam profanis ceremoniis coluerunt, intercessione et patrocinio veniam sibi et gratiam apud Deum esse paratam, quae perniciosa opinio, quantum etiam fieri potuit, commentis miraculorum confirmabatur. Alter error est, quod homines etiam non mali certos sibi sanctos tanquam patronos et tutores delegerunt, in eorum meritis atque intercessione plus quam in Christi merito fiduciam posuerunt, atque adeo unico illo advocationis*
VIII. 171. *Christi officio obscurato sanctos atque inprimis Virginem matrem in illius locum substituerunt, imo non defuerunt viri etiam celebres, qui assererent, id quod Hester Assuero promisit, se petenti dimidium regni daturum, in Maria completum esse, in quam Deus regni sui, quod judicio et misericordia constat, dimidium, hoc est misericordiam, transtulerit, altera regni parte sibi retenta. Hinc illi tituli passim Virgini tributi, regina coeli, regina est mater misericordiae, vita, spes nostra, lux ecclesiae, advocata et mediatrix. Quae etsi commodam interpretationem admittant, ea tamen non semper omnibus praesertim rudibus et imperitis occurrit. Quid? quod totum psalterium sublato ubique Domini nomine in nomen dominae commutatum legitur. Quin et eo ventum est, ut etiam Christus jam in coelo regnans matri subjiciatur, quomodo in nonnullis ecclesiis canitur: Ora matrem, jube Filio.* Item: *O felix puerpera, nostra pians scelera, jure matris impera Redemtori* etc. *Tertio nonnunquam error accidit in meritis sanctorum, quibus nonnulli sanctificandi et redimendi vim tribuere videntur, quod soli Christo Deo et homini proprium est, de cujus plenitudine omnes accepimus, et cujus vibice sanati sumus. Quodsi in veteribus aliquid hujusmodi legatur, id ad exempla et preces referendum est, et ad eam communicationem meritorum, quae per se ipsa non sanctificant, sed sanctificationis beneficium ex unico Christi merito et fide in ipsam impetrant* etc. *Est et hic error haud infrequens, quod veteribus et compertis sanctis propemodum neglectis novos et incognitos vulgus hominum ardentius et impensius colat, de quorum sanctitate obscurius constat, et nonnulli per revelationes tantum innotuerunt, atque adeo de quibusdam, an unquam in rerum natura fuerint, merito dubitatur, quorum cultum figmenta historiarum et imposturae miraculorum mirifice auxerunt, quae figmenta etiam compertorum sanctorum historias conspurcarunt, quos quisque pro suo affectu commentus est. Huc etiam referri potest, quod vulgi imperitia divinos honores sanctis attribuit, ut cum templa, arae, sacrificia, sacerdotia, vota, festi dies non tantum memoriae, ut veteres loquebantur, sed honori et cultui sanctorum consecrata putantur, quem errorem Augustinus subinde refellit* etc. Idem Cassander, cum aliquando in colloquium de invocatione sanctorum cum quibusdam venisset, tandem post multas velitationes respondit: *Ego in precibus meis non soleo sanctos invocare, sed invocationem dirigo ad ipsum Deum, idque in nomine Christi, hoc enim tutius esse existimo.* (Cassander apud Jesuitas in exiguo vel potius nullo numero censetur, unde Bellarminus libr. de laicis capit. 19. ex professo contra ipsum disputat, interim constat, eum augustissimis imperatoribus Ferdinando et Maximiliano II. fuisse carissimum, quod testatum faciunt eorum literae operibus Cassandri praefixae et in epitaphio, quod Coloniae in templo Sancti Francisci exstat, vocatur *theologus in perscrutandis sacris Bibliis et expendendis sanctorum patrum monumentis atque sententiis diligentissimus, qui hoc nomine tum pietate animique moderatione clarus ab invictissimis imperatoribus de conciliandis articulis in religione controversis consultus et in aulam adscitus fuit. Item vir vario doctrinae genere praestans.* Consultatio ipsius vocatur *liber perutilis.*) Suarez tom. 2. comm. in Thom. disput. 23. quaest. 37. sect. 3. quaerit, *an non major sit fiducia majorque Dei gloria, si immediate ad Deum accederemus?* respondet vero, *interdum hoc facere bonum esse ac expediens, tamen quod aliquando per Virginem Mariam accedamus, esse ei placitum et per se conveniens* (agnoscit igitur, sanctorum invocationem non esse semper proinde nec simpliciter necessariam).

434. Antitheses. Novitii papae defensores et dogmatum papalium incrustatores varia excogitant emplastra, quibus hoc ulcus tegant. 1. Quandoque disputant, *sanctos non invocari religiose ac suppliciter, sed tantum compellari, ut orent pro ecclesia militante*, unde invocatio sanctorum ipsis nihil aliud est quam *votum*, quo optamus necessitatem nostram sanctorum precibus includi, vel *commonefactio* quaedam admonens sanctos, ut faciant in coelis, quod jam faciunt, ut hac ratione sanctorum invocatio non tam sit oratio, quam celebratio. Cassander in consultat. articul. 21. pag. 964. oper. vocat *interpellationem, qua beatos illos spiritus, ut nos in hoc exsilio peregrinantes precibus suis apud Deum, cujus jam societate fruuntur, adjuvent, obsecramus* etc. *de qua ut nullum mandatum neque exemplum exstet, quo id fieri jubeatur, ita nullum interdictum legi, quo id fieri prohibeatur.* Item *ritum interpellationis sanctorum non aspernandum.* p. 964: *Non est necesse, ut dum hoc modo sancti interpellantur, iis cordium inspectio, quae soli Deo propria est, attribuatur.* Et postea: *Hoc pium votum et desiderium non potest non esse gratum Deo, quo nos ad ipsius misericordiam implorandam ad thronum gratiae ejus accedentes, sanctos quoque Christi Filii ejus membra condeprecatores adsciscimus eoque facto eam fidem protestamur, qua eos apud Deum vivere nobisque caritatis vinculo conjunctos esse credimus. Itaque tota haec inter-*

XVIII. 174. Antithesis. Pontificii, quem cultum sanctis deferant.

*pellatio ad Deum tendit, a quo solo, quae petimus, concedi posse agnoscimus. Quare Alexander de Ales quaest. 92. membr. 1. art. 4. cum disputat, quis sit orandus, solum Deum simpliciter esse orandum, tanquam finaliter, a quo est omne bonum, definit, sanctos vero magis se tenere ex parte orantium, quasi coadjuvantes, quam illius, qui oratur.* Idem Cassander in hymnis et scholiis Coloniae edit. anno 1556. pag. 187. Item in hymno ecclesiast. fol. 187: *Omnes sancti orate Deum pro me, proinde valet, ac si dicatur, utinam omnes sancti Deum orent pro me.* 2. Quandoque disputant, *sanctos non invocari ut datores beneficiorum et adjutores ac defensores, sed tantum ut intercessores ac condeprecatores.* Cassander dict. loc. pag. 964: *Sanctos Dei non ut deos et largitores bonorum, sed ut condeprecatores appellamus.* pag. 965: *Quomodo in eo gloriae Dei quidquam detrahitur, cum ille solus fons et largitor omnis boni agnoscitur? neque aliud sanctis tribuitur, quam ut precibus suis ab ipso fonte et largitore omnis boni ea, quae nobis ad praesentem vitam utilia et ad futuram salutaria sunt, impetrent?* Et postea: *Sanctis ut Christo jam familiarius conjunctis officium tantum pro nobis, quibus tanquam ejusdem corporis membris caritatis vinculo conjuncti sunt, deprecandi tribuitur.* Cens. Colon. fol. 208. et 229. fatetur, *illam invocationem, ut bona nobis donentur, ut a malis custodiamur et liberemur,* item *ut gratiam in hac vita et gloriam in futura accipiamus, soli Deo deberi.* Bellarminus de beat. sanctor. cap. 17. prop. 1: *Non licet a sanctis petere, ut nobis tanquam auctores divinorum beneficiorum gloriam vel gratiam aliaque ad beatitudinem media concedant.* prop. 2. *Quidquid sancti a Deo nobis impetrant, per Christum impetrant* etc. *Itaque sanctos invocamus ad hoc solum, ut faciant id, quod nos facimus, quia melius et efficacius ipsi facere possunt quam nos, melius illi et nos simul, quam nos soli.* Quidam distinguunt inter *invocare*, anrufen, ut patronum et intercessorem apud Deum; et *adorare*, anbeten, ut Deum creatorem et Salvatorem; prius duntaxat tribui in papatu sanctis, non posterius (cens. Colon. fol. 228: *Nonquam vel fando auditum, sanctos esse adorandos*), cum tamen Scriptura pro ἰσοδυναμοῦσι haec habeat. Quod enim
XVIII, 175. Deuter. 6, v. 13. dicitur: *Dominum Deum tuum adorabis,* id Psalm. 50, v. 15. sic effertur: *Invoca me in die tribulationis.* Confer etiam Psalm 72, v. 11. cum Rom. 10, v. 13. adde, quod adoratio et invocatio conveniant *causis, objectis et ipsa definitione*, quomodo igitur realis inter ea statui posset differentia? 3. Quandoque statuunt, *eodem prorsus modo compellari sanctos defunctos, quo preces viventium et in terris nobiscum conversantium expetimus, ac proinde non alium illis honorem a se deferri, quam qui exhiberi solet sanctis viventibus.* Cassander d. l. pag. 966: *Deum oramus eo cultu religionis, quo illum omnis boni fontem et largitorem esse profitemur, sanctos vero homines tum hic peregrinantes, tum una cum Christo regnantes oramus ex officio caritatis et honoris, quo eos Deo gratos esse eorumque preces apud Deum ad impetrandum pro aliis, quod eorum saluti expediat, efficaces esse agnoscimus.* Cens. Colon. pag. 228: *Si invocationem accipis pro adoratione, quam Graeci λατρείαν vocant, concedimus, eam soli Deo deberi, si vero per invocationem intelligis implorationem intercessionis, quemadmodum Catholici eam accipiunt, dum invocationem sanctorum statuunt, a veritate alienum est, quod dicis. Non enim talis invocatio est potissima cultus Dei pars, sed cultus, qui δουλεία appellatur, quam sanctis impendimus.* pag. 229: *'Sacra Scriptura geminam adorationem insinuat, nempe eam, quae soli Deo impendenda est, de qua Deut. 6. Psalm. 69. Matth. 4. Johan. 4. et alia, quae creaturis impertitur, sicut Jacob Esau adorasse dicitur, Genes. 31. et Abigail Davidem 1. Reg. 26.* ad quam posteriorem speciem referunt invocationem sanctorum, unde pag. ead. scribunt: *Nos nullum sanctis divinum honorem decernimus, non magis quam Paulum iisdem detulisse constat, quorum ipse vivus adhuc preces ambiebat. Nam honorem, quem ille vivis impertiebatur, ab eis orationes efflagitando, nos jam sanctis vita defunctis deferimus invocando eos. Quid enim aliud est invocare sanctos, quam eorum intercessionem apud Deum expetere?* Bellarminus de beat. sanct. cap. 20. resp. ad 1.: *Sancti non ut dii, sed ut amici Dei honorantur et tanquam patroni apud Deum accipiuntur, qua ratione Deo nulla infertur injuria, sed honor, alioquin etiam faceret Deo injuriam, qui a viventibus orationes postularet, ut fecit apostolus.* Costerus in ench. pag. 396: *Sancti in coelis merito a viventibus omnem honorem accipere merentur et debent, qui alicui creaturae in hoc mundo sine reprehensione defertur. Excipio honorem divinum, utpote de quo Deus sic loquitur, gloriam meam alteri non dabo. Proinde quidquid exhibetur principibus, aut quibusvis hominibus, quidquid etiam angelis, id merito deferri potest ac debet sanctis cum Christo viventibus.* pag. 398: *Si principem, parentem, praeceptorem simili externo cultu honoremus, non erit latria, sed honor humanus, nisi in mente sit error.*

435. Sed haec esse inania περιζώματα, quibus nuditatem meretricis Babylonicae frustra obvelare nituntur, patebit ex plena et speciali descriptione illius cultus, quem defunctis sanctis in papatu homines exhibent et exhibendum esse publice docent. Nam 1. statuunt, sanctos esse omniscios, καρδιογνώστας, omnipraesentes, omnipotentes, datores beneficiorum tam spiritualium, quam corporalium, rerum humanarum, cumprimis ecclesiae in terris militantis praesides ac gubernatores, in quos spes ac fiducia collocari possit ac debeat, ut patet ex praecedentibus. Ergo etiam fiducialis ac religiosa est illa adoratio, quam sanctis deferunt. 2. vocant illos *deos per participationem.* Antoninus part. 4. summ.

tit. 15. cap. 44. describit coronationem Mariae', in
174. qua descriptione expresse eam vocat *Deam*, ac *τρισάγιον angelicum eidem ab angelis decantatum esse* addit, quin et *in ipsum Dei thronum eandem evectam* asserit. Leo X. ad Recatanenses, ut procurent templi Lauretani aedificationem: *Ne tum nos, tum etiam Deam ipsam* [Mariam Lauretanam] *inani lignorum inutilium donatione lusisse videamini*, anno 1514. epist. 17. lib. 4. apud Bembum. Jovius lib. 24. sanctos vocat *tutelares deos*. Ambrosius Catharinus in concilio Tridentino Mariam vocavit *Dei sociam*. Vitus Miletus in refutat. 600 errorum pag. 495: *Sanctorum invocatio nihil aliud est quam ipsissima unius et solius Dei invocatio et adoratio* (ergo per invocationem sancti in thronum Dei collocantur) in psalterio Mariae loco Domini legunt *Dominam*, Bellarminus lib. 3. de cultu sanctorum cap. 9. §. ult.: *Sancti in coelo degentes sunt dii quidam per participationem*. Suarez tom. 2. comm. in Thom. q. 37. disp. 22. sect. 2. ad Virginem applicat illud apostolicum Philip. 2: *Quia humiliavit se, propterea exaltavit illam Deus et dedit ei nomen, quod est super omne nomen*, quod immane sacrilegium ut qualicunque ratione palliet, addit *sub Deo*, quem *προσδιορισμὸν* a textu apostolico plane alienum esse, docet re ipsa. Blasius de Viegas in comm. sup. Apocal. pag. 544: *Dedit tibi Maria tota Trinitas nomen, quod post nomen Filii tui est super omne nomen, ut in nomine tuo omne genu flectatur coelestium, terrestrium et inferorum*. Osorius tom. 3. conc. 2. in fest. Josephi pag. 124: *Omnia quae Dei sunt, Mariae sunt, quia mater et sponsa Dei est*. Ergo etiam cultus, quem sanctis deferunt, est divinus cultus, ac mera hypocrisis est, quando Bellarminus in recognit. librorum edit. Ingolst. 1608. publice revocat, quod in libris suis sanctos quandoque *divos* vocarit, quoties enim eos religiose colendos esse disputat, re ipsa eos divos appellat. 3. Sanctos docent esse *suppliciter invocandos*. Concilium Tridentinum sess. 25. pag. 290: *Mandat sancta synodus omnibus episcopis et ceteris docendi munus curamque sustinentibus, ut juxta catholicae et apostolicae ecclesiae* etc. *de sanctorum invocatione fideles diligenter instruant, docentes eos, sanctos una cum Christo regnantes orationes suas pro hominibus Deo offerre, bonum atque utile esse, suppliciter eos invocare*. Antoninus part. 3. tit. 12. cap. 8: *Proponuntur a papa per canonisationem sancti ut exemplar fidei et vitae sanctae et ab omnibus adorandi et in necessitatibus invocandi*. Censura Colon. pag. 208: *Sancti invocandi sunt ut summi Dei amici*. Bellarminus de beat. sanctorum cap. 19. in princ.: *Sancti sive angeli, sive homines pie atque utiliter a viventibus invocantur*. Jam vero compellatio illa, qua viventium preces sive coram, sive per literas petimus, non est supplex et religiosa invocatio. Ergo cultus ille, quem Pontificii sanctis deferunt, non potest nudae compellationis nomine designari. 4. Sanctos defunctos tradunt esse *adorandos*, et quidem *proprie, religiose et divine*. Concilium Tridentinum d. l. *impie sentire* dicit eos, qui *stultum esse statuunt, sanctis in coelo regnantibus voce vel mente supplicare*. (Atqui mente alicui supplicare est proprie, religiose et divine adorare.) Catechismus Tridentinus, jussu concilii editus: *Christiani dicuntur angelos adorare, non tamen veneratione divina*. Sed haec protestatio addita praxi est contraria. Nam teste Bodino in meth. hist. cap. 5. pag. 100: *D. Antonius a plerisque in Italia et Gallia Narbonensi ardentiore voto, certe majore metu colitur quam Deus immortalis*. Constat vero, Deum coli religiose et divine, utique ergo etiam Antonium colunt religiose et divine. (Lessii dissertatio *de sanctis adorandis* exstat lib. 2. de justitia et jure cap. 38. dub. 10.) In psalterio B. Mariae *illa ipsa adoratio*, qua David Deum
omnipotentem coluit, Virgini Deiparae tribuitur. XVIII. 175.
Psalm. 21: *Adorent te Mariam familiae gentium*. Psalmo 96: *Adorate eam cives curiae paradisi*. Ecquis vero dubitare velit, adorationem illam, qua propheta regius Deum omnipotentem coluit, esse religiosam, supplicem, fiducialem ac divinam? Neque est, quod hujus psalterii auctoritatem subterfugere velint eademque se teneri negent. Confirmatum enim est a Sixto IV. et Innocentio VIII. Romanis pontificibus, nec uno tantum in loco, sed in diversis Galliae, Italiae et Germaniae provinciis impressum, Venetiis, Parisiis, Heidelbergae, Francofurti et Lipsiae, ut et Tegernseae in Bavaria anno 1572. in forma 16. anno 1600. Parisiis cum approbatione Sorbonistarum est recusum apud Nicolaum dum Fosse ad insigne vasis aurei ac ad normam ipsius publicae preces conformatae, necdum ab ullo pontificum in catalogum prohibitorum librorum hoc nostro seculo relatum, quin imo Bellarminus lib 2. de sanctorum imagin. cap. 23. disputat, *quod possit imago adorari adoratione ipsius exemplaris proprie quidem, sed per accidens*, cap. 21. *quod imagines per se et proprie sint colendae, ita ut sint terminus proprius adorationis*. cap. 12. *quod creaturae honorandae sint religiose propter solam relationem ad Deum, quodque imagines Christi et sanctorum sint honorabiles cultu religioso*. (Atqui si imagines inanimes ac insensibiles proprie et religiose sunt colendae et adorandae, utique etiam sancti proprie et religiose sunt colendi, unde idem Bellarminus scribit.) de beat. sanctor. lib. 1. cap. 12: *Adoratio, quae debetur sanctis, est media quaedam inclinatio voluntatis cum apprehensione excellentiae plus quam humanae et minus quam divinae, cujus adorationis actus exteriores fere omnes communes dicit esse cum adoratione mere divina*. Atque hanc *asserit esse sententiam Catholicorum*. (Ergo juxta Catholicorum sententiam sancti non coluntur honore quodam humano et cultu externo, cum enim Bellarminus diserte distinguit a cultu sanctorum, sed *plus quam humano ac religioso*, proinde etiam divino. Quamvis enim Bellarminus hunc sanctorum cultum statuat esse *medium inter*

*divinum et humanum*, ut sit divino inferior, humano autem superior, tamen Scriptura nullum hic novit medium, sed ut duae tantum sunt decalogi tabulae, quarum prior nos informat de cultu divino, posterior de honore humano, ita quoque duplicem duntaxat adorationem novit, propriam, religiosam ac divinam, quae soli Deo debetur et ad primam decalogi tabulam pertinet, ac impropriam, humanam et externam, quae creaturis deferri potest et ad secundam decalogi tabulam reducitur) cap. 14. §. 1: *Cultus, qui defertur sanctis, etiam dicitur cultus religionis licet secundario.* cap. 13. praeced. §. penult.: *Si honor civilis debetur civili virtuti, sapientiae, potentiae et nobilitati, ergo honor plus quam civilis debetur supernaturali virtuti, sapientiae, potestati, nobilitati. Sed sancti quoad virtutes supernaturales excellunt omnino* etc. *ergo merito ac jure optimo religioso cultu prosequendi sunt.* §. ult.: *Deus sanctis honorem et gloriam promisit, ergo debetur eis honor, et certe non ab aliis, quam a nobis, qui illis inferiores sumus. Non convenit autem mortuis honor civilis. Ergo religiosus illis debetur.* (Qua igitur fronte Costerus dicit *nullum alium honorem a se deferri sanctis quam externum, qui debeatur principibus, regibus, parentibus?*) Suarez tom. 2. comm. in Thom. q. 37. disput. 22. sect. 1: *Adoratio, quae virgini debetur eique ab ecclesia tribuitur, cultum religiosum continet.* Blasius de Viegas in comm. super Apocal. pag. 543: *Filii gloriam cum matre non tam communem judico quam eandem.* Et postea laudat illud Gersonis, *Deum dedisse dimidium regni sui Mariae Virgini, potestate Deo remanente cessisse*
XVIII. 176. *quodammodo misericordiam Dei matri sponsaeque regnanti. Itaque Virginem divisum habere cum Deo imperium.* Quosdam Mariae latriam tribuere ostendimus superius §. 381. membr. 10. Ex quibus omnibus sic inferimus. Cultus, qui defunctis sanctis exhibetur, est adoratio religiosa, proprie dicta et divina. Jam vero compellatio, qua viventium preces expetimus, non est religiosa et proprie dicta adoratio. 5. Sanctorum non modo intercessionem petunt, sed etiam *meritis eorum confidunt* et propter illa sese exaudiendos sperant. In canon. missae sic orant: *Quorum* [sanctorum] *precibus et meritis concedas, ut in omnibus protectionis tuae muniamur auxilio.* In hortul. anim.: *Precibus et meritis Mariae semper virginis et omnium sanctorum perducat nos Dominus ad regna coelorum.* In breviar. Rom.: *Deus, qui Nicolaum innumeris decorasti miraculis, tribue quaesumus, ut ejus meritis et precibus a gehennae incendiis liberemur.* Lombardus 4. sent. dist. 45. lit. G: *Intercedunt ad Deum pro nobis sancti, et merito, dum illorum merita nobis suffragantur et affectu, dum vota nostra capiunt impleri, quod tamen non faciunt, nisi in voluntate Dei implenda didicerint. Oramus ergo, ut intercedant pro nobis, id est, ut merita eorum nobis suffragentur* etc. Gabriel. Biel lect. 30. in canon. missae: *Ex quibus patet, preces nostras spemque consequendae beatitudinis per mediatores sanctos in coelo inanes non esse, sed ordine a Deo instituto nos ad eorum auxilia confugere debere ac debita veneratione eos semper implorare, ut salvemur eorum meritis ac votis* etc. inde Scholastici disputant, *adorandos esse sanctos tribus potissimum de causis. Primo ob nostram inopiam, ut nimirum illorum merita nobis suffragentur, deinde ob ipsorum gloriam, denique ob Dei reverentiam.* Bellarminus de beat. sanctorum cap. 20. resp. ad 10. argumentum: *Sancti ex meritis praecedentibus impetrare possunt et sibi et aliis id, quod orando petunt.* Jam vero quando viventium preces imploramus, non confugimus ad ipsorum merita, sed Christianae caritatis officium ab illis petimus. *Solus enim Christus est, qui meruit nobis gloriam et gratiam et omnia necessaria ad salutem, ergo nihil a sanctis petere possumus nisi ut intercedant apud Deum, quo nobis Christi meritum applicetur et per Christum gratiam et gloriam consequantur*, ut scribit totidem verbis Bellarminus cap. 17. §. 10. et 11. 6. A sanctis non solum intercessionem, sed etiam *opem et auxilium*, ac omnis generis beneficia spiritualia et corporalia, ad hanc et futuram vitam salutaria petunt. Concilium Tridentinum sess. 25: *Bonum atque utile est, sanctos suppliciter invocare et ob beneficia impetranda a Deo per Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemtor ac Salvator est, ad eorum orationes, opem auxiliumque confugere.* Mariam appellant non solum *advocatricem*, sed etiam *mediatricem, auxiliatricem, redemtricem et illuminatricem, thronum gratiae, portam coeli* etc. Innocentius in oratione, quam trecentorum dierum indulgentiis dotavit: *O Maria maris stella, portus salutis, naufragantium dux pia, miserorum patrona dulcissima, reorum advocata doctissima, desperatorum spes unica, peccatorum salvatrix magnifica, die mea novissima, facie tua splendidissima, me precor irradia.* Sixtus IV. in oratione, quam coram imagine Mariae recitantibus undecim millium annorum indulgentias promisit: *Ave sanctissima Mater Dei, regina coeli, porta paradisi, domina mundi* etc. Petunt a Maria et sanctis primo *peccatorum remissionem.* In psalterio Mariae psalm. 50: *Miserere mei Domina, quae mater misericordiae nuncuparis, et secundum viscera misericordiarum tuarum munda me ab omnibus iniquitatibus meis.* psalm. 53: *Domina in nomine tuo* XVIII. 17
*salvum me fac et ab injustitiis meis libera me, ut non noceat mihi calliditas inimici.* psalm. 127: *Converte Domina misericordiam tuam super nos et deprecabilis esto super servos tuos. Intuere et respice opprobrium nostrum, aufer cunctas iniquitates nostras.* Johannem Baptistam sic compellant:

*Ut queant laxis resonare fibris*
*Mira gestorum famuli tuorum*
*Solve polluti labii reatum*
*Sancte Johannes.*

Venetiis in vestibulo portae S. Marci evangelistae Matthaei imagini hic versiculus subscriptus:

*Ablue cuncta reae mentis mala sancte Mathaee.*

In hymno de omnibus sanctis: *Omnes, quos Dei gratia ab hac exemit patria, bona donans coelestia, nostra laxate crimina.* Secundo, *propitiationem ac reconciliationem cum Deo.* In psalterio Mariae psalm. 136: *Clamemus humiles ad puerperam Virginem, offeramus ei planctus et suspiria nostra. Non invenietur propitiatio sine illa, nec salus sine fructu illius. Per illam peccata purgantur et per fructum illius animae dealbantur. Per illam fit vera satisfactio de peccatis, per fructum illius animae condonantur.* In hymno *Salve Regina*, quem tempore quadragesimae canunt: *Salve regina misericordiae, vita, dulcedo et spes nostra, salve. Ad te clamamus exsules filii Evae. Ad te suspiramus gementes et flentes in hac lacrymarum valle. Eja ergo advocata nostra illos tuos misericordes oculos ad nos converte et Jesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exsilium ostende. O clemens, o dulcis, o pia Virgo Maria.* Hujus cantiunculae auctor secundum quosdam est Petrus episcopus Compostellanus. Durando tamen potius placet, auctorem ejus esse Hermannum Contractum lib. 4. rational. cap. 22. Idem statuit Trithemius in scriptis eccles. Hieron. Vida in hymno ad Thomam Aquinatem in carm. pag. 197.

*Sancte veni precibusque tuas mitissime nostris*
*Junge preces, nobisque tuo placabile numen*
*Concilia adventu, nostrisque occurre periclis,*
*Respice nos duris attritos undique bellis.*

In hymno de Sancto Stephano: *Sancte Dei preciose protomartyr Stephane, funde preces pro devoto tibi nunc collegio, ut tuo propitiatus interventu Dominus nos purgatos a peccatis jungat coeli civibus.* Tertio, *gratiae et donorum per gratiam sive spiritualium charismatum elargitionem.* In rosario Mariae: *O virtutum vasculum, regina coelorum, reparatrix et salvatrix desperantis animae, irroratrix et largitrix spiritualis gratiae. Quod requiro, quod suspiro, mea sana vulnera, et da menti te poscenti gratiarum munera.* Ibidem: *Ave vas clementiae, gratiae piscina, portus indulgentiae, vitae medicina, veniae pincerna, nardus odorifera, gratiae lucerna.* In psalterio Mariae Psalm. 61: *Memento nostri perditorum salvatrix, exaudi planctus cordis nostri, infunde gratiam de thesauris tuis et unguentis placa dolorem nostrum.* psalm 135: *Bona naturalia conserva in nobis et bona gratiae per te multiplicentur. Illumina vias et semitas nostras, ut noscamus, quae placita sunt Deo.* Bernhardinus in suo Mariali: *Sicut collum est medium inter caput et corpus, sic illa* [Maria] *est mediatrix inter Deum et nos. Et sicut a capite per collum in corpus descendunt omnia, sic a Christo per Virginem in nos veniunt omnia dona. Ipsa enim nobis gratias spiritualiter tribuit. Nam gratiae omnes intrant in Mariam, et ab illa nobis communicantur.* Antoninus part. 4. summ. tit. 25. scribit, *Mariam ideo dici gratia plenam, quia est medium et causa gratiae transfundendo eam in* XVIII. 178.
*genus humanum. Eandem vocari portam coeli, quia quidquid unquam gratiae de coelis exivit in mundum, hoc per Mariam intrare sit necesse.* Quarto, *mentium illuminationem.* In rosario Mariae: *Cor meum illumina, fulgens stella maris, et ab hostis machina semper tuearis. O gloriosa virgo Maria.* In psalterio Mariae psalm. 26: *Domina illuminatio mea sis, splendor faciei tuae et serenitas gratiae tuae refulgeat menti meae.* Psalm. 109: *Miserere mei Domina mater luminis et splendoris, illumina nos Domina veritatis et virtutis. De thesauris tuis infunde nobis sapientiam Dei et intellectum prudentiae ac formam disciplinae.* In hortulo anim. de angelis: *Sancti patriarchae, quibus ab initio mundi omnipotens Deus majestatem suae divinitatis revelare dignatus est, obsecrate pro peccatis meis, expellite penitus erroris caliginem cordis mei et oculos meos verae fidei catholicae lumine illustrate.* Quinto, *Scripturae intelligentiam.* In psalterio Mariae psalm. 140: *Radio intelligentiae reverbera cor meum et igniculo caritatis inflamma.* In cantic. archiepisc. Patracensis in concil. Lateran. anno 1515. decantato:

*Omnium splendor, decus et perenne*
*Virginum lumen, genitrix superni,*
*Gloria humani generis Maria*
*Unica nostri.*
*Sola tu Virgo dominaris astris,*
*Sola tu terrae, maris atque coeli*
*Lumen, inceptis faveas, rogamus*
*Inclyta nostris.*
*Ut queam sacros reserare sensus,*
*Qui latent chartis nimium severis,*
*Ingredi et celsae duce te benigna*
*Moenia terrae.*

Sexto *defensionem ab inimicis.* In psalterio Mariae psalm. 67: *Exsurgat Maria, et dissipentur inimici ejus et conterantur omnes sub pedibus ejus. Imperium inimicorum nostrorum dissipa, destrue omnem iniquitatem eorum.* Festum Visitationis Mariae ab Urbano VI. ante ducentos annos fuit institutum et a concilio Basiliensi sess. 43. postea confirmatum, *ut pedibus suis, quibus montes calcavit, etiam capita et vires hostium ecclesiae conculcet.* Platina in vita Gregorii VII. refert, *Hildebrandum illum, cum privaret Henricum imperatorem imperio et subditos suos religione officii et obedientiae exsolveret, hac sententia usum: Petre apostolorum princeps, inclina quaeso aures tuas et me servum tuum exaudi, quem et ab infantia educasti et usque ad hunc diem ab iniquorum manibus vendicasti, qui me oderunt et persecuti sunt.* Septimo, *liberationem a potestate Satanae.* In psalterio Mariae psalm. 42: *Judica me Domina* etc. *a serpente maligno et a dracone pestifero libera me. Sancta fecunditas tua disperdat eum, beata virginitas tua conterat caput ejus, sancta merita tua exinaniant virtutem ejus.* In hortul. anim. suf-

frag. apostol.: *Sancte Juda apostole deprecor te, ut a consuetudine peccatorum meorum tuis meritis me abstrahas et a potestate daemonum eruas et me ad invisibiles evehas potentias.* Octavo, *praesentiam et auxilium in hora mortis.* Breviarium Colon. in cursu Mariae pag. 97: *Maria mater gratiae, mater misericordiae, tu nos ab hoste protege, in hora mortis suscipe*, quem hymnum ab universa ecclesia [Romana] decantari docet Bellarminus de beat. sanct. cap. 17. in rosar. Mariae: *Fac mecum misericordiam tuam, o mater, Virgo Maria, in illa tremenda hora, quando mortua lingua se nequiverit movere ad invocandum te, neque lucem oculi capere poterunt auresque meae nulli voci patescent.*

*Dulcis amica Dei, rosa vernans, stella decora,*
*Tu memor esto mei, cum mortis venerit hora.*

In psalterio Mariae psalm. 24: *Ad te Domina levavi animam meam, non praevaleant adversum me laquei mortis* etc. In hortul. anim. suffrag.
XVIII. 179. Virgin.: *O praeclarae vos puellae, nunc implete meum velle, et dum mortis venerit hora, subvenite sine mora, in tam gravi tempestate, me precantem defensate a daemonum instantia.* Nono, *salutem et vitam aeternam.* In psalterio Mariae psalm. 41: *Tu Virgo sancta es genitrix vitae meae et altrix reparationis carnis meae. Quia tu es lactatrix salvationis animae meae, initium et finis totius salutis meae.* In rosario Mariae: *Peccatorum consolatrix, infirmorum curatrix, tibi commendo hodie et quotidie animam meam, ut me in tuam custodiam commendatum ab omnibus malis et fraudibus diaboli custodias atque in hora mortis constanter mihi assistas ac animam ad aeterna gaudia feliciter perducas.* In missali: *Sancta virgo Dorothea, tua nos virtute bea, cor in nobis novum crea.* In hortul. anim. suffrag. apostol.: *Sancte Philippe apostole Domini, te miser ego peccator omnium criminum sordibus obvolutus deprecor, ut me ab omni damnatione et a ventura ira liberes et lampadibus ornatum ad regnum gloriae perducas.* In suffrag. confess.: *O praesul beatissime Ambrosi, doctor maxime, post hanc vitam trahe sursum animam ad gaudia.* Atque ut brevibus omnia complectamur, nullum potest nominari bonum sive corporis, sive animae, sive terrenum, sive coeleste, cujus elargitionem non petant a sanctis; nullum potest nominari malum, a quo non petant per sanctos liberari, ut multis exemplis ex rosariis, cursibus horariis, hortulo animae, antiphonis, collectis, psalterio Mariae, antidotariis, breviariis etc. late probant Chemnicius in exam. conc. Trident. part. 3. pag. 149. Schroederus in apodixi de sanctis honorandis sed non invocandis th. 133. et sequentib. Conrad. Platzius in luco success. c. 69. Joachimus Ursinus in stupendis templi Jesuitici p. 104. et sequentib. Quae omnia breviter complectitur Suarez, quando tom. 2. comment. in Thomam quaest. 37. disp. 23. sect. 1. adducit ac probat dictum Germani, qui in serm. de zona Domini Mariam sic alloquitur: *Nullus est, qui salvus fiat, nisi per te Virgo sanctissima. Nemo est, qui liberetur a malis, nisi per te o purissima. Nemo est, cui donum concedatur, nisi per te o castissima. Nemo est, cui gratia misereatur, nisi per te o honestissima.* 7. Parum abest, quin majorem honorem et cultum Mariae et sanctis deferant quam ipsi Christo. Verbis quidem profitentur, se hyperduliam sicque eandem cultus speciem deferre assumtae humanitati Christi et Virgini, sed expendatur ipsa praxis, et apparebit, majori fiducia invocari Mariam mediatricem quam Christum mediatorem. In hist. secundum chorum Augustens. de commemorat. Mariae sic accinunt:

*Gaude matrona coelica, exsultando magnifica*
*Deum salutarem, qui te fecit singularem,*
*Tu ancillam Jesu Christi te vocare voluisti,*
*Sed ut docet lex divina, tu ipsius es Domina.*
*Nam jus habet et ratio, matrem praesse Filio.*
*Ergo ora suppliciter et praecipe sublimiter,*
*Ut nos in mundi vespera ad regna ducat suprema.*

In prosa, quae incipit Mariae praeconio: *O felix puerpera, nostra pians scelera, jure matris impera Redemtori.* Discipulus de tempore in serm. quadrages. et de sanctis pag. 263: *Virgo Maria potestatem habet super filium suum Jesum Christum propter maternae auctoritatis imperium, quod nulla alioqui creatura habuit.* Costerus in meditat. super hymnum *Ave maris stella*, super verba *Monstra te esse matrem*, edit. Colon. ann. 1600. pag. 59: *In merita sanguinis filii sui plus juris habet mater, quae sanguinem dedit, quam alia quaelibet creatura.* Et paulo post: *Aequum est, ut materna quoque apud filium tua valeat auctoritas. Alii enim omnes precantur ut servi, tu ut mater auctoritatem habens exaudiris pro tua reverentia.* pag. 67: *Rogamus matrem, ut pro materna sua in filium auctoritate efficiat, ne filius nostras repudiet preces.*
Carolus Stengelius monachus Benedictinus in lib. XVIII. 1
et de historia et officio Josephi edit. Monach. ann. 1616. pag. 262: *Reliqui sancti etiam angeli et Seraphim deprecatorie postulant a Christo Domino tanquam servi, Joseph autem auctoritative quodammodo tanquam pater illius, cui sane sicut Christus ipse in terris tanquam patri ad nutum obsecundavit, ita in coelis acceptae beneficentiae non immemor ad nutum eidem tanquam patri affectu filiali, quem ab infantia concepit ac perpetuo conservavit, in coelo obedit.* Opponenda haec sunt Bellarmino, qui de beat. sanct. cap. 16. §. quinto negat, *in papatu rogari Virginem, ut filium jubeat facere, quod petimus.* Hardingus contra apolog. Anglicanam cap. 18. scribens agnoscit, *Mariam in papatu invocari, ut filio suo imperet*, sed conatur schemate quodam utrumque excusare, sic enim disserit apud Ivellum part. 2. p. 253: *Si quis jam nil nisi coelum et coelestia spirans et Bernhardi similis, matris Christi dignitatem et honorem alte secum in animo volutans et cogitationis aestu quodam absorptus, quasi ludum ad*

*eam aliquem et leporem adhibens spiritualem, meminisse eam jubeat, matrem se esse, atque ea re jus sibi quoddam esse imperii in filium ac denique suavissimum in modum exigat, ut jure suo utatur, hoccine aut impie dicitur, aut impudenter? an non ille potius summe et impius pariter est et impudens, qui id reprehendat?* Huc referri possunt clausulae eucharisticae et doxasticae, quas Jesuitae librorum suorum calci subjungunt. Bellarminus lib. 3. de cultu sanct. concludit hac δοξολογίᾳ: *Laus Deo Virginique Mariae, Deo item Jesu Christo aeterno Dei Filio;* Benedictus Pererius in fine libri de motus et mundi aeternitate: *Deo uni in Trinitate et Dei genitrici Mariae semper Virgini gloria et gratiarum actio in aeternum;* Gregorius de Valentia lib. de satisfact. hoc addit ἐπείσαγμα: *Laus Deo et Beatae Virgini Mariae, item Jesu Christo.* In hisce et similibus clausulis B. Virginem Deo Patri adjungi et Christo praeferri res ipsa testatur. Ingolstadii apud Wolffg. Ederum impressus est libellus continens preces in processionibus recitandas, quae omnes concluduntur hac doxologia: *Laus Deo et B. Mariae;* Martin. Isengrinus in hist. publicis typis descripta memorat, cum puella quaedam daemoniaca esset adducta in capellam B. Mariae Veteris Oetingae et auxilium imploraretur Dei Patris, Filii et spiritus s. diabolum nihil fuisse motum; cum vero litania Lauretana de B. Maria inchoaretur, tunc demum Satanam coepisse in obsessa turbari, clamare, furere. Mox vero Canisium ligneam cariosam Mariae imaginem arreptam obsessae puellae capiti imposuisse, ac statim diabolum exclamasse: Ah mulier, quid me calcas et caput meum conteris? Refert Chemnitius in theol. Jesuit. cap. 11. prop. 3. f. 99. in templis quibusdam papisticis talem conspici picturam, in qua *Christus iratus invocantibus letifera minitatur jacula, Maria vero ostendit ubera, opponit pallium, reliquos sanctos, vulnera et alia merita.* Confer quae dicta sunt superius §. 386. 8. Recitant sanctis orationem Dominicam. Censur. Colon. pag. 208: *Orationem Dominicam fundimus sanctis, non tam ipsos tunc alloquentes quam Deum, ad quem ipsorum manibus eam cupimus deferri, tanquam qui cum gratiores Deo sint, facile quod cupimus impetrabunt.* Costerus in enchir. p. 412: *Dum in honorem sanctorum recitamus orationem Dominicam, non tam alloquimur illos quam Deum ipsum, quem tali oratione precamur. Recitamus tamen eam in honorem sanctorum, quibus velut libellum supplicem Deo afferendum suisque precibus commendandum tradimus.* Bellarminus loco prox. citato: *Fideles dirigunt orationem Dominicam ad Deum, illud autem faciunt coram imaginibus sanctorum sperantes, per auxilium sanctorum suam orationem ad Deum melius et facilius perventuram.* (At quae hae sunt
XVIII. 181. ambages? Deus preces nostras revelat sanctis, quippe qui eas vident in speculo divinae essentiae juxta hypothesin Bellarmini et tamen preces nostrae per auxilium sanctorum melius et felicius ad Deum perveniunt?) Salmeron. disp. 7. in 1. Tim. 2. pag. 467: *Qui diceret Pater noster et Ave Maria ad sanctorum honorem, ut ipsi Deo offerant, bene faceret, quia quidquid est ad honorem Dei, ad honorem quoque sanctorum spectat.* Suarez tom. 2. comm. disp. 23. q. 37. sect. 3: *Angelicam salutationem aliis sanctis recitamus, ut eam pro nobis Virgini repraesentent.* 9. Singulis septimanae diebus peculiares invocant sanctos. *Die Solis* ordines angelorum et angelum custodem; *die Lunae* patriarchas, prophetas, apostolos, evangelistas et discipulos; *die Martis* sanctos martyres, Stephanum, Laurentium, Ignatium, Sebastianum, Johannem, Paulum, Cosmam, Damianum, Dionysium etc. *die Jovis* sanctos doctores, Gregorium, Ambrosium, Augustinum, Hieronymum, Basilium, Thomam de Aquino etc. *die Veneris* s. eremitas et confessores, Antonium, Benedictum, Franciscum, Dominicum etc. *die Saturni*, S. Mariam et omnes sanctas virgines, martyres, viduas, S. Annam, Martham etc. 10. Confessionem peccatorum faciunt sanctis. In psalterio Mariae psalm. 50: *Miserere mei Domina. Quoniam peccata mea confitebor tibi et coram te me accuso de sceleribus meis.* Psalm. 93: *Venite adoremus et procidamus ante Dominam nostram, confiteamur illi cum fletibus peccata nostra*, unde etiam in formulis quibusdam absolutionum passioni Christi *merita Beatae Virginis et sanctorum* conjungunt, ut ostendimus in tract. de poenit. §. 117. 11. Sanctis vovent. Bellarminus lib. 3. de cultu sanctor. cap. 9. §. 2: *Posse aliquo modo voveri Sanctis certum est.* Postea §. 7. repudiat Thomae responsionem, *quod promissio, quae fit sanctis, non sit formaliter votum, sed materia voti. Qui enim* (inquit) *vovet jejunium sanctis, ipsos sanctos religiose honorare intendit. Et praeterea Cajetanus in comm. Thom. probat ex ipsa professione fratrum praedicatorum, vota vere fieri sanctis. Nam dum profitentur, dicunt, Voveo Deo et B. Mariae Virgini et omnibus sanctis, me praelato tali vel tali obediturum, ubi ex duabus promissionibus una dirigitur ad praelatum, et illa est materia voti, altera, quae est formaliter votum ad Deum et sanctos simul.* Et postea §. 9: *Vota, quae fiunt sanctis, terminantur etiam ad ipsos sanctos, ita ut re vera ipsis vota fiant.* Item: *Animadvertendum est, inter omnes convenire, vere et proprie sanctis aliquid promitti, sicut vere et proprie aliquid Deo promittitur, quod per se patet. Nam si licet sanctis aedificare sepulcra et basilicas, ornare eorum reliquias et accendere coram eis cereos, cur non liceat eis ista promittere?* §. 10: *Voti nomen est generale, quod convenit Deo et sanctis, alias nemo dicere auderet, Voveo Deo et B. Mariae, et etiam simpliciter, Voveo B. Mariae.* §. 14: *Votum non convenit sanctis, nisi quatenus sunt dii per participationem.* Jam subsumo. *Votum est actus religionis soli Deo debitus, ut patet ex divinis literis, ubi perpetuo dicuntur vota fieri Deo*, Num. 30, v. 3. Deut. 23, v. 21. Esai. 19, v. 20. ut totidem

verbis scribit Bellarminus d. l. Ergo sanctis deferunt cultum divinum. Excipit quidem Bellarminus, *aliter voveri Deo, aliter sanctis, illi in signum gratitudinis erga primum principium omnium bonorum et in recognitionem beneficii ab ipso tanquam primo auctore accepti, his in signum gratitudinis erga mediatores et intercessores, per quos a Deo beneficia accipimus.* Sed petit hac in parte principium. Scriptura enim nuspiam nisi soli Deo vovendum esse docet ac *votum* et *sacrificium*, ut duos actus exteriores cultus soli Deo debitos, perpetuo conjungit; jam vero concedit Bellarminus, sacrificium nulli nisi soli Deo esse offerendum, ex
XVIII. 182. quo recte infert Costerus in ench. pag. 400. *votum esse actum, qui includit latriam et honorem soli Deo debitum.* Hanc difficultatem non potuit alia ratione Bellarminus declinare, quam ut Costero contradicens scriberet, *voti nomen non solum convenire promissioni, quae fit Deo, quaeque est cultus latriae, sed promissioni, quae fit sanctis et non est cultus latriae.* Neque *his repugnat*, inquit, *quod nomen voti semper accipiatur pro promissione facta Deo, nam cum scriberentur Scripturae sanctae, nondum coeperat usus vovendi sanctis.* Sic ergo sponte fatetur, institutum vovendi sanctis esse recentius, quam ut ejus origo vel usus in Scripturis ostendi possit. 12. Per sanctos jurant, ut constat ex quotidiana praxi. Confer Thom. 2. 2. q. 89. art. 6. Jam vero juramentum est actus latriae soli Deo debitae, Deut. 10, v. 20. Jerem. 5, v. 7. Bellarminus d. l.: *Votum est actus religionis soli Deo debitus, qualis est etiam juramentum et sacrificium, ut patet ex divinis literis.* 13. Templa et altaria sanctis erigunt. Eccius in enchir. pag. 152: *Sanctus Savianus erexit ecclesiam S. Petro vivo, condidit et alias duas in honorem S. Stephani et S. Johannis Baptistae in Gallia.* Bellarminus lib. 3. de cultu sanct. c. 4. prop. 4: *Sacrae domus non solum Deo, sed etiam sanctis recte aedificantur et dedicantur.* lib. 1. de beat. sanct. cap. 20: *Templa et festa deorum* [gentilium] *conversa sunt in templa et festa martyrum.* Item: *Romae templum omnium deorum conversum est in templum omnium sanctorum, et templum Castoris et Pollucis in templum Cosmae et Damiani.* Jam vero templorum et altarium erectio est actus ex se significans cultum divinum. Bellarminus lib. 1. de beat. sanctor. cap. 12: *Omnes fere actus exteriores communes sunt omni adorationi excepto sacrificio, et quae ad illud referuntur templis et altaribus et sacerdotibus, voluit enim Deus hunc cultum sacrificii sibi soli exhiberi,* inde lib. 1. de Christo cap. 8. deitatem Christi probat ex eo, quod templa illi passim sint erecta. *Omnes fere prophetae* (inquit) *praedixerunt post adventum Messiae exterminandam idololatriam. Ecclesia autem semper in toto orbe terrarum Christum coluit templis, aris, invocationibus, festis diebus. Ergo vel Christus est verus Deus dignus latriae cultu, vel omnes prophetae decepti sunt.* Costerus in enchir. pag. 400: *In actibus, qui in exhibitione cultus divini solent adhiberi, quidam ex se hanc mentem et intentionem significant, alii non per se quidem, nisi peculiariter eo referantur. Prioris generis sunt sacrificii oblatio, altarium et templorum erectio, votorum nuncupatio; posterioris generis actus creaturis etiam exhibentur, mutata mente atque intentione, ut capitis apertio, prostratio* etc. Utique ergo sancti in papatu honorantur cultu divino. Excipit Bellarminus lib. 3. de cult. sanct. cap. 4. §. altera: *Sacra aedes proprie dicitur templum, quatenus erigitur ad sacrificia; eadem sacra aedes dicitur basilica, quatenus erigitur ad ornatum sepulcri alicujus sancti et commoditatem visitantium ejusmodi reliquias* etc. *quod etiam videmus in altaribus. Nam unus et idem lapis dicitur altare, quatenus in eo sacrificatur Deo; et idem dicitur tumulus vel sepulcrum, quatenus tegit ossa martyris alicujus* etc. Respondemus: Templa et altaria in papatu eriguntur sanctis non tantum in monumentum memoriae scil. fidei, constantiae, virtutum etc. ad imitationem, sed etiam ad cultum religiosum et venerationem ipsorummet sanctorum, unde Bellarminus discedit ab eorum sententia, qui existimant, sacras aedes non posse proprie erigi nisi Deo, quemadmodum sacrificia non offeruntur nisi Deo; ac templa denominari a sanctis, non quod eis erigantur, sed quod in illis templis praecipue colantur eorum memoriae. Hanc saniorem et tolerabiliorem quorundam recentiorum explicationem Bellarminus deserit ac basilicas *ad cultum sanctorum* erigi posse autumat. *Potest*, inquit, *erigi basilica S. Petro, ut qui ingrediuntur, admoniti imagine ibi depicta vel* XVIII. 183.
*ipso templi nomine recordentur S. Petri eumque in eo loco tanquam patronum colant et deprecentur.* 14. Se, suas animas, corpora et omnia bona sanctorum tutelae et patrocinio fiducialiter commendant. In ordinario Hildesheim. de compass. Mariae: *Ad te Maria, o unica spes miserorum, confugio et plena fiducia tibi me ipsum in omnibus necessitatibus devote commendo.* In rosar. Mariae: *O Domina mea S. Maria, me in tuam benedictam fidem et singularem custodiam ac in sinum misericordiae tuae hodie et quotidie atque in hora exitus mei animam meam et corpus meum tibi commendo, omnem spem meam, consolationes, angustias, miserias et finem vitae meae committo.* In psalter. Mar. psalm. 30: *In manus tuas Domina commendo spiritum meum, vitam meam et diem ultimum meum.* In hortul. anim. orat. S. Thom. ad. B. Virginem: *O beatissima et dulcissima Virgo Maria, in sinum pietatis tuae commendo hodie et omnibus diebus vitae meae corpus meum et animam meam omnesque actus meos, cogitationes, voluntates, desideria, locutiones, operationes omnemque vitam finemque meum.* 15. Festa sanctis celebrant non memoriae duntaxat, sed etiam, imo vel maxime religiosi cultus gratia. Bellarminus lib. 3. de cultu sanct. cap. 16. §. Neque rationes etc.: *Dico, honorem dierum festorum immediate et terminative pertinere*

*etiam ad sanctos, sicut ipsa invocatio, et esse cultum religionis, ut est nomen generale.* Antoninus part. 4. summ. titul. 15. cap. 24. §. 3. observat, quod cum in ecclesia sint octo solennitates Deo in solum ipsius cultum dicatae, scilicet *Trinitatis, pentecostes, nativitatis, circumcisionis, epiphaniae, resurrectionis, ascensionis et corporis Christi*, totidem etiam universales festivitates in honorem Virginis quotannis celebrentur, quas hoc ordine recenset Suarez tom. 2. comment. in Thomam disput. 22. q. 37. artic. 4. sect. 1: *Festum annuntiationis, purificationis, assumtionis Virginis, nativitatis Virginis, sanctae Mariae ad nives visitationis, conceptionis Virginis, praesentationis Virginis in templo*, quibus addi posse dicit singulares festivitates Virginis, quae in diversis provinciis celebrantur. Quales sunt in Hispania *festum expectationis Virginis et festum descensionis ejusdem*, quod in ecclesia Toletana praecipue colitur," et utraque festivitas a Gregorio XIII. est confirmata, quin et in universa ecclesia diem sabbathi in peculiarem Virginis memoriam et honorem destinatum esse asserit. 16. Colunt sanctos *jejuniis, missis, peregrinationibus, candelis accensis, donariis oblatis, statuis exornatis, suffitu thuris, vigiliis* etc. ut ex praxi cuivis obvium. Bellarminus lib. 1. de beat. sanct. cap. 13: *Imaginibus et reliquiis suaves odores offerimus.* 17. A sanctis benedictionem sibi et aliis precantur. Tali enim benedictionis formula mane et vesperi utuntur: *Pax Domini nostri Jesu Christi et virtus passionis ejus, signum sanctae crucis, integritas Beatae Mariae Virginis, benedictio omnium sanctorum, angelorum custodia et suffragia omnium Dei electorum sint inter me et omnes inimicos meos nunc et semper et in hora mortis* etc. Ex quibus omnibus manifestum, qualis sit ille cultus, quem Pontificii defunctis sanctis offerunt.

Argumenta Bellarmini, quibus demonstrare nititur, angelis et Sanctis deberi cultum religiosum 1. Ex Psalm. 98. Adorate scabellum XVIII. 184. pedum ejus, quia sanctum est.

436. Videamus, quae invocationi sanctorum fulcra substernat Bellarminus, lib. 1. de beat. sanct. cap. 13. demonstrare nititur, *cultum aliquem minorem divino et majorem civili et mere humano sacris rebus, sanctis angelis et hominibus deberi.* Primum argumentum ducit ex Psalm. 98: *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est, ubi per scabellum intelligitur arca Testamenti. Cui conforme est illud Psalm. 131: Introibimus in tabernaculum ejus, adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.* In Hebraeo est *adorabimus scabellum pedum ejus, i. e. arcam. Quod in his locis praecipiatur aliquis cultus, probat ex verbo adorate; quod iste cultus non sit civilis, sed religionis, probat ex addita ratione, quoniam sanctum est, hoc videlicet scabellum. Cultus enim civilis debetur rebus propter civilem et humanam excellentiam. At arca dicitur adoranda, non propter civilem excellentiam, sed quia sacra et sancta est, cum sit scabellum pedum Dei.* Respondemus: 1. Si hoc argumentum applicetur ad principale quaesitum de religiosa invocatione sanctorum, manifestum est, quod sit a quaestione alienum, quia nemo potest dicere, et si dicere velit, non potest probare, quod Israëlitae arcam religiose invocaverint, intercessionem, opem et auxilium ab ea implorando. Ipse Bellarminus de beat. sanct. cap. 19. §. 2. disputat, *non fuisse in V. T. consuetum, ut diceretur, sancte Abraham ora pro me.* Quodsi ergo sancti apud Deum viventes non fuere in V. T. invocati, quanto minus probabile est, arcam inanimem et insensibilem invocatam fuisse. 2. Si non de religiosae adorationis cultu in specie, sed de religioso cultu in genere Bellarminum loqui obtendas (quod videlicet detur aliquis cultus religiosus divino minor et civili major), opponimus verbum *adorandi*, quod in specie ad cultum adorationis nos deducit. Illud namque si de religioso cultu in propria significatione accipiatur, utique etiam religiosa adoratio arcae tribuenda erit. 3. Distinguendum est inter *externam reverentiam*, quae sacris symbolis exhibetur, et inter *interiorem religiosae adorationis cultum.* Facile concedimus, Israëlitas arcae foederis, super quam erat propitiatorium quasi sedes Dei, quae tenebatur manibus duorum Cherubim, externam reverentiam exhibuisse et hac ratione interiorem suam erga Deum super arcam foederis habitantem et peculiari modo gratiose praesentem reverentiam testificatos fuisse, qua de reverentia Hieronymus in epistola ad Marcellam sic scribit: *Venerabantur quondam Judaei sancta sanctorum, quia ibi erant Cherubim et propitiatorium et arca testamenti*, perinde ut hodie symbolis sacramentalibus in administratione eucharistiae externam aliquam reverentiam exhibemus et exteriore genuflexione, capitis adapertione etc. interiorem fidem ac devotionem nostram testamur, quod scilicet vere et ex animo credamus, Christum ipsum in eucharistiae celebratione esse praesentem ac suo corpore et sanguine nos pascere, qua de re videri potest egregius locus apud Lutherum Genes. 47. sed ex eo inferri nequit, vel arcae foederis in V. T. vel symbolis sacramentalibus in N. T. religiosae adorationis cultum deberi, quia ad religiosam invocationem plura omnino requiruntur, quam quod res ejusmodi sint divinae, peculiaris et gratiosae praesentiae externa symbola, alias etiam coelum, quod Dei sedes est, et sancti viventes, in quibus Deus per gratiam habitat, essent itidem religiose adorandi et invocandi. 4. Hebraea ad verbum sic habent: הִשְׁתַּחֲווּ לַהֲדוֹם רַגְלָיו קָדוֹשׁ הוּא, quae utroque modo converti possunt, *adorate ad scabellum pedum ejus* (Dominum Deum vestrum, ut ex praecedentibus constat), *quia sanctus ipse*; et *incurvate vos scabello pedum ejus, quod sanctum ipsum* (vel quod est sanctum, quia pronomina demonstrativa apud Hebraeos loco verbi substantivi ponuntur, aut ejus ellipsin induerunt Exod. 12, v. 11. Neh. 9, v. 7. etc.). Si posteriorem versionem amplectamur, nihil decedit nostrae sententiae, quia ex reverentia externa non potest statim inferri religiosae invocationis cultus, uti modo ostendimus. Si priori versioni insistamus (quam scopus psalmi in versu 1. et ultimo propositus, qui est, XVIII. 185.

solum Deum esse laudandum, omnino requirere videtur, quamque probant verba immediate antecedentia, *exaltate Dominum Deum nostrum*, et subsequentia, *Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus*, *et Samuel inter eos*, *qui invocant nomen ejus*, item causa addita, quia *sanctus ipse*, ut LXX interpr. reddiderunt), in fumum abit Bellarmini argumentum, quia objectum illius adorationis non constituitur arca, sed Dominus habitans super arcam in medio duorum Cherubim. 5. Deus nuspiam mandavit, ut religiose adoraretur sive invocaretur arca, sed sese peculiari modo gratiose praesentem in tabernaculo ad arcam foederis adorari jussit. Neque sancti viri ipsam arcam foederis, sed Deum ad arcam adorarunt. 1. Par. 13, v. 6: *Adscendit David et omnis vir Israël ad collem Kiriathjearim*, *qui est in Juda*, *ut afferret inde arcam Domini Dei sedentis super Cherubim*, אֲשֶׁר *super quam*, *vel ubi invocatum est nomen Domini*, utroque enim modo verti potest. Psalm 132, v. 7: *Adorabimus ad scabellum pedum ejus.* Hoc LXX interpretes et vulgata latina versio, a qua Bellarmino ob fulmen Tridentini concilii non licet discedere, sic reddiderunt: *προσκυνήσωμεν εἰς τὸν τόπον*, *οὗ ἔστησαν οἱ πόδες αὐτοῦ*, *adorabimus in loco*, *ubi steterunt pedes ejus.* 6. In hoc ipso Psalm. 99. (juxta Hebr. computationem) v. 9. evidens hujus significationis habetur exemplum, הִשְׁתַּחֲווּ לְהַר קָדְשׁוֹ *adorate ad montem vel in monte sanctitatis sive sancto ejus, quoniam sanctus Dominus Deus noster*, ubi nemo poterit cogitare, ipsum montem sanctum, in quo exstructum fuit templum, religiose fuisse adoratum atque invocatum. 7. Si ideo religiose colenda et adoranda fuit arca, quia sancta, etiam pii in his terris viventes religiose coli et adorari possunt, quia ipsi quoque sancti sunt. Item altaria, vasa sacra, vestes sacerdotales etc. religiose erunt colendae et adorandae, quia et ipsae sunt sacrae. At consequens hoc absurdum. Si ideo religiose colenda fuit arca, quia fuit scabellum pedum Dei, etiam terra erit religiose colenda et adoranda, quia *coelum sedes Dei*, *terra autem scabellum pedum ejus* Es. 66, v. 1. Consequens itidem absurdum et ἀσεβές. 8. Augustinus in Psalm. 98. mystice accommodat ad Christi carnem. *Fluctuans*, inquit, *converto me ad Christum*, *quia ipsum quaero hic et invenio*, *quomodo sine impietate adoretur scabellum pedum ejus*, *suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est et de carne Mariae terram accepit, et quia in ipsa carne hic ambulavit et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit. Inventum est*, *quomodo adoretur tale scabellum pedum Domini et non solum non peccemus adorando*, *sed peccemus non adorando.* Sed nulla necessitate cogimur a literali sensu discedere. 9. Bellarminus inter cetera asserit, propter honorem arcae neminem potuisse ingredi sancta sanctorum, ubi illa erat, nisi summum pontificem semel in anno. Sed constat ex epist. ad Hebr. causam hujus rei fuisse typicam, ut ingressus Christi in ipsum coelum hoc facto praefiguraretur.

437. 2. *Angelis ab hominibus prudentibus et piis adoratio fuit exhibita*, Gen. 18. et 19. Num. 22. Jos. 5. *ea vero non fuit adoratio civilis*, *sed religiosa*, *quam angeli haud inviti receperunt.* Respondemus, 1. Angelis in figura externa apparentibus adorationem exhibitam fuisse concedimus, sed religiosam ac divinam eam fuisse negamus, quia nuspiam leguntur angeli ut intercessores vel opitulatores ab ullo sanctorum recte sentiente religiose invocati, quin potius angeli hunc religiosae adorationis cultum sibi delatum repudiarunt, ut constat ex Apoc. 19. et 22. 2. Nimirum nomen adorationis duplicem in Scripturis obtinet significationem, *propriam et impropriam.* Propria significatio est, quando accipitur pro cultu religioso interno ac divino, quo Deum ipsum omnis boni auctorem veneramur; impropria significatio est, quando accipitur pro externa reverentia, qua vel angelos vel homines, reges, principes et viros honoratos nobis praesentes et conspicuos honoramus. Hanc adorationem si Bellarminus vocare nolit civilem ac politicam, appellet externam, angelicam, humanam (Costerus in ench. pag. 398. *honorem humanum*) vel quocunque modo vocare velit, modo agnoscat, eam non esse propriam, nec divinam, nec religiosam stricte et in rigore acceptam, id quod demonstramus hoc argumento. Unius vocabuli una tantum est propria significatio, reliquae sunt impropriae ac figuratae. Ergo vocabulum adorationis proprie accipitur, quando ad Deum creatorem, vel quando ad creaturas, angelos scil. et homines, refertur (utrobique enim propriam significationem obtinere nequit, cum res ipsa, videlicet cultus Deo et creaturis exhibitus, non sit idem, sed toto genere diversus). Posterius dici nequit, si enim est adoratio proprie dicta, quando pii dicuntur angelos sibi apparentes et viros honoratos adorasse, consequens erit, esse improprie dictam adorationem, quando Deum adorasse dicuntur. At hoc consequens admitti nulla ratione potest, cum improprietas significationis conjunctam habeat rei ipsius improprietatem, jam vero cultus divinae adorationis est maxime proprius. Manet igitur prius, videlicet illam demum esse proprie dictam et gloriosam adorationem, quando Deus dicitur a piis adoratus, ex quo porro consequitur, adorationem angelis et hominibus delatam esse impropriam, externam, politicam, non autem propriam, divinam et religiosam. 3. Id ipsum videtur agnoscere Costerus, quando in ench. pag. 347. sic scribit: *Adorationis vox duobus modis accipitur. Uno, ut soli Deo conveniat; altero, ut etiam creaturis. Et posteriori quidem modo significat externum aliquem cultum aut venerationem*, *ut adoratio sit externum honorem exhibere*, *caput aperire*, *genuflectere*, *in terram se abjicere*, *qui honor olim regibus habebatur et nunc quoque parentibus vel praeceptoribus offensis filii et discipuli supplices fiunt.* p. 398. hunc honorem vocat *humanum, venerationem*

2. Angelis adoratio fuit exhibita. Gen. 18. Num. 22. Jos. 5

XVIII. 196

*externam a latria distinctam.* Hactenus recte, sed quando addit, *hanc posteriorem duntaxat adorationis speciem sanctis in papatu tribui*, contradicit Bellarmino, qui mediam quandam adorationem inter divinam et humanam statuit, quae sanctis sit tribuenda ac praxi in papatu publice recepta, qua sancti religiose adorantur et invocantur, ut opitulatores et beneficiorum spiritualium largitores. Certe religiose, suppliciter ac fiducialiter adorare sanctos plus est quam humanum et externum honorem illis tribuere, alias consequens foret, etiam reges a subditis, parentes a filiis, praeceptores a discipulis, pios a piis religiose, suppliciter ac fiducialiter invocari, quando externum illum honorem et adorationem improprie dictam ipsis exhibent. 4. Nondum ergo invenit Bellarminus (uti gloriatur) mediam illam adorationem, quam tam solicite quaerit. Adoratio enim illa, qua pii angelos sibi apparentes venerati fuere, non fuit divina, religiosa et proprie dicta, sed honor externus et adoratio impropria, qua illos ut Dei legatos honorarunt. Sed in papatu angeli et sancti defuncti religioso ac divino cultu honorantur, tribuitur illis, quod preces solo cordis gemitu conceptas audiant, quod beneficia spiritualia nobis conferant, quod suis meritis nobis suffragentur, quod fiduciam ac
VIII. 187. spem in illorum intercessione, auxilio ac meritis collocare sit utile etc. 5. Sicut inter primam et secundam decalogi tabulam non datur medium; ita quoque inter adorationem religiosam, divinam et proprie sic dictam, soli Deo debitam, quae est cultus ad primam decalogi tabulam pertinens; et inter adorationem externam, humanam et improprie sic dictam, quae creaturis etiam exhiberi potest et est cultus ad secundam decalogi tabulam pertinens, medium non datur. 6. Exempla a Bellarmino allata sunt dissimilia. Gen. 18. apparet Abrahae Filius Dei duobus angelis comitatus (ut testantur Justinus in dial. cum Tryphone pag. 104. Clemens Alexand. lib. 5. stromatum, Hilarius lib. 4. de Trinit. Constantinus apud Eusebium lib. 3. in vit. Constant. cap. 50. ipse Eusebius lib. 5. demonst. evang. cap. 9. Augustinus serm. 70. de temp. Theodoretus q. 68. in Genes.), quibus omnibus unum et aequalem honorem a patriarcha exhibitum fuisse nemo dixerit. Chrysostomus monet, Abrahamum ideo numero singulari tres illos viros compellasse, quia unus ex illis, Dei scil. Filius, reliquis fuerit ἐντιμότερος, *gloriosior et illustrior*, unde ex ipsa visibilis formae majestate aliisque indiciis patriarcha colligebat, unum illum, quem sigillatim compellabat, esse inter eos primarium, quem reliqui duo colerent, ac unus duntaxat ex illis vocatur Jehovah, ut series contextus ostendit. Jam vero nomen Jehovah nuspiam creatis angelis in S. literis tribuitur. Plura de hac θεοφανείᾳ καὶ ἀγγελοψίᾳ diximus in praelect. de mysterio Trinitatis. Genes. 19. Lothus hospites illos suos non noverat esse angelos, cum eos tam honorifice exciperet Hebr. 13, v. 2. uti ipse Bellarminus fatetur, quomodo igitur adoratione quadam media et plus quam humana illos honorare potuit? Exemplum Bileami Num. 22. est itidem alienum, tum quia Bellarmino propositum est demonstrare, angelos ab hominibus piis et prudentibus fuisse adoratos, jam vero Bileamus nec pius, nec prudens fuit; tum quia Bileamus externam reverentiam angelo sibi apparenti exhibuit. Jos. 5. non intelligitur creatus aliquis angelus, sed ipse Dei Filius, ut apparet primo *ex appellatione.* Vocatur enim *Jehovah* cap. 6, v. 2. et *princeps exercitus Jehovae*, id est angelorum, hominum et omnium creaturarum, cap. 5, v. 14. Secundo *ex operis divini attributione*, vocat se principem exercitus Domini, quia Israëlitas ex Aegypto per desertum duxerat 1. Cor. 10, v. 4. et contra hostes ipsorum pugnabat, promittit etiam se Hierichuntem in manus Josuae traditurum cap. 6, v. 2. Tertio *ex cultus divini susceptione.* Patitur sibi deferri cultum adorationis soli Deo debitum cap. 5, v. 14. Matth. 4, v. 10. Denique *ex symbolica apparitione.* Conspicitur in forma humana suo tempore assumenda, terram, in qua apparebat, vocat sanctam, quia per hanc apparitionem erat sanctificata ac divinitus in hunc usum destinata, ut locum praeberet ipsius nativitati ac muneri docendi.

438. *3. Sancti viventes in Scripturis sunt adorati. 1. Sam. 28. Saul adorat animam Samuelis sibi apparentem. Certum autem est, non convenire civilem honorem animabus defunctorum. 1. Reg. 18. Abdias vir sanctus adorat Eliam pronus in terram, neque possumus dicere, hunc civilem cultum fuisse. Nam quantum ad humanam excellentiam major erat Abdias quam Elias, iste enim privatus homo erat, ille autem unus ex principibus regni. Adoravit ergo eum ut prophetam ac Dei hominem singulari sanctitate excellentem. 2. Reg. 2. filii prophetarum cum audivissent, spiritum Eliae requievisse super Elisaeum, accedentes adoraverunt eum proni in terram. Dan. 2. Nabuchodonosor adorat Danielem. Quis autem diceret aut crederet, a summo rege adoratum civiliter unum ex captivis, qualis erat Daniel? adoravit ergo eum religiose ut hominem Deo plenum, neque per errorem adoravit, Deum illum existimans. Nam adorans ait: Vere Deus videtur, Deus deorum est et dominus regum.* Respondemus: 1. haec omnia et similia exempla, quorum in Scripturis plura occurrunt, pertinent ad externam et improprie sic dictam adorationem, uti cuivis manifestum. Quodsi enim de religiosa, divina et proprie dicta adoratione ea velimus interpretari, consequens foret, sanctos viventes religiose adorari et suppliciter a nobis invocari posse, eadem omnino adoratione ac religione, qua sanctos defunctos Pontificii colendos esse dicunt, quod ne ipsi quidem concedent. *2. Civilis adorationis* nomen nimis stricte accipit Bellarminus, quasi ea tantum sit civilis adoratio, quae politicam ac civilem eminentiam fundamenti sive causae loco habet, cum a nostris accipiatur in generali significatione, ut complectitur quemcunque honorem humanum et

3. Sancti viventes sunt adorati.

XVIII. 188.

externum creaturis debitum a religiosa tamen et divina adoratione distinctum; sive ob politicam quandam eminentiam, sive ob ecclesiastici muneris dignitatem, sive ob dona prophetica talis honor ipsis deferatur. 3. Exemplum verae et Deo gratae adorationis a Saule impio rege et contra expressum Dei praeceptum Lev. 20, v. 6. Deuter. 18, v. 11. Esa. 8, v. 19. mortuos consulente petere nimis est praeposterum. Adde, quod is qui Sauli apparuit, non fuerit Samuel propheta, sed spectrum diabolicum, ut superius §. 174. multis argumentis confirmavimus. Quodsi ergo non externam duntaxat et civilem, sed religiosam et plus quam humanam adorationem personato isti Samueli Saul detulit, ipsum diabolum adoravit, unde etiam in peccatis suis mortuus dicitur. Denique Augustinus ex illo ipso fundamento, quod is, qui Samueli apparuit, passus fuerit, se adorari, colligit, ipsum non fuisse Samuelem prophetam, ut d. l. pluribus videre licet. 4. Quamvis Abdias politicae eminentiae respectu Elia esset dignior, tamen ob prophetica dona Eliam merito honoravit. Mirum est ergo, quod Bellarminus Eliam appellet *hominem privatum*, cum publico officio, prophetico scilicet fuerit functus et ut *homo Dei* sive propheta singulari sanctitate excellens ab Abdia honoratus. Quinimo vera et Deo grata humilitas requirit, ut honoremus etiam eos, qui vel officio vel donis ac virtutibus nobis sunt inferiores. Rom. 12, v. 10: *Honore invicem praevenientes.* 1. Petr. 2, v. 17: *Omnes honorate.* cap. 5, v. 5: *πάντες ἀλλήλοις ὑποτασσόμενοι τὴν ταπεινοφροσύνην ἐγκομβώσασθε.* 5. Nabuchodonosor ethnicismi labe adhuc infectus ac proinde inter pios, de quibus Bellarmini propositio agit, nondum referendus, non solum Danielem dicitur *adorasse*, sed etiam *jussisse, ut sacrificium ipsi proferretur*, quale quid etiam Lycaones facere voluisse leguntur in honorem Pauli et Barnabae Act. 14. Quamvis vero Spiritus s. non commemoret, Danielem ab hoc instituto regem fuisse dehortatum, tamen id colligi potest, tum ex *Danielis pietate*, quae tanta in ipso exstitit, ut legem ceremonialem regios cibos assumendo violare noluerit, quanto igitur magis ab idololatria sibi serio cavendum esse censuit? Tum ex *sequente narratione*, in qua rex simulac praecepisset Danieli sacrificia offerri, *respondisse* dicitur. Jam vero responsio locum non habet, nisi ubi oratio praecedit (interim fatemur, verbum respondendi quandoque generaliter pro sermone accipi); tum ex *regis confessione*, quia rex egregiam et plane orthodoxam de Deo Israëlis confessionem edit, quam illi non caro et sanguis, sed per prophetam Spiritus Domini instillavit; tum denique ex *simili exemplo*
XVIII. 19. *Pauli et Barnabae* Act. 14. Hieronymus et Theodoretus dicunt, *regem obtulisse sacrificia Danieli, id est Deo Danielis.* Hanc interpretationem si sequamur (uti Bellarminus eam non repudiat), denuo concidit Bellarmini argumentum. Si enim non Danieli, sed Deo Danielis sacrificium obtulit, ergo etiam non Danielem, sed Deum Danielis religiose adoravit. Alii respondent, *regem quidem coram Daniele reverentiae causa prohibuisse ac in tam subita consternatione sacrificia offerri jussisse, interim in textu non addi, quod illud re vera fuerit factum.* Bellarminus disputat, *Nabuchodonosorem obtulisse Danieli non* זֶבַח *immolationem animalium, sed munera et odores,* מִנְחָה *et* נִיחֹחִין, *quorum utrumque tam Deo quam homini offerre solitum fuisse probat ex 1. Reg. 10. ubi Sauli regi munera offeruntur, et ex usu ecclesiae, in qua imaginibus et reliquiis suaves odores offeruntur.* Sed utrumque sacrificii genus, videlicet tam זֶבַח quam מִנְחָה soli Deo offerendum esse constat ex Levitico. Ac si adoratio proprie dicta in hac historica narratione est intelligenda, utique etiam sacrificium proprie sic dictum, ut indivulsa ostendit connexio. Sed prius asserit Bellarminus, agnoscat ergo etiam posterius. Nisi נִיחֹחִין esset sacrificium soli Deo debitum, rex Ezechias non confregisset serpentem aeneum, propterea quod Israëlitae incensum eidem adolerent 2. Reg. 18, v. 4. nec Collyridiani idololatrias ab Epiphanio haeres. 79. accusari potuissent ob collyridem seu placentas Mariae oblatas, nisi מִנְחָה esset sacrificium soli Deo debitum. Quod Sauli dicuntur *munera oblata*, a quaestione plane alienum est, ibi enim vox מִנְחָה non accipitur in significatione speciali et propria, qua pro sacrificio usurpatur, sed generali, qua quaelibet honoraria ac donaria regibus oblata significat. Quod reliquiis et imaginibus suaves odores in papatu offerantur, novimus; sed Scripturae quodam exemplo illud probari nondum vidimus.

439. Quartum argumentum deducit *ex confessione patrum.* Sed dicta illorum pleraque sunt a quaestione prorsus aliena. Nam 1. quaedam in genere loquuntur *de honore* sanctis defunctis, praesertim martyribus exhibendo. Origenes hom. 3. in diversos *sanctorum memoriam semper, ut dignum est, in ecclesia* dicit *celebrari.* Eusebius lib. 13. praeparat. evang. cap. 7. *verae pietatis milites ut Dei amicissimos honorari.* eccles. Smyrn. apud Euseb. lib. 4. hist. eccl. cap. 15. ait, *sese martyres diligere et venerari, quod fidem integre magistro et domino servaverint.* Basilius orat. in sanctum Mamantem: *Ecclesia per hoc, quod eos honorat, qui praecesserunt, praesentes impellit.* orat. in 40 mart.: *Honor, quem bonis conservis exhibemus, benevolentiae erga communem Dominum significationem de se praebet.* Gregorius Nazianz. orat. 1. in Julian. *honorem martyrum esse perspicuam notam amoris in Christum.* Idem et nihil aliud dicunt Gregorius Nyssen. orat. in Theodorum, Epiphanius haeres. 79. Chrysostomus de Sanctis Juventino et Maximo, Cyrillus Alex. lib. 6. in Julian. Damascenus lib. 4. cap. 16. Tertullianus, de coron. milit. Cyprianus lib. 4. epist. 5. Ambrosius serm. 6. Augustinus lib. 20. contra Faustum cap. 21. etc. Sed ex honore, quem pii veteres sanctis defunctis, praesertim martyribus, exhibuerunt et exhibendum esse docuerunt, inferri nequit, religiosae adorationis et supplicis in- 4. Ex dic patrum.

vocationis honorem ipsis esse deferendum, alias a genere ad speciem, ab indeterminato ad determinatum affirmate contra logicae regulas procederetur. Qualem enim honorem sanctis defunctis et possimus
XVIII. 190. et debeamus deferre, ex Scriptura superius fuit demonstratum. *Memoriae* illae sanctorum, praesertim martyrum in primitiva ecclesia, absque superstitione et religiosa eorum invocatione celebratae in ecclesia fuerunt. Cum enim in principio collectionis ecclesiae imperatores Romani adhuc ethnici magnam saevitiam adversus Christianos exercerent, ac multi ob doctrinae confessionem quotidie trucidarentur, censuerunt, crebras exhortationes populo Christiano esse necessarias, ut nulla periculorum ratione habita in confessione doctrinae Christianae constantes persisterent, unde mos introductus fuit, ut quoties populus ad conciones audiendas, sacramenta percipienda, preces et gratiarum actiones Deo offerendas conveniret, nomina sanctorum martyrum, qui pro veritate usque ad sanguinem certaverant, ante celebrationem eucharistiae recitarentur, ac eorum certamina, vitae innocentia, robur fidei ac reliquae virtutes publice commemorarentur, ut exemplis illis reliqui ad imitationem fidei et virtutum, cumprimis constantiae in confessione excitarentur ac animarentur et simul Deo gratiae agerentur, quod salutaria illa organa ecclesiae dedisset ac spiritu suo in martyrio eosdem confirmasset, denique ut piis precibus a Deo peteretur, ut superstites quoque in veritatis confessione tueri et spiritum martyrio dignum eisdem largiri velit. Unde Dionysius lib. de ecclesiast. hierarch. cap. 3. quatuor causas recenset, propter quas in eucharistiae administratione recitata fuerint ex sacris tabulis eorum nomina, qui pie sancteque vixerunt et in Domino obdormierunt. Primo, *ut viventes ad imitationem provocarentur et ad exemplum beatorum sancte vivere et pie in Domino mori docerentur*; secundo, *ut sancti illi praedicarentur non esse mortui*, *sed vivi ut qui ex morte ad vitam vere divinam et coelestem essent translati;* tertio, *ut ostenderetur*, *eos esse in memoria apud Deum et ecclesiam fidelium;* quarto, *quando altaribus sunt imposita venerabilia symbola*, *per quae Christus sumitur*, *statim adest descriptio sanctorum*, *ut indicetur individua ipsorum conjunctio et sacratissima cum Christo unio* etc. Progressu temporis invaluit consuetudo, ut corpora seu exuviae sanctorum iis in locis, ubi communio celebrabatur, reponerentur, et ut ad sepulcra martyrum templa et altaria non ipsis sanctis sed Deo constituerentur, quae tamen omnia nondum evincunt, religiosae adorationis cultum martyribus tunc fuisse delatum. 2. Quaedam loquuntur de honore, quem viventibus sanctis pii exhibuerunt. Athanasius lib. de virginit.: *Si homo justus aedes tuas intraverit*, *cum timore et tremore occurrens illi adorabis humi ad pedes illius.* Hieronymus in vita Paulae memorat, ipsam, cum inviseret eremitas, *singulis ad pedes provolutam*, *ita eos venerari solitam*, *ac si in singulis Christum adoraret.* Jam vero constat, sanctos viventes religiosae adorationis cultu non esse honorandos, sed externam reverentiam ipsis ut Dei legatis et amicis esse exhibendam. 3. Justinus in apol. 2. angelorum cultui videtur favere. *Sed illum*, inquit, *Deum Patrem et ejus Filium*, *qui venit nosque haec docuit et aliorum sequentium similiumque bonorum angelorum exercitum et Spiritum propheticum colimus atque adoramus verboque et re seu veritate veneramur*, *idque omnibus*, *qui discere volunt*, *ut docti institutique sumus*, *copiose tradimus.* Respondemus vero, primum ex Irenaeo et antiquissimis scriptoribus ecclesiasticis constare, quod cultus angelorum eo tempore non fuerit in ecclesia receptus, sed in haereticis taxatus. Secundo Justinus dicit, se *hanc fidem*, quam exponit, *a majoribus didicisse*, jam vero angelorum cultum non potuit a majoribus discere, cum apostoli, quorum aetati Justinus fuit vicinior, eundem repudiarint, ut superius ostendimus. Tertio, si Justini verba angelorum cultum stabilirent, latriam
illis deferendam esse probarent. Verba enim *colimus* XVIII. 191.
et *adoramus*, quibus invocationis cultum Justinus describit, eadem ratione ad Deum Patrem, Filium, Spiritum s. et angelos juxta Bellarmini interpretationem referuntur, quin imo angeli medio loco inter Filium et Spiritum s. nominantur. Quarto, verus ac genuinus dicti sensus est, ecclesiam colere Deum Patrem et Filium (qui nos et angelos veram invocandi Dei rationem docuerit) et Spiritum colere propheticum, ut sic verba illa, quae de angelis agunt, non describant religiosae adorationis objectum, sed Filii Dei officium, id quod ex Graeco textu manifestum, qui sic habet pag. 43. edit. Comm. *ἀλλ' ἐκεῖνόν τε καὶ τὸν παρ' αὐτοῦ υἱὸν ἐλθόντα καὶ διδάξαντα ἡμᾶς ταῦτα καὶ τὸν τῶν ἄλλων ἑπομένων καὶ ἐξομοιουμένων ἀγαθῶν ἀγγέλων στρατὸν πνεῦμά τε τὸ προφητικὸν σεβόμεθα καὶ προσκυνοῦμεν*, quae Sylburgius sic reddidit: *Hunc ipsum*, *et qui ab eo venit atque ista nos et aliorum obsequentium exaequatorumque ad voluntatem ejus bonorum angelorum exercitum docuit, Filium et Spiritum propheticum colimus et adoramus.* 4. Chrysostomi dictum in homil. de Sanctis Juventio et Maximo a Bellarmino est corruptum. Ubi enim in Chrysostomo legitur *tumulos invisamus*, *tumulos adornemus*, ibi Bellarminus legit *tumulos adoremus.* 5. Sermones de sanctis, qui Augustino tribuuntur, in quibus Beatissimus Petrus genibus provolutis a gentium multitudine adorari dicitur, non sunt *γνήσιοι*, sed *ψευδεπίγραφοι.* 6. De Gregorio et Bernhardo, qui posterioribus seculis, quibus superstitiones jamdum in ecclesia invaluerant, floruerunt, non admodum soliciti sumus.

**5. Ex invocatione, templis, festis, votis, imaginibus etc.**

440. Quintum argumentum sumit *ex invocatione*, *templis*, *festis*, *votis*, *imaginibus et aliis*, *quae ad cultum sanctorum pertinere non sit dubium.* Respondemus: Haec omnia in sanctorum honorem a primitiva ecclesia apostolis vicina fuisse usurpata facilius dicitur, quam probatur. Ex Scriptura longe minus demonstrari potest, in honorem et cultum san-

ctorum a quoquam recte sentiente eadem fuisse usurpata. Sextum argumentum petit *ex eo, quod ethnici, Judaei et haeretici accusaverint Christianos idololatriae propter cultum sanctorum, quod non fecissent, nisi vidissent, a Christianis sanctos passim religiose coli.* Respondemus: Ex mendacibus adversariorum calumniis non potest deduci argumentum veritatis. Pii veteres contra hanc calumniam sese satis muniverunt ac religiosae et proprie dictae adorationis cultu, utpote soli Deo debito, sese sanctos honorare negarunt, ut constat ex dictis superius §. 426. citatis. Septimum argumentum desumit *ex ratione. Si honor civilis debetur virtuti civili, sapientiae, potentiae et nobilitati, ergo honor plus quam civilis debetur supernaturali virtuti, sapientiae, potestati et nobilitati. Sed sancti quoad virtutes supernaturales excellunt omnino, cum ferveant divina caritate et peccare non possint* Apocal. 21. *quoad sapientiam, vident ipsam sapientiam increatam* Matth. 5. *quoad potestatem sunt reges coelorum et participes ipsius throni divini* Apocal. 3. Luc. 22. *quoad nobilitatem sunt filii Dei re ipsa jam adoptione confirmata per gloriam. Igitur merito jureque optimo religioso cultu prosequendi sunt. Denique Deus sanctis honorem et gloriam promisit* 1. Reg. 2. Johan. 12. Rom. 2 *Ergo debetur eis honor, non autem civilis, ergo religiosus.* Respondemus: 1. Haec omnia nondum probant, religiosae adorationis cultum sanctis esse tribuendum, sed honorem statui ipsorum convenientem, qui qualis esse debeat, non ex nostra ratio-
XVIII. 192. cinatione, sed ex verbi coelestis informatione unice petendum. 2. *Civilis honoris* appellationem nimis stricte Bellarminus accipit, cum generaliter pro quovis honore creaturis debito a religioso cultu soli Deo debito sit accipienda, ut superius monuimus. 3. Nomenclatura honoris plus quam civilis est ambigua. Vel enim intelligitur de honore, qui major est eo, quem politicis personis in eminentia constitutis defertur; vel de honore religioso et divino. Si priori sensu accipitur, concedimus, sanctos defunctos honore plus quam civili afficiendos, ex eo tamen nondum sequitur, quod religiose sint adorandi; si posteriore sensu accipiatur, negamus. 4. Encomia et dona a Bellarmino enumerata suo modo competunt etiam sanctis in terra adhuc viventibus, nam in illis etiam est supernaturalis aliqua virtus, sapientia, potentia et nobilitas, sunt et ipsi filii Dei, amici Dei, heredes Dei Joh. 15, v. 14. cap. 20, v. 17. Rom. 8, v. 16. 1. Cor. 6, v. 15. Gal. 4, v. 6. Apoc. 1, v. 6. etc. sunt victores Satanae, mortis et inferni etc. Chrysostomus in enarr. Psalm. 72: *Non tantum sunt liberi* (cives ecclesiae) *sed et sancti; non tantum sancti, sed et justi; non solum justi, sed et filii; non solum filii, sed et heredes Dei; non solum heredes, sed et fratres Christi; non tantum fratres Christi, sed et coheredes; non solum coheredes, sed et membra Christi; non tantum membra, sed et templum; non tantum templum, sed et organon Spiritus sancti* etc. Ecquis vero dixerit, eos propterea religiose adorandos et invocandos esse? 5. Quod Bellarminus in ἐργασίᾳ hujus argumenti addit, *sanctos defunctos omnium rerum causas in Deo videre et ipsius divini throni participes esse factos*, de eo quid statuendum sit, patere potest ex q. 1. et 5.

6. Ex accusatione gentilium.

7. Ex ratione.

441. Cap. 18. evincere conatur Bellarminus, *1. sanctos defunctos orare pro nobis saltem in genere secundum Scripturas; 2. sanctos, qui regnant cum Christo, pro nobis orare non solum in genere, sed etiam in particulari.* At potuisset hac probatione in hac quaestione de sanctorum invocatione supersedere, 1. quia ipse agnoscit cap. 20. resp. ad 6. argumentum, *apologiam Augustanae confessionis aperte concedere, quod sancti in coelis orent pro ecclesia in genere.* Cur ergo in eo, quod utrinque conceditur, probando tam solicite occupatur? 2. Ex eo, quod sancti pro nobis *in genere*, vel etiam *in particulari* orent, inferri nequit, ipsos religiose a nobis adorandos et invocandos esse, quia etiam sancti viventes pro nobis in genere et quandoque in particulari orant, nemo tamen dixerit, eos religiose propterea adorandos et invocandos esse. Christiani in media Turcia pro nobis in genere orant, ecquis tamen illos propterea religiose adorat? Confer quae dicta sunt superius in formatione status §. 374. 3. Ipse Bellarminus concedit, sanctos patriarchas in limbo adhuc haerentes pro ecclesia in genere rogasse, et tamen negat, eos invocatos fuisse vel etiam invocari debuisse. Sic enim scribit lib. 2. de purgator. cap. 15. §. Et quanquam etc.: *Tempore V. T. orabant sancti defuncti pro vivis.* lib. 1. de beat. sanct. cap. 18. §. 1: *Moyses et Samuel jam mortui poterant et solebant orare pro populo Judaeorum.* Eosdem tamen a viventibus invocatos fuisse negat, sic enim scribit cap. 19. §. 2: *Ante Christi adventum sancti, qui moriebantur, non intrabant in coelum, nec Deum videbant, nec cognoscere poterant ordinarie preces supplicantium, ideo non fuit consuetum in T. V. ut diceretur, Sancte Abraham ora pro me, sed solum orabant homines ejus temporis Deum* etc. Eadem repetit Becanus lib. de invocat. sanct. p. 41: *Non sequitur, sancti in limbo orabant pro viventibus in particu-* XVIII. 193
*lari, ergo viventes poterant eos invocare, quia ad invocationem sanctorum praeter cognitionem personae et particularis ipsius necessitatis requiritur alia quoque cognitio, qua intelligant preces nostras, quas ad ipsos fundimus, ea vero sanctis in V. T. defuit.* 4. Idem Bellarminus animas in purgatorio pro nobis orare concedit, easdem tamen invocandas esse negat. Sic enim disserit lib. 2. de purgat. cap. 15. §. Quod autem etc.: *Non est incredibile, etiam animas purgatorii pro nobis orare et impetrare.* Et postea: *Quanquam Thomas.* 2. 2. q. 83. art. 11. ad. 3. *contrarium docet, tamen ratio ejus non convincit. Nam si animae illae non orant pro nobis, vel causa est, quia non vident Deum, vel quia sunt in maximis tormentis, vel quia sunt nobis inferiores, sed nihil horum dici potest.* §. Praeterea etc.: *Sed*

Argumenta Bellarmini, quibus probat, sanctos pro nobis orare in genere.

*quanquam haec vera sint* (animas in purgatorio pro nobis orare), *tamen superfluum videtur ab eis ordinarie petere, ut pro nobis orent, quia non possunt ordinarie cognoscere, quid agamus in particulari, sed solum in genere sciunt, nos in multis periculis versari, nam nec rebus nostris intersunt, nec orationes nostras in Deo vident, nec est verisimile, eis revelari ordinarie quid agamus vel petamus.* 5. Si sancti defuncti dicantur pro nobis orare eo sensu, quod a Christo, cui praesentes sunt boni, aliquid ecclesiae humiliter petant, quod non ignari calamitatum, quibus ecclesia in hac vita premitur, in genere pro ea interpellent, concedimus, sanctos defunctos pro nobis orare, sed ex tali intercessione non statim inferri potest, religiose eosdem esse adorandos. Sin vero pro nobis dicantur orare eo sensu, quod ut omniscii ac καρδιογνῶσται gemitus cordium omnino omnium audiant, cujusque curas et solicitudines in specie intelligant, quod meritis suis nobis suffragentur iisque robur et pondus precibus nostris addant, quod virtute suae superabundantis justitiae Deum peccatoribus reconcilient etc. negamus, eo modo sanctos pro nobis orare. 6. Si dogma illud, *sanctos in genere pro nobis orare*, proponatur, ut probabilis quaedam sententia ex caritate, quae in sanctis defunctis viget, ex communione ecclesiae militantis ac triumphantis et ex aliis rationibus deducta, non magnopere refragamur, sed ut fidei articulus ex perspicuis et immotis canonicae Scripturae dictis exstructus et omnibus ad salutem creditu necessarius proponatur, non possumus illud absolute et simpliciter concedere. Apol. confess. August. de cult. sanctor: *De sanctis concedimus, quod sicut vivi orant pro ecclesia universa in genere, ita in coelis orent pro ecclesia in genere, tametsi nullum testimonium de mortuis orantibus exstet in Scriptura* [canonica]. Videamus igitur, quomodo Bellarminus thesin suam probet.

Quod sancti pro nobis orent 1. ex Scriptura. 1. Jer. 15. Si steterint Moyses etc.

412. Quod sancti in genere pro nobis orent, probat 1. *ex Scripturis.* 1. Jerem. 15: *Dixit Dominus ad me, si steterint Moyses et Samuel coram me, non est anima ad populum istum. Ergo Moyses et Samuel jam mortui poterant et solebant orare pro populo Judaeorum. Pondera verbum standi*, ait Salmeron. disp. 7. in 1. Timoth. 2. *Quid enim est stare nisi supplices preces fundere et more advocati et intercessoris causam agere?* Respondemus 1. Repetimus, quod praeced. §. monuimus. Si vel maxime ex hoc dicto firmiter demonstratum esset, Moysen et Samuelem jam mortuos in genere pro ecclesia V. T. in terris adhuc militante orasse, nondum tamen evictum foret, illis in specie cujusque pii statum, pressuram, cogitationes, gemitus etc. fuisse cognitos, ac proinde in specie a viventibus eos invocatos et auxilium eorum in specialibus quibuscunque calamitatibus fuisse imploratum, cum juxta
VIII. 194. Pontificiorum hypothesin in V. T. sancti defuncti fuerint in limbo destituti beatifica Dei visione ac proinde etiam speciali rerum, quae in terris geruntur, notitia, cumque nec Abrahamum omnium credentium patrem, proinde nec Moysen nec Samuelem Israëlitae in V. T. invocaverint, ipsomet Bellarmino concedente cap. 19. §. 2. 2. Quod dictum ὑποθετικῶς, non statim accipiendum κατηγορικῶς, quod assertum sub certa conditione, non statim accipiendum absolute, simpliciter et assertive, *conditionalis nihil ponit in esse*, dicunt logici. Apud eundem prophetam dicit Dominus cap. 17, v. 24: *Si audiveritis me, ut non inferatis onera per portas civitatis* etc. neque tamen ex eo inferri potest, quod Judaei illud fecerint. Gal. 1, v. 8. ait apostolus: *Si angelus e coelo evangelizaverit praeter id, quod accepistis, anathema sit*, in quem locum sic commentatur Salmeron.: *Est haec hyperbolica locutio et oratio conditionalis ac vera, quoniam posito impossibili, quod ipse videlicet angelus aliter evangelizasset, absque dubio anathema fuisset. Est autem conditionalis enuntiatio vera, quamvis tam antecedens quam consequens sit impossibile, ut tradunt dialectici.* Ergo non est idem, si starent et certo stant Moyses et Samuel coram me, ut sc. pro populo deprecentur. 3. Verba Jehovae apud prophetam sic habent: *Si steterint Moyses et Samuel* לְפָנַי, *coram facie sive conspectu meo.* Quodsi igitur ex hac conditionali propositione inferri potest, Moysen et Samuelem pro populo Judaeorum orasse, ex eadem inferri poterit, Moysen et Samuelem coram Dei facie in coelis stetisse ac faciem ejus vidisse, quod Bellarminus non concedet, quia collocat eos in limbo, in quo claram et beatificam divinae essentiae visionem locum habuisse negat. 4. Invertimus argumentum: *Si steterint Moyses et Samuel coram me*, inquit Jehovah, אִם יַעֲמֹד, *non* [esset] *anima mea ad populum istum.* Ergo Moyses et Samuel tum temporis non orarunt pro populo. Quorsum enim alias conditionaliter Dominus loqueretur? cur non potius sic informaret suum sermonem, etiamsi Moyses et Samuel coram me stent et orent pro populo, tamen anima mea non est ad ipsum? Excipit Bellarminus: *Etsi forte significetur, eos tunc non orasse, quia intelligebant, rem esse jam desperatam, tamen significatur, eos alias orare consuevisse, quando impetrare posse putabant, alioquin inepta esset haec locutio. Nam si quis diceret, si jumentum meum oraverit pro te, nihil impetrabit, inepte loqueretur.* Respondemus: illud tantum ex eo infertur, quod aliquando steterint et orarint pro populo Israëlitico, videlicet cum in terris adhuc viverent; nulla igitur consequentiae lege infertur, verba Jehovae praesupponunt, Moysen et Samuelem aliquando orasse pro populo, ergo praesupponunt, eos *post mortem* pro populo orasse. 5. De vivorum intercessionibus Spiritus sanctus hanc phrasin explicat, ut patet ex collatione aliorum Scripturae locorum. Exod. 32, v. 10: *Dimitte me, ait Dominus, et excandescet furor meus.* v. 11. et *oravit Moyses* אֶת פְּנֵי, *faciem, Domini Dei sui.* Psalm. 106, v. 23: *Dixit, ut disperderet eos, nisi Moyses electus ejus* עָמַד, *stetisset, in divisione sive ruptura* לְפָנָיו, *coram ipso sive ad facies ejus.* 1. Sam. 12, v. 19:

*Dixerunt omnis populus ad Samuel: Ora pro servis tuis ad Dominum.* v. 23. *Respondet Samuel: Etiam ego absit mihi, ut peccem Domino, ut cessem orare pro vobis.* Eodem modo exponunt pii veteres Chrysostom. in 1. Thessal. 1. homil. 1: *εἰ τοίνυν οὗτος ἦν νῦν καὶ ταῦτα ἔλεγεν, si hic Moyses nunc esset et haec diceret, nihil utique assequeretur. Et Samuel quoque, qui et ipse eos aliquando liberavit* etc. *Itaque si illi jam starent, nihil proficerent.* Gregorius lib. 9. moral. cap. 9: *Quid est in difficultate deprecandi Moysen et Samuelem deducere,*
XVIII. 125. *nisi apertius indicare, quia ejus irae, neque illi, si adstarent, obsisterent, qui idcirco pro amicis intervenire certius possent, quia apud hunc intercedere et pro inimicis solerent?* Glossa interlin. et Thomas itidem ad statum Moysis et Samuelis *in hac vita* referunt. 6. Quidam respondent, sensum hujus loci esse eum, *si nunc starent coram me aliqui insignes viri, quales olim erant Moyses et Samuel, tamen nihil obtinebunt*, cui expositioni opponit Bellarminus Chrysostomum homil. 1. ad Thess. Hieronymum in comm. h. l. et Gregorium lib. 9. moral. cap. 12. qui doceant, *Deum loqui de ipso vero Moyse et Samuele.* Sed nos haud inviti concedimus, de ipso Moyse ac Samuele Deum loqui, ut sit sensus, si vel maxime Moyses ac Samuel, qui iram meam ardentissimis suis precibus aliquoties a populo Israëlitico averterunt, coram me starent ac pro populo deprecarentur (ita namque Hebraea verba אם יַעֲמֹד reddi posse manifestum est), nihil quidquam tamen hoc tempore impetrarent ob desperatam istius populi malitiam ac pertinaciam. 7. Conferimus similem locum propheticum Ezech. 14, v. 14: *Si fuerint viri tres isti in medio ejus, Noah, Daniel et Job, ipsi in justitia sua liberabunt animam suam, dixit Dominus.* v. 16. *Tres viri isti, si fuerint in medio ejus, vivo ego, dicit Dominus, neque filios neque filias suas liberabunt, ipsi soli liberabuntur.* In quem locum sic commentatur Theodoretus: *Nullam veniam consequentur, ne si quidem et Job et Daniel in ipsis inventi fuerint.* Et Sixtus Senensis lib. 8. biblioth. in solut. object. in lib. Daniel. pag. 649: *Loquitur juxta hypothesin, ut Hieronymus exponit, id est si tales tantique fuerint in hac vita peccatrice, non liberabunt filios aut filias.* Eodem modo exponit Pererius in comm. Genes. 6. *Loci Ezechielis*, inquit, *hic est sensus, usque eo sum Judaeis offensus, ut si Noah ceteroquin vir mihi gratissimus, haberet filium in isto populo mihique supplicaret, non essem eum exauditurus.* De viventium igitur precibus, non de mortuorum statu utrobique Scriptura loquitur. 8. Claudius Taurinensis episcopus adversus Theodemirum abbatem in apologia argumentum invertit: *Quid est dicere, si fuerint in medio ejus Noë et Daniel et Job, id est si tantae sanctitatis, tantae justitiae tantique meriti sunt, quanti illi fuerunt, non liberabunt filium* etc. *Haec idcirco, ut nemo merito vel intercessione sanctorum confidat, quia nisi eandem fidem, justitiam, veritatem teneat, quam illi tenuerunt, per quam placuerunt Deo, salvus esse non poterit.* Haec Claudius ille apud Jonam Aurelianensem de cultu imaginum lib. 2. col. 754.

443. 2. 2. Maccab. ult.: *Judas in visione quadam vidit Oniam pontificem et Jeremiam prophetam, qui jam obierant, orantes pro populo Judaeorum.* Respondemus: 1. liber est apocryphus, ut ostendimus superius §. 224. Urgemus confessionem ipsius Gregorii Magni episcopi Romani libr. 19. moralium cap. 13. *De qua re*, inquit, *non inordinate agimus, si ex libris non canonicis, sed tamen ad aedificationem ecclesiae editis testimonium proferamus*, cujus dicti evidentia motus Melchior Canus lib. 2. locorum cap. 10. fatetur, *Gregorium libros Maccabaeorum a canone removisse.* At Gregorius fuit pontifex Romanus. Ergo judicium ejus infallibile. Urget Bellarminus concilium Carthaginense III. in quo libri Maccabaeorum canonicis accensentur, sed respondemus verbis Cajetani in comm. histor. V. T.: *Ne turberis novitie, si alicubi repereris libros illos, Judith, Tobiae, Maccabaeorum etc. inter canonicos supputari vel in sacris conciliis vel in sacris doctoribus. Nam ad Hieronymi limam reducenda sunt tam verba conciliorum quam doctorum, et juxta ejus sententiam libri illi et si qui alii in canone Bibliae similes, non sunt canonici,* XVIII. 1
*id est regulares ad firmanda ea, quae sunt fidei, possunt tamen dici canonici, id est regulares ad aedificationem fidelium, utpote in canone Bibliae ad hoc recepti et auctorisati.* 2. Judas Maccabaeus somnium recitat ac προσωποποιΐαν ejusmodi inducit, ut milites ad pugnam animaret, non autem rem vere gestam enarrat. 3. Quod de *gladio aureo* v. 16. a Jeremia Judae Maccabaeo tradito additur, symbolice, utpote κατ' ὄναρ gestum, est accipiendum, alias inferri posset, sanctos in coelo esse gladiis accinctos. Ergo etiam illud, quod de Oniae et Jeremiae intercessione praecedit. 4. Non exprimitur, quod Onias et Jeremias singulas circumstantias et speciales populi calamitates noverint. 5. Nec Judas Maccabaeus, nec exercitus Oniam vel Jeremiam, sed dominatorem coelorum invocant v. 22. 6. Mysticam hujus somnii interpretationem ejusmodi tradit glossa, quae invocationem sanctorum potius evertit. *Si quis quaesierit*, inquit, *utrum haec visio ad mysterium aliquod referri possit, hoc ni fallor, in ea sentire potest, quod Onias sacerdos sacerdotalem significat ordinem et Jeremias propheta, qui interpretatur excelsus Domini, ipsum Dominum et caput exprimat prophetarum, de quo Moyses dicit: Prophetam suscitabit vobis Dominus, de quo Johannes apostolus in epistola sua: Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum* etc.

2. 2. M ult. Oni et Jere as orent pro pop

444. 3. Apoc. 5. *Viginti quatuor seniores in coelo coram throno Dei procidentes habent phialas aureas plenas odoramentorum, quae sunt orationes sanctorum, i. e. intercessiones pro infirmorum stabilitate.* Eundem locum urget Becanus de inv. sanct. p. 54. Respondemus: 1. Sanctos cum Christo triumphantes in genere pro ecclesia orare ex hoc

3. Apoc. 5. viginti quatuor seniores habent phialas.

loco apocalyptico probabiliter colligi posse non inficiamur, sed ex eo nondum inferri potest, speciatim ac sigillatim eos pro nobis orare, cum speciali omnium rerum notitia et καρδιογνωσίᾳ destituantur, multo minus hinc inferri potest, eos esse religiose invocandos. 2. Irenaeus lib. 4. adv. haeres. cap. 33. pag. 262. et eum secutus Blasius de Viegas Pontificius scriptor in comm. hujus loci accipiunt de ecclesia militante. *Ex omnibus*, inquit Viegas, *expositionibus illa est germanior, per phialas corda sanctorum intelligere; per aureas corda caritate fulgentia; per odoramenta orationes sanctorum, quae sunt eo ferventiores, quo illi magis laboribus premuntur et in ignem tribulationis tanquam aromata injiciuntur, aut si mavis, quo ipsi magis sese per carnis macerationem et afflictionem premunt, per quam ita pravae animi appetitiones tunduntur, ut in sensum minimum seu tenuissimum pulverem redigantur. Quia enim fervor ex mortificatione oritur, a qua nunquam cessandum est propter continuam carnis rebellionem, id enim significat, nunquam in altari thymiamatis defuisse ignem, quare qui orationi vacat, non mortificationi incumbens perinde facit, ac si sine igne aromata velit accendere.* In eandem sententiam abeunt Augustinus, Beda, Primasius. Neque potest huic interpretationi obverti, quod sancti illi *in coelo* visi sunt, ac proinde mortui sancti sint intelligendi. Nam in visionibus apocalypticis nomine coeli saepius intelligitur ecclesia in his terris militans, Apoc. 12, v. 7. etc. Salmeron. tom. 15. disp. 7. in 1. Tim. 2. pag. 458. alternative loquitur: *Vel isti sancti sunt beati, et sic habemus, quod pro nobis orant; vel sunt viatores, quia sancti jam beati a sanctitate excidere nequeunt et pro se ipsis orare non indigent, et sic beati, h. e. seniores eas Deo praesentant.* Per *odoramenta* non intelliguntur orationes sanctorum in hac vita degentium, sed ipsorummet beatorum cum Christo regnantium. Ut enim per citharas intelliguntur laudes et gratiarum
XVIII. 197. actiones, quas ipsi Deo offerunt; ita per odoramenta preces, quas ipsi pro ecclesia militante fundunt, accipiendae. 4. Orationes illae sanctorum non sunt ἱλαστικαί, *propitiatoriae ac satisfactoriae*, quasi virtute meriti sui pro aliis per eas interpellent, sed εὐχαριστικαί, sic enim describuntur v. 9: *Canunt canticum novum dicentes, dignus es accipere librum et signacula ejus, quoniam occisus es et redemisti nos Deo per sanguinem tuum ex omni tribu et lingua et populo et natione.* v. 10. *Et fecisti nos Deo nostro reges et sacerdotes, et regnabimus super terram.* Istae ergo προσευχαὶ nihil aliud sunt quam cultus ille glorificationis, quo sancti Deum in vita aeterna venerantur eique pro se et tota ecclesia gratias agunt. 5. Sancti h. l. unicum Christi meritum tanquam salutis suae causam extollunt, *redemisti nos*, inquiunt, *Deo per sanguinem tuum.* Nolunt igitur, ut ipsorum meritis coram Dei judicio nitamur, sed unice et in solidum merito Christi.

445. 4. 2. Petr. 1: *Dabo autem operam et frequenter habere vos, nimirum commendatos sive in animo, post obitum meum, ut horum memoriam faciatis, unde aliqui veteres non inepte colligebant, sanctos post obitum gerere curam viventium.* Respondemus: 1. Bellarminus ipse fatetur, hoc argumentum non esse evidens, sed tantum *probabile.* 2. Quibus verbis contradicit Costero in ench. cap. 14. Suarezio tom. 2. in Thom. q. 37. disp. 23. sect. 2. Salmeronio disp. 21. in 1. Cor. 13. Cottono l. 1. inst. cap. 15. qui egregiam invocationis sanctorum probationem in his Petri verbis latitare arbitrantur. 3. Nos nec egregium, nec probabile argumentum illis inesse dicimus. Neque enim apostolus de se promittit, quod in precibus suis eorum post mortem meminisse velit, sed quod his ipsis epistolis operam dare velit, ut fideles post mortem etiam eorum memoriam retineant, quae ex ipso, dum in vivis adhuc erat, audiverant. Introducit igitur Bellarminus sine causa enallagen personarum. Petrus loquitur de memoria sanctorum fidelium, ad quos scribit; ipse vero de Petri recordatione hoc exponit, committit etiam fallaciam compositionis et divisionis dividendo ea, quae in textu apostolico sunt conjuncta. Ex verbo enim ἔχειν dependent sequentia, μνήμην ποιεῖσθαι, ut sit sensus, *operam dabo, ut habeatis, cujus post obitum meum recordemini.* 4. Eo modo exponit Oecumenius in comm. *Nonnulli*, inquit, *per hyperbaton intelligunt hoc modo, dabo autem operam et post meum exitum vos habere semper, sive in dies et continue horum memoriam, volentes ex hoc ostendere, quod etiam post mortem sancti eorum meminerint, quae hic pro viventibus perfecerunt. Alii vero simpliciter tractantes illud dictum ita intelligunt, dabo operam et semper habere vos post meum exitum, ut horum mentio fiat, hoc est ne miremini neque gravem ducatis assiduam de his fieri vobis mentionem. Non enim condemnans ruditatem vestram hoc facio, sed per continuam de his doctrinam perseverans et immobile vobis exhibeo horum subsidium, ut his confirmati habeatis etiam post meum obitum vivam ac indelebilem horum doctrinam;* ubi quilibet videt, posteriorem interpretationem ut simpliciorem priori per hyperbaton figuratae anteferri. Glossa ordinaria ib.: *Dum vivo, dabo operam, ut vos frequenter, sc. quoties instabunt pseudoprophetae et volent vos abstrahere, habeatis haec in memoria post obitum meum.* Thomas Aquinas, Lyranus, Hugo Cardinalis, Dionysius Carthusianus in comm.: *Dabo operam, nimirum interim dum vivo, vos commonendo non solum semel, sed etiam frequenter habere horum memoriam.* Cajetanus eod. mod.: *Dabo operam, i. e. ordinabo dum sum in via, ut hos habeatis post mortem meam libros, qui* XVIII. 198.
*vobis haec in memoriam revocent, ut horum memoriam habeatis, i. e. doctrinam memoratam impleatis.* Emanuel Saa Jesuita in h. l.: *Dabo operam, quasi dicat, ut post obitum meum possitis horum frequenter meminisse.* Estius scriptor Pontificius, pro-

4. 2. Pet. 1. Dabo operam frequenter vos habere memoriam.

fessor Duacenis in comm. h. l. pag. 784: *Versio clarior esset hoc modo, ceterum dabo operam, etiam identidem posse vos post meum obitum horum mentionem facere, i. e. quin et curam atque operam adhibebo, ut post meum decessum omni tempore possitis horum, de quibus nunc scribo, memoriam vobis renovare. Id autem fecit relinquendo illis monumentum suarum epistolarum, quibus saepe relectis futurum esset, ut praeceptorum ac monitorum ejus nunquam obliviscerentur.* Quinimo diserte refellit interpretationem illam, qua ad intercessionem sanctorum defunctorum hic locus refertur. *Certe*, inquit, *non congruebat, ut diceret, dabo operam, curabo, σπουδάσω, cum illud sancti faciant absque cura et solicitudine.* 5. Quae expositio nostra Graeco textui vel maxime congruit, qui sic habet: *Σπουδάσω δὲ καὶ ἑκάστοτε* (vulg. reddidit *frequenter*, Lutherus *ubique*, potest etiam reddi *omni tempore*) *ἔχειν ὑμᾶς μετὰ τὴν ἔξοδον ἐμὴν τὴν τούτων μνήμην ποιεῖσθαι*, ubi *τὸ ἔχειν* Graecorum more usurpatur pro posse. *Operam dabo frequentibus meis adhortationibus et scriptionibus, ut vos excitem, ut memoriam harum mearum admonitionum et doctrinae evangelicae etiam post meum ex hac vita discessum retineatis.* Nec dicit Petrus *μετὰ τὴν ἐμὴν ἔξοδον σπουδάσω*, sed *σπουδάσω δὲ ἑκάστοτε ἔχειν ὑμᾶς μετὰ τὴν ἐμὴν ἔξοδον.* 6. Eadem accommodata est ad apostoli scopum, v. 12. inquit. *οὐκ ἀμελήσω, non negligam vos semper commonefacere de his etiam scientes et confirmatos in praesenti veritate* (quomodo scil. electionem et vocationem vestram debeatis firmam facere v. 10.), postea subjicit v. 13. *justum autem arbitror, quamdiu sum in hoc tabernaculo* (mei corporis), *suscitare vos in commonefactione*, v. 15. *Dabo autem operam, habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis*, scripta scil. mea vobis relinquendo et fideles doctores constituendo. v. 16. *non enim doctas fabulas secuti sumus* etc. Hic quilibet videt, genuinum apostoli scopum et sensum esse, quod exponere velit, quid in vivis adhuc exsistens facere velit, ut fideles eorum, quae ab ipso didicerant, perpetuam memoriam etiam post mortem suam retinere possint, non autem quid ipse post mortem suam facere velit. 7. Defuncti sancti in speculo divinae essentiae omnia uno ac simplici intuitu videre a Pontificiis creduntur, quomodo igitur proprie et accurate loquendo *memoria* sive *recordatio* illis tribui potest?

**5. Luc. 16. Dives epulo.**

446. 5. Luc. 16. *Dives epulo orat pro fratribus suis, ergo multo magis orant justi pro tota ecclesia.* Respondemus: 1. orat dives epulo, sed non exauditur. Quodsi ergo constare debet comparatio, consequens fuerit, etiam sanctos defunctos non exaudiri. 2. Invocat dives epulo Abrahamum ut *opitulatorem*, non ut intercessorem. Jam vero ex hypothesi Bellarmini cap. 19. sancti invocandi sunt tantum ut intercessores, non ut opitulatores. 3. Damnati cum sciant, a Deo sese prorsus abjectos, Deum fugiunt, ipsi irascuntur et blasphemant, ac ubivis potius quam apud Deum solatium et auxilium quaerunt, ab ipsis igitur formam verae et Deo gratae invocationis discere non possumus nec debemus. 4. Epulo intercedit pro fratribus suis apud Abrahamum; at hic quaestio est de intercessione sanctorum apud Deum. 5. Augustinus lib. de cura pro mortuis cap. 14. dicit, *epuloni ita fuisse curam de vivis, quamvis quid agerent omnino nesciret, quemadmodum est nobis cura de mortuis, quamvis* **XVIII. 19** *quid agant omnino nesciamus.* Ergo non fuit in specie et sigillatim gnarus eorum, quae fratres in terris agebant. 6. De tali interpellatione hic quaeritur, quae sit religiosae adorationis fundamentum, eo enim Bellarminus hanc suam disputationem revocat, quod *sanctos defunctos religiose colere et invocare possimus, quia pro nobis orent.* Quodsi ejusmodi interpellationem ex divitis epulonis exemplo probare velit, agnoscat, etiam divitem epulonem invocari posse. 7. Pontificii nondum inter se consentiunt, an haec Christi concio sit historia, an vero parabola. Confer §. 177. Si parabola est, non poterit evidens argumentum pro intercessione sanctorum suppeditare; sin historia, non tamen ex ea inferri potest, quod Bellarminus intendit, agitur enim de intercessione *sanctorum.* Ergo demonstrandum foret, Abrahamum vel Lazarum pro viventibus intercessisse. 8. Argumentum ab analogia petitum verisimilem duntaxat probationem, non autem apodicticam demonstrationem exhibet. Concedimus, verisimile esse, quod sancti in genere pro nobis orent.

**6. Apoc. 6. animae sub altari petunt vindictam.**

447. 6. Apoc. 6. *Animae sanctorum martyrum magno clamore petunt vindictam de interfectoribus suis. Ergo multo magis misericordiam petunt fratribus suis.* Respondemus: 1. animae illae non pro aliis, sed pro se orant et juxta quorundam interpretationem stolam secundam (uti vocant) glorificationis sc. corporum petunt, judicium extremum tandem adventare desiderando, ut ecclesiae hostes aeternis poenis subjiciantur, ipsae vero glorificatis corporibus restituantur. Gregorius lib. 2. moral. cap. 6: *Magnus animarum clamor magnum est desiderium tum resurrectionis, tum judicii; tanto enim quisque minus clamat, quanto minus desiderat, et tanto majorem vocem exprimit, quanto se in rei desiderium plenius fundit.* 2. Quod statum ecclesiae militantis *καθ' ἕκαστον* et in specie ignoraverint, apparet ex seqq. verbis, ubi *illis dicitur, ut exiguum tempus quiescant, donec compleatur numerus conservorum et fratrum*, quos eadem in hoc mundo fortuna maneat, videl. ut ipsi quoque ob evangelii confessionem interficiantur, quodsi jam ante scivissent, non fuisset opus eis indicari. 3. Clamorem martyrum non tantum patres, sed etiam quidam ex ipsis Pontificiis metaphorice exponunt. Ex patribus producimus Augustinum in quaest. ex V. et N. T. q. 68: *Sic animae occisorum clamant, vendicari se postulantes, sicut sanguis Abel clamavit de terra. Causae ergo sunt, quae clamare dicuntur, cum loqui non possint. Sanguis enim effusus quid aliud quam judicari se postulat, clamans non*

*voce, sed ratione? Nam et opus opificem laudare dicitur per hoc ipsum, quod videntem se oblectat. Non enim tam impatientes sunt sancti, ut urgeant, jam fieri, quod sciunt tempore praefinito futurum, quod nec anticipari potest, nec differri. Sed hoc dicto ostendere voluit, vendicaturum Deum sanguinem sanctorum suorum, ne quia tam patiens nunc videtur, inultum putaretur impium bellum, quod contra sanctos geritur, ut et terrorem incutiat persequentibus Dei servos et exhortaretur pro se patientes.* Ex Pontificiis producimus Riberam in comm. h. l. *Quaeritur* (inquit), *quomodo mortui vindictam petunt de interfectoribus suis, quos vivi ut proximos suos amabant? absit autem ut sancti sint in vita feliciori crudeles. Quaestio facile solvitur, si dicamus, corpora eorum conspersa cruore ultionem de interfectoribus suis petere, quemadmodum Gen. 4. sanguis Abel dicitur clamare ad Deum contra Cain interfectorem;* et Blasium de Viegas in comm. h. l. pag. 303: *Martyrum sanguis*
XVIII. 200. *ad coelum clamat. Nec vero te moveat, quod non corpora, sed animae sub altari apparuerint, etenim h. l. animae pro sanctis ipsis ponuntur, quemadmodum et saepe alias in Scripturis pro hominibus usurpantur,* Gen. 46. *unde per altare intelligit loca, ubi corpora martyrum sepulta jacent.* Atqui si metaphoricus clamor interfectorum corporum intelligitur, non poterit proprie dicta sanctorum intercessio ex h. l. stabiliri. 4. Si textum ipsum accuratius expendamus, introducuntur hic martyres, quatenus adhuc in terris militant et hostium saevitiam experiuntur, nondum ad beatitudinis statum evecti. Nam animae eorum videntur *sub altari*, non supra altare, quod Bernhardus serm. 4. in fest. omnium Sanct. ἀλληγορικῶς sic exponit, *quod beatifica Dei visione nondum fuerint glorificati.* Deinde tribuitur illis clamor. Jam vero constat ex Scripturis, *clamorem* plerunque tribui membris ecclesiae militanis, *cantum* vero laetitiae signum ecclesiae triumphanti. Adde quod petant vindictam sanguinis sui, quod Augustinus serm. 39. de temp. exponit de eversione regni peccati. *Quis*, inquit, *audeat affirmare, cum illi sancti candidati se vendicare petierint, contra ipsos homines, non contra regnum peccati petiisse? nam ipsa est sincera et plena justitiae vindicta martyrum, ut evertatur regnum peccati, quo regnante tanta perpessi sunt, ad cujus etiam eversionem nititur apostolus dicens* Rom. 6: *Non ergo regnet peccatum in mortali vestro corpore.* Denique dicuntur singulis datae stolae albae, quas plerique interpretes de beatitudine et gloria animarum separatarum exponunt. *Communis expositio est*, ait Viegas d. l. *intelligendam esse glorificationem animae, quae sanctis ante resurrectionem corporum tribuitur.* At si glorificationem illam animae acceperunt demum post istum clamorem, ergo quo tempore clamaverunt, nondum fuere in statu illo beatitudinis et gloriae. 5. Brentius respondet, *esse in hac visione prosopopoeiam, cujus sensus ac scopus sit ostendere, quod sanctorum martyrum preces, quas viventes fuderunt, adhuc in auribus Dei resonent, non aliter ac si hoc ipso momento eas funderent.* Bellarminus huic expositioni opponit, *quod sancti martyres dum viverent, non petierint a Deo vindictam.* Sed ostendit hac ratione, in Scripturis se esse valde hospitem, cum plurima in illis exempla sanctorum vindictam de persecutoribus etiam in hac vita petentium occurrant, utpote Davidis Psalm. 28, v. 4. 5. Psalm. 59, v. 6. etc. Jerem. 17, v. 18. Oseae 9, v. 14. imo ipsius Christi Psalm. 69, v. 23. etc. 6. Fatetur ipse Bellarminus, *ex solo sensu literali firma et efficacia argumenta peti ac fidei dogmata non posse ex mysticis sensibus efficaciter probari,* libr. 3. de verb. Dei cap. 3. jam vero in adducto loco recitatur visio quaedam mystica.

418. 2. *Scripturae aperte docent communionem ecclesiae triumphantis cum militante.* Hebr. 12: *Accessistis ad ecclesiam primitivorum, qui in coelis sunt i. e. estis illorum cives.* Eph. 2. Galat. 4: *Mater nostra est Jerusalem, quae est in coelis.* Col. 1. Eph. 4: *Christus est caput super omnem ecclesiam. At communio ista exigit necessario, ut membra pro se invicem sint solicita et invicem se juvent, haec enim est natura membrorum sub uno capite viventium* Rom. 12. 1. Cor. 12. Respondemus: communionem ecclesiae militantis cum triumphante concedimus, nec refragamur, quominus quis probabiliter ex ea colligat, sanctos defunctos *in genere* pro membris ecclesiae militantis orare, sed argumentum hoc apodicticum esse negamus, multo magis invocationem sanctorum defunctorum ex hac communione elici posse negamus. Nam 1. sancti defuncti in V. T. retinuerunt communionem cum sanctis viventibus, neque tamen illos pro his orasse ex evidentibus Scripturae dictis XVIII. 201.
demonstrari potest, tum quia defuncti illi juxta adversariorum hypothesin fuerunt in limbo, clara et beatifica Dei visione destituti, tum quia viventes non compellarunt defunctos, ut hoc officium ipsis praestarent, nam ut Bellarminus cap. seq. scribit, *non fuit consuetum in V. T. ut diceretur, sancte Abraham ora pro me. 2. Communio illa*, ait Bellarminus, *necessario exigit, ut membra pro se invicem sint solicita;* ergo ut beati in coelo soliciti sunt de nobis et salutem nostram seriis precibus promovent, ita quoque nos deberemus esse soliciti de ipsis et eorum salutem promovere. Sed hoc posterius repugnat ipsorum statui ac beatitudini, quod enim jam ante a Deo perceperunt, nec amittere ulla ratione possunt, illud ut vel acquirant, vel conservent, frustra a Deo petitur. Ergo etiam prius ex illa communione non potest firmiter deduci. Si ad membra ecclesiae in purgatorio laborantis confugere velint, principium manifeste petunt. 3. Prophetae, apostoli et sancti, quorum historiae in V. ac N. T. annotatae exstant, habuerunt communionem cum ecclesia triumphante. At nuspiam leguntur vel pro defunctis in purgatorio sudantibus orasse, vel defunctos in coelo regnantes

2. ex communione ecclesiae militantis et triumphantis.

precibus suis compellasse, quod multi ex ipsis Pontificiis concedunt. 4. Communio illa intercedit non solum ecclesiae militanti cum triumphante, sed etiam omnibus ecclesiae in his terris militantis membris. Jam vero ex communione, quam ecclesiae militantis membra invicem colunt, non potest deduci talis intercessio, quae sit religiosae invocationis fundamentum, alias viventes sancti religiose invocare deberent sanctos alios adhuc in terris viventes. Ergo etiam ex communione ecclesiae triumphantis cum militante non potest deduci talis intercessio, quae sit religiosae adorationis fundamentum. 5. Communio illa non tantum intercedit ecclesiae militanti cum triumphante, sed etiam cum laborante in purgatorio, si Bellarmino fides est habenda. Jam vero propter illam communionem non possumus in precibus compellare animas in purgatorio laborantes docente eodem lib. 2. de purgator. cap. 15. Ergo propter illam communionem itidem non possumus in precibus compellare sanctos cum Christo triumphantes in coelo. 6. Communionem illam ecclesiae triumphantis et militantis apostoli diligenter explicant, sed nuspiam addunt, quod sancti in coelis virtute suorum meritorum pro viventibus orent, vel quod viventes religiose eos invocare debeant. 7. *Articulus de communione sanctorum loquitur tantum de externa et visibili ecclesia, de invisibili nullo modo*, scribit Tannerus part. 2. anat. August. confess. pag. 122. Jam vero sancti defuncti pertinent ad invisibilem ecclesiam in coelo triumphantem. Ergo juxta Tanneri hypothesin communio sanctorum ad eam referri nequit.

Quod sancti orent in particulari pro viventibus. 1. Angeli pro nobis curam gerunt in specie. Ergo et sancti.

449. Quod sancti, qui regnant cum Christo, pro nobis orent *non solum in genere, sed etiam in particulari*, Bellarminus conatur seqq. fundamentis probare, 1. *ex comparatis. Angeli orant pro nobis et curam nostri gerunt etiam in speciali*, Tob. 12. Zachar. 1. Apocal. 8. Dan. 10. Psalm. 90. Matth. 18. *Ergo multo magis id spriritus hominum beatorum faciunt. Nam inprimis nihil eis deest eorum, quae angeli habent, quantum ad hoc munus pertinet, cum sint praediti intelligentia et voluntate et adsint semper Deo et nos vehementer diligant ac demum sint aequales angelis* Luc. 20. *Deinde ali-*
XVIII. 202. *quid habent prae angelis, quod sunt membra corporis ecclesiae nobis magis conjuncta, quam sint angeli, et experti sint miserias et pericula nostra, quae angeli non sunt experti.* Respondemus: 1. Si vel maxime concedatur, et angelos et defunctos non solum in genere, sed etiam quandoque in particulari pro nobis orare, nondum tamen ex eo sequetur, vel angelos, vel sanctos propterea religiose invocandos esse, nam *sancti viventes* non solum in genere, sed etiam in particulari pro nobis orant, neque tamen propterea religiose a nobis invocantur. 2. Nec angeli, nec sancti sunt omniscii, *χαρδιογνῶσται*, omnipraesentes etc. Ergo non noverunt omnes cordium nostrorum angustias ac gemitus, et per consequens non potest firmiter statui, quod in quavis angustia et calamitate in particulari pro nobis orent. 3. Angelorum et sanctorum defunctorum est dispar ratio. Quod enim angeli membrorum ecclesiae curam gerunt, illud pendet ex Dei ordinatione, siquidem is voluit, ipsos esse *spiritus administratorios inservientes illis, qui salutem hereditaturi sunt* Hebr. 1, v. 14. Sed tale officium defunctis sanctis commissum esse, ex Scripturis probari nequit. 4. Dicta Scripturae a Bellarmino allata non sunt ejusdem generis. Quaedam enim non de creatis angelis, sed de ipso Dei Filio angelorum omnium domino agunt, ut Zachar. 1. Apoc. 8. Ergo ad angelorum intercessionem eadem praepostere applicantur.

2. a spiritibus beatorum hominum reguntur fideles viventes.

450. *2. Ex muniis sanctorum. Non solum ab angelis, sed etiam a spiritibus beatorum hominum reguntur et gubernantur fideles viventes. Apoc. 2: Qui vicerit, dabo illi potestatem super gentes et regit eas virga ferrea. cap. 3: Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo.* Matth. 24: *Beatus ille servus, quem cum venerit Dominus, invenerit sic facientem, super omnia bona constituet eum.* Respondemus: quid de illa sanctorum praefectura statuendum sit, expositum fuit superius quaestione 5. ubi etiam de allatis in medium Scripturae dictis late disseruimus. *3. Ex dictis patrum.* Respondemus: quaedam loquuntur de intercessione vivorum nobiscum in terris adhuc conversantium; qui de mortuorum intercessione loquuntur, illam proponunt non ut necessarium fidei articulum, sed ut probabilem sententiam, unde dubitanter de ea loquuntur. Origenes hom. 3. in Cant.: *Sancti si dicantur juvare nos precibus suis atque interventu suo apud Dominum, non erit inconveniens.* in cap. 13. Jos. hom. 16: *Ego sic arbitror, quod omnes illi, qui dormierunt ante nos patres, pugnent nobiscum et adjuvent nos orationibus suis.* in epist. Rom. lib. 2: *Si extra corpus positi vel sancti, qui cum Christo sunt, agunt aliquid et laborant pro nobis ad similitudinem angelorum, qui salutis nostrae ministeria procurant* etc. *habeatur hoc inter occulta Dei nec chartulae committenda mysteria.* Gregorius Nazianz. in fine orat. in Gorgon. soror. suam.: *Si tibi aliqua nostri sermonis est ratio et hoc sanctis animis a Deo munus, ut talia resciscant, suscipe nostrorum sermonem.* orat. in Basil.: *Nunc in coelis pro nobis, ut arbitror, offert sacrificia.* idem cum in epitaph. parentis dixisset: *Nunc precibus magis proficit quam antea doctrina, quanto jam Deo est propinquior, dignus effectus angelico ordine et parrhesia*, addit: *Ut ego mihi persuadeo* etc. Item: *Si non audax et temerarium est hoc dicere, εἰ μὴ τολμηρὸν τοῦτο εἰπεῖν*, orat. 1. in Julian.: *Audi Constantini anima, εἴ τις αἴσθησις.* Ambrosius de obitu fratris: *Si nunc urgeri Italiam tam propinquo hoste cognosceres, quantum ingemisceres.* Augustinus in lib. de XVIII. 2
cura pro mortuis cap. 16: *Quanquam ista quaestio vires meae intelligentiae vincat, quemadmodum opitulentur martyres iis, quos per eos certum est adjuvari, utrum ipsi per se ipsos adsint uno tem-*

*pore tam diversis locis, tanta inter se longinquitate discretis; an ipsis in loco suis meritis congruo ab omni mortalium conversatione remoto et tamen generaliter orantibus pro indigentia supplicantium, sicut nos oramus pro mortuis, quibus utique non praesentamur. qui est ubique praesens exaudiens martyrum preces per angelica ministeria ubique diffusa, praebeat hominibus ista solatia. Res haec altior est, quam ut a me possit attingi, et abstrusior est, quam ut a me valeat perscrutari.* 4. *Ex apparitionibus sanctorum, qui aperte testati sunt, se orare pro nobis etiam in particulari.* Respondemus: ex visionibus et apparitionibus non possunt probari articuli fidei, sed ex claris et perspicuis Scripturae dictis. Primus qui harum revelationum meminit, est Eusebius ex aliorum relatione de Potamiaena martyre scribens lib. 6. hist. eccl. cap. 4: *Fertur Basilides narrasse, quomodo Potamiaena triduo post martyrium noctu sibi adstiterit, coronam capiti suo imposuerit ac dixerit, interpellasse se pro ipso Dominum ac petita impetrasse* etc. Atqui haec sunt Bellarmini argumenta omnia, quibus probare nititur, sanctos non solum in genere, sed etiam in particulari pro nobis orare, quodsi vel maxime concederemus, nondum tamen evictum foret, sanctos defunctos religiose a nobis esse invocandos. Tandem igitur acropolin controversiae Bellarminus aggreditur et

**Angelos pie atque utiliter invocari. 1. Gen. 48. Angelus, qui eruit me.**

451. cap. 19. probare conatur, *sanctos, sive angelos, sive homines pie atque utiliter a viventibus invocari.* Pro invocatione angelorum stabilienda profert 1. *benedictionem patriarchae Jacobi Genes. 48: Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis. Hic*, inquit, *aperte S. Jacob angelum invocavit.* Respondemus: Non intelligitur creatus aliquis angelus, sed ipse Dei Filius, quod probamus 1. ex *praefixi notificativi adjectione.* Jacob patriarcha non simpliciter dicit, *angelus benedicat pueris istis*, sed magna cum emphasi ה hajediah sive notificativum adjicit, הַמַּלְאָךְ *ille angelus*, i. e. ille angelorum omnium princeps ac dominus. Ille sc. angelus, qui praecepit, ut a facie Labanis in regionem patrum meorum reverterer Gen. 31, v. 13. qui mecum in forma viri luctatus est cap. 32, v. 24. qui benedicat pueris istis. Jam vero is non fuit creatus aliquis angelus, sed incarnatus et aeternus, quod constat tum *ex nomine*, vocatur enim הָאֵל, Deus ille fortis, quod est nomen solius Dei proprium Gen. 31, v. 13. cap. 32, v. 28. 30. et 31. tum *ex opere*, quia angelus ille revocat patriarcham ex Mesopotamia in regionem patrum suorum Gen. 31, v. 13. id quod ipse Jehova se facturum promittit Gen. 28, v. 15. idem angelus salutem animae Jacobo confert, quam ex conspectu creati angeli patriarcha obtinere non potuisset, Gen. 48. v. 16. tum denique *ex cultu*, quia Jacobus huic angelo votum fecit, Gen. 31, v. 13. jam vero non licet ulli creaturae vovere, sed hic cultus est solius Dei proprius. Ac ipsa textus evidentia manifestum facit, patriarcham non creato alicui angelo, sed ipsi Deo votum fecisse. Gen. 28, v. 13. 16. 20. 21. ab eodem etiam angelo petit benedictionem sibi obtingere, quam αὐτοκρατορικῶς et auctoritative conferre soli Deo competit. Lucta illa Jacobi cum angelo sive Dei Filio erat partim corporalis, partim et quidem maxime spiritualis. Corporalis quidem, quia conabatur Dei Filium manuum attactu retinere; spiritualis vero, quia timebat sibi ab Esavo, ideoque tam solicite petebat defensionem ac libe- XVIII. 204.
rationem. *Deus patris mei Abraham, Deus patris mei Isaac, Domine qui dixisti mihi, revertere in terram tuam, erue me de manu fratris mei Esavi.* Ex quibus omnibus intelligitur, angelum illum, a quo Jacobus nepotibus suis benedictionem precatur, non esse creatum aliquem angelum, sed ipsum Dei Filium. 2. *Ab angeli hujus descriptione et operis divini attributione.* Ab illo angelo Jacobus benedictionem suis precatur nepotibus, qui ipsum מִכָּל־רָע, *ab omni malo, liberaverat.* At hoc beneficium ipse Dei Filius Jacobo se praestiturum fuerat pollicitus Gen. 28, v. 15: *Custodiam te, quocunque ibis, et redire te faciam ad terram hanc, quia non derelinquam te, donec fecero universa, quae dixi tibi*, quae esse verba hujus ipsius angeli, a quo Jacobus ab omni malo se esse liberatum profitetur, patet ex Gen. 31, v. 11: *Angelus Dei dixit ad me* v. 13. *ego Deus Bethel, cui votum fecisti*, ac liberationem ab omni malo esse solius Dei proprium opus constat ex Sap. 16, v. 8: σὺ εἶ ὁ ῥυόμενος ἐκ παντὸς κακοῦ. Adde quod liberatio ab omni malo complectitur etiam liberationem a peccato, quod est malum omnium maximum, a quo reliqua mala oriuntur. Jam vero liberare a peccatis est solius Dei proprium. Urgemus etiam verbum גאל, quod de hoc angelo patriarcha usurpat. Illud vero in propria significatione Filio Dei tribuitur, cum talem redemtorem significet, qui carnis propinquitate illi, quem redimere cupit, sit conjunctus, ut constat ex Levit. 25. unde solenne est in Scripturis hoc verbum tribui Filio Dei, qui est *caro de carne nostra et os ex ossibus nostris* Ephes. 5, v. 30. quippe qui in temporis plenitudine homo factus est et carnem nostram assumsit, ut tanquam propinquus et consanguineus noster proximus nos sub peccatum venundatos et in potestatem Satanae redactos jure propinquitatis pretio sanguinis sui redimeret ac in regnum et peculium suum nos vendicaret. Vide Exod. 3, v. 8. cap. 23, v. 20. Job. 19, v. 25. Psalm. 72, v. 14. Esa. 63, v. 9. Ose. 13, v. 14. et confer Forsterum in Lexic. in verbo גאל. 3. *Ex cultus divini exhibitione.* Jacobus enim eadem ab hoc angelo petit, quae a Deo petierat, ac aequali omnino honore cum vero Johovah ipsum dignatur, cum in benedictionis opere eum cum vero Deo conjungat. Ergo non fuit creatus aliquis angelus, quia non licet λατρεύειν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα Rom. 1, v. 25. aut gloriam soli Deo debitam ad ullam creaturam, etiam angelicam transferre Esa. 42, v. 8. Jacobus ab hoc angelo petit benedictionem suis nepotibus. Jam vero ut a solo Deo omnis be-

nedictio descendit, ita quoque ab ipso unice petenda. Confer disp. de ε᾽λογίᾳ Mosaica num. 6. Addimus et hoc. Si Jacob allocutus fuisset Deum et angelum creatum, dicendum ipsi fuisset in plurali, Deus patrum meorum et angelus, qui eripuit me ab omnibus malis, *benedicant pueris istis.* Jam vero non plurali, sed in singulari ad unam indivisam benedicendi actionem et essentiae unitatem denotandam dicit, *benedicat pueris.* *4. Ex aliorum Scripturae locorum collatione.* Usitatum est in Scripturis, nomen angeli tribui Filio Dei (quod quibus in locis fiat, ex nominum, attributorum operum et cultuum vere divinorum attributione angelo facta colligi potest) Gen. 16, v. 7. cap. 22, v. 11. Exod. 3, v. 2. cap. 14, v. 19. cap. 23, v. 20. Jud. 13, v. 3. Esa. 63, v. 9. Os. 12, v. 3. Zach. 1, v. 9. Mal. 3, v. 1. Apoc. 8, v. 3. etc. qui vocatur angelus, quia fuit legatus Patris coelestis in carnem mittendus et ante incarnationem velut praeludio quodam mediatoris officio in V. T. functus est. Cumprimis huc refero collationem Exod. 3, v. 2. et Deut. 33, v. 16. ubi Moyses precatur, benedictionem tribui Joseph ab angelo, qui ipsi in rubo apparu-
XVIII. 205. erat, perinde ut Jacobus nepotibus suis h. l. precatur benedictionem ab angelo, qui ab omni malo ipsum redemerat. Jam vero angelus ille, qui Moysi in rubo apparuit, fuit ipse Dei Filius, quod in praelectionibus de Trinitatis mysterio confirmavimus *ex appellatione*, vocatur enim Jehovah; *ex apparentis descriptione*, vocat enim se Deum Abrahae, Deum Isaaci et Deum Jacobi, dicit, se audivisse clamorem Israëlitarum, Israëlitas vocat suum populum, promittit eductionem ex Aegypto et introductionem in terram Canaan, mittit Moysen ad Pharaonem, pollicetur, post eductionem in illo ipso monte sibi exhibendum esse divinum cultum sacrificii; *ex parallelorum locorum collatione* Exod. 23, v. 20. Deut. 33, v. 16. *ex majestatica apparitione*, *ex patrum et rabinorum explicatione etc.* *5. ex patrum testificatione.* Tertullianus vel Novatianus lib. de Trinit. cap. 27. pag. 645: *Non cessat Scriptura angelum illum* (qui cum Jacobo luctatus fuerat) *Deum dicere, Deum angelum pronuntiare. Nam cum Manassen atque Ephrem filios Joseph benedicturus esset, hic ipse Jacob transversis super capita puerorum manibus collocatis, Deus*, inquit, *qui pascit me a juventute mea usque in hunc diem; angelus, qui liberavit me ex omnibus malis, benedicat pueros hos. Usque adeo autem eundem angelum ponit, quem Deum dixerat, ut singulariter in exitu sermonis sui posuerit personam, de qua loquebatur, dicendo, benedicat pueros hos. Si enim alterum angelum voluisset intelligi, plurali numero duas personas fuisset complexus, nunc unius personae singulari numero in benedictione deposuit, ex quo eundem Deum atque angelum intelligi voluit. Sed enim Deus Pater accipi non potest, Deus autem et angelus Christus accipi potest.* Quinimo in cap. 15. pag. 632. haereticis (puta Simoniacis, Menandrianis, Appelletianis notante Pammelio ad h. l.) opinionem illam tribuit, quod intelligatur in hoc et similibus dictis angelus creatus. *Si quis*, inquit, *haereticus*, *pertinaciter obluctans adversus veritatem*, *voluerit in his omnibus exemplis proprie angelum intelligere*, *in hoc quoque viribus veritatis frangatur necesse est.* Hilarius in Psalm. 113: *Deo*, *si quid in nobis est, debeamus a Paulo docti*, *nihil nostrum existimandum etc. a sancto vero Jacob patriarcha modestiam referendae gratiae cognoscentes*, *cum dicit: Deus qui nutrivit me a juventute mea et angelus eruens me ex omnibus malis* etc. Athanasius orat. 4. contra Arian. pag. 259. agens de verbis Pauli ad Thess. *ipse autem Deus Pater noster et Dominus Jesus Christus dirigat viam nostram ad vos* etc. sic scribit: *Ipse donandi modus clare demonstrat unitatem Patris et Filii. Nunquam enim quispiam precaretur accipere a Deo et ab angelis*, *aut ab ullis rebus creatis. Neque quispiam hanc verborum formam concepit*, *det tibi Deus et angelus*, *sed contra a Patre et Filio propter unitatem uniformemque rationem dandi* etc. *Jam si Jacob in benedicendis nepotibus Ephraim et Manasse ad istum modum locutus est, Deus, qui aluit me a pueritia mea usque in hunc diem*, *angelus*, *qui liberavit me ex omnibus malis*, *benedicat pueros istos*, *non tunc aliquem angelorum creatorum et qui natura angeli erant, in unum copulavit cum creatore Deo*, *neque omisso nutricio suo Deo ab angelo benedictionem suis nepotibus postulavit, sed quia diserte locutus est de angelo, qui illum ab omnibus malis liberaverat, satis prae se tulit, non ex creatitiis angelis aliquem, sed Filium fuisse Patris*, *quem Patri in suis precibus consociavit*, *per quem Deus liberat*, *quos vult. Hunc enim magni consilii Patris angelum noverat, nec alium nisi illum ipsum, qui benedicit et liberat ex malis, suis verbis expressit. Non enim ille sibi a Deo, nepotibus autem ab angelo benedictionem dari voluisset*, *sed eundem illum*, *quem interpellabat: Non dimittam te*, *inquiens*, *nisi benedixeris mihi. Is enim erat Deus, ut verba Jacobi clare testantur: Vidi Deum a facie ad faciem*, *illum ipsum* (in- XVIII. 8
quam) *precatus est*, *ut nepotibus benediceret* etc. *Non igitur alius quam ipse Dominus Deus fuerit, qui ei apparens ita locutus est*, *ecce ego tecum sum*, *conservans te in via*, *quacunque ieris*, *et non alius. Idem denuo apparens repressit insidias Laban*, *interdicens Labani*, *ne cum Jacob verbis asperioribus ageret*, *neque Jacob quenquam praeter Deum invocabat*, *eripe me*, *inquiens*, *Domine e manibus fratris mei Esau. Idem cum uxoribus verba conserens locutus est: Non datum est Labani a Deo*, *ut malefaceret. David quoque nullum alium quam Deum pro sui liberatione invocabat: Ad te Domine in tribulatione mea clamavi et exaudivisti me. Domine libera animam a labiis iniquis et a lingua dolosa. Huic quoque hoc beneficium acceptum ferens locutus est verba odae suae in Psalm. 17: In die*, *qua liberavit eum Dominus ex manibus omnium inimicorum et ex manibus Saul*, *et dixit: Diligam te Domine fortitudo*

*mea et corroboratio mea et refugium meum et liberator meus. Postremo Paulus: Domine ex omnibus liberavit et liberaturus est, in quem speravi. Porro non alius fuit quam Deus, qui benedixit Abraham et Isaac et Jacob. Isaac quoque Jacobo in haec verba bene precatus est: Deus meus benedicat te et augeat te, et dabit tibi benedictionem Abrahae patris mei. Vides, non alterius quam Dei esse benedicere aut liberare. Neque alius fuit, qui liberavit Jacob quam Dominus, liberatorem autem patriarcha invocabat super nepotibus suis. Clarum igitur est, patriarcham non alium in suis precibus copulasse cum Deo quam hoc verbum, quod angelum ideo nominavit, quia solus is est, qui Patrem revelat, quod etiam ab apostolo factitatum est, cum inquit: Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Jesu Christo; ita etiam certa et firma efficitur benedictio* etc. Chrysostomus hom. 66. in Genes. super verba *Angelus qui me liberavit. Gratae*, inquit, *animae ac piae et bene memoris beneficiorum Dei verba. Ille, inquit, cui patres mei bene placuerunt, qui me a juventute usque in praesentem diem educavit, qui me ab initio ab omnibus malis liberavit, qui tantam erga me declaravit providentiam, ipse benedicat hos pueros* etc. Cyrillus Alexand. libr. 3. Thes. col. 53: *Quod autem non angelus, ut haeretici intelligunt, sed Filius Dei significetur, inde patet, quod addidit: Qui me liberavit ex omnibus meis malis. Hunc fuisse Deum in specie humana, divina Scriptura testatur ex voce ipsius patriarchae: Vidi faciem Dei. Hunc igitur angelum, quem tunc vidit, orabat, ut pueros benediceret. Praeterea visus est, ut Scriptura dixit, Dominus Deus patriarchae Jacob ac dixit ei: Ecce ego tecum, ut custodiam te. Deus igitur erat, qui liberabat eum, non angelus. Et cum insidias fratris metuebat, non angelum, sed Dei auxilium implorabat* etc. Vide ipsum locum. Procopius Gazaeus in cap. 48. Genes.: *Jacobus cum benediceret adolescentulos, nominavit Deum, qui ipsum aluit, et angelum, qui ipsum in omnibus periculis servavit, semper conjungens Deo Patri et Filium, qui apud prophetam magni consilii angelus vocatus est.* Et quid multis? fatetur ipse Pererius in comm. Gen. 32. complures veterum patrum in hoc et similibus locis per angelum intellexisse Christum. *Theodoretus* (inquit) *id probare conatur, quia Exod. 3. in textu angelus dicit, se esse Deum, tum quia nomen suum declarans dicit, sum qui sum, quod in solum Deum convenit. Et hujus sententiae fuerunt Justinus, Tertullianus, Hilarius, Ambrosius, Chrysostomus. 6. Ex ipsorum adversariorum confessione.* Ribera Jesuita in comm. Heb. 7. nu. 81. Zach. 1: *Angelus clamabat, Domine exercituum misereberis Jerusalem, in quo angelo Christum significari docent veteres patres, Hieronymus, Ambrosius, Origenes.* Blasius de Viegas in comm. Apoc. 8. pag. 343: *De manu angeli, i. e. Christi. Nec recte quidam e recentioribus dicunt* (inter quos Pererius d. l.), *Christum nusquam absolute dici angelum* etc. Salmeron. disp. 17. in 1. Cor. 10: *Credendum est, fuisse* XVIII. 207.
*Christum illum angelum, qui praeibat Israëlitas et Moysi primo visum, qui Exod. 3. et saepe Jehova vocatur.* Quodsi ergo in illis locis nomine angeli Christum intelligi colligitur ex appellatione, agnoscant etiam, hoc in loco ex divini operis attributione recte colligi, quod per angelum intelligendus sit ipse Christus. Theologi Lovanienses in editione Biblior. Latinor. ponunt ad marg. istor. verbor. Gen. 48: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis* etc. *vide Concordantiam supra* cap. 31, v. 29. et cap. 32, v. 2. jam verò luctator ille erat ipse Dei Filius, ut ex textu est manifestissimum. Dicit enim *colluctatus es cum Deo et hominibus et praevaluisti.*

452. 2. Job. 5. *Voca, si quis est, qui tibi respondeat et ad aliquem sanctorum convertere, ubi nomine sanctorum intelligit angelos, ut Augustus exponit in annotationibus in Job. Sic c. 15. cum dicit: Ecce inter sanctos ejus nemo immutabilis, nomine sanctorum intelliguntur angeli. Nam idem habetur c. 4. his verbis: Ecce, qui serviunt ei, non sunt stabiles, et in angelis suis reperit pravitatem. Quamvis autem haec verba non videantur convincere, quia non sunt ipsius scriptoris libri, sed Eliphaz amici Job, tamen ideo convincunt, quia indicant, tunc fuisse consuetudinem invocandi patrocinium sanctorum angelorum.* Respondemus: 1. fontes veritatis sic habent. קְרָא־נָא *clama nunc, si est qui respondeat et ad quem de sanctis obtueberis?* קְרָא hic non significat invocare, sed *nominare, recensere, recitare.* Quod vulgata versio habet in imperativo *ad aliquem sanctorum te converte*, id Hebraica veritas effert per interrogationem, *ad quem de sanctis respicies, vel obtueberis?* ut Arias Montanus reddidit. 2. Verus sensus patet ex contextu, quem aliqui existimant esse eum, quod cum Jobus vehementia cruciatuum superatus ex impatientia diem nativitatis diris devovisset sibique injuriam fieri innuisset, Eliphas revocarit ei in memoriam exempla sanctorum, qui et ipsi varias in hoc mundo calamitates experti fuerint, quamvis pietati ac justitiae serio studuerint. 3. Sed ex toto c. 4. et 5. cumprimis ex sequente antithesi colligi potest, *onerosum illum consolatorem* Jobo potius insultare. Cum enim Jobus c. 3, v. 25. testatus fuisset, se vitae pie honesteque actae sibi conscium, ac solicite cavisse, ne Deum offenderet, nihilo tamen minus sibi hanc calamitatem obvenisse, Themanites ille eum redarguens inquit: *Nomina quaeso mihi aliquem, qui cum justus fuerit, tales sustinuerit calamitates et miserias, quales jam experiris? num erit, qui tibi respondeat vel attestetur, id est num putas te aliquem posse allegare? et ad quem de sanctis respicies?* id est num inter sanctos aliquem reperies, quem Deus sicut te maximis malis obruerit? Deus sanctos non solet tantis malis obruere, sed *stultum* sive impium *occidit Dei indignatio et insipientem* vera ac salutari Dei cogni-

2. Jobi 5. Voca si quis est, qui tibi respondeat.

tione destitutum *interficit zelus*, quo Deus adversus hominum impietatem ardet. R. Nachmann refert ad Jobi impatientiam, *profer aliquem sanctorum, qui in cruce Deo ita fuerit reluctatus et obmurmuraverit.* Ita quoque R. Aben Ezra, *ex cujus ore sanctorum, qui in terra sunt, talia unquam audivisti?* Eodem sensu exponit R. Salom. Jarchi. 4. Per sanctos hic non intelliguntur *angeli*, sed *homines*, ut patet ex integro contextu, et concedit Eccius in enchir. p. 145. Nec potest ex c. 15. demonstrari, quod angeli sanctorum nomine semper intelligantur, cum et angeli et homines dicantur sancti. Jam vero concedit ipse Bellarminus in V. T. invocationem sanctorum non fuisse usitatam. Ergo eadem hoc loco probari minime poterit. 5. Eliphaz Thamnites non suppeditat Jobo salutare
XVIII. 208. consilium, quomodo possit precibus ad Deum vel sanctos directis crucis suae mitigationem impetrare, sed acerbe potius eum insectatur, insultat ipsius calamitatibus et ex illis demonstrare conatur, Jobum non esse sanctum nec Deo gratum. 6. Si de sanctorum invocatione Eliphaz loqueretur, inferri posset ex his verbis, etiam viventes sanctos religiose invocari posse, quia Eliphaz in genere dicit, *ad quem sanctorum respicies?* Jam vero ostendimus superius, pios in his terris viventes non minus quam defunctos in coelo regnantes sanctorum nomine in Scripturis appellari. 7. Si de angelorum vel sanctorum defunctorum invocatione Eliphaz loqueretur, consequens esset, eos frustra et sine effectu invocari, quia scilicet non audiunt nec respondent. 8. Eliphaz exemplo suo ostendit, non angelos nec sanctos defunctos, sed solum Deum esse invocandum, dicit enim v. 8: *Veruntamen ego quaeram Deum et ad Deum ponam eloquium meum, id est* si ego talia paterer, ad Deum me precibus converterem. 9. Si vel maxime Eliphaz sanctorum invocationem consilii causa Jobo proponeret, nondum tamen sequeretur, eam esse probandam, quia nuspiam legitur, quod Jobus huic consilio fuerit obsecutus. 10. Quin imo ex verbis Domini Job. 42, v. 7: *Dixit Dominus ad Eliphaz Themaniten, Iratus est furor meus in te et in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus Job.* v. 8. *Sumite ergo vobis septem tauros et septem arietes et ite ad servum meum Job et offerte holocaustum pro vobis, ut peccatum vestrae stultitiae ac temeritatis, quod multa erronea ac falsa protuleritis ac Jobo in calamitatibus insultaveritis, vobis remittatur.* Frustra Bellarminus regerit, *colligi nihilominus ex hoc loco, consuetudinem tunc temporis fuisse invocandi patrocinium sanctorum angelorum.* Demus enim, fuisse consuetudinem, num propterea fuerit probanda? consuetudo sine Dei mandato et contra Dei mandatum introducta vetustas est erroris. 11. Hieronymus vel potius Beda, auctor commentariorum in Jobum, nihil de invocatione sanctorum hic videt, licet hunc versiculum sigillatim excutiat. Olympiodorus per sanctos intelligit angelos, sed de eorum invocatione verbum nullum addit. *Usque eo est* (inquit) *homo inferior Deo, ut non solum nec videre illum, nec comprehendere queas, sed etiam ut nec a te millies inclamatus sit responsurus. Quid loquor Deum? quandoquidem nec ejus angeli in nostrum possunt adspectum incurrere?* 12. Mercerus et Vatablus in comm. referunt ad angelos hoc sensu: *Voca angelorum aliquem et eum inclama, an vero eorum vel minimus tibi respondebit, te suo sermone et alloquio dignabitur? nullum sane reperies. Vides quantum a Deo distes, cum ne angeli quidem Deo longe inferiores te allocuturi sint, si ad eos clames, ob distantiam, quae est inter te et illos.* Ne quis vero ex eo religiosam angelorum vel sanctorum defunctorum invocationem colligat, subjungit Mercerus: *Quod quidam nostrorum, Thomas Aquinas et Lyranus, hunc locum ad sanctorum mortuorum invocationem, quam veteres ne agnoverunt quidem, referunt, quasi hortetur Eliphaz Jobum, ut in hac afflictione sese ad sanctos convertat, ut ei opem ferant, merum delirium est, cum nemo non videat, hic ironiam esse, et quoquo modo intelligas, eo applicari non posse.* 13. Augustini interpretationem fide Jesuitica Bellarminus allegat. Nam apud Augustinum haec duntaxat habentur verba: *Invoca autem, si quis tibi respondeat, illis autem respondetur. qui sunt mundo corde*, quae verba non de sanctorum, sed de Dei invocatione sonant. Nam in priori membro versiculi, ubi est verbum קְרָא, quod Augustinus licet parum apte, per *invocandi* verbum reddidit, nulla fit sanctorum mentio. Adde quod ipse Augustinus XVIII. 209.
annotationibus illis non multum tribuat libro 2. retract. c. 13.

453. 3. Job. 19: *Miseremini mei amici mei. Hoc Augustinus ad angelos dici existimat.* Respondemus: 1. in toto illo capite non fit mentio angelorum vel sanctorum defunctorum, sed conqueritur Jobus, se a domesticis proximis derelictum et neglectui habitum, ac prorumpit tandem in patheticam illam querelam, *miseremini, miseremini amici mei*, id est postquam sum a ceteris derelictus, vos qui mihi olium socii et amici fuistis, etiam hoc tempore sincero compassionis affectu vos amicos exhibete, nec deseratis me in rebus maxime adversis. 2. Respondet Jobus in hoc capite illis, a quibus fuerat accusatus, ut patet ex v. 1. jam vero in praecedentibus capitibus accusatus fuerat a suis amicis. Ergo etiam illis respondet et eorum commiserationem implorat. 3. In Hebr. est רֵעַי *socii mei*, quae appellatio non convenit angelis vel defunctis sanctis, sed amicis et cognatis in carne adhuc viventibus. Descendit enim a rad. רעה *pavit*, proinde רֵעָה proprie significat *socium familiarem, proximum, qui simul pascitur ac enutritur, convictorem.* Neque arbitror in tota Scriptura uspiam de angelis hanc vocem usurpari. 4. Versu seq. subjungitur: *Quare persequimini me tanquam Deus et carne mea non saturamini?* id est cur me tantopere affligitis, vobis idem licere putantes, quod

3. Job. 19. Miseremini mei amici mei.

Deo, qui me tam graviter affligit. Num vero existimabimus, contra angelos hanc querelam a Jobo institutam? 5. Amicos illos suos Jobus nequaquam invocat, sed ut sibi condoleant, ab illis petit. At hic quaestio est de religiosa invocatione. 6. Augustinus illas annotationes, ad quas Bellarminus provocat, non agnoscit pro suis, sed ceu *mendosas et obscuras* rejicit, qui nimo a se nunquam editas optat lib. 2. retractationum c. 13. 7. Loquitur Augustinus et dubitative, et alternative, *aut sanctos, aut angelos videri intelligi.* Sed de sanctis defunctis Bellarminus haec intelligere non potest, quia juxta ipsius hypothesin *in V. T. non fuit usitatum dicere Sancte Abraham ora pro me.* Ergo nec usitatum fuit dicere *miseremini mei o defuncti sancti.*

4. Job. 33. Si fuerit angelus loquens. 454. 4. Job. 33: *Si fuerit angelus loquens pro eo unus de millibus, miserebitur ejus et dicet, libera eum. Ergo angelorum invocatio tunc fuit usitata.* Respondemus: vulgata versio discedit a fontibus veritatis. 1. In Hebraeo est עָלָיו *ad eum* vel *apud eum*, quod Latinus interpres reddidit *pro eo.* Ex hac praepositionis mutatione oritur etiam mutatio sententiae. Quando enim in Latina versione habetur, *si fuerit pro eo angelus loquens*, sensus esse videtur, quod angelus apud Deum pro homine loquatur sive intercedat, cum genuina textus Hebraici sit sententia, quod angelus legatione Dei, apud hominem fungatur. 2. In Hebraeo est nomen מַלְאָךְ, quod in genere significat *legatum et internuntium.* a rad. inusitata לָאַךְ et tribuitur non solum *angelis*, sed etiam *hominibus*, videlicet tum *legatis politicis* Genes. 32, v. 1. 1. Reg. 19, v. 2. tum *prophetis ac verbi ministris* Malach. 2, v. 7. c. 3, v. 1. Sensus igitur est, quod Deus non modo per crucem et calamitates, sed etiam per concionatores verbi homines vocet ad poenitentiam. Latinus interpres reddidit *angelus.* Quamvis vero etiam angelorum ministerio Deus quandoque utatur ad voluntatem suam hominibus annuntiandam, tamen ordinarie per ministros verbi cum ipsis agit, ac si vel maxime angelos ipsis mittat, tamen illi non sunt religiose in-
XVIII. 210. vocandi, etiamsi sint nobis praesentes et in figura humana visibiliter appareant. 3. In Hebraeo est vocabulum מֵלִיץ, quod proprie significat *interpretem* Genes. 42, v. 22. Job. 16, v. 20. Quod ergo ex vulgata versione de intercessione angeli apud Deum inferri posse videtur, id Hebraicum verbum aliter explicat ac de interprete divinae voluntatis Elihu loqui ostendit. Quidam putant, esse participium ab הֵלִיץ in hiphil, quod significat *ordine locutus est, interpretatus est.* Sed res eodem redit. 4. In Hebraeo est לְהַגִּיד לְאָדָם *ad indicandum homini rectitudinem ejus*, quod vulgata vertit, *ut annuntiet hominis aequitatem.* Quamvis vero praefixum ל quandoque sit nota genitivi, tamen id hic locum habere nequit, quia alioqui verbum הגיד positum esset absque omni casu et nullam gigneret sententiam, quia non exprimeretur, cui nuntiaret. 5. In Hebraeo est יָשְׁרוֹ *rectitudinem ejus*, cum affixo ו ut sit sensus, Deum per interpretes rectitudinem sive rectam suam voluntatem et legem homini indicare, sed hoc affixum Latinus interpres omisit. Ex quibus omnibus patet, quis sit verus et genuinus hujus loci sensus, quem Chemnicius in exam. concil. Trident. in cap. de invocat. sanct. hisce disserit verbis: *Ostendit Elihu, quam variis modis Deus homines vocet ad poenitentiam vel immissis conscientiae terroribus vel castigationum flagellis, et si tunc adfuerit homini nuntius interpres divinae voluntatis, ex verbo ostendens homini, quid rectum sit, atque adeo si in terroribus conscientiae accesserit ministerium verbi, tum Deum operari in hominum cordibus poenitentiam ad salutem*, quae in Hebraeo vocatur fortitudo. Confer Jacob. 5, v. 19. epist. Jud. v. 22. Prov. 28, v. 28. etc. Nimirum describitur in his verbis Elihu officium fidelium ecclesiae ministrorum et salutaris ejusdem fructus. Si fuerit minister verbi apud hominem peccatorem, per crucem humiliatum, subactum et praeparatum, qui eum ad resipiscentiam exhortetur et unum aliquod ex mille, id est infinitis Dei beneficiis ipsi explicuerit ac justo Dei judicio peccatoribus poenas irrogari ostenderit; sique peccator hisce dictis acquieverit, tunc miserebitur illi Deus. Quodsi vel maxime ἐκ περιουσίας concedamus, de angelis sermonem esse, nondum tamen religiosa eorum invocatio fuerit evicta. Sermo enim esset de ipsorum ministerio, quo Deus in voluntate sua hominibus annuntianda et conversione eorum promovenda utitur, ex quo ut etiam ex generali angelorum intercessione religiosa eorum invocatio nullo modo concludi potest. Olympiodorus in catena Graeca in Jobum c. 33. LXX interpretes secutus contrario modo vertit: *Si fuerint mille angeli mortiferi, unus ex iis non vulnerabit eum, si cogitaverit corde converti ad Dominum. Hic*, inquit, *qui in extremis cruciatibus exercetur, si perpessionis suae causam in peccato consistere intellexerit atque ad Deum de errato suo confessus se converterit, impendentem mortem inhibebit, etiamsi sexcenta quaedam sint, quae mortem accersant atque lacessant. Poenitentia enim peccatum delet placatque Deum, ut sententiam revocet decretumque rescindat.* Denique angeli nomen in hoc textu Gregorius Magnus in com. lib. 24. c. 2. Glossa ordinar. et Hugo Cardinalis non de spiritibus coelestibus, sed *de Christo* magni consilii angelo intelligunt, quam interpretationem cum ob Gregorii Magni pontificis Romani auctoritatem Pontificii repudiare non possint, agnoscant, angelorum invocationem ex hoc loco apodictice non posse probari.

455. Pro *defunctorum sanctorum* invocatione adducit Bellarminus 1. orationem Mosaicam Exod. 32: Sanctos pie et utiliter invocari 1. Exod. 32. XVIII. 211. Recordare Domine Abraham etc.
*Recordare Domine Abraham, Isaac et Israel servorum tuorum, in quem locum Theodoretus q. 67. in Exod. scribat, sanctum Moysen, cum se non existimaret sufficientem ad placandum Deum, adhibuisse etiam patrocinium patriarcharum*, ubi notat Bellar-

minus, *quia ante Christi adventum sancti, qui moriebantur, non intrabant in coelum, nec Deum videbant, nec cognoscere poterant ordinarie preces supplicantium, ideo non fuisse consuetum in V. T. ut diceretur, Sancte Abraham ora pro me, sed solum orabant homines ejus temporis Deum et allegabant merita sanctorum, qui jam obierant, ut illis ipsorum orationes juvarentur.* Neve quis dicat, non peti ejusmodi verbis auxilium a meritis sanctorum, sed solum commemorari pactum, quod Deus cum patriarchis fecerat de protegendis et adjuvandis eorum posteris, monet Bellarminus ulterius, *quod et pactum Dei et justitia sanctorum simul fuerint commemorata, ut manifestum sit ex Psalm. 131: Memento Domine David et omnis mansuetudinis ejus, et infra: Propter David servum tuum non avertas faciem Christi tui. Quae verba Salomonis sunt orantis Deum per merita patris sui Davidis jam defuncti, ut constat ex 2. Paral. 6. unde etiam libr. 3. Regum c. 15. dicitur: Propter David dedit ei Dominus Deus suus lucernam in Hierusalem, ut suscitaret filium ejus post eum, eo quod fecisset David rectum in oculis Domini; et Dan. 3: Ne auferas misericordiam tuam a nobis propter Abraham dilectum tuum et Isaac servum tuum et Israel sanctum tuum; et Moyses Exod. 34. Jeremias c. 32. et alii, cum orabant Deum, initio dicere solebant: Deus, qui facis misericordiam, facis in millibus his qui diligunt te, id est qui propter justitiam patrum misereris saepe filiorum, quod erat implorare merita veterum justorum, unde etiam Augustinus q. 149. in Exod. sic ait: Admonemur, inquit, cum merita nostra nos gravant, ne diligamur a Deo, relevari nos apud eum illorum meritis posse, quos Deus diligit. Idem docet Chrysostomus hom. 42. in Gen. et 27. in Matth.* Respondemus: 1. fatetur Eccius, *invocationem sanctorum non fuisse in V. T. usitatam.* Fatetur ipse Bellarminus, *non posse ex hisce precum formulis colligi, quod directe invocaverint sanctos defunctos ut intercessores et mediatores apud Deum,* hactenus igitur argumentum est a quaestione alienum. 2. Si ex hisce precum formulis invocationem sanctorum colligunt, cur non et ipsi Abrahamum, Isaacum, Jacobum et Davidem in precibus suis invocant? 3. Quaestio proprie est de sanctis a pontifice Romano canonizatis, ut loquuntur, quia ut Bellarminus disp. in c. 10: *Sanctos non canonizatos nequaquam licet publice colere.* Atqui hujus canonizationis nullum in adductis locis exstat vestigium. 4. Patres in suis precibus non commemorant *merita* majorum suorum, ut propter illa exaudiantur, sed allegant gratuitam *Dei promissionem* patriarchis factam ac *foedus gratiae* cum Abrahamo, Isaaco et Jacobo initum, cui promissio de Messia ex ipsorum posteritate nascituro fuit inclusa, unde glossa ordinaria in illa Scripturae loca sic commentatur: *Firmiter promisisti, non licet mutare.* Quemadmodum igitur nostrae preces nituntur merito et satisfactione Christi jam missi et exhibiti, quam vera fide nobis applicamus, sic patres in suis precibus fiduciam exauditionis collocabant in promissionem de venturo Messia. Probamus hoc primo *ex locorum allegatorum diligenti consideratione.* Exod. 32, v. 13. ait Moyses: *Recordare Abraham et Isaac et Jacob servorum tuorum, quibus jurasti per temet ipsum dicens: Multiplicabo semen vestrum sicut stellas coeli et universam terram hanc, de qua locutus sum, dabo semini vestro et possidebunt eam semper.* Hic provocat Moyses ad *juramentum Dei*, quo patriarchis confirmaverat foedus gratiae cum ipsis initum et promissionem de Messia ex ipsorum posteritate XVIII. 21 nascituro, quia promissio de multiplicatione seminis et possessione terrae Canaan unice respiciebat caput illud promissionis de Messia ex hoc populo nascituro Exod. 34, v. 6. (non Moyses, ut Bellarminus vulgata versione deceptus putat, sed ipse) Filius Dei de nomine Domini sic praedicat: *Dominus, Dominus est Deus misericors et clemens, longanimis et multae bonitatis et veritatis servans bonitatem in millia.* Ex his verbis posterioribus Bellarminus evincere conatur, *Moysen implorasse merita veterum justorum*, sed verba antecedentia hanc suspicionem penitus evertunt. Ubi enim misericordia, clementia, longanimitas et bonitas Dei praedicantur, ibi merita hominum penitus exsulant, Rom. 11, v. 6: *Si ex gratia, jam non ex operibus, alias gratia non esset gratia; si ex operibus, jam non est gratia, alias opus non esset opus.* 2. Paralip. 6, v. 14. sic orat Salomon: *Domine Deus Israël, non est similis tui Deus in coelo et in terra, qui custodis pactum et misericordiam cum servis tuis, qui ambulant coram te in toto corde suo* v. 15. *Qui praestitisti servo tuo David patri meo quaecunque locutus fueras ei et quae ore promiseras, opere complesti.* v. 16. *Nunc ergo Domine Deus Israël imple servo tuo, patri meo David, quaecunque locutus es dicens: Non deficiet ex te vir coram me, qui sedeat super thronum Israël* etc. v. 17. *Et nunc Domine Deus Israël firmetur sermo tuus, quem locutus es servo tuo David.* Hic quilibet videt, Salomonem non ad merita Davidis, sed ad promissionem et pactum cum Davide initum unice provocare, Psalm. 32, v. 10: *Propter David servum tuum non avertas faciem Christi tui;* v. 11. statim additur explicatio: *Juravit Dominus David veritatem et non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam,* v. 17. *germinare faciam cornu David, parabo lucernam Christo meo.* Ergo propter David idem est, ac propter promissionem Davidi de Messia factam. Messias enim est illud *germen et lucerna* illa Davidi promissa, Jerem. 23, v. 5. c. 33, v. 14. Luc. 1, v. 55. Act. 2, v. 30. etc. unde etiam Hilarius in com. hoc loco per Davidem intelligit *ipsum Christum*, cui in aliis etiam Scripturae dictis haec appellatio tribuitur, sed praestat, Davidis nomine per metonymiam subjecti hoc loco intelligere promissionem Davidi factam, ut constat ex v. seq. et ex aliis Scripturae

**locis**, 2. Paral. 6, v. 42. Act. 7, v. 46. etc. Dan. 3, v. 35: *Ne auferas misericordiam tuam a nobis propter Abraham dilectum tuum et Isaac servum tuum et: Israël sanctum tuum*, v. 36. *quibus locutus es*, *pollicens*, *quod multiplicare velis semen eorum sicut stellas coeli.* Ad promissionem igitur patriarchis de multiplicatione posteritatis et nascituro ex ea Messia factam unice respicit Azarias, sicut explicatio sequitur c. 9, v. 17: *Domine exaudi nos propter Dominum*, *id est* propter promissum Messiam. Secundo *ex aliorum Scripturae locorum collatione.* Exod. 6, v. 3: *Ego sum Jehovah et apparui Abrahamo*, *Isaaco et Jacobo in El Schaddai*, v. 4. *pepigi foedus cum eis*, *ut darem eis terram Canaan.* Levit. 26, v. 42: *Recordabor foederis mei*, *quod pepigi cum Jacob et Isaac et Abraham.* Deut. 9, v. 5: *Non propter justitias tuas et rectitudinem cordis tui ingredieris*, *ut possideas terram Canaan*, *sed ut compleret verbum suum Dominus*, *quod sub juramento pollicitus est patribus tuis Abraham*, *Isaac et Jacob.* Ex quo versiculo explicandus est sequens v. 27: *Recordare servorum tuorum Abraham*, *Isaac et Jacob.* c. 26, v. 15: *Respice de habitaculo sancto tuo et benedic populo Israël et terrae*, *quam dedisti nobis*, *sicut jurasti patribus nostris*, 1. Reg. 8, v. 25: *Nunc igitur Domine Deus Israël conserva servo tuo patri meo David*, *quae locutus es ei*,
III. 213. v. 26. *Firmentur verba tua*, *quae locutus es servo tuo David patri meo.* 2. Paral. 21, v. 7: *Noluit Dominus disperdere domum David propter pactum*, *quod inierat cum eo et quia promiserat*, *ut daret ei lucernam*, Psalm. 89, v. 4: *Foedus pepigi cum electo meo*, *juravi David servo meo*, *usque in aeternum confirmabo semen tuum.* v. 29. *In aeternum servabo illi misericordiam meam et testamentum meum fidele ipsi.* Psalm. 105, v. 8: *Memor fuit in seculum testamenti sui*, *verbi quod mandavit in mille generationes*, v. 9. *quod pepigit cum Abraham et juramenti sui ad Isaac;* v. 10. *et statuit illud Jacob in praeceptum et Israël in testamentum aeternum*, v. 11. *dicens: Tibi dabo terram Canaan.* Psalm. 106, v. 45: *Et memor fuit testamenti sui et poenituit secundum multitudinem misericordiae suae.* Tertio *ex humili piorum affectione.* Sancti in terris adhuc viventes a persuasione meriti penitus fuere alieni, Genes. 32, v. 10: *Minor sum Domine cunctis miserationibus tuis.* Psalm. 19, v. 13: *Delicta quis intelligit?* Psalm. 32, v. 6: *Pro peccatorum remissione orabit ad te omnis sanctus.* Psalm. 130, v. 3: *Si iniquitates observaveris Domine, quis sustinebit?* Psalm. 143, v. 2: *Ne intres in judicium cum servo tuo*, *quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Esa. 64, v. 6: *Universae justitiae nostrae quasi pannus menstruatae.* Dan. 9, v. 7: *Tibi Domine justitia*, *nobis confusio faciei.* Ecquis ergo credat ipsis placere, si posteri ad ipsorum merita velint provocare et iisdem coram Dei judicio confidere, cum ne ipsi quidem illis confisi fuerint, sed gratuitam Dei misericordiam propter Christum promissam humiliter implorarint? Quinimo *viginti quatuor seniores* ecclesiam militantem ac triumphantem repraesentantes *procidunt ante sedentem in throno, adorant viventem in secula seculorum et mittunt coronas suas ante thronum dicentes: Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam et honorem et virtutem* Apoc. 4, v. 10. 11. quo ipso omnem meritorum propriorum opinionem prorsus a se removent. Ex quibus omnibus liquido conspicuum, patres in precibus suis nequaquam majorum suorum merita Dei judicio opponere et fiduciam exauditionis in illa collocare. 5. Facile largimur, Deum vi promissionis suae ipsi decalogo insertae propter pios parentes liberis in mille generationes benefacere, sed illa beneficia ob gratuitam promissionem donantur, nequaquam vero meritis antegressis ex debito redduntur. Aliud est gratuita remuneratio, aliud debita cujusdam meriti compensatio. Qualia enim sint hominum coram Dei judicio merita, ostendit Christus Luc. 17, v. 10: *Si omnia feceritis*, *dicite*, *servi inutiles sumus*, *quod mandatum erat nobis*, *fecimus;* unde ne unicum quidem ex tota Scriptura produci potest exemplum, quod pii propter merita suorum majorum sese exaudiri ac promissa beneficia sibi a Deo dari postulaverint, tanquam jure propter bona opera parentum sibi illa deberentur. Quando ergo sancti vel suam, vel majorum suorum justitiam in precibus allegant, tunc eam non ut *meritum exauditionis*, sed ut *interioris fidei fructum*, *effectum et testimonium* allegant, nec causam meritoriam, sed objectum sive subjectum divinae miserationis exprimunt. 6. Argumentum Bellarmini in formam syllogisticam redactum est ejusmodi: Quorum recordationem Moyses petit, illi sunt religiose invocandi. Atqui Moyses sanctorum recordationem petit, dicens: *Recordare Domine Abraham*, *Isaac et Jacob servorum tuorum.* Ergo sancti sunt religiose invocandi. Ecquis vero non videt majoris propositionis infirmitatem, imo falsitatem? Latro conversus petebat Luc. 23, v. 42: *Memento mei Domine*, *cum veneris in regnum tuum*, ex quo eadem argumentandi forma inferri posset, conversum hunc latronem se ipsum religiose invocasse. 7. Etiam viventium piorum patrocinia et intercessionem implorare licet, ut dicatur, *memento Domine horum vel illorum hominum*, *qui te precibus meis invocarunt*, neque
tamen viventes sanctos religiose invocare licet. XVIII. 214.
8. Invertimus igitur Bellarmini argumentum. Illum solum in N. T. invocare debemus, quem pii V. T. in suis precibus invocarunt. Jam vero pii V. T. fatente Bellarmino non invocarunt sanctos, sed solum verum Deum. Ergo et nos in N. T. non sanctos, sed solum verum Deum invocare debemus. 9. Si pii V. T. propter merita sanctorum majorum sese exaudiri petierunt, utique crediderunt, illorum merita sibi communicari posse. Sed consequens non habet locum. Ergo nec antecedens. Probatur assumtum, quia communicatio illa facta fuisset aut

*inhaesive*, aut *imputative*. Prius dici nequit, quia propria non egrediuntur suum subjectum; posterius salvis Jesuitarum hypothesibus itidem nequit dici, quia rident imputationem meriti et justitiae Christi, quam nostrae docent ecclesiae, multo igitur minus imputationem meritorum a sanctis praestitorum statuere poterunt. 10. Si patriarchae V. T. Abrahamus, Isaacus et Jacobus tantis abundarunt meritis, ut eorum fructus etiam ad posteros redire potuerit, cur igitur ablegati fuere in limbum, tenebricosum illum carcerem, in quo a clara et beatifica divinae essentiae visione exsulare jussi fuere? 11. Si fideles V. T. exauditi sunt propter merita suorum majorum, ergo Christus non est solus et unicus mediator redemtionis Ratio connexionis est, quia *meriti* nomen non tantum intercessionem, sed etiam redemtionem, liberationem et auxilium a sanctis imploratum importat. Jam vero consequens repugnat non solum Scripturae, quae Christum unicum mediatorem et redemtionis et intercessionis tam in V. quam N. T. nobis proponit, 1. Timoth. 2, v. 4. Heb. 13, v. 8. Apoc. 13, v. 8. etc. sed etiam hypothesibus Pontificiis, quae statuunt, Christum esse unicum mediatorem non quidem intercessionis, sed tamen redemtionis. 12. Si Deus propter merita majorum pios in V. T. exaudivit, ergo non ex gratia et misericordia eos exaudivit. Ratio connexionis est, quia meritum et misericordia gratuita sunt sibi invicem opposita. Atqui consequens repugnat omnibus precum formulis in V. T. annotatis, quippe in quibus ad Dei misericordiam unice provocant, quin imo ipse Bellarminus in ἐργασίᾳ hujus argumenti scribit, *Moysen, Jeremiam et alios, cum orabant Deum, dicere fuisse solitos: Deus qui facis misericordiam in millibus his, qui diligunt te.* 13. Falsum est, quod Psalm. 132, v. 10. *Salomon propter merita Davidis patris sui sese exaudiri petat.* Orat enim in illo psalmo non Salomon, sed ipse David, ut patet *tum ex titulo*, quia vocatur *canticum graduum*, jam vero psalmi graduum ἀνεπίγραφοι sunt Davidis; *tum ex materia*, quia de arcae foederalis deportatione, templi aedificatione, regni et seminis promissione Davidi facta tractat. Confer 2. Reg. 7. et 2. Paral. 15. *tum ex probatissimorum interpretum testificatione*, in quorum numero etiam sunt quidam ex ipsis Pontificiis. Neque quenquam turbet, quod David de se in tertia persona loquatur quodque Salomon verbis ex hoc psalmo petitis in dedicatione templi utatur 2. Paral. 6, v. 41. prius enim fit usitata Scripturae phrasi, posterius ideo, quia templum successerat in locum tabernaculi, ac similia quaedam habentur Num. 10. 14. Theodoretum interpretationis suae auctorem falso constituit Bellarminus, sic enim habent ipsius verba: *Moyses se non existimavit idoneum ad placandam Dei iram*, sed preces etiam obtulit, faciens patriarcharum mentionem et jurisjurandi praestiti, et ne pacta dirimerentur, supplicavit, quae interpretatio cum nostra ad amussim congruit.

**2. Viventes a viventibus sunt invocati. XVIII. 2**

456. 2. *Compellationem viventium. In utroque testamento saepe legimus viventes a viventibus invocatos. Nam 1. Sam. 7. dicunt filii Israël ad Samuelem: Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, ut salvet nos de manu Philistinorum; item Jobi 42: Ite ad servum meum Job, ille orabit pro vobis; Rom. 15. Paulus ait: Obsecro vos fratres, ut adjuvetis me in orationibus pro me ad Deum; idem repetit Ephes. 6. 1. Thess. 5. 2. Thess. 3. Coloss. 4. Hebr. 13. Ergo licebit etiam nunc invocare eosdem sanctos cum Christo regnantes. Nam si nunc non licet, vel quia nolunt, et hoc non, cum sint majore caritate praediti quam antea et de sua immortalitate securi et de nostra incolumitate soliciti; vel quia non possunt, et hoc non, quia si poterant, cum hic essent peregrini, quanto magis nunc poterunt in patria; vel quod non sciant, quid oremus, et hoc non, quia unde sciunt angeli conversionem peccatorum, pro qua tantopere gaudent in coelis Luc. 15. inde sciunt sancti nostras preces; vel demum quia fit injuria Deo aut Christo, si alius quam ipse invocetur, et hoc non, quia tunc non liceret viventes invocare. Atqui hoc argumentum*, inquit Bellarminus, *adversarii nunquam solvere poterunt*, perinde ut Eccius in enchir. pag. 149 illud vocat *Achillem Catholicorum.* Respondemus: Achilles ille perquam infirmus est et imbellis, ut constare potest ex illis, quae dicta sunt superius in explicatione secundi argumenti catasceuastici §. 389. hic breviter dicimus, 1. esse in argumento quatuor terminos. *Invocari* enim in antecedente propositionis significat vel viva voce, vel per nuntios, vel per literas compellari, ut precibus suis nos apud Deum adjuvent; in consequente idem est, quod homines mortuos et absentes religiose fiducialiter ac suppliciter in auxilium vocari, cum tamen nostrae calamitates in specie ipsis non sint notae. 2. Quatuor illa membra, quae Bellarminus voluit declinare, adhuc persistere inconcussa, 1. *sancti nolunt religiose a nobis invocari*, quia sciunt, hunc honorem soli Deo deberi. Bellarminus ex eo, quod viventes sancti a viventibus sanctis compellati fuerint, colligit, etiam defunctos sanctos a viventibus esse invocandos Nos hoc argumentum invertimus. Viventes sancti a viventibus religiose invocari noluerunt, ut docuimus superius §. 400. Ergo etiam defuncti a viventibus religiose invocari nolunt. Bellarminus ex eo, quod sancti defuncti majore caritate praediti sint, quam in hac vita fuere, colligit, eosdem de nostra incolumitate esse solicitos ac proinde velle a nobis religiose invocari. Nos hoc argumentum invertimus. Quia maxima caritate non solum erga viventes, sed etiam erga Deum praediti sunt, ideo honorem soli Deo debitum ad se transferri ac peccandi occasionem nobis subministrari nolunt, alias contra caritatis naturam peccarent. Sanctos de sua immortalitate securos et de nostra incolumitate solicitos

esse concedimus, sed ex eo inferri nequit, quod sint religiose invocandi, quia ut nostram salutem intercessione sua promotam volunt, ita propter eandem religiosae adorationis cultum sibi deferri nolunt, uti probant argumenta nostrae sententiae superius adducta. Si dicas, *sanctos defunctos velle nos precibus juvare;* respondemus, nos istud haud inviti concedimus, sed negamus, ex eo inferendum, quod religiose sint invocandi. 2. *Sancti non possunt religiose invocari*, quia destituuntur requisitis in objecto religiosae invocationis necessariis, cum non sint omniscii, nec *καρδιογνῶσται*, nec omnipraesentes, nec omnipotentes, nec divinorum beneficiorum largitores. Neque nos preces nostras ad ipsorum sensum in coelum ferre possumus, neque illi e coelo, quae in terris aguntur, percipere possunt. Si dicas, *potuisse eos compellari, cum adhuc essent in via, ergo etiam posse eos compellari, quando sunt in patria;* respondemus ostensum esse superius, quod Pontificii non nudam compellationem, sed religiosam invocationem tueantur. Quodsi ergo sanctorum invocatio ipsis nihil aliud est quam talis
XVIII. 216. compellatio, qualis est viventium, probent, sanctos rebus humanis interesse et compellationem illam audire, quando voce exprimitur; vel si non adsint praesentes, edisserant, quibus internuntiis de ea certiores reddantur; cumque preces seriae quandoque interno cordis gemitu sine externa voce exprimantur, explicent nobis, quomodo sancti occultos cordis gemitus et arcana pectoris introspiciant ac serias preces ab hypocriticis discernant. Si invocatio sanctorum est talis compellatio, qualis fuit ea, qua Paulus ad Romanos, Ephesios, Thessalonicenses etc. scribens eorum intercessionem rogavit, scribant et ipsi literas ad sanctos defunctos, in quibus eorum intercessionem expetant. Certe ante annos non ita multos monachus quidam Franciscanus Benedictus Lugduni excudi curavit librum hoc titulo *Summa peccatorum* eumque Virgini Deiparae dedicavit ad ipsam epistolam scribens et affirmans, *defunctos ad nos posse scribere et nos vicissim ad illos.* Alexander Guagninus Veronensis eques auratus peditumque praefectus in descriptione Sarmatiae Europaeae de religione Moscovitarum omniumque Rutenorum memorat, quando aliquis magnae auctoritatis vir apud ipsos moritur, tunc metropolitanum sive episcopum scribere epistolam ad D. Petrum sigillo suo et manus subscriptione munitam, quam super pectus defuncti ponit dans testimonium de bonis piisque operibus ejus etc. Exemplar epistolae ex Conrado Lago Dantzingero retulimus tract. de poenit. §. 135. *3. Sancti nesciunt, quid oremus*, ut disertis verbis Esa. 64, v. 16. dicitur, ac *καρδιογνωσία* ubique in Scripturis soli Deo tribuitur. Nec est, quod ex conversione nostra angelis nota argumentum huc afferatur, quia res ipsa ostendit, magnam esse inter angelos et defunctos sanctos diversitatem. Angeli sunt *πνεύματα λειτουργικά*, castra circa nos metantur, in manibus nos gestant, rebus ac studiis nostris intersunt, sunt nostri vigiles, comites, excubitores, vident atque audiunt, quae agimus ac loquimur, conversionem externis signis atque effectis declaratam intuentur, bona nostra promovent, mala impediunt; sed de sanctis defunctis tale quid ex Scriptura demonstrari nequit. Ac si vel maxime sancti scirent nostras preces, nondum tamen sequeretur, eos religiose esse invocandos, alias viventes sancti, qui precibus nostris assistunt, religiose invocari possent. *4. Sancti non possunt absque injuria Dei et mediatoris nostri Jesu Christi religiose invocari*, ut superius fuit demonstratum. Nec est, quod compellatio vivorum objiciatur, quia maximum discrimen est inter viventium compellationem et religiosam defunctorum sanctorum invocationem, ut ex d. §. 389. manifestum, viventes compellare possumus vel viva voce, vel per literas, vel per internuntios, sed defunctos sanctos non possumus religiose invocare, nisi ipsis tribuamus omniscientiam, qua ratione Deo gloria ipsi soli debita detrahitur. Confer omnia et singula membra, in quibus invocationem sanctorum, prout in papatu usitata est, consistere diximus §. 435.

457. *3. Ex conciliis*, ubi affert, *epistolam episcoporum Europae scriptam ad Leonem imperatorem, quae habetur post concilium Chalcedonense; actionem* II. *concilii Chalcedonensis; sextae synodi generalis cap. 7. ex canonibus recens editis; septimae synodi generalis actionem 6. concilii Gerundensis cap. 3. Aurelianensis 1. cap. 29. Moguntini sub Carolo Magno cap. 33. Toletani 4. c. 1. Toletani 6. c. 2. Bracarensis 2. cap. 9. in quibus indicuntur litaniae recitandae vel triduo ante adscensionem vel aliis temporibus.* 3. Ex conciliis.
Respondemus: *1. Spiritus sancti doctrina est, quae canonicis literis est prodita, contra quam si quid concilia statuunt, nefas duco*, XVIII. 217.
ait Hieronymus in comm. epist. Galat. Quemadmodum igitur conciliis non licet novos fidei articulos condere, ita nec novum cultum in ecclesiam introducere. 2. Concilia ideo atque inde non posse errare Pontificii statuunt, quia confirmantur a papa. At haec infallibilitatis regula est valde irregularis, cum ipse pontifex ab errore immunis non sit, ut ex ipsis Pontificiis suo loco demonstratur. 3. Negamus, in ullo ex quatuor oecumenicis conciliis in primitiva ecclesia celebratis invocationem sanctorum publico decreto esse stabilitam, recentiora et particularia concilia non moramur. 4. Epistola episcoporum Europae ad Leonem imperatorem non est concilii Chalcedonensis, nec episcoporum totius Europae, sed quatuor duntaxat episcoporum in Europae illa parte, quae Orientali suberat imperio, degentium, qui ipsi concilio non interfuerunt, sed scripserunt judicium suum ad imperatorem de concilii Chalcedonensis definitionibus; nec stabilit religiosam sanctorum invocationem, sed intercessionis duntaxat mentionem facit, sic enim habent verba: *Sanctissimum vero Proterium in choro et ordine sanctorum martyrum ponimus et ejus intercessione misericordem ac propitium Deum habere postula-*

*mus.* Optant ergo generalem Proterii pro ecclesia intercessionem, de qua etiam act. II. concilii Chalcedonensis loquuntur, ubi dicunt: *Flavianus post mortem vivit, martyr pro nobis oret.* 5. Canon septimus sextae generalis synodi adulterinus est ac supposititius. Graeca editio in centum et duobus hujusmodi canonibus nil tale habet, non Balsamonis ipsius Antiocheni patriarchae, quae a Gentiano Herveto canonico Rhenensi versa, reperitur vero tantum inter novem quosdam canones huic synodo attributos ex vetusto codice monasterii Sancti Bavonis Gandavensis Flandriae, ut in 2. tom. concil. pag. 114. notatur transscriptus. Qui decreta illius synodi edidit, Laurentius Surius Pontificius, diserte profitetur, *septimum illum canonem cum octo sequentibus falso adscribi sextae synodo*, tom. 2. concil. p. 1034. Quodsi Bellarminus hunc Surium audire nolit, audiat se ipsum lib. 2. de Rom. pontif. cap. 18. sic disserentem: *Nullius roboris sunt illi canones, qui sextae synodo tribuuntur. Non enim canones sunt VI. synodi verae, legitimae atque oecumenicae, sed alterius cujusdam conventiculi, quod se falso sextam synodum nominavit. Constat enim, sextam synodum, quae sub Agathone papa et Constantino IV. imperatore celebrata est, nullos canones edidisse, sed post annos quinque ab ea synodo dissoluta iterum convenisse nescio quot episcopos Graecos auctore Justiniano Juniore ac multos canones edidisse sub nomine sextae synodi. Id quod manifeste colligitur tum ex principio horum ipsorum canonum, tum ex confessione Tharasii episcopi Constantinopolitani in VII. synodo act. 4. quos eosdem canones erraticam synodum Beda appellat et a Sergio papa, qui tunc sedebat, reprobatos fuisse scribit in libro de sex aetatibus in Justiniano Juniore. Ex quo sequitur, istam falsam synodum sextam aut non fuisse generalem, aut non fuisse legitimam.* Haec Bellarminus. 6. in synodo VII. sive Nicena II. sanctorum invocationem cum religioso imaginum cultu stabilitam concedimus, sed contra illam ipsam synodum sub Carolo Magno alia synodus celebrata est, quae contraria dogmata statuit, cujus eo major debet esse auctoritas, quo magis quae cum Dei verbo consentiunt, retinenda quaeque ab eo discrepant, rejicienda. 7. Litanias in Gerundensi, Aurelianensi, Moguntino, Toletano et Bracarensi conciliis indictas sanctorum invocationem continere frigide probat Bellarminus ex eo, quod idem tempus ac idem
XVIII. 218. ritus in illarum recitatione hodie servetur, potuit enim in materia occurrere aliquid variari, licet externa adjuncta fuerint servata.

4. Ex patribus.

458. 4. *Ex testimoniis Graecorum et Latinorum patrum*, ubi *ex Graecis* producit *Dionysium eccles. hierarch. cap. 7. Irenaeum libr. 5. contra haeres. ultra medium, Eusebium libr. 13. praeparat. evang. capite septimo, Athanasium serm. de sanctiss. Deipara, Basilium orat. in 40 martyr. et in Psalm. 33. Nazianzenum orat. in Cypr. et Athanas. Chrysostomum hom. 66. ad popul. hom. 5. et 8. in Matth. hom. 34. in Gen. hom. 1. in 1. Thessal. serm. in Juventium et Maximum, Gregorium Nyssen. orat. in Theodor. Ephremum serm. de laudib. martyrum, Cyrillum catech. 5. mystag. Theodoretum in histor. patrum et libr. 8. ad Graec. Damascenum libr. 4. de fid. cap. 16. Theophylactum in cap. 11. Hebr.; ex Latinis Cornelium papam epist. 1. Hilarium in Psalm. 129. et Psalm. 124. Ambrosium libr. de viduis, libr. 10. in Luc. cap. 21. Hieronymum in epitaph. Paulae, Maximum in serm. de Agnete, Ruffinum lib. 2. histor. cap. 33. Paulinum in carm. de Celso et epist. 12. Prudentium in carm. de sanctis, Augustinum tract. 84. in Johan. serm. 17. de verb. apost. de cura pro mort. cap. 4. Victorem Uticensem lib. 3. de persec. Vand. Fulgentium serm. de laud. Mariae, Leonem serm. 5. de Epiph. et de Sanctis Petro et Paulo, Gregorium libro secundo dialog. capite ultimo, Gregorium Turonens. libr. 1. de glor. martyr. cap. 94. Bedam lib. 4. in Cantic. et lib. 3. in Matth. Anselmum lib. de excell. virg. cap. ult. Bernhardum serm. 2. super Missus est.* Respondemus: de his veterum dictis in specie agit Chemnicius in exam. conc. Trid. cap. de invoc. sanct. nos in genere respondemus: 1. Ipsimet patres de suis dictis ex Scriptura judicium fieri volunt, eidem soli αὐθεντίαν deberi agnoscunt. 2. Ex ipsis patribus pro nostra sententia quaedam adduximus superius. 3. Repetatur integer quaestionis status et consideretur praxis in papatu recepta, ac liquido apparebit, eam ex unanimi patrum suffragio confirmari haud quaquam posse. Ecquis enim patrum vetustiorum sanctos religiose invocavit, ut dignitate et virtute suorum meritorum auxilium nobis praestent? ecquis omniscientiam, omnipraesentiam et omnipotentiam ipsis tribuit? quis spem et fiduciam in illos collocandam esse docuit? Certe Epiphanius, Chrysostomus, Augustinus et ipse Hieronymus fortiter reclamant, ne quis divino religiosae adorationis cultu quidquam praeter et extra Deum veneretur. 4. Patres de intercessione sanctorum dubitanter pronuntiant, ut vidimus superius §. 450. quanto igitur minus religiosam sanctorum invocationem tanquam certum et indubitatum fidei articulum ecclesiae obtrudunt. 5. Nicephorus lib. 15. hist. cap. 18. commemorat, *Petrum Gnapheum seu Fullonem primum instituisse, ut in omni precatione Dei genitrix nominaretur ejusque nomen divinum invocaretur.* Factum id circa ann. Christi 470. Ergo primis illis et purioribus ecclesiae temporibus invocatio sanctorum non fuit recepta. Cens. Col. id ipsum tacite fatetur, quando pag. 209. asserit, *cultum hunc in ecclesia antiquiorem non esse annis mille ducentis*, eo ipso agnoscens, tres a Christo nato centurias effluxisse, antequam religiosa sanctorum invocatio innotesceret. 6. *Dionysii hierarchia* est ψευδεπίγραφος, ut ex styli ratione, praetermissa ejus in scriptis veterum mentione, temporis supputatione, contentorum accurata consideratione et gravissimorum auctorum testificatione in patrologia pro-

batum dabitur. Idem nobiscum statuunt ex ipsis Pontificiis Laurentius Valla, Cajetanus, Erasmus,
III. 219. Guilielmus, Grocinus, Theodorus Gazaeus et alii complures. *Sermo de Sanctissima Deipara* falso tribuitur *Athanasio*, ut multis confirmari potest argumentis, sufficit nobis hoc loco confessio Pet. Nannii professoris Lovaniensis in praefat. Athanas. imo ipsius Bellarmini lib. de script. ecclesiast. pag. 113. et Baronii in annalibus ad ann. 48. §. 19. et 23. Idem judicium esto de *epistola Cornelii papae*, quae ejusdem cum reliquis decretalibus et epistolis est auctoritatis; de *sermone Cypriani de stella et Magis*, qui in antiquis operum Cypriani editionibus non habetur, in Pameliniana inter asscripta Cypriano recensetur; de *lamento sive libro Origenis de poenitentia*, qui c. Sancta Romana etc. dist. 15. inter apocrypha recensetur, quod probatur etiam Baronio ann. 253. §. 1:8. de *commentariis ejusdem in Jobum*, qui scatent Arianismo nec sapiunt stylum Origenis, unde reprobantur a Sixto Senensi lib. 4. biblioth. in voce Origenis pag. 281. *de lib. meditationum et sermonibus Augustini* etc. 7. *Irenaeus* angelorum invocationem in haereticis taxans, qua veritatis specie sanctorum defunctorum invocationi favere censendus? Verba ipsa, quae Bellarminus pro sua opinione adducit, sic habent: *Quemadmodum Eva per angelicum sermonem seducta est, ut effugeret Deum praevaricata verbum ejus, ita et haec per angelicum sermonem evangelizata est, ut portaret Deum obediens ejus verbo; et sicut illa seducta est, ut effugeret Deum, sic haec suasa est obedire Deo, uti virginis Evae virgo Maria fieret advocata; et quemadmodum adstrictum est morti genus humanum per virginem, solvatur per virginem, aequa lance disposita virginalis inobedientiae per virginalem obedientiam* etc. Hic quilibet videt, non de intercessione, sed redemtione Irenaeum agere. Quodsi ergo in verbis ipsius vim facere velimus, consequens fuerit, Mariam esse mediatricem Evae non tantum intercessionis, sed etiam redemtionis respectu. Sed si scopum Irenaei respicere velimus, manifestum erit, quod Mariam vocet Evae advocatam eo sensu ac respectu, quia in virginali suo utero concepit et in lucem edidit generis humani redemtorem, per quem peccatum protoplastorum fuit expiatum, sicque bonum humano generi per Mariae ministerium allatum opponit malo per transgressionem Evae eidem superinducto. Nequaquam vero *advocatam* vocat hoc sensu, quod una cum Christo unico mediatore partes hasce propitiatorias ad se transtulerit ac proinde religiose a nobis adoranda sit. In Graeco textu procul dubio fuit nomen *παράκλητος*, quod et *advocatum et consolatorem* significat, ut sit sensus, quemadmodum Eva generi humano fuit in exitium, ita B. Virginem eidem fuisse in solatium, quatenus Christum omnis solatii fontem in virginali suo utero concepit. Confer Gallasium in notis ad Irenaeum pag. 399. 8. *Eusebii Emisseni* testimonium libr. 13. de praep. evang. cap. 7. in Lat. vers. Trapezuntii est corruptum. *Non erraveris*, inquit, *si θεοφίλους, Dei amicos, verae pietatis milites appellaveris*, unde etiam *ἐπὶ τὰς θήκας αὐτῶν, ad eorum monumenta, accedere καὶ τὰς εὐχὰς παρὰ ταύταις*, sc. *θήκαις, ποιεῖσθαι, preces apud monumenta facere solemus* (interpres perperam reddidit *vota illis facimus tanquam viris sanctis) τιμᾶν τε τὰς μακαρίας αὐτῶν ψυχάς et beatas eorum animas honorare* (interpes de suo addidit *quorum intercessione ad Deum non parum juvari profitemur)*. Quo fine ad sepulcra martyrum eo tempore convenerint, exponit ecclesia Smyrnensis in epistola de martyrio Polycarpi apud Eusebium l. 4. hist. eccl. cap. 15. videlicet ut ad parem constantiam superstites excitarentur. *Non decet*, ait Basilius in asceticis cap. 40. *Christianos aliam ob causam in martyrum memoriis aut locis vicinis comparere, quam ut precentur et per recordationem sanctorum, quam illi scilicet pro pietate* XVIII. 220.
*ad mortem usque constantes fuerint, ad hujusmodi zeli imitationem incitentur.* Item: *Alius pro alio precentur et cum multis adorent et implorent Deum et propter peccata quidem placent, propter beneficia vero illi gratias agant;* ubi solum Deum circa martyrum memorias, non autem ipsos martyres invocandos esse docet. Quod orat. in 40 martyres dicit: *Qui affligitur, ad eos confugiat; qui laetatur, ad eos decurrat*, in eo seculi sui consuetudinem jamdum invalescere incipientem describit. Nam in Graeco verba sic habent, *ὁ θλιβόμενος ἐπὶ τοὺς τεσσαράκοντα καταφεύγει confugit*, non autem *confugiat*, *ὁ εὐφραινόμενος ἐπ' αὐτοὺς ἀποτρέχει, decurrit*, non autem *decurrat*. 9. Aliud est per *prosopopoeiam* oratoribus usitatam ac per *apostrophen rhetoricam* aliquem ut praesentem compellare, aliud vero religiose, suppliciter ac fiducialiter invocare. Prius fecerunt *Nazianzenus*, *Basilius*, *Ambrosius* etc. sed posterius faciunt Pontificii. Concedit id quodammodo ipse Bellarminus, quando de sanct. beatit. cap. 19. §. 44. sic scribit: *Porro Brentius cap. 24. conf. Wirtenb. omnia conatur eludere per figuram prosopopoeiae. Dicit enim, patres in concionibus invocare solitos esse nomina mortuorum, ac si viverent, sicut interdum inter declamandum alloquimur coelum vel terram vel mortuos homines, quos tum certe scimus non audire. At hoc figmentum inprimis si ullum haberet locum, solum haberet in testimoniis Basilii et Nazianzeni et quorundam aliorum, qui inter concionandum sanctos invocarunt* etc. Neque vero ulla veritatis specie hoc negari potest, cum apud veteres hujus figurae sermonis plurima occurrant exempla. Dionysius in hierarch. eccl. cap. 3. sacrum coenae mysterium sic adorat et veneratur: *O divinum penitus sanctumque mysterium, obducta tibi per signa obscuritatum, quasi vela et integumenta, patefacta perspicue nobis ostende mentisque nostrae oculos singulari et clarissima luce obtege*, in quae verba Pachymeres Graecus scholiastes sic commentatur: *Affatur illud tanquam rem animatam, et merito, quemadmodum et theologus magnus Gregorius ait. O magnum et*

*sanctum pascha.* Abdias in vita Andreae commemorat, quod sanctus hic apostolus crucem, in quam agi debuerit, hisce compellarit verbis: *Salve crux, quae hic stas, tamdiu me exspectans. Laetus accedo, novi enim tuum secretum, novi mysterium. Video in te, quae mihi a Domino meo promittuntur. Recipe me o electa crux, qui tam humilis sum propter Deum, et redde miserum servulum tuum Domino suo.* Ecquis vero credet, Andream religiosae adorationis cultu crucem ligneam prosequi voluisse? Nazianzenus orat. 1. in Julian.: *Audite haec omnes gentes. Omnes enim appello magno praeconio. Audite populi, tribus linguae, aetas omnis, et qui nunc vivitis et qui dehinc nascituri estis. Et ut majus mihi sit praeconium, omnis coelorum exercitus omnesque angeli audite. Audi et tu quoque Magni Constantini anima, si quid sentis, et reliquorum Christianorum imperatorum* orat. 2. in pasch. *O pascha magnum et sacrosanctum pascha totiusque mundi piaculum, te enim quasi vita praeditum, ὡς ἐμψύχῳ, alloquor.* Hieronymus in epitaph. Paulae circ. fin. *Vale o Paula et cultoris tui ultimam senectutem orationibus juva etc.* (At hanc esse apostrophen et figuram quandam oratoriam, non autem religiosam invocationem patet ex eo, quod de Nepotiano in ejusdem epitaph. scribit epist. 3. c. 1: *Quidquid dixero, quia ille non audit, mutum videtur, stylus ipse quasi sentiens et cera subtristior vel rubigine vel situ obducitur et cum quo loqui non possumus, de eo loqui nunquam desinamus.* cap. 20: *Felix Nepotianus, qui haec non videt, qui haec non audit,* quem tamen gloria coelesti perfrui non dubitabat, quippe
XVIII. 221. de quo tam fidenter ibid. cap. 5: *Scimus, Nepotianum nostrum esse cum Christo et sanctorum mixtum choris.* Ac si Nepotianus ex Hieronymi sententia non audivit, quae ad ipsum dicebantur, utique nec Paula, cum ejusdem gloriae et beatitudinis fuerint consortes, relinquitur igitur, quod sit oratoria quaedam apostrophe.) Ambrosius lib. 10. in Lucam cap. 22. aquam baptisimi sic affatur: *O aqua, quae humano aspersum sanguine orbem terrarum lavisti; o aqua, quae sacramentum esse Christi meruisti; tu incipis prima, tu comples perfecta mysteria.* Idem ibidem Petrum apostolum per apostrophen sic alloquitur: *Unde te evocem Petre, ut doceas me, quid flens cogitaveris. Unde inquam te evocem? de coelo, ubi jam choro insertus es angelorum, an etiam de tumulo? etc.* Euthymius zonam B. Virginis ab Aloysio Lipomano de vitis sanctor. pag. 290. hisce compellasse memoratur verbis: *O veneranda zona fac nos heredes aeternae et beatae vitae et hanc nostram vitam ab interitu conserva. Tuam hereditatem, tuum populum o intemerata zona intemerata conserva etc.* At nemo, arbitror, dixerit, Euthymii hanc fuisse mentem, quod virginis zonam divino cultu venerari voluerit. In his igitur locum habeat regula Sixti Senensis libr. 6. biblioth. annot. 152. quod in patribus hyperbolarum ratio minus sit habenda.

9. Compellationes illas sanctorum defunctorum non ex Scripturis sacris, sed ex propriis λογισμοῖς, ex sanctorum apparitionibus, ex vulgi relationibus et ex consuetudine recepta deduxerunt. *Aliud est quod docemus, aliud quod sustinemus, aliud quod praecipere jubemur, aliud quod emendare praecipimur et donec emendetur, tolerare compellimur,* ait Augustinus libr. 20. contra Faust. cap. 21. unde etiam dubitarunt non solum, an sancti hasce compellationes audiant, sed etiam an pro nobis apud Deum intercedant. Frivolum igitur est, quod Bellarminus probare conatur, *Basilium et Nazianzenum vere invocasse sanctos, quia ex illorum invocatione auxilium sibi fuere polliciti.* Cum enim dubitarint, an defuncti rebus nostris intersint, preces nostras audiant et pro nobis in specie orent, quomodo certa et indubitata fiducia in omni vera invocatione necessaria auxilium eorum sibi polliceri potuerunt? 10. Distinguendum inter fidem totius ecclesiae et privatas quorundam superstitiones. Fidem totius ecclesiae exponunt Epiphanius, Cyrillus, Augustinus, Hieronymus etc. quando negant sanctos religiose invocandos, interim aliqui privata superstitione coeperunt jamdum ipsorum temporibus circa cultum sanctorum in excessu peccare, quem ecclesiae doctores reprehenderunt, Augustinus lib. 10. de civ. Dei cap. 4: *Multa de cultu divino usurpata sunt, quae honoribus deferuntur humanis sive humilitate nimia, sive adulatione pestifera, ita tamen, ut quibus ea deferuntur, homines haberentur, qui dicuntur colendi et venerandi, si autem eis multum additur, et adorandi.* 11. Privatae illae sanctorum compellationes temporibus Basilii et Nazianzeni usurpari coeptae tandem circa tempora *Gregorii Magni* episcopi Romani publicis litaniis fuere insertae atque una cum aliis superstitionibus ecclesiae ἄτερ γραφῆς obtrusae.

456. 5. *Ex miraculis, tum quae Bernhardus fecit ad confirmationem doctrinae de invocatione sanctorum, tum quibus sancti demonstrarunt, se audire preces viventium et posse ac velle eos juvare, a quibus invocantur.* Respondemus: 1. verbis Andreae Fricii Modrevii scriptoris Pontificii l. 4. de republ. emend. c. 30: *Quod Eccius addit de auxiliis et miraculis sanctorum, non est ejusmodi, ut inde debeat aliquod dogma statui in ecclesia Dei, in qua qui loquitur, loqui debet, ut Petrus inquit, eloquia Dei divina oracula, extra quae propheta deorum ignotorum cultum suadens, etiamsi signa aut portenta praedicat, quae eveniant, jubetur tamen occidi. Surrecturos autem tales, qui signa et prodigia daturi essent, ut etiam electos, si fieri posset, in errorem inducant, Christus olim praedixit atque ut ab illis caveremus, admonuit. Nota sunt et illa, Satanam solere se transformare in angelum lucis et spiritus probandos esse, num ex Deo sint. Unde vero certius argumentum spirituum capere possumus quam ex eloquiis Dei?* Haec omnia Fricius rectissime. 2. Nimirum fidei dogmata ex sacris literis prius sunt confirmanda, ante-

5. Ex miraculis. XVIII.

quam per miracula dicantur confirmari, cum de pseudochristis et pseudoprophetis praedictum sit, quod miracula sint edituri, cumque apud gentiles invocatio divorum mirabilibus et fallacibus signis fuerit stabilita teste Augustino lib. 8. de civ. Dei cap. 22. *Audiant*, ait idem l. de unit. eccl. cap. 16. *quae narrent pagani de templis et diis suis mirabiliter vel visa, vel facta, et tamen dii gentium daemonia. Exaudiuntur ergo multi et multis modis non solum Christiani catholici, sed et pagani, Judaei et haeretici variis erroribus et superstitionibus dediti. Exaudiuntur autem vel a spiritibus seductoribus, qui tamen nihil faciunt, nisi permittantur, Deo sublimiter et ineffabiliter judicante, quid cuique tribuendum sit, vel ab ipso Deo, vel ad poenam malitiae, vel ad solatium miseriae, vel ad monitionem quaerendae salutis aeternae.* Confer tract. de eccl. §. 272. 3. Distinguenda igitur sunt mirabilia a miraculis, vera a falsis, divina a Satanae ludibriis, ea quae ad confirmationem doctrinae propheticae et apostolicae divina virtute fiunt ab ilis, quae ad oppugnandam propheticam et apostolicam doctrinam a pseudoprophetis et Antichristo fiunt. 4. Ossa Elisaei itidem miraculum ediderunt 2. Reg. 13, v. 21. neque tamen invocatio mortuorum propterea fuit in ecclesiam Israëliticam recepta. 5. Finis miraculorum circa martyrum sepulcra in primitiva ecclesia editorum nequaquam fuit, ut confirmaretur religiosa eorundem invocatio, sed ut publicum testimonium daretur doctrinae, quam tradiderunt viventes et mortis, quam pro Christo sustinuerunt innocentes, et gloriosae ad vitam resurrectionis, quam exspectant requiescentes. Augustinus cum multa et varia miracula apud memorias martyrum suo tempore edita recensuisset, tandem subjungit l. 22. de civ. Dei c. 9: *Cui, nisi huic fidei attestantur ista miracula, in qua Christus praedicatur resurrexisse in carne et in coelum adscendisse cum carne, nam et ipsi martyres hujus fidei martyres, i. e. testes, fuerunt.* cap. 10: *Faciunt illa martyres vel potius Deus, vel orantibus, vel cooperantibus eis, ut fides illa proficiat, qua eos non deos esse nostros, sed unum Deum habere nobiscum credamus.* lib. 10. cap. 20: *Quaecunque miracula sive per angelos, sive quocunque modo fiunt, Dei unius, in quo solo vita beata est, cultum religionemque commendant.* lib. de cura pro mortuis c. 16: *Deus edidit miracula per martyrum memorias, quoniam hoc novit expedire nobis ad aedificandam fidem Christi, pro cujus confessione sunt passi.* Est igitur in argumento fallacia finis. 6. Quod recentiora miracula in papatu facta attinet, ea non possunt dici facta ad confirmationem doctrinae propheticae et apostolicae, quippe quae novis miraculis minime indiget, cum ab ipsis apostolis sit sufficienter confirmata, proinde pertinent ad signa et miracula Antichristi, de quibus 2. Thess. 2. Apocal. 13. etc. 7. Sanctis in terra adhuc viventibus is fuit animus, ut noluerint ex miraculis editis quidquam gloriae, cultus et religiosae venerationis ab hominibus captare, Actor. 3, v. 5. idem ipsis cum Christo viventibus adhuc est animus. 8. Pii veteres diserte negant, per miracula circa martyrum memorias facta invocationem martyrum confirmari. Augustinus libro 22. de civitate Dei cap. 10: *Non erigimus altaria, in quibus sacrificemus martyribus, sed uni Deo et martyrum et nostrum sacrificium immolamus. Ad quod sacrificium martyres, sicut homines Dei, qui mundum in ejus confessione vicerunt, suo loco et ordine nominantur, non tamen a sacerdote, qui sacrificat, invocantur.* lib. 20. contra Faustum cap. 21: *Quod offertur, Deo offertur apud memorias martyrum, quos coronavit, ut ex ipsorum locorum admonitione major effectus exsurgat, ad acuendam caritatem et in illos, quos imitari possumus, et in illum, quo adjuvante possumus. Colimus ergo martyres eo cultu dilectionis et societatis, quo in hac vita coluntur sancti Dei homines.* 9. Quaecunque miracula post apostolorum tempora facta sunt, de illis recte usurpatur illud Augustini libr. 22. de civitate Dei cap. 9. *quod non tanta ea commendet auctoritas, ut sine difficultate vel dubitatione credantur, quamvis Christianis fidelibus a fidelibus indicantur.* Ergo multo minus tanta eorum erit auctoritas, ut dogma quoddam fidei praeter et contra Scripturas confirment. 10. Miraculum a Bernhardo factum hunc habuit finem, ut demonstraret, falsam esse doctrinam cujusdam monachi Henrici, cui tribuitur in loco allegato, *quod fuerit hostis ecclesiae manifestus, irreverenter ecclesiasticis derogans sacramentis pariter et ministris, quod item ipsius studio res eo fuerint productae, ut passim fuerint inventae ecclesiae sine plebibus, plebes sine sacerdotibus, sacerdotes sine debita reverentia, sine Christo denique Christiani, quod parvulis Christianorum Christi vitam intercluserit, dum baptismi gratiam negarit.* Quamvis vero etiam addatur aliquid de invocatione sanctorum, illa tamen utpote verbo Dei adversa divino miraculo confirmata dici nequit. Proinde utimur hic eadem responsione, qua Bellarminus de miraculo Novatianorum utitur libr. 4. de eccl. cap. 14. §. ult. *factum esse illud non in confirmationem erroris Novatiani, sed Catholici baptismi.* Idem per omnia de Bernhardi miraculo dicimus, factum sc. illud esse non ad confirmandam religiosam sanctorum invocationem in Scripturis reprobatam, sed ad confirmandum paedobaptismum et ministerium in Scripturis fundatum ac stabilitum, Augustinus lib. 10. de civ. Dei cap. 16. recte disputat, *quod ne angelis quidem sacrificia sibi fieri petentibus teneamur credere, si vel maxime miraculis illud confirment, illis autem fidem habere jubeamur, qui soli Deo sacrificia persolvenda esse docent, etiamsi novis miraculis illud haudquaquam probent.* Idem judicium est de religiosa invocatione, quae est spirituale quoddam sacrificium soli vero Deo debitum.

XVIII. 223.

460. Atque haec sunt Bellarmini argumenta, quae pro invocatione sanctorum asserenda in medium

Aliorum Pontificiorum argu-

menta pro stabilienda sanctorum invocatione. 1. Gen. 18 et 19. Angeli invocantur.

affert. Percurremus vero breviter etiam illa, quae Eccius, Salmeronius, Suarez, Valentianus, Vasquez, Costerus et alii Pontificii Bellarminianis illis addunt. 1. Gen. 18. et 19. *Abrahae et Lotho apparuerunt angeli eisque futuram Sodomae et aliarum infamium civitatum destructionem significarunt, et Abraham quidem oravit pro liberatione Sodomae, Loth vero precatus est pro civitate parvula Segor. At si angelos licet invocare, ergo etiam defunctos sanctos.* Salmeron. disp. 7. in 1. Tim. 2. tom. 15. pag. 464. Respondemus: 1. Ad Abrahamum venit *Filius* Dei comitatus duobus angelis, ut suo loco ex textu demonstravimus. Apud illum igitur pro Sodomitis intercedit Abraham, non autem apud angelos. Cum enim angeli comites fuissent digressi et Sodomam versus abiissent, Abraham adhuc stabat coram Domino Gen. 19, v. 22. quem vocat *judicem*
XVIII. 224. *universae terrae* v. 25. quod encomium nulli nisi Filio Dei competit Act. 17, v. 31. Confer Hilarium lib. 4. de Trin. Eusebium lib. 3. demonst. evang. cap. 9. Epiphanium in ancorat. Augustinum serm. 70. de temp. etc. 2. Eundem in suis precibus compellavit etiam Lothus, quia postquam Dominus cessaverat loqui ad Abraham, *abiit*, puta Sodomam, quo angeli comites jam abierant, Gen. 18, v. 33. cap. 19, v. 1. unde *preces Lothi se suscepisse* dicit, *ut non subvertat urbem Segor* v. 21. quis autem fuerit, qui Sodomam et Gomorram subverterit ac parvae illi civitati ob preces Lothi pepercerit, exponitur v. 24: *Dominus pluit super Sodomam et Gomorram sulphur et ignem a Domino de coelo,* v. 25. *et subvertit civitates has et omnem circa regionem.* 3. Aliud est angelorum praesentium et in visibili forma apparentium compellatio, aliud religiosa sanctorum defunctorum a nobis absentium invocatio, quam in V. T. nondum fuisse usitatam quidam ex ipsis Pontificiis concedunt.

2. Gen. 48, v. 16. Invocetur super eos nomen meum.

461. 2. Gen. 48, v. 16. *Invocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum, Abraham, Isaac et Jacob, ait Jacobus patriarcha ad nepotes suos Josephi filios.* Eccius in enchir. c. de invocat. sanct. Gregorius de Valentia libr. 3. de idol. cap. 7. Salmeron. d. l. quin et ipse Bellarminus de beat. sanct. c. 20. ad hoc argumentum alludit sic scribens: *Nomen invocationis in Scripturis non tribuitur soli Deo, dicit enim Jacob Genes. 48. invocetur nomen meum super hos pueros.* Respondemus: 1. Si hic est dicti patriarchalis sensus, quod religiosum invocationis cultum Jacobi sibi deposcat, quorsum ergo disputant Eccius, Gregorius de Valentia, Salmeronius et Bellarminus quod in V. T. nondum fuerit usitatum invocare defunctos sanctos, quia adhuc fuerint in limbo a beatifica divinae essentiae visione exclusi? Si mandavit Jacobus religiosam sui invocationem, aut non credidit, se post mortem in limbum venturum, aut non sensit, invocationem sanctorum cum illo pugnare. Utrumque repugnat hypothesibus Pontificiis. 2. Si de religiosa sui invocatione Jacobus loquitur, cur quaeso paterni hujus praecepti ac testamenti adeo immemores fuere filii, qui Jacobum nunquam invocarunt? 3. Vatablus Parisiensis professor in annotationibus h. l. recte dicit, vitium esse in vulgata versione, ita enim reddi debuisse, *vocetur in eis nomen meum, i. e. posthac vocentur filii mei et filii majorum meorum, quae fuit nota adoptionis, qua Jacob hosce suos ex Josepho nepotes in filios adoptabat, sicut dicitur vocari nomen mariti super uxorem,* Esa. 4, v. 1. quia uxor a capite, cui subest, nomen mutuatur. De templo Scriptura saepe sic loquitur, *super quod invocatum est nomen tuum,* 1. Reg. 8, v. 43. Dan. 9, v. 18. etc. id est quod a te denominatur et domus Dei dicitur. Jerem. 14, v. 9. *nomen tuum invocatum est super nos.* 4. קָרָא igitur patriarchae hic non est religioso cultu aliquem prosequi, sed nomen imponere, in familiam cooptare, in partem hereditatis recipere, ut sit sensus, *vocetur in eis vel super eos nomen meum, id est vocentur meo nomine, denominentur a me, dicantur non mei nepotes, sed filii, ita ut non in stirpem, sed in capita tamquam duae distinctae tribus cum aliis meis filiis succedant,* hanc enim explicationem tradit ipse Jacobus in hoc ipso capite vers. 5: *Duo filii tui, qui nati sunt tibi in terra Aegypti, antequam huc venirem ad te, mei erunt. Ephraim et Manasse, sicut Ruben et Simeon reputabuntur mihi,* id est non nepotum, sed filiorum meorum loco habeantur, ut in divisione terrae Canaan uterque accipiat par- XVIII. 225.
tem suam et caput tribus suae constituat, sicut filii mei; v. 6. *reliqui autem, quos genueris post ipsos, tui erunt et nomine fratrum suorum vocabuntur in possessionibus suis.* Idem etiam postea a Moyse et Josua in partitione promissae terrae fuit observatum. Nam Ephraimitae et Manassaei seorsim pro duabus tribubus fuere numerati, ideo eosdem cum omni posteritate de suo nomine Israëlitas Jacobus vult nominari, ac si ex ipso essent nati. 5. Hanc phraseos istius significationem agnoscunt Hugo Cardinalis h. l. Corn. a Lapid. in c. 48. Gen.
*ut scilicet propter auctoritatem patrum isti habeantur in reverentia et honore, ut faciant tribus, sicut alii filii Jacob*; Lyranus: *Quia vocati sunt filii adoptivi Jacob et facti sunt capita duarum tribuum sicut alii;* Fonseca super annot. Cajet. h. l: *Est ea phrasis Hebraeis peculiaris, ut dicant vocari nomen alicujus super aliquem, provocare aliquem alicujus nomine, ut constat Esa. 4. Dan. 9.* Ribera in comm. Amos 9. num. 42: *Nomen Dei invocatum est super aliquem populum, quando populus Dei nomen habet, id est populus peculium Dei appellatur, ut Esa. 4. virorum nomen et Gen. 48. invocetur nomen etc.* Pintus in cap. 4. Esa.: *In voce invocetur est Hebraismus et mos Hebraeis loquendi familiaris, ut nomen viri invocetur, quando volunt dicere, feminae nomen appellari per nomen viri.* Pagninus et Bened. Arias Montanus h. loc. reddiderunt *vocetur in eis nomen meum.* Idem Arias in apparatu in idiotism. ling. Hebr. *tantum invocetur nomen tuum super nos, Esai. 4. id est dicamur uxores tuae.*

3. Ps. 32. v. 6. Propter hoc orabit ad te omnis sanctus.

462. 3. Psalm. 32, v. 6: *Propter hoc orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno.* Salmeron. disp. 7. in 1. Timoth. 2. tom. 15. pag. 49: *Loquitur psaltes de remissione peccati et injustitiae, et de sanctis, qui mundi sunt a peccatis, non potest intelligi, quod pro sua injustitia remittenda orent, sed pro aliena. Et non tantum omnis sanctus vivens, sed etiam omnis sanctus jam defunctus, ut Abraham et reliqui, qui in sinu ejus erant. Et hoc in tempore opportuno, id est non tantum dum viverent, sed etiam post mortem, dum in gloria constiterint eis nostras iniquitates, et notum quod eorum intercessiones expetimus.* Respondemus: mirifica interpretatio, cujus tot vitia, quot verba. 1. De precibus pro impetranda peccati remissione hic agi concedimus, sed sanctis in carne adhuc viventibus illas preces non posse nec debere tribui, diserte negamus, Christus enim omnes homines sic docuit orare: *Dimitte nobis debita nostra* Matth. 6, vers. 12. Luc. 11, vers. 4. Communis omnium sanctorum vox est: *Si dixerimus, nos non habere peccatum, mendaces sumus* 1. Joh. 1, v. 8. *Si peccata imputare volueris, quis sustinebit?* Psalm. 130, v. 3. 2. Quamvis enim sancti a peccatis mundi sint, tum respectu reatus et damnationis, tum etiam ratione mortificationis, tamen non sunt omnibus modis a peccato mundi ratione fomitis et naturae corruptionis teste apostolo Roman. 7, vers. 14. 3. Opponimus Salmeronio decretum concilii Milevitani can. 7: *Placuit, ut quicunque dixerit, in oratione Dominica ideo dicere sanctos, Dimitte nobis debita nostra, ut non pro se ipsis hoc dicant, quia jam non est necessaria ista petitio, sed pro aliis, quia sunt in populo suo peccatores, et ideo non dicere unumquemque sanctorum, dimitte mihi debita mea, sed dimitte nobis debita nostra, ut hoc pro illis potius quam pro se petere intelligantur, anathema sit.* Eadem vero ratio est dicti ex Psalmo 32. allati. 4. *In tempore opportuno orare* non est post mortem pro peccatorum remissione sibi vel aliis impetranda orare, sed ante mortem, quamdiu adhuc gra-
XVIII. 226. tiae tempus durat, orare. 5. Hebraeus textus proprie habet *in tempore inventionis*, quod et active, et passive accipi potest. *Passive* quidem, cum pericula nos inveniunt; *active*, cum nos a cruce inventi Dominum quaerimus, utrumque enim est opportunum tempus peccatorum remissionem petendi. 6. Quem vero interpretationis suae testem ex veteribus vel ex ipsis etiam Pontificiis Salmeron. nominare poterit? Chaldaeus paraphrastes reddidit: *Propterea orabit omnis pius ad te in tempore acceptabili,* id est in tempore gratiae, quod durat in hac vita interprete apostolo Rom. 4, v. 6. 7. et 8. Hieronymus in comm.: *Pro hac impietate orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno. Tempus opportunum ad exorandum pro peccatis haec vita est, in qua ideo sancti orant, quia nemo est a peccatis immunis.* Augustinus in enar. 2. Psalm. hujus: *Inde orabit ad te omnis sanctus, quia dimisisti peccata. Nam si non dimitteres peccata, non esset sanctus, qui ad te oraret. In tempore opportuno, quando manifestabitur N. T. quando manifestabitur gratia Christi, quod est tempus opportunum.* Eodem modo exponunt Theodoretus, Euthymius, Cassiodorus, Remigius, Haymo, Lombardus, Hugo Cardinalis, Dionysius Carthusianus in comm. h. l. Bernhardus serm. 73. in Cant. et epist. 42. atque ex recentioribus Pontificiis Cajetanus, Eugubinus, Baptista Folengius et Genebrardus in comm.

4. Ps. 121. Levavi oculos meos ad montes.

463. 4. Psalm 121, v. 1. *Levavi oculos meos in montes, unde veniet mihi auxilium. Per hos montes intelliguntur sancti interprete Augustino. Ergo illi religiose possunt invocari,* Eccius d. l. Ad hoc argumentum alludit ipse Bellarminus de beat. sanct. cap. 17. *Montes*, inquit, *sunt homines sancti, ut exponit Augustinus in hunc Psalm. et fusius tract. 1. in Joh. et lib. de pastorib. cap. 8. Jubemur ergo levare oculos ad montes, id est ad sanctos, et ab eis auxilium exspectare.* Respondemus: 1. Si propheta regius per *montes* intelligit sanctos, utique religiose eos invocavit, quia scilicet auxilium ab illis ad se descendere judicavit. At consequens repugnat verbis Bellarmini, *quod in V. T. non fuerit usitatum invocare sanctos*, utpote in limbo adhuc exsistentes. 2. Si per *montes* intellectos voluisset David defunctos sanctos, potius debuisset oculos dejicere quam levare vel sustollere, quia sancti illi non fuere in coelo, sed in limbo. 3. Immediate subjungitur v. 2. *auxilium meum a Domino, qui fecit coelum et terram.* Ergo non a sanctis, sed a sanctorum omnium Domino, coeli terraeque conditore, auxilium exspectavit. 4. Per *montes* intelliguntur illi, in quibus Hierosolyma et templum erant sita, ad illud enim oraturi se vertebant, 1. Reg. 8, v. 44. Dan. 6, v. 10. ideo vero id faciebant, quia templum Hierosolymitanum, in quo peculiari modo Deus praesens erat, fuit typus corporis Christi, in quo tanquam in proprio templo tota divinitatis plenitudo erat habitatura, Col. 2, v. 9. Joh. 2, v. 19. Jam vero propter solum Christum preces nostrae exaudiuntur. Revocabant etiam sibi in memoriam, quod Messias ad templum illud venturus et doctrina ac miraculis suis illud glorificaturus sit, propter quem se exaudiri sperabant, Hagg. 2, vers. 8. 5. Describitur igitur in his verbis gestus orantis, non autem orationis objectum. 6. Augustinus per *montes* sensu allegorico et mystico intelligit sanctos, nequaquam vero religiosam sanctorum invocationem ex h. l. deducit, sed potius refellit, sic enim scribit lib. de pastorib. cap. 8: *Sunt etiam montes boni. Levavi oculos meos in montes, unde venit auxilium mihi. Et vide, quia non in montibus tibi spes est, auxilium meum, inquit, a Domino, qui fecit coelum et terram. Noli putare, injuriam te facere montibus sanctis, quando* XVIII. 227.
*dixeris, auxilium meum non in montibus, sed a Domino, qui fecit coelum et terram. Ipsi montes hoc tibi clamant, mons erat, qui clamabat, audio, in vobis schismata fieri, ut unus quisque vestrum dicat, ego sum Pauli etc. audi quid dicat, et in*

*eo remaneas, audi etiam quid sequatur, numquid Paulus crucifixus est pro vobis? Ergo postquam oculos tuos levaveris in montes, unde venit auxilium tibi, i. e. in auctores Scripturarum divinarum, attende omnibus medullis suis omnibus ossibus clamantem, Domine quis similis tibi? ut securus sine ulla injuria montium dicas, auxilium meum a Domino, qui fecit coelum et terram. Non solum tunc tibi non succensebunt montes, sed tunc amabunt, tunc magis favebunt, si in ipsis spem tuam posueris, contristabuntur etc.* Idem in comm. h. Psalmi: *Non praesumant de montibus, quia montes non a se lucent, sed ab illo lucent, de quo dictum, erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem. Montes intelligi possunt homines magni, homines clari. Et quis major Johanne Baptista? etc. Vides magnum montem lucentem. Audi confitentem. Quid confitentem? Nam omnes, inquit, de plenitudine ejus accepimus. De cujus ergo plenitudine acceperunt montes, ab illo tibi auxilium, non a montibus.* Confer tract. 1. in Johan. ubi per montes intelligit Scripturas sacras, prophetarum et apostolorum ministerio nobis relictas. Eodem sensu exponunt Hilarius et Hieronymus in com. Euthymius per montes intelligit *coelos* ob summam eorum altitudinem. *Illinc enim sperabant adventurum sibi esse consuetum Dei auxilium, quo lucente illaesi in patriam pervenirent.* Eodem modo exponit Baptista Folengius.

5. Psalm. 135. v. 14. In servis suis deprecabitur. 464. 5. Psalm 135, v. 14. *Judicabit Dominus populum suum et in servis suis deprecabitur, id est rogabitur scilicet in sanctis suis.* Respondemus: 1. Hebraea veritas sic habet, *judicium faciet Dominus populo suo* וְעַל עֲבָדָיו יִתְנֶחָם *et super servis suis ducetur poenitentia vel ignoscet servis suis,* ut Pagninus vertit. Qui versiculus totidem verbis legitur Deut. 32, v. 36. ubi vulgata reddidit *miserebitur.* 2. Sensus ex contextu, cumprimis ex Deuteronomii loco manifestus, quod scilicet Deus secundum misericordiam suam erga populum poenitentiam agentem sit futurus placabilis, peccata remittendo et preces exaudiendo, unde Chaldaeus sic vertit, *et super servos suos justos convertetur in miserationibus suis.* 3. Hieronymus vertit *consolabitur*, Augustinus *et in servis suis advocabitur,* ut sit sensus, Deum incredulitatis Judaicae pertaesum fide gentium oblectatum iri. Euthymius: *exorabitur*, id est *ad orantes et placantes eum servos suos flectetur; vel populum quidem peccantem judicabit et poenas ab eis eriget, a poenitentibus vero exorabitur atque eos adjuvabit.* Theodoretus: *non nos ab hostibus oppugnatos cernens despicies, neque condigna nostris peccatis supplicia infliges.* 4. Vulgatam versionem ad eundem sensum accommodat Glossa ordinaria: *Deprecabitur, id est deprecabilis efficietur orationes eorum exaudiendo.* Hugo Cardinalis: *Deprecabitur vel advocabitur vel consolabitur in praesenti gratiam conferendo et gloriam in futuro.* 5. Eodem sensu accipiunt Cajetanus, Folengius, Genebrardus, Jansenius etc. Pontificii commentatores.

465. 6. Psalm. 139, vers. 17. *Mihi autem honorificati sunt amici tui Deus; nimis confortatus est principatus eorum. Ergo sancti ut Dei amici et principes mundi religiosa invocatione sunt honorandi.* Gregorius de Valentia contra Heerbrand. cap. 6. apolog. Respondemus: 1. aliud est honorare sanctos ut Dei amicos, aliud vero religiose et suppliciter eos invocare. 2. Vulgata versio discedit a fontibus veritatis, qui interprete Pagnino et Aria Montano sic habent: *Mihi quam pretiosae fuerunt cogitationes tuae o Deus! quam invaluerunt earum summae!* Vocabulum רֵעֶיךָ in hoc ipso psalmo v. 2. usurpatur pro *cogitatione*, eandem significationem obtinet in v. 17. ut scopus et antecedentium et consequentium textus ostendit. Docet enim propheta regius, in formatione hominis in utero materno, in ejusdem conservatione ac totius vitae gubernatione tanta exstare divinae potentiae ac sapientiae documenta, ut ea nec numero possint comprehendi, nec diligentia humana pervestigari, statim enim additur v. sequent. *dinumerabo eas,* id est si dinumerare illas velim, *multiplicabuntur prae arena.* 3. Si Latinam versionem amplectamur, nulla est hujus versiculi cum scopo psalmographi et cum antecedentibus ac consequentibus cohaesio, ut cuilibet primo statim intuitu est obvium. Secutus vero est interpres Latinus ut alibi ita quoque hoc loco LXX interpretes, qui reddiderunt *οἱ φίλοι σου*, pro רֵעֶיךָ legentes רֵעֶיךָ a nomine רֵעַ *socius*, *amicus, familiaris.* 4. Potiores interpretes *εἱρμὸν ἀκολουθίας* secuti de cogitationibus sive consiliis divinis exponunt, de sanctorum vero invocatione verbum nullum addunt. 6. Ps. 139. v. 17. Mihi honorificati sunt amici tui XVIII. 228.

466. 7. Os. 12, v. 4. de Jacobo patriarcha dicitur: *Invaluit ad angelum et confortatus est; flevit et rogavit eum. Ergo invocavit angelum, ac proinde etiam sancti invocari possunt, quippe qui sunt ἰσάγγελοι.* Ita concludit Salmeron. dicto loco. Respondemus: 1. Angelum illum, cum quo Jacobus fuit colluctatus, non creatum aliquem angelum, sed ipsum Dei Filium fuisse, colligitur tum *ex appellatione,* vocatur enim אֵל et אֱלֹהִים Gen. 32, v. 28 et 30. Jehova Elohe hazebaoth Ose. 12, v. 6. tum *ex benedictione* et animae salute, quam Jacobus ab hoc angelo impetravit, Gen. 32, v. 30. tum *ex cultus divini exhibitione,* quia Jacobus benedictionem ab hoc angelo petiit, quam a solo Deo se consecutum profitetur, Gen. 48, v. 15. tum *ex interpretum testificatione,* quia teste Pererio in comm. h. l. Justinus, Tertullianus, Hilarius, Ambrosius, Cyrillus, Theodoretus et alii ex veteribus dicunt, hunc angelum fuisse Dei Filium. Idem definitum in concilio Smyrnensi can. 14. 2. *ἰσαγγελότης* beatorum cum sanctis angelis non est latius extendenda, quam permittit comparationis tertium. Angeli sunt spiritus administratorii, quorum opera Deus utitur in voluntate sua hominibus denuntianda, unde in visibili specie quandoque apparent; sed de spiritibus 7. Osea 12. v. 4. Rogavit angelum.

defunctorum Scriptura nuspiam id ipsum testatur. 3. Angeli in coelo semper vident faciem Patris, Matth. 18, v. 10. Sed patres V. T. juxta hypothesin Pontificiorum descenderunt in limbum, in quo a beatifica Dei visione fuere remoti. Quomodo ergo angelorum et sanctorum V. T. hac in parte eadem poterit esse ratio?

Baruch 3. 4. Audi orationem mortuorum. 467. 8. Baruch 3, v. 4: *Domine omnipotens Deus Israël, audi jam orationem mortuorum, Israël et filiorum ipsorum, qui peccaverunt ante te. Ex hoc l. colligimus,* ait Salmeronius d. l. *solitum fuisse exaudire preces mortuorum patrum pro viventibus filiis.* Eodem argumento utitur Eccius in enchir. Respondemus: 1. liber Baruch non est in canone, primo quia non est scriptus lingua prophetica, sed Graeca, ergo nec Jeremias, nec Baruch est illius auctor. Hieronymus in praefat. Jerem. dicit, *hunc librum apud Hebraeos nec haberi nec*
XVIII. 229. *legi.* Secundo, quia repugnat libris canonicis cap. 1, v. 1. et 7. Tertio, quia pugnat cum veritate historica cap. 1, v. 11. Quarto, quia nec Israëlitica, nec primitiva ecclesia Christiana eum pro canonico habuit. Quinto, quia quidam ex ipsis Pontificiis agnoscunt, eum non esse canonicum. Joh. Dried. lib. 1. de catal. Script. cap. 4. ad difficult. 11: *Cyprianus, Ambrosius ceterique patres sententias citant ex libro Baruch, ex tertio et quarto Esdrae, non tanquam ex canonicis libris, sed tanquam ex libris continentibus dogmata quaedam pia juvantia et non contraria, sed potius consona fidei nostrae.* Melchior Canus lib. 12. locorum cap. 6. *Libellum Baruch non adeo explorate et firmiter in sacrorum numero ecclesia reposuit, ut aut illum esse sacrum fidei catholicae veritas expedita sit, aut non esse sacrum haeresis expedita sit. Libellus ergo iste vel quilibet alius, qui in quaestionem citra haereseos crimen vocari possit, non efficit certas atque constantes catholicae fidei veritates* 2. Quidam vocabulum νεκρῶν intelligunt *de mortuis spiritualiter in peccatis*, quo modo hoc verbum etiam in aliis Scripturae locis accipitur Ephes. 2, v. 1. Col. 2, v. 13. etc. additur enim καὶ υἱῶν τῶν ἁμαρτανόντων, *filiorum eorum qui peccant coram te.* Sed rectius *mortuorum* nomine metaphorice accepto intelliguntur Israëlitae in tantas angustias ac miserias tempore Babylonicae captivitatis redacti, ut in faucibus mortis versari viderentur ac quasi mortui haud immerito censerentur. Praecedit enim v. 3. *quia tu sedes in aeternum, et nos perimus in seculum,* ac sequitur v. 11. *coinquinatos cum mortuis reputatos cum iis, qui in sepulcrum, εἰς ᾅδου, descendunt.* In hac significatione verbum moriendi accipitur 1. Cor. 15, v. 31. *quotidie morior,* et 2. Cor. 11, v. 23. ubi *in mortibus* se fuisse saepius asserit. 3. Lyranus exponit de precibus, quas mortui ante suum ex hac vita discessum fuderunt. *Audi,* inquit, *nunc orationem mortuorum Israël, id est sanctorum patriarcharum et prophetarum, qui viventes oraverunt ad te pro bono statu posterorum.* 4. Si per *mortuos* intelligerentur sancti defuncti pro nobis intercedentes, consequens erit, illos ipsos, pro quibus sancti demortui intercedunt, orare, ut Deus eorum intercessorum preces audiat, hoc est pro suis intercessoribus intercedere.

468. 9. Siracid. 39, v. 17: *Exaudite me sancti et germinate quasi rosa plantata super fluxum humidum.* Respondemus: 1. Siracidis liber itidem non est in canone, primo, quia non est scriptus a propheta, nec lingua prophetica, sed Graeca. Avus Jesu, ut in prologo habetur, nonnulla Hebraice scripserat, ea hic Jesus transtulit in linguam Graecam. Sed nec illa Hebraica cum exstarent, canonicam auctoritatem habuerunt et jam penitus interciderunt. Secundo, quia auctor libri in prologo ipsemet scriptum suum a Mosaicis et propheticis distinguit, imbecillitatem suam agnoscens ac veniam sibi dari postulans, si Hebraeas sententias in linguam Graecam non ita commode verterit et sub onere suscepto defecerit. At Spiritus sanctus nec veniam petit, nec in verbis haeret, nec frustratur suo fine. Tertio, insunt quaedam analogiae fidei minus congrua cap. 1, v. 3. cap. 3, v. 34. cap. 24, v. 14. cap. 46, v. 23. cap. 48, v. 10. cap. 49, v. 5. Quarto, nec ab Israëlitica, nec a primitiva ecclesia Christiana pro canonico fuit habitus. Confer Epiphanium libr. de mens. et pond. Athanasium in synopsi, Hieronymum in prolog. Galeat. Ruffinum in symbolo etc. Quinto, Thomas part. 1. q. 89. art. 8. de auctoritate hujus libri dubitat eundemque in Scripturis canonicis apud Hebraeos haberi negat; quin et quosdam ex ipsis Pontificiis recentioribus de libri hujus auctoritate ambigere fatetur Pererius lib. 1. de magia cap. 11. pag. 59. 2. Vulgata versio, a qua ullo praetextu discedere Pontificiis ob XVIII. 230.
concilii Tridentini decretum religio est, sic reddidit: *In voce dicit, Obaudite me divini fructus et quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate.* Ubi nihil de religiosa sanctorum defunctorum invocatione auditur. *Obaudiendi* verbum vel pro simplici audire, vel pro obtemperare in vulgata versione alibi usurpatur, 3. Esdr. 4, v. 10. et 11. 4. Esdr. 8, v. 5. Sirac. 33, v. 30. cap. 42, v. 24. Baruch. 2, v. 5. cap. 6, v. 59. Quodsi ergo ad sanctos defunctos hunc locum accommodare velimus, consequens fuerit, illos nobis obedientes esse, nosque imperium in eos exercere posse, cum contrarium potius Pontificii statuant, videlicet sanctos defunctos esse nostrarum rerum praesides ac gubernatores. 3. Siracidi non est sermo de sanctis defunctis, multo minus ad defunctos sanctos, sed viventes admonet, ut divinorum operum magnitudinem considerent ac secum in Dei laudes descendant, neque admonitionem hanc susque deque habeant, sed eidem sese obsequentes praebeant. Verbum εἰσακούειν Arias reddidit *exaudire*, non quod de sanctis defunctis preces nostras exaudientibus sermo sit, sed compositum posuit pro simplice in significatione ea, qua vulgo dicitur *loquere clarius, ut exaudiri possis.* 4. In cap. 44. et seqq. Siracides ex professo de memoria et honore defunctorum sanctorum disserit,

9. Sirac. 39, v. 17. Exaudite me sancti.

sed religiosae invocationis ne verbo quidem meminit.

10. Matth. 8, v. 8. Luc. 7, v. 3. Centurio mittit legatos ad Christum.

469. 10. Matth. 8, v. 8. Luc. 7, v. 3. *Centurio commendatur, quod ex humilitate legatos ad Christum miserit, nec se judicarit dignum, qui ipsemet ad Christum accederet. Sic per sanctorum intercessionem ex humilitate nobis aditum paremus ad Christum.* Ita concludunt Eccius et Salmeron. d. l. et tom. 6. tract. 23. pag. 150. Censura Coloniens. pag. 209. Respondemus: 1. quaestio est de invocatione sanctorum defunctorum religiosa, non de intercessione viventium ex caritate profecta. 2. Centurio seniores illos Judaeorum non invocavit religiose et suppliciter, sed legationis munus ipsis demandavit. Cadaver igitur consequentiae est, quando sic concluditur: Centurio recte fecit seniores Judaeorum ad Christum ablegando et caritatis officium ab ipsis secum viventibus petendo. Ergo recte facimus defunctos sanctos religiose invocando et propter eorum merita nos exaudiri petendo. 3. Nondum certo constat, an hi, quorum intercessione centurio fuit usus, vere sancti fuerint, cum ex textu non possit firmiter colligi, quod in Christum crediderint eumque pro Messia agnoverint. 4. Christus non seniorum intercessioni, sed centurionis fidei beneficium sanitatis servulo praestitum adscribit. 5. Vera et Deo grata humilitas sequitur ductum verbi coelestis, in quo Deus voluntatem suam nobis patefecit. Sic quando nos indignos judicamus, qui precibus nostris in Dei conspectum absque mediatore prodeamus, ac proinde in Christi nomine preces fundimus, haec est vera et Deo grata humilitas, quippe verbo divinitus patefacto conformis; quando a fratribus nostris petimus, ut precibus suis nobis *συναγωνίζειν* haud graventur, itidem est vera et Deo grata humilitas; sed quando religiose invocantur defuncti sancti, honor soli Deo debitus ad eos transfertur, quod non potest ex vera humilitate proficisci.

11. Matth. 15, v. 23. Apostoli apud Christum intercedunt pro Cananaea. XVIII. 231.

470. 11. Matth. 15, v. 23. *Apostoli apud Christum intercedunt pro muliere Cananaea*, ex quo Stapletonus in promtuar. cath. part. 3. fer. 3. hebdom. prim. quadrages. p. 41. ita colligit: *Intercessio haec discipulorum pro muliere Cananaea a Christo prima vice nihil impetrante exemplum esse potest invocationis sanctorum, ut pro nobis apud Deum intercedant, cum a Deo confestim non exaudimur, ad majorem videlicet fidei, patientiae et perseverantiae probationem, sicut cum Cananaea Christus hic egit, tantisper eam exaudire differens, donec saepe atque identidem clamasset ipsosque apostolos, ut pro ea apud Christum intercederent, compellasset.* Respondemus: 1. Si vel maxime concedatur, apostolos et alios sanctos defunctos pro nobis intercedere, nondum tamen evictum, eos religiose a nobis esse invocandos, ut superius ostendimus. 2. Exemplum duntaxat affertur, quod vim probandi minime obtinet, nisi regulae id ipsum congruere demonstretur. 3. Falsum est, quod Christus fine eo distulerit auxilium, ut Cananaea prius imploraret apostolorum intercessionem. Vera et unica hujus dilationis causa est probatio fidei, patientiae et perseverantiae. 4. Unde vero probatur, Cananaeam implorasse apostolorum intercessionem? Salmeronius ipse dubitanter hac de re loquitur. *Forte*, inquit, *ab ea rogati intercesserunt apostoli.* Dicitur quidem clamasse *ὄπισθεν αὐτῶν*, quod eo sensu optime et simplicissime accipitur, quod lacrymis et voce querula auxilium a Christo petens ipsum et discipulos pone insecuta fuerit. 5. Discipuli urgent dimissionem, videri igitur possunt non tam ex misericordia et juvandi *προθυμίᾳ* quam ex impatientia pro hac muliere interpellare. Confer Marc. 6, v. 35. Luc. 18, v. 5. 6. Demus, Cananaeam apostolorum intercessionem petiisse, demus, eos ex sincero *συμπαθείας* et caritatis affectu intercessisse, nulla tamen consequentiae lege sic inferri poterit: Cananaea ab apostolis praesentibus et in carne viventibus intercessionem petiit. Ergo eandem a sanctis defunctis religioso cordis affectu petere possumus. Apostoli enim tum temporis calamitatem Cananaeae ex ipsius relatione in specie percipere potuerunt, qua speciali rerum, quae in terris geruntur, omnium notitia sanctos in coelo perfrui, nondum fuit demonstratum.

12. M[...] 27, v. [...] Eliam [...]cat ist[e]

471. 12. Matth. 27, v. 46. *Cum Christus in cruce clamaret, Eli, Eli lama asathani, v. 47. quidam illic stantes et audientes dixerunt: Heliam vocat iste*, ex quo colligit Salmeron. disput. 7. in 1. Timoth. 2. *fuisse tum temporis consuetum afflictis hominibus ad sanctos confugere ac Judaeos hoc dixisse, qui id ex lege noverant et intellexerunt, postulasse auxilium ab Helia.* Respondemus: 1. fatetur ipse Salmeron. pag. 473. *in V. T. non fuisse morem adeundi sanctos intercessores*, quod ipsum etiam fatetur Bellarminus, qua ergo veritatis specie hoc loco scribit, *fuisse tum temporis consuetum afflictis hominibus ad sanctos confugere?* 2. Quomodo Judaei ex lege intelligere potuerunt, Christum ab Helia auxilium postulare, cum in lege nullum exstet jota de auxilio ab Helia vel aliis sanctis implorando? 3. Ipsimet Pontificii disputant, sanctos non esse invocandos ut *auxiliatores* et auctores divinorum beneficiorum, sed tantum ut *intercessores*. 4. Verba illa, *Eliam vocat iste*, Hieronymus in comm. putat prolata a militibus Romanis, qui, cum ignari essent linguae Hebraeae nec intelligerent, Christum verbis ex Psalm. 22. petitis orare, putarint, Eliam celebrem illum in populo Judaico prophetam ab ipso invocari. Idem statuunt Dionysius Carthusianus, Glossa ordinaria, Cajetanus et Maldonatus in comment. hujus loci. Hanc senten- XVIII.
tiam si sequamur, in fumum abit Salmeronii argumentum, quia formam invocationis non debemus ab ethnicis militibus discere. 5. Verisimilius est, Judaeos verba Christi probe intellecta per diabolicum sarcasmum et virulentam illusionem in peregrinum sensum detorsisse et hoc convicio Christum deformare voluisse, quasi in agone jam constitutus abjecta omni in Deum fiducia ad sanctos se conver-

teret. Confer harmoniam de passione cap. 16. pag. 785. Hac ratione sanctorum invocationem vituperio potius quam laudi duxerunt. 6. Si vel maxime demus, tum temporis in populo Judaico fuisse usitatum afflictis ad sanctos defunctos agere, quod tamen nondum probatum, num propterea evictum erit, hanc consuetudinem nobis praebere formam Deum invocandi? Absit hoc, quia plures aliae vitiosae consuetudines eo tempore in populo Judaico erant receptae, in quibus corrigendis Christus et apostoli erant occupati.

13. Luc. 10, v. 16. Qui vos audit, me audit.

472. 13. Luc. 10, v. 16: *Qui vos audit, me audit. Ergo etiam qui vos orat, me orat.* Ita concludit Salmeron. pag. 465. Respondemus: 1. ex eo inferri posset, sanctos defunctos esse λατρείᾳ colendos (quia Christus λατρείᾳ est colendus), quod tamen Pontificii faciendum esse negant. 2. Christus loquitur de apostolis viventibus. Ergo etiam viventes sancti religiose et suppliciter erunt invocandi. 3. Qui apostolos et Christum audit, non invocabit sanctos, quia Christus et apostoli nuspiam docuerunt, sanctos defunctos esse invocandos, sed solum Deum in Christi Mediatoris nomine invocandum esse. 4. Loquitur Christus de apostolorum doctrina et ministerio, in quo *legatione funguntur loco Christi* 2. Cor. 5, v. 20. *missi ab eo*, sicut Christus erat missus a Patre suo coelesti Joh. 20, v. 21. Quodsi ex eo religiosam invocationem exsculpere velimus, omnes omnino ecclesiae ministri erunt religiose invocandi, quia de ipsorum etiam doctrina et ministerio ad regulam et praescriptum verbi accommodato recte dici potest, *qui eos audit, Christum audit.*

14. Joh. 12, v. 26: Si quis mihi ministraverit, honorabit eum Pater meus.

473. 14. Joh. 12, v. 26: *Si quis mihi ministraverit, honorabit eum Pater meus. Cur ergo et nos non honoremus ac invocemus sanctos?* Ita concludit Eccius d. l. Respondemus: 1. ab honore ad invocationem progredi est ab indeterminato ad determinatum, a genere ad certam speciem affirmate contra logicae regulas procedere. Augustinus contra serm. Arianor. cap. 23: *Honorat omnis, qui adorat, non adorat omnis, qui honorat.* 2. Calumniatorem agit Eccius, quando dicta, quae de honore sanctorum loquuntur, nobis opponit, tacite nos accusans, quod honorem debitum sanctis denegemus. 3. Sibi ipsi etiam contradicit. Negat enim, in Scripturis invocationem sanctorum praescribi, ac nihilo tamen minus ex Scripturis eandem probare allaborat. 4. Deus se honorantes et in Christum credentes non tantum in futura, sed etiam in hac vita honorat; nec tantum gloria, sed etiam gratia eosdem coronat. Quodsi ergo ex hoc honore religiosa invocatio legitime infertur, consequens fuerit, etiam viventes sanctos religiose esse invocandos.

15. Act. 27, v. 23: Angelus Dei cui XVIII. 233. servio.

474. 15. Act. 27, v. 23: *Adstitit mihi hac nocte angelus Dei, cujus sum ego et cui deservio, dicens: Ne timeas Paule, caesari te oportet sisti. Ergo apostolus serviit angelo, eundem juxta patriarchae Jacobi exemplum invocando, ut in angustiis auxilio suo ei praesto esset.* Ita concludit Jesuita quidam Paderbornensis, contra quem scripsit Affelmannus. Respondemus: 1. Salmeron non potuit in Actis invenire fundamentum aliquod Scripturae pro stabilienda sanctorum invocatione, sic enim scribit disput. 7. in 1. Tim. 2. tom. 15. pag. 459: *In evangeliis et epistolis nihil habetur expressum de invocatione sanctorum, sed demum in Apocalypsi.* Bellarminus, Costerus, Vasquezius et reliqui ἁγιοδουλείας assertores hunc locum ut parum idoneum praetermittunt. 2. Ferus, Hoffmeisterus, Lorinus, Stapletonus etc. in comm. h. l. nihil hic somniant de angelorum vel sanctorum cultu. 3. In Graeco est ᾧ καὶ λατρεύω. At si relativum ᾧ ad angelum pertinet, consequens fuerit, angelos esse λατρείᾳ colendos, quod tamen ipsimet adversarii negant. 4. Si excipere velint, λατρείας nomen καταχρηστικῶς ac per quandam ἀκυρολογίαν poni pro δουλείᾳ, opponimus ipsis thesin Bellarmini lib 1. de invoc. sanct. cap. 12. §. 13: *Scriptores sacri vocem λατρεία nunquam usurpant nisi pro cultu solius Dei, ut patet ex toto N. T.* 5. Pronomina ergo relativa οὗ καὶ ᾧ non ad angelum, sed ad Deum spectant, tanquam antecedens proximum, ut sit sensus, *adstitit mihi hac nocte angelus Dei, cujus Dei ego sum et cui Deo servio.* 6. Illi sese servire apostolus asserit, cujus se esse profitetur. Jam vero nuspiam dicimur *esse angelorum*, sed *Dei* utpote creatoris, redemtoris, reparatoris, sanctificatoris, resuscitatoris, regis ac domini nostri. 7. In aliis Scripturae locis non angelo, sed Deo sese servire apostolus asserit. Act. 20, v. 19: *δουλεύων τῷ κυρίῳ.* Rom. 1, v. 9: *Testis mihi Deus, ᾧ λατρεύω ἐν τῷ πνεύματί μου.* Philip. 3, v. 3: *οἱ πνεύματι θεῷ λατρεύοντες.* 2. Tim. 1, v. 3: *Gratias ago Deo, ᾧ λατρεύω ἀπὸ προγόνων.* Ergo et hoc in loco non angelo, sed Deo sese servire testatur. 8. Id ipsum probat hujus loci scopus in eo consistens, quod apostolus in praesentissimo naufragii periculo eos, qui in navi secum erant, erigere voluit divina promissione per visionem accepta de certa ipsorum incolumitate et salute a vero Deo ipsis praestanda, qua occasione etiam eos, quorum quidam adhuc erant gentiles et idololatrae, instruit, illum solum esse verum Deum, qui in omnibus periculis et adversis juvare possit, quem Paulus in evangelio praedicabat. 9. Quodsi omnino pronomen relativum ᾧ ad angelum referre velimus, per angelum intelligendus erit non creatus aliquis spiritus, sed Christus *Dei Filius*, cui non solum in V. sed etiam N. T. angeli nomen ob divinam missionem et officium tribuitur. Apocal. 7, v. 2. cap. 8, v. 3. cap. 10, v. 1. etc. Haec interpretatio confirmari posset ex eo, quod etiam alibi *Dominus Jesus* Paulo apparuerit, Actor. 9, v. 27. cap. 18, v. 9. cap. 23, v. 11.

475. 16. 2. Petr. 1, v. 4: *Sancti sunt divinae naturae consortes. Ergo etiam cultus divini, religiosae scilic. invocationis merito redduntur consortes.* Respondemus: 1. ipsimet Pontificii videri volunt, 16. 2. Petri 1, v. 4: divinae naturae consortes.

quod sanctis defunctis non tribuant cultum mere divinum *sed humano majorem*, *divino autem inferiorem sive intermedium*, ut loquitur Bellarminus, *vel cultum externum*, ut loquitur Costerus. 2. De sanctis in terra viventibus Petrus testatur, *quod divinae naturae consortes fuerint per Christum facti.* Quodsi ergo ex eo religiosae invocationis cultus defunctis sanctis asseritur, consequens fuerit, sanctos in carne adhuc viventes eodem esse honorandos. 3. Pii dicuntur consortes divinae naturae, non quod sint *dii per participationem*, ut loquitur Bellarminus de beat. sanct. cap. 9. sed per regenerationem, adoptionem, imaginis divinae in-
XVIII. 234. staurationem, gratiosam Dei inhabitationem etc. quae explicatio statim additur in textu v. 3. et 4. unde quidam θείας φύσεως nomine intelligunt divinas qualitates naturam Dei referentes, coelestem sc. sapientiam, puritatem, sanctitatem etc.

17. Apoc. 1. v. 4: Gratia vobis a septem spiritibus.

476. 17. Apocal. 1, v. 4: *Johannes septem ecclesiis, quae sunt in Asia. Gratia vobis et pax ab eo, qui est et qui erat et qui venturus est, et a septem spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt, et a Jesu Christo, qui est testis fidelis primogenitus mortuorum. Ubi Johannes pro fidelibus in Asia petit bonum spirituale, nempe pacem et gratiam non solum a Deo et Christo, sed etiam ab angelis. Ergo invocat non solum Deum et Christum, sed etiam angelos.* Ita concludit Becanus lib. de invoc. sanctor. pag. 88. Eundem locum urget Cudsemius in desperat. Calv. causa pag. 132. *Si sancti angeli*, inquit, *veniunt cum Deo in communionem distributionis coelestium gratiarum, cur non etiam orationis et precum? a quo enim aliquis boni aliquid accipit, ab illo istud recte et pie petere potest.* Eadem est sententia Blasii de Viegas in comm. cap. 1. et cap. 4. Apoc. Respondemus: *per septem spiritus* μετωνυμικῶς intelligitur Spiritus s. de quo ecclesia canit, *quod sit septiformis munere* (quae periphrasis συνεκδοχικῶς intelligenda, sensu sc. eo, non quod Spiritus sanctus septem duntaxat, sed quod omnium spiritualium charismatum auctor sit ac dator. Septenario autem numero ideo Johannes utitur, quia numerus septenarius est perfectionis ac notat multiplicitatem, Amos 1, v. 6. Prov. 24, v. 15. Psalm. 119, v. 164. Esa. 4, v. 1. simul etiam respectus habetur ad Esa. 11, v. 2. et 3. Zach. 4, v. 10. et ad septem ecclesias, quibus singulis unum eundemque spiritum tribuit). Probatur haec interpretatio, 1. *ex praedicati qualitate et conditione.* Johannes a septem spiritibus gratiam et pacem precatur septem ecclesiis. Jam vero gratiam et pacem, hoc est bona spiritualia et coelestia, dare non competit ulli creaturae sed soli Deo, unde apostoli in suis epistolis nuspiam ab angelis vel ulla alia creatura, sed a solo Deo Patre, Filio et Spiritu sancto gratiam illis, ad quos scribunt, precantur, quia pacis et gratiae unicus auctor est Deus. Rom. 1, v. 7. 1. Cor. 1, v. 3. 2. Cor. 1, v. 2. Gal. 1, v. 3. Eph. 1, v. 2. Phil. 1, v. 2. Col. 1, v. 2. 1. Thess. 1, v. 2. 2. Thess. 1, v. 2. 1. Tim. 1, v. 2. 2. Tim. 1, v. 2. Tit. 1, v. 4. 2. Joh. v. 3. Si excipere velint, *angelos deferre ad nos pacem et gratiam ut ministros*, addimus argumentum 2. *ex aequali septem spirituum cum Deo Patre et Filio copulatione.* Johannes *ab eo, qui est et qui erat et qui venturus est, et a Jesu Christo et a septem spiritibus* aequaliter gratiam et pacem ecclesiis precatur, et quidem per modum religiosae invocationis, unde particulam ἀπὸ ter repetit ac septem spiritus in eodem dignitatis gradu cum Patre et Filio collocat. Jam vero nulla creatura in beneficiorum collatione et religiosa invocatione aequaliter Deo copulatur. Athanasius serm. 4. contra Arianos pag. 259: *Nunquam quispiam precatur accipere a Deo et ab angelis aut ab ullis creatis rebus. Neque quisquam hanc verborum formam concepit, det tibi Deus et angelus, sed contra a Patre et Filio propter unitatem uniformemque rationem dandi.* 3. *Ex ordine et collocatione.* Septem spiritus, a quibus Johannes ecclesiis gratiam et pacem precatur, medio loco ponuntur inter Patrem et Filium. Ergo per illos non possunt intelligi spiritus creati sivi angeli. Quotiescunque enim angeli Deo et Christo ut ministri conjunguntur, tunc illis postponuntur. 1. Tim. 5, v. 21: *Testor coram Deo et Christo Jesu Domino et electis angelis.* Apoc. 3, v. 5: *Confitebor nomen ejus coram Patre meo et coram angelis ejus.* (Alia est ratio dicti Marc. 13, v. 32: *De die illa vel hora nemo scit, neque angeli in coelo, neque* XVIII. 235.
*Filius, nisi Pater*, ubi oratio assurgit.) Quod vero Spiritus Filio praeponitur, cum sit tertia deitatis persona, illud fit more in Scripturis etiam alibi recepto, quo ad omnem inaequalitatis suspicionem declinandam ordo personarum Trinitatis invertitur, Psalm. 33, v. 6. Joh. 15, v. 26. Act. 20, v. 28. 2. Cor. 13, v. 13. etc. adde quod Johannes voluerit copiosiorem de Christo sermonem instituere, ideo tertio loco eum nominavit, ne hyperbaton esset nimis longum et obscurum. Veteres darent hanc rationem, *quod Spiritus sanctus sit essentialis amor inter Patrem et Filium ac vinculum utriusque.* Sed si de creatis spiritibus, angelis scil., Johannes loqueretur, non posset dari ratio, cur eos Christo Deo Patri ὁμοουσίῳ praeponeret. 4. *Ex debita ad fidei analogiam applicatione.* Testatur fidei analogia, Spiritum sanctum esse verum cum Patre et Filio Deum, ac gratiam et pacem aeque esse dona Spiritus sancti ac Patris et Filii. Ergo interpretatio illa, qua per septem spiritus, a quibus Johannes gratiam et pacem ecclesiis precatur, est fidei analoga. Quorsum enim Johannes in hac sua εὐλογίᾳ praetermitteret Spiritum sanctum auctorem divinorum charismatum principalem et mentionem faceret angelorum, qui sunt administratorii duntaxat spiritus Hebr. 1, v. 14? hoc vero esset Dominum negligere et servos in ejus locum evehere. 5. *Ex aliorum Scripturae locorum collatione.* Usitatum est in εὐλογίαις propheticis et apostolicis itemque δοξολογίαις, vel trium vel duarum deitatis personarum explicitam mentionem fieri, ut in disput.

de benedictione ecclesiastica multis ostendimus. Confer Gen. 48, v. 15. Num. 6, v. 22. Psalm. 67, v. 7. Esa. 6, v. 3. Rom. 11, v. 36. 2. Cor. 13, v. 13. 6. *Ex aliarum interpretationum remotione.* Non possunt per septem spiritus intelligi *septem ecclesiarum Asiaticarum episcopi*, quia illis, non autem ab illis Johannes gratiam et pacem precatur; *non angeli creati*, ut patet ex adductis rationibus; *non septem virtutes divinae providentiae*, quae sunt fortitudo, beneficentia, justitia, sapientia, patientia, comminatio, severitas, ut vult Alcasar, quia a comminatione et severitate non descendit pax et gratia; *non dona duntaxat Spiritus sancti*, quia inter illa locum obtinet gratia et pax, quam apostolus hic precatur; nec potest commode *ad personam Filii* referri hoc sensu, pax sit vobis a Filio Dei sedente in throno, coram quo sunt septem spiritus, quos habet. Nam in sequente demum versu fit mentio Filii, et Johannes precatur pacem et gratiam non solum ab habente septem spiritus, sed etiam ab ipsis septem spiritibus. Relinquitur igitur, quod commodissima sit interpretatio, qua per septem spiritus μετωνυμικῶς intelligitur Spiritus sanctus. 7. *A potiorum interpretum testificatione.* Justinus in paraenesi ad Graecos: *οἱ ἱεροὶ προφῆται τὸ ἓν καὶ τὸ αὐτὸ πνεῦμα εἰς ἕπτα πνεύματα μερίζεσθαί φασιν.* Glossa ordinaria: *Spiritus sanctus est unus natura, gratiarum diversitate multiplex.* Aretas, Primasius, Beda, Hayma, Rupertus, Ansbertus, Lyra, Thomas, Joachimus abbas et alii in comm. h. l. *per septem spiritus intelligunt septem dona Spiritus sancti vel quod idem est spiritum sanctum munere septiformem.* Huic interpretationi opponunt Becanus, Viegas, Ribera et alii, *quod septem illi spiritus dicantur esse in conspectu throni Dei, quod Scriptura solet praedicare de angelis, qui Deo assistunt et ministrant* Tob. 12, v. 15. Apoc. 8, v. 2. cap. 15, v. 6. Respondemus: aliud est esse in conspectu throni Dei vel coram throno Dei, aliud Deo assistere vel stare in conspectu Dei. Hoc posterius de angelis Dei ministris et legatis in Scriptura dicitur, prius vero etiam Filio et Spiritui sancto tribui consuevit. Prov. 8, v. 30.
XVIII. 236. dicit Sapientia: *Eram cum eo.* Dan. 7, v. 13: *Adspiciebam in visione noctis, et ecce cum nubibus coeli quasi Filius hominis veniebat et usque ad antiquum dierum pervenit, et in conspectu ejus appropinquare fecerunt eum.* v. 9. *Fluvius igneus egrediebatur a facie ejus.* Apocal. 4, v. 5. *Septem lampades ardentes ante thronum sunt septem spiritus Dei.* cap. 5, v. 6: *Angelus in medio throni habet oculos septem, qui sunt septem spiritus missi in omnem terram.* cap. 22, v. 1: *Ostendit mihi fluvium aquae vivae splendidum tanquam crystallum procedentem de throno Dei et Agni.* Falsum igitur est, omnia ea, quae dicuntur esse in conspectu Dei vel coram throno Dei, Deo serviliter ministrare. Psalm. 96, v. 6: *Laus et magnificentia est in conspectu ejus.* Sap. 4, v. 4: *Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam.* Adde quod Spiritus sanctus hic describatur a suis donis et consideretur ratione donorum, quae sunt coram throno Dei, quia dona illa semper coram throno majestatis divinae praesto sunt, ut credentibus conferantur. Denique respectus habetur ad personalem Spiritus sancti a Patre et Filio distinctionem, cujus ratione dicitur esse coram throno Dei, procedere de throno Dei, cum ratione essentiae et ὁμοουσίας sit in ipso Dei throno.

477. 18. Apoc. 8, v. 3: *Alius angelus venit et stetit ante altare habens thuribulum aureum et data sunt ei incensa multa, ut daret orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum*, v. 4. *et adscendit fumus incensorum de orationibus sanctorum ex manu angeli coram Deo.* Ex h. l. colligunt, *angelos preces nostras Deo offerre ac proinde etiam religiose a nobis invocari posse.* Ad hoc argumentum alludit Bellarminus lib. 1. de beat. sanct. cap. 16. §. 7. Respondemus: Per hunc angelum intelligitur ipse *Christus*, quod probamus *1. ex angeli hujus descriptione.* Proponitur enim hic angelus *ut sacerdos accedens ad altare, habens thuribulum in manu sua*, qui suo suffitu suavis odoris preces nostras facit Deo gratas et acceptas, sicut in V. T. sacerdos accedebat ad altare suffitus, ut immolaret suffitum Deo, Exod. 30, v. 7. quo suffitu preces praefiguratas fuisse patet ex Psalm. 141, v. 2. Jam vero nullus est sacerdos noster in aeternum nisi solus Christus, *angelus foederis*, Malach. 3, v. 1. *angelus magni consilii*, ut in LXX interpretum versione vocatur Esa. 9, v. 6. Ergo solus Christus est ille angelus, qui ut sacerdos ad altare aureum cum thuribulo accedere dicitur. 2. *Ex angeli hujus operatione.* Dicitur hic angelus *accepisse thuribulum et implevisse illud igne altaris atque abjecisse in terram* v. 5. cum quo confer Ezech. 10, v. 2: *Ubi vir indutus lineis implet pugnos suos prunis ignis ex intervallo Cherubinorum et spargit contra civitatem*, quem locum de Christo veteres interpretatos esse notat Hieronymus in comm. Ezech. 9. is enim praefiguratus fuit per sacerdotem V. T. vestibus lineis indui solitum. Confer etiam dictum Christi Luc. 12, v. 49: *Ignem veni missurus in terram.* Dicitur hic angelus preces nostras Deo offerre, *quia fumus incensorum de manu ejus adscendit coram Deo.* Jam vero illi soli competit preces nostras Deo offerre, quo intercedente et mediante illas Deus gratas habet et exaudit, neque enim Deus *intercessore admonente* opus habet, sed nos indigemus *intercessore mediante*, cum peccata nostra *inter Deum et nos dividant*, Esa. 59, v. 2. Ergo ille per hunc angelum intelligitur, quo intercedente et mediante preces nostrae divinitus exaudiuntur. Jam vero testatur universa Scriptura, Christum esse unicum illum mediatorem nostrum, qui se ipsum pro nobis obtulit in odorem suavitatis Deo, qui Patri suo nos reconciliavit, per quem habemus aditum ad Deum, qui appareat vultui Dei, ut interpellet pro nobis, qui
faciat, ut preces nostrae Deo sint acceptae. 3. *Ex* XVIII. 237.
*antecedentium et sequentium connexione.* Nam hic

angelus suffitum faciens distinguitur *a septem angelis coram Deo stantibus*, quorum mentio fit v. 2. per quos intelliguntur spiritus administratorii, qui usitata Scripturae phrasi *Deo adstare* dicuntur Dan. 7, v. 10. Luc. 1, v. 19. cum ad ministerium semper sint accincti ac parati. Ergo in v. 3. non describitur creatus aliquis angelus. *4. Ex aliorum locorum collatione.* Quod de manu angeli fumus incensorum, h. e. orationes sanctorum adscendere dicuntur coram Deo, id alibi sic exponitur, *quod Christus sit sacerdos noster in aeternum, qui sanguine crucis patefecerit nobis aditum ad Deum, semper apparens ante thronum Dei, ut pro nobis interpellet, ut per ipsum offeramus sacrificia laudis assidue.* Confer Rom. 5, v. 2. Eph. 3, v. 12. 1 Tim. 2, v. 5. Hebr. 4, v. 16. cap. 7, v. 25. cap. 9, v. 24. cap. 13, v. 15. etc. *5. Ex interpretum testificatione.* Augustinus in annot. super Apoc., Primasius, Beda, Haymo, Ambrosius, Ansbertus, glossa ordinaria, Anselmus Laudunensis glossae interlinearis auctor, Anselmus Cantuariensis, Richardus a S. Victore, Thomas, Hugo Cardinalis etc. de Christo hunc locum exponunt. *6. Ex adversariorum confessione.* Blasius de Viegas in comm. Apoc. cap. 8. sect. 2. pag. 343: *De manu angeli, i. e. Christi. Nec recte quidam e recentioribus dicunt, Christum nusquam angelum absolute dici, satis est ex conseqq. Christum esse colligere.* Claudius Espencaeus in append. commentarii in epist. Tim. tract. de Christo Mediat. cap. 9. statuit, *per Christum et unicum et solum mediatorem Dei et hominum oblationes et preces nostras esse exaudibiles.* Quodsi ergo per solum Christum preces nostrae sunt exaudibiles, utique etiam per ipsum solum ut unicum mediatorem eaedem Deo offeruntur. Non est quod regeras, Tob. 12. *angelo creato tribui, quod preces nostras Deo offerat*, hoc ipsum enim una cum aliis argumentis probat, librum illum non esse canonicum.

Rationes excogitatae pro sanctorum invocatione.

478. Addunt etiam rationes, sed quae facili negotio dissolvuntur, 1. *Christum licet invocare. Ergo etiam sanctos licet invocare.* Ita concludit Salmeron. tom. 15. pag. 464. Respondemus: quidni etiam sic concludit, Christus est verus cum Patre et Spiritu s. Deus. Ergo etiam sancti sunt verus cum Patre et Spiritu s. Deus. Christus est unus mediator Dei et hominum. Ergo etiam sancti sunt unicus ille mediator. Πρῶτον ψεῦδος residet in eo, quod Salmeron. officium mediatoris Christo secundum humanam tantum naturam competere ac proinde ut hominem tantum pro nobis interpellare praesupponit, ex quo confici posse arbitratur, etiam sanctos pro nobis interpellare et per consequens esse religiose invocandos, sic enim scribit pag. 459. praeced.: *Certissimum est, Christum pro nobis interpellare. Orat autem non ut Dei Filius, quia non est distinctus in natura divina a Patre, nec eget, nec alteri servit. Si ergo non ut Deus orat, precabitur, quatenus homo est, quodsi ut homo orat, ergo etiam sancti orant. 2. Humilitatis est non immediate ad Deum et Christum accedere, sed sanctos ut patronos et intercessores sibi adjungere.* Gregorius de Valentia cont. Heerb. de idolom. papat. cap. 6: *Ideo frequentius Mariam invocamus quam Deum Patrem, quod reverenter ad divinae majestatis thronum accedere velimus tanquam ab ipsa Dei matre introducti.* Salmeron. d. l.: *Christus dedit nobis sanctos, ut si forte ejus majestate et auctoritate terreremur, sanctorum saltem hominum, qui peccatores sicut nos exstiterunt et mala nostra experti sunt, patrocinium postularemus.* Respondemus: hac ratione fiducia, qua per Christum mediatorem ad thronum gratiae accedere debemus, vel ex toto, vel ex parte ad sanctos transfertur, ac major laus clementiae, bonitatis et misericordiae tribuitur sanctis, quam mediatori XVIII. 238.
Christo, qui tamen se ipsum pro nobis in mortem tradidit, quoque nullus majorem erga nos caritatem habet, Johan. 15. v. 13. Opponimus vero huic opinioni aureolum illud epist. Hebr. 4, v. 15: *Non habemus pontificem, qui non possit compati nostris infirmitatibus, tentatum autem per omnia secundum similitudinem absque peccato.* v. 16. *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilium opportunum.* Vera humilitas consistit in vera erga Deum oboedientia et reverentia. Quae ergo potest esse humilitas discedere a norma et forma invocationis in verbo praescripta et juxta proprii cordis arbitrium sine mandato, sine promissione, sine probato exemplo sanctos invocare? *3. Non tantum concessum est, ut oremus sanctos, sed etiam ad id faciendum nos lege aliquando tenemur. Inprimis ecclesia ecclesiasticis et laicis constat, sacerdotes vero, qui ad divinum officium persolvendum arctantur, saepe sanctos invocare coguntur, laici vero tenentur assistere officiis sacerdotum, quae in nomine totius ecclesiae celebrant et per quorum ora laudant et orant Deum. Ipsi ergo debent dicere amen in benedictione sacerdotis et ita optare, ut eveniant, quae ecclesia petit. Ergo inter alia exauditionem per sanctos.* Salmeron. pag. 466. Respondemus: petitur principium. De eo enim quaestio est, an missae, litaniae, breviaria, officia etc. in quibus religiose a sacerdotibus et monachis invocantur sancti, sint verbo Dei conformia. *4. Cogimur dies festos sanctorum cum ecclesia celebrare; ergo et sanctos invocare cum ecclesia eos invocante.* Salmeron. d. l. Respondemus: festa celebrantur vel in memoriam sanctorum, vel ad religiosum eorum cultum. Prius concedimus, posterius improbamus. Augustana confess. art. 21: *De cultu sanctorum docent* (ecclesiae nostrae), *quod memoria sanctorum proponi potest, ut imitemur fidem eorum et bona opera juxta vocationem, sed Scriptura non docet invocare sanctos seu petere auxilium a sanctis* etc. In V. T. festa erant pars divini cultus utpote speciali Dei mandato Israëlitis commendata, sed in N. T. non habetur expressum aliquod mandatum de hoc vel illo festo celebrando,

ideoque eorum celebratio per se et absolute loquendo non est pars religiosi cultus. Col. 2, v. 16. proinde ex eo, quod festa in memoriam et honorem sanctorum celebrantur, non potest inferri, quod sint religiose colendi et invocandi. *5. Quidquid exhibetur principibus, parentibus, praeceptoribus* etc. *id merito deferri potest ac debet sanctis cum Christo viventibus. Sed caput aperire, genua flectere, in terram se abjicere est cultus externus et honor humanus principibus, parentibus, praeceptoribus delatus. Ergo idem sanctis tribui potest.* Costerus in ench. pag. 396. Respondemus: argumentum est a quaestione alienum, quia inter nos et Pontificios quaestio est *non de honore humano*, sed *de cultu religioso*, qui sit *humano major*, ut Bellarminus loquitur, unde Cotonus lib. 1. inst. cath. cap. 19. pag. 100. honorem δουλείας sanctis debitum ab honore, quem regibus, principibus, parentibus etc. deferimus, manifeste distinguit. Adde quod sit dispar ratio exteriorum horum gestuum, quando ad cultum civilem et externum testandum eos adhibemus et quando ad religiosum invocationis cultum significandum adhibentur. Prius fit in honore parentibus, principibus, praeceptoribus etc. praesentibus exhibito, posterius fit in honore, qui defunctis sanctis a Pontificiis exhibetur, qua ratione per hosce gestus externos interior religiosus cultus significatur, quod sc. sanctos statuant esse omniscios καρδιογνώστας, praesentes, juvandi facultate instructos. Rationes, quas Costerus adducit pag. 409. principium petunt et ex superioribus sine negotio dissolvuntur. Atque haec dicta sint de invocatione

XVIII. 239. sanctorum, de qua si quis plura expetit, adeat ex nostris *Chemnicium in examine concilii Tridentini, Mentzerum in disput. antipistor. Schröderum in apodixi de sanctis honorandis, non invocandis Joh. Jacobum Bernhardum in libr. de invocat. sanctor. edit. Hagae ann. 1611. Affelmannum in conflictu contra Jesuit. Padeborn. Rostoch. ann. 1616. Garthium de invoc. sanctor. contra Becanum Witeb. 1618.* quorum laboribus grata mente in hujus quaestionis ἐργασίᾳ nos alicubi usos esse profitemur. Confer etiam Mornaeum lib. 3. de sacrif. miss. cap. 13. et Ursinum in stupend. templ. Jesuitici etc.

Quaeritur 8. An pontifici competat potestas canonizandi sanctos?

479. Quaeritur 8. *An pontifici Romano competat potestas canonizandi sanctos?* Quando Pontificii disputant, *sanctos esse invocandos*, non intelligunt sanctos in terris adhuc viventes, nec omnes sanctos defunctos cum Christo regnantes, sed peculiariter ac proprie illos defunctos sanctos, qui sunt a papatu canonizati, h. e. in numerum sanctorum relati et ad invocationem publicam omnibus propositi. Hanc quaestionem de canonizatione sanctorum quatuor capitibus includit Bellarminus, 1. *an sancti jure canonizentur*, in quo demonstrando lib. 1. de beat. sanct. cap. 7. ita progreditur, ut primo explicet, *quid sit canonizatio*, quam dicit nihil esse aliud *quam publicum testimonium ecclesiae de vera sanctitate et gloria alicujus hominis jam defuncti et simul judicium ac sententiam, qua decernuntur ei honores illi, qui debentur iis, qui cum Deo feliciter regnant.* Secundo enumerat *honores, qui debentur sanctis canonisatis*, quos septenario numero complectitur. *Primum enim qui canonizantur, inscribuntur in catalogum sanctorum, h. e. statuitur ac jubetur, ut ab omnibus publice habeantur ac dicantur sancti; secundo invocantur in publicis ecclesiae precibus; tertio templa et arae in eorum memoriam Deo dicantur; quarto sacrificia tam eucharistiae, quam laudum et precum, quod vulgo officium sive horae canonicae nuncupatur, in honorem eorum Deo publice offeruntur; quinto dies festi in eorum memoriam celebrantur; sexto pinguntur eorum imagines addito certo quodam lumine in signum gloriae, quam habent in coelo; septimo eorum reliquiae preciosis thecis includuntur et publice honorantur.* (Cotonus lib. 1. instit. Cathol. cap. 26. pag. 140. addit *octavum, quod peregrini ad eorum memoriam celebrandam itare possint, locum, in quo sepulti sint, invisere, Deo ibidem vota persolvere et alia pietatis officia obire, quae sanctis in ecclesia tribuuntur.*) Hisce praemissis tertio Bellarminus demonstrare conatur, *utile esse sanctos canonisari*, ubi profert haec argumenta, 1. *Deus ipse voluit, a sanctis scriptoribus annotari in particulari gloriosam vitam et mortem eorum, qui tempore ipsorum floruerunt, ut patet ex Ecclesiast. cap. 44. et seqq, et ex Actis apostolor. Igitur credibile est, eodem modo velle Deum, ut deinceps fiat. 2. Tenemur sanctos honorare et laudare, tum quia Scriptura hoc jubet Eccles. 44. tum quia virtus ipsorum hoc meretur, tum quia nobis utile est ad plurima beneficia eorum intercessione promerenda. At nisi sciamus, qui sint veri sancti et qui non, non possumus eos colere, ut oportet. 3. Ex ratione imitationis. Sancti enim sunt exempla quaedam virtutum et norma rectae vitae et quasi lucernae quaedam a Deo accensae, ut omnibus aliis praeluceant* Hebr. 13. *At non possumus accendi ad imitationem, nisi in particulari sciamus, qui sint imitandi et quid illi egerint aut passi sint. Et lucerna in candelabro poni debet, id quod fit per canonisationem. 4. Ex conjunctione, quam cum illis habemus, si quidem sumus membra unius corporis et membra invicem compatiuntur et congaudent. Oportet ergo eos nobis compati et pro nobis solicitos esse, quod sine dubio faciunt, etiam in particulari et e contrario nos illis congaudere et pro illorum gloria Deo gra-* XVIII. 240.
*tias agere, quae sine particulari notitia fieri non possunt. 5. Ex incommodis. Nam nisi judicio ecclesiae certi sancti proponerentur colendi, facile fieri posset, ut populus saepe erraret et damnatos pro beatis coleret. 2. Cujus sit sanctos canonisare?* in cujus quaestionis ἐργασίᾳ ita progreditur cap. 8. ut notet, *duobus modis aliquem posse canonizari. Uno modo articulariter, ita ut solum in una provincia aut dioecesi habeatur sanctus et colatur pro sancto. Alio modo generaliter, ita ut in tota ec-*

*clesia habeatur pro sancto, nec ulli liceat de ejus sanctitate dubitare. Primo modo dicit potuisse olim quemlibet episcopum canonizare, sed quod olim licuit, modo non licere, quia Alexander III. et Innocentius III. videntes abusus, qui oriebantur circa sanctorum cultum, prohibuerunt, ne deinceps aliquis pro sancto coli inciperet sine Romani pontificis approbatione, ut patet cap. 1. et 2. de reliquiis et sanctorum veneratione. Secundo modo canonizare statuit, ad summum pontificem unice pertinere, cum id habeatur c. Audivimus etc. cum ex eo, de reliquiis et venerat. sanctorum c. Venerabili de testibus et attestationibus, ac pateat etiam ratione. Nam ad eum spectat proponere toti ecclesiae, quid sit credendum et quid sit agendum in iis, quae sunt religionis, qui toti ecclesiae praeest. Item declarare, qui sint haeretici, ita ut a tota ecclesia pro talibus habeantur, est summi pontificis. Ergo declarare, qui sint sancti et colendi, ejusdem erit pontificis. 3. Sitne infallibile judicium ejus, qui sanctos canonizat?* in cujus quaestionis discussione cap. 9. sic progreditur, ut statuat, *ecclesiam, hoc est pontificem Romanum* (nam ita se ipsum in ἐπιγραφῇ capitis explicat), *non errare in sanctorum canonizatione, ita ut sine ulla dubitatione sancti ab ecclesia canonizati sint venerandi.* Primo, *quia si liceret dubitare, an sanctus canonizatus sit sanctus, liceret etiam dubitare, an sanctus sit colendus. At hoc est falsum, quia August. epist. 118. dicit, insolentissimae insaniae esse disputare, an sit faciendum, quod tota ecclesia facit. Praeterea omnes veteres sine ulla dubitatione sanctos coluerunt et colendos asseruerunt. Denique tenemur oboedire pontifici indicenti diem festum alicujus sancti, nec tamen possumus contra conscientiam aliquid agere. Ergo non possumus dubitare, an sit colendus ille, qui ab ecclesia est canonizatus.* Secundo, *ex incommodis duobus. Nam inprimis fraudarentur non sancti suffragiis vivorum, nam pro canonizatis non licet orare; deinde fraudarentur etiam viventes intercessionibus sanctorum, invocarent enim saepe damnatos pro beatis, si ecclesia in hoc erraret.* Tertio, *miracula magna et diligenter examinata faciunt rem evidenter credibilem. At sancti non canonizantur a pontifice ordinarie, nisi claruerint magnis et certis miraculis.* Quarto, *probatur ex praeparatione. Nam antequam sancti canonizentur, indicuntur jejunia et preces publicae et tota res diu et diligentissime examinatur. Non est autem credibile, Deum non adesse ecclesiae suae sic dispositae et supplicanti.* Ultimo, *probatur a posteriori, quia in aliis rebus, in quibus pontifices errare possunt, aliquando re ipsa deprehenduntur errores, at in hoc nullus usquam error deprehensus est.* Cotonus lib. 1. instit. Cathol. cap. 29. pag. 144. addit aliam rationem. *Quae rationes,* inquit, *D. Matthiae consecrationem ratam fecerunt, cum in numerum apostolorum cooptatus fuit, eaedem nunc divorum religiosam apotheosin comprobant. 4. An liceat sanctos nondum canonizatos colere?* ad quam quaestionem capite 10. respondet per distinctionem, *licere privato cultu, non autem publico eos honorare.* Vocat autem publicum cultum *non eum, qui coram aliis exhibetur, sed qui nomine totius ecclesiae et tanquam ab ecclesia institutus exhibetur.* Atque hic est Bellarmini de sanctorum canonizatione discursus. In ceremoniali Romano libro 1. capite 2. agitur de iis, quae fiunt in die canonizationis: *Postquam pontifex aliquem sanctum haberi jussit, diaconus clamat, ora pro nobis N. Item diaconus* XVIII. 241. *a dextris stans ante pontificem dicit alte: Confiteor Deo omnipotenti* etc. *Et post apostolos nominat sanctum N. cui peccata sua confitetur. Et in fine dat pontifex indulgentias eum invisuris.*

**Quid de hac Pontificia canonizatione statuendum.**

480. Nos facile concedimus, 1. memoriam sanctorum in ecclesia conservandam Hebr. 13, v. 7: *Mementote praepositorum vestrorum, qui locuti sunt vobis verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis imitemini fidem.* 2. De gloriosa ipsorum vita et morte pro re nata in ecclesia conciones institui posse. Eccles. 44, v. 15: *Sapientiam ipsorum narrent populi et laudem eorum nuntiet ecclesia.* 3. Historias ipsorum scriptis mandari posse, exemplo Siracidis in fine libri, Lucae in Actis et apostolorum in epistolis. 4. Fidem, caritatem, patientiam, constantiam et virtutes sanctorum ad imitationem ecclesiae proponi posse, pro cujusque tamen pii statu et vocatione. 1. Petr. 3, v. 6: *Filiae Sarae estis benefacientes.* 5. Sanctos esse honorandos ac laudandos, quod donis Dei fideliter usi fuerint, quod Deo in generatione sua servierint, quod talenta sibi concredita in ecclesiae usum converterint. Gal. 1, v. 24: *Deum in me glorificabant.* 6. Sanctos esse exempla quaedam virtutum et quasi lucernas quasdam a Deo accensas, ut aliis praeluceant. 7. Esse communionem ecclesiae militantis et triumphantis. 8. Veros sanctos ab impiis et Christi martyres a diaboli martyribus esse distinguendos. Haec omnia, inquam, haud inviti concedimus, sed canonizationem sanctorum in papatu receptam improbamus, 1 quia illa hunc finem et scopum sibi habet propositum, ut defuncti sancti in publicis ecclesiae precibus religiose invocentur, templa et arae ipsis dedicentur, sacrificia eucharistiae et laudum in eorum honorem Deo offerantur, reliquiae eorum religioso cultu honorentur etc. Antoninus part. 3. summ. tit. 12. cap. 8: *Proponuntur per canonisationem sancti, ut exemplar fidei et sanctae vitae et ab omnibus adorandi et in necessitatibus invocandi.* Atqui talem honorem sanctis defunctis minime competere jam ante ostendimus. 2. Quia de tali sanctorum canonizatione nullum proferri potest ex Scriptura mandatum, nullum probatum exemplum. De quo ne dubites, adscribam verba ipsius Bellarmini cap. 8. in fin. *Sancti veteres,* inquit, *ante Leonis tempora coeperunt coli in ecclesia universali non tam lege aliqua quam consuetudine.* At quod ex consuetudine descendit, non nititur divino aliquo mandato.

In ἀποθεώσει gentilium (de qua Plinius hist. nat. lib. 2. cap. 7. Cicero libr. 2. de nat. deorum etc.) citius invenerint canonizationis hujus originem quam in Scripturis sacris. 3. Quia ignota fuit primitivae ecclesiae apostolis vicinae, qua de re idem Bellarminus d. l. sic scribit: *Primus pontifex, ni forte fallor, qui sanctos legatur canonizasse, videtur fuisse Leo papa III. teste Ludgero in epist. de mirac. sancti Suiberti cap. 9. in 2. tomo Surii.* At hic Leo vixit tempore Caroli Magni circa 800. Christi annum. Cotonus Jesuita lib. 1. inst. Cath. cap. 28. pag. 143: *Quae nunc fit multo exactior et accuratior coelitum canonizatio, initium habuit circa annum a Christo Domino octingentesimum, cum supplicante Carolo Magno idque etiam religiose postulante Hildebaldo archiepiscopo Coloniensi, papa Leo III. magnis augustisque ceremoniis ad divorum sanctimoniam aggregavit S. Suibertum Verdae primum episcopum* etc. 4. Quia sanctorum canonizatio non competit papae, sed Christo unico N. T. summo sacerdoti et confessionis nostrae pontifici. Hebr. 2, v. 17. cap. 3, v. 1. cap. 4, v. 14. cap. 5, v. 10. cap. 6, v. 20. cap. 7, v. 26. cap. 8, v. 1. cap. 9, v. 11. is canonizat sanctos *per aeternam praedestinationem* et in librum vitae scriptionem Eph. 1, v. 4. Luc. 10, v. 20.
III. 242. Apoc. 17, v. 8. *per vocationem* ad ecclesiae consortium *et meriti sui applicationem* 2. Tim. 1, v. 9. 1. Cor. 1, v. 2. *per regenerationem, renovationem, illuminationem, sanctificationem* 1. Cor. 6, v. 11. Eph. 4, v. 24. Tit. 3, v. 5. etc. *per gloriosam praedicationem* in Scriptura, quae est verus et unicus canon sanctitatis ac sanctorum Psalm. 19, v. 5. Gal. 6, v. 16. *per glorificationem* in coelo Roman. 8, v. 30. etc. 5. Quia pontifex in hac canonizatione sua potest errare, tum quia non est καρδιογνώστης, qui veram et internam cordis sanctitatem introspicere eandemque ab externa et hypocritica secernere possit 1. Sam. 16, v. 7. *Deus novit, qui sunt sui*, infallibili judicio veritatis 2. Tim. 2, v. 19. homines de aliorum sanctitate pronuntiant judicio caritatis. *Nemo enim novit, quae sunt in homine, nisi spiritus cujusque, qui in ipso est* 1. Cor. 2, v 11. tum quia ipsi Pontificii concedunt, *in quaestionibus facti, adeoque in iis, in quibus ab hominum aliorum testificatione pontifex pendere necesse habet, ipsum errare posse*, Bellarminus lib. 4. de pontif. cap. 12. tum quia quem unus pontificum in canonem coelitum recepit, alius inde excludere fuit conatus. Sic Hermannum Ferrariensem in numerum divorum antea relatum Bonifacius VIII. inde exemit ejusque cadaver jam ante 30 annos humatum e sepulcro eruit et concremari jussit teste Balaeo. 6. Quia canonizatio illa sanctorum procedit ab illis, qui ipsimet minime sancti sunt. Ludovicum Franciae regem papa Bonifacius VIII. canonizabat, de quo pontifice publice dicebatur veriverbio: *Intravit ut vulpes, regnavit ut leo, mortuus fuit ut canis.* Panormitanus dixit, *multos pontifices ejusmodi vitam agere, ut verisimile non sit, illos vel resurrectionem mortuorum vel vitam aeternam credere.* Benno refert, *quod quinque pontifices se totos consecrarint Satanae*, Sylvester scilicet II. Benedictus IX. Johannes XX. Johannes XXI. et Gregorius VII. Nauclerus et Platina testantur, *omnes pontifices a Sylvestro II. usque ad Gregorium VII. inclusive fuisse magos. Fatemur, fieri posse*, scribit Costerus in enchir. cap. 3. *ut Petri successor (pontifex Romanus) idola colat, apud se forte de fide non recte sentiat, adeoque diabolicis artibus operam navet* etc. At qualis canonizatio sanctorum ab his fuerit speranda? 7. Quia papa canonizavit illos, qui vel nunquam fuerunt, vel non sancti fuerunt, ut constat ex iis, quae dicta funt superius § 417. Gregorius VII. Liberium Arianum inter divos retulit annotante Balaeo ex Bennone. Thomas Beketus in Anglia caesus, quod per seditionem clerum regis obsequio subducere conatus esset, clero nihilominus procurante ab Alexandro III. relatus est in numero sanctorum, quanquam quaestione inter Sorbonistas Parisiis ventilata, *utrum damnatus, an salvatus esset*, nonnulli morte ac damnatione dignum pronuntiarunt, quod contumax esset in regem Dei ministrum. Caesarius lib. 8. dial. cap. 69. Guinardum, Jacobum, Clementem et alios regicidas in divinorum numerum referre pontifices minime dubitant. 8. Quia canonizatio illa injuria est in reliquos sanctos. Cur enim aliquos et non omnes sanctos pontifex canonizat? Refert Wernerus Westphalus auctor illius historiae, quae Fasciculus temporum inscribitur, Isuardum quendam monachum jussu Caroli Magni omnes legendas et actus sanctorum in unum volumen collegisse, indeque factum, ut in singulos dies ultra trecenta festa sanctorum concurrerint. Si hodie omnes sancti essent canonizandi, in singulos anni dies non trecenta, sed tria millia sanctorum festa inciderent. Quot enim infantes baptizati moriuntur, de quorum sanctitate et salute dubitare fas non est; quot adulti vere pii et sancti in coelos transferuntur, qui tamen a papa non canonizantur. Quin imo cur solos defunctos canonizant ac vocant sanctos, cum Scripturae phrasi ac stylo omnes vere pii et in Christum credentes etiam in hac vita sint XVIII. 243.
sancti? 9. Quia canonizatio illa ne ipsis quidem Pontificiis omnibus probatur. Petrus de Alliaco circa annum 1415. in libro de reformatione ecclesiae *prohibendum esse* censet, *ne tot novi sancti canonizentur.* Georg. Cassander in consult. art. 21. inter abusus doctrinae et praxeos de cultu sanctor. recenset, *quod veteribus et compertis sanctis propemodum neglectis novos et incognitos vulgus hominum ardentius et impensius colat, de quorum sanctitate obscurius constat et nonnulli per revelationes tantum innotuerunt* etc. 10. Quia tota illa de Pontificia sanctorum canonizatione disputatio hypothesibus nititur, vel manifeste falsis, vel saltem dubiis et incertis, quales sunt, *sanctos esse religiose colendos et invocandos; cultum sanctorum esse utilem ad beneficia eorum intercessione promerenda;*

*exempla sanctorum esse normam rectae vitae; ad pontificem pertinere, ut toti ecclesiae praescribat, quid sit credendum et agendum in iis, quae sunt religionis; pontificis esse, et quidem solius, declarare, qui sint ab universa ecclesia pro haereticis habendi; cultum sanctorum ex consuetudine ecclesiae introductum vim habere ex approbatione tacita vel expressa Romani pontificis; judicium pontificis esse judicium totius ecclesiae*; *pontificem non posse errare, sed ejus judicium esse infallibile; omnes veteres sine ulla dubitatione sanctos religiose coluisse et colendos asseruisse; ex miraculis de alicujus sanctitate infallibile judicium fieri posse; nullum unquam in canonizatione sanctorum deprehensum fuisse pontificis errorem* etc. Hisce hypothesibus omnibus ac singulis a Bellarmino, qui eas totidem verbis recenset, firmiter probatis canonizationem sanctorum a pontifice Romano institutam non amplius oppugnabimus.

---

## CAPUT VIII.

## DE CONTRARIIS MORTIS.

Contraria seu pugnantia mortis.

481. Atque haec dicta sint de primo novissimo, videl. *de morte hominis, cujus exposuimus ἐτυμολογίαν, ὁμωνυμίαν, συνωνυμίαν, causam efficientem, materiam in qua* sive *subjectum, formam, finem et effectum, objectum, adjuncta,* quae sunt *tempus, numerus, antecedentia et consequentia*, tum *ratione totius compositi*, tum *singularum partium, corporis* scilicet *atque animae* respectu. *Contraria* sive *pugnantia* sunt 1. beata illa immortalitas, ad quam primus homo fuit conditus, qua per peccatum excidit et ad quam in vita aeterna electi iterum adspirabunt. 2. Alexipharmacum contra mortis venenum a Christo et in Christo nobis paratum, ejus enim mors est mors nostrae mortis, *ipse mortem destruxit, lucem autem vitae et ἀφθαρσίαν reduxit* 2. Tim. 1, v. 10. 3. Efficacissimae consolationes in verbo evangelii nobis propositae, quae mortis terrori ac amarori opponendae, de quibus paulo post dicetur plenius.

---

## CAPUT IX.

## DE USU HUJUS LOCI.

Usus 1. theoreticus. XVIII. 244. 2. practicus.

482. Descendimus enim vel tandem ad *usum* hujus novissimi, qui est tum *θεωρητικός*, tum *πρακτικός*. *Theoreticus usus* est tum *διδακτικός*, tum *ἐλεγκτικός*, ut doctrinam de morte ex verbo Dei recte discamus et contra quasvis corruptelas pio studio asseramus. Practicus est, *παραινετικός*, exhortatorius, tum *παρακλητικός*, consolatorius.

1. *παραινετικός*. exhortatorius.

1. Usus *παραινετικὸς* complectitur necessariam illam admonitionem, ut mortalitatis nostrae quotidie memores ad mortem mature singulis diebus, imo horis, imo momentis nos praeparemus. Ut autem huic admonitioni obsequentes nos praebeamus, permovere atque impellere nos debent 1. *divina mandata*, tum *generalia*, de novissimis jugi meditatione expendendis, Sirac. 7, v. 40. cap. 28, v. 6. cap. 38, v. 21. inter ea enim primum locum obtinet mors, ultima linea rerum ex eo dicta, tum *speciale* de mortis meditatione. Eccl. 12, v. 1: *Memento creatoris tui in diebus juventutis tuae, priusquam veniant dies mali*, v. 5. *quoniam ibit homo in diem aeternitatis suae.* Quoties Deus aliorum funera ob oculos nobis ponit, toties nostrae nos admoneri sciamus mortalitatis; quoties coemeteria, ossium conditoria ac sepulcra, Graecis *μνημεῖα ἀπὸ τοῦ μιμνήσκειν*, Latinis *monumenta*, quasi monimenta dicta, intuemur, toties nostrae mortis nobis subeat memoria, quia mortuus ex sepulcro compellat nos per Siraciden cap. 38, v. 23: *μνήσθητι τὸ κρῖμά μου, ὅτι οὕτως καὶ τὸ σὸν, ἐμοὶ χθὲς, καὶ σοὶ σήμερον, memento judicii mei, quoniam sic erit etiam tuum, mihi heri et tibi hodie.* Quoties Deus morbos nobis immittit, toties mortalitatem nostram in memoriam nobis revocat, quia morbi sunt mortis caduceatores et anteambulones. *2. Sanctorum suspiria.* Psalm. 39, v. 5: *Domine fac me scire finem meum et mensuram dierum meorum, quae sit; noscam, quanti aevi ego, vel scio, quod temporalis sim.* v. 6. *Ecce ut palmi mensuram posuisti dies meos et tempus meum tanquam nihil coram te.* Psalm. 90, v. 12: *Ut numeremus dies nostros, scire fac, et adducemus cor nostrum in sapientiam.* Quotidie oculis nostris observantur aliorum funera, interim tamen non attendimus, non cogitamus, non expendimus, etiam nobis moriendum esse, ideo David et Moyses viri Dei tam solicite petunt, ut Deus per Spiritum suum hanc salutarem meditationem cordibus ipsorum instillet. *3. Patrum monita.* Origenes hom. 9. in Exod.: *Tintinnabula in veste summi sacerdotis per indumenti circuitum nos admonent, ut de extremis vitae temporibus nunquam sileamus, sed inde semper sonemus, inde disputemus et loquamur.* Hieronymus in epist. ad Heliodor: *Platonis sententia est, omnem sapientum vitam meditationem esse mortis. Debemus et nos igitur praemeditari, quod aliquando futuri sumus et quod velimus nolimus, abesse longius non potest.* Ephremus lib. 1. de compunct. cord. cap. 7: *Disce de hesterno atque hodierno die, quomodo hesternus quidem quasi flos matutinus excessit, hodiernus vero quasi umbra vespertina transibit.* Gregorius in homil.: *Horam ultimam idcirco Dominus noster nobis voluit esse incognitam, ut semper possit esse suspecta, ut dum illam praevidere non possumus, ad illam sine intermissione properemus.* Bernhardus de inter. domo cap. 45: *Singulis horis cogitare debemus, quo singulis momentis properamus.* Climacus admonet, *ut quilibet mortem ante oculos semper habeat eamque indissolubili matrimonii vinculo sibi despondeat, ut cum illa simul cibum capiat, cum illa dormiat et*

*cum illa a somno excitatus vigilet timeatque semper in vita mortem, ut mortis metum evadere possit. Quo enim illam absentem magis timuerit, hoc minus praesentem timebit. 4. Piorum facta.* Multi curaverunt sepulcra sibi excidi, cum adhuc viverent ac valerent, Exempla vide Genes. 50, v. 5. 2. Paral. 16, v. 14. Esai. 22, v. 16. Matth. 27, v. 60. *Messodanus* jam senex, cum ab amico in crastinum vocaretur convivium, *cur me vocas in crastinum,*
XVIII. 245. inquit, *qui a multis annis crastinum non habui, sed mortis adventum in singulos dies exspectavi, quae nobis nunquam non insidiatur, donec nos incautos etiam interdum opprimat?* Guido Bituricensis ex histor. eccles. Constantinopoli usitatum fuit, ut illo ipso die, quo imperator coronam caesaream susciperet, ad eum in sublimi throno sedentem accederet coementarius proponens illi lapidum genera aliquot, ut ex his unum eligeret, e quo sibi tumulum fabricari vellet. Camerarius part. 1. meditat. histor. cap. 12. ex Isidoro. Maximilianus II. imperator laudatissimus aliquot ante obitum annis non solum in cubiculo sandapilam semper secum habuit, sed etiam quocunque profectus est, una cum reliqua supellectile secum deportari voluit, ut perpetuum mortalitatis suae μνημόσυνον habere posset. *5. Saniorum gentilium dicta et exempla.* Plato in Theag.: *Vita sapientum est assidua mortis meditatio.* Seneca epistol. 26: *Incertum est, quo in loco te mors exspectet, itaque tu illam omni loco exspecta.* Idem: *Venientem mortem nemo hilaris excipit, nisi qui se diu ad eam composuit.* Idem: *Vivere in tota vita discendum ac in tota vita discendum est mori.* Epistol. 25: *Quidquid facies, semper mortem respice.* Idem: *Omnis dies velut ultimus ordinandus est. Effice mortem cogitatione tibi familiarem, ut si sors ita tulerit, possis illi obviam exire.* Epistol. 30: *Tu mortem, ut nunquam timeas, semper cogita.* Epistol. 71: *Tanquam migraturus habita. Propone tibi quandoque hoc contubernio carendum. Felicior eris ad necessitatem exeundi.* Zaleucus prooem. legum suarum Locrensibus latarum hoc apposuit: *Morituros omnes injuriarum, quas commiserunt memores, poenitentia invadit et vehemens cupiditas, qua vellent exactam sibi vitam omnem fuisse justam. Quamobrem singulos oportet semper in singulis actionibus illud tempus adeo suis cogitationibus familiare facere, ac si praesens esset. Ita enim maxime honesti justique cura vigebit.* Stob. serm. 42: θάνατος καὶ φθορὰ καὶ πάντα τὰ ἄλλα δεινὰ πρὸ ὀφθαλμῶν ἔστω σοὶ καθ' ἡμέραν καὶ οὐδὲν οὐδέποτε ἐνθυμηθήσῃ, οὔτε ἄγαν ἐπιθυμηθήσῃ, ait Epictetus ap. Melissam lib. 10 orat. 19. Musonius apud Stobaeum serm. 1. interrogatus, *quis optime extremum diem claudere posset? qui semper,* respondit, *postremum vitae diem sibi instare proposuerit,* οὐκ ἔστι τὴν ἐνεστηκυῖαν ἡμέραν καλῶς βιῶσαι μὴ προθέμενον αὐτὴν ὡς ἐσχάτην βιῶσαι. Herodotus lib. 2. commemorat, apud Aegyptios more receptum fuisse, ut in epulis quidam cadaver ligneum, sed quam proxime ad verum effectum circumferret et convivis illud monstrans diceret: εἰς τοῦτον ὁρέων πῖνέ τε καὶ τέρπευ, ἔσεαι γὰρ ἀποθανὼν τοιοῦτος, *in hunc intuens bibe et oblecta te, talis post mortem futurus.* Coelius Rhodig. lib. 10. lect. antiq. cap. 37. refert, Philippum Macedoniae regem, Alexandri Magni patrem, singulis diebus per puerum sibi acclamari jussisse: *Rex Philippe cogita, te esse hominem et mortalem.* De Saladino Aegyptio sultano scribit Baptista Campofulgosus lib. 7. cap. 2. quod in processione solenni obsoletam tunicam sibi praeferri curaverit ac simul per praeconem proclamari jusserit, *tantundem Saladinum Asiae domitorem ex hoc mundo secum referre. 6. Necessitas summa.* Singulis horis, imo momentis mors nobis impendet, necessarium igitur est, ut singulis momentis ad eam nos praeparemus, ne incautos nos opprimat et aeternae morti nos tradat, *ab uno enim illo momento pendet aeternitas.* In omni loco mors nobis insidiatur, necessarium igitur est, ut in omni loco eam exspectemus, ne alicubi nos non satis munitos ac firmatos aggrediatur. Seneca epist. 67: *Quorundam vitam mors in medio flore praecidit, aliorum interrumpit ipsa principia, alius inter coenam dissolutus est, alterius continuata mors somno est, aliquem concubitus exstinxit.* Quare cum a mortis periculo nunquam XVIII. 246.
et nuspiam simus liberi, in quotidiana mortis meditatione non debemus esse desides aut remissi. *7. Utilitas maxima.* Mortis meditatio multiplicem omnino praestat utilitatem, quam Ludovicus Granatensis in lib. de quatuor noviss. ad septem capita revocat, prodest enim 1. *ad majorem Dei timorem et diligentiorem praeparationem ad mortem per poenitentiam de anteactis peccatis et cautionem a futuris; 2. ad mundi contemtum et sui humiliationem; 3. ad virtuosam vitam amplectendam; 4. ad patientiam in omni tribulatione corroborandam; 5. ad fidem et spem de futura vita confirmandam; 6. ad caritatem erga Deum et proximum inflammandam; 7. ad vitam aeternam ardentius appetendam.* Bonaventura in 7. diaeta cap. 36: *Sex potissimum efficit mortis consideratio: 1. peccata fugere, 2. mundum contemnere, 3. se ipsum despicere, 4. vitam praesentem recte regere, 5. praesentem laetitiam temperare, 6. recte praesentem et futuram vitam dividere.*

482. Possumus etiam utilitates istius meditationis hac distributione complecti, quod sit tum efficax ὁρμητήριον et incitamentum *ad bonum faciendum,* tum salutare ἀντιφάρμακον ac προφυλακτικὸν medicamentum *ad malum fugiendum.* Ὁρμητήριον est 1. *ad maturandam poenitentiam.* Qui vitae hujus fragilitatem ac mortis singulis momentis impendentis atrocitatem ob oculos sibi posuerit, non differet poenitentiam in diem crastinum, cum crastinum vitae diem sibi polliceri non possit. Eccl. 5, v. 8. Confer tract. de poenit. §. 141. membr. 4. Quam facile ac cito filum in textura rumpitur, tam facile ac cito vitae nostrae tela absciinditur. Job. 7, v. 6: *Dies mei velocius transierunt, quam a texente*

*tela succiditur*, in quem locum sic commentatur Gregorius: *Congrua similitudine tempus telae comparatur, quia sicut tela filis, sic vita mortalis diebus singulis proficit, sed quo ad augmentum proficit, eo ad incisionem tendit. Cum enim tempora percepta praetereunt, ventura breviantur, tela enim duobus lignis innectitur, ut texatur, sed quo inferius texta involvitur, eo superius texenda duplicatur, et unde se ad augmentum multiplicat, inde fit minus quod restat. Sic nimirum vitae nostrae tempora et transacta quasi inferius involvimus et ventura a superiori deplicamus, quia quo plus fiunt praeterita, minus esse incipiunt futura.* Esa. 38, v. 12. eadem metaphora utitur rex Ezechias: *Praecisa est velut a texente vita mea, dum adhuc ordirer, succidit me*, q. d. in ipsis primis filis vitae meae disponendis telam meam et spes terrenas omnes praecidit. Quare cum hac ipsa hora ex corporis et mundi domicilio nobis forte emigrandum sit, ecquis in sequentem horam poenitentiam differre velit? Augustinus epist. 3: *Semper ante oculos nostros versetur ultimus dies, et cum diluculo surrexerimus, non ad vesperam nos confidamus pervenire, et cum in lectulo membra nostra deposuerimus, de lucis non confidamus adventu. Ita facile poterimus corpus nostrum a vitiis et concupiscentiis refrenare. 2. Ad terrenorum contemtum ac despicientiam.* Esavus sese moriturum cogitans ad fratrem Jacobum dicit Gen. 25, v. 32: *Ecce ego vado, ut moriar, et quid mihi proderunt primogenita?* ipse quidem profano animo istaec protulit, interim pius animus ad salutarem usum verba illa applicat ac dirigit, quando meditationes mortis terrenorum contemtum inducere ex illis colligit. Psalm. 39, v. 8. cum David suam mortalitatem et rerum mundanarum vanitatem diligentius expendisset, tandem subjungit: *Et nunc quid exspectavi Domine? exspectatio mea in te ipsa*, q. d. in rebus terrenis ac transitoriis nullum invenio spei fundamentum, nullum gaudii subsidium, ideo cor meum ab illis aversum ad te elevo. Psalm. 73, v. 18: *Posuisti eos in lubrico;* v. 20. *velut somnium ab ho-*
XVIII. 247. *mine expergefacto imaginem eorum spernes.* v. 26.
*Tu vero Domine petra cordis mei et pars mea in seculum.* Hieronymus in epist. ad. Paulin.: *Facile contemnit omnia praesentia, qui se cito credit moriturum.* Augustinus in Psalm. 38. prope fin.: *Quid in hac terra certum est nisi mors? considera omnia omnino vel bona vel mala hujus vitae, vel in ipsa justitia, vel in ipsa iniquitate. Quid hic certum est nisi mors? profecisti? quid sis hodie, scis, quid sis crastino, nescis. Speras pecuniam, incertum est, an proveniat; speras uxorem, incertum est, an accipias, vel qualem accipias; speras filios, incertum est, an nascantur. Nati sunt, incertum est, an vivant; vivunt, incertum est, an proficiant, an deficiant. Quocunque te verteris, incerta omnia, sola mors certa. Pauper es, incertum est, an ditescas; indoctus, incertum est, an erudiaris; imbecillis, incertum est, an convalescas. Ceterum natus es, certum est, quia morieris etc. Itaque omnia hic incerta sunt, ubi sola mors certa, cujus etiam hora incerta, et sola multum cavetur, quae sola nullo modo devitatur.* Bernhardus serm. 8. de mod. bene viv. ad. sor.: *Si quotidie mortem nostram ad memoriam reducimus, libenter omnia terrena contemnimus; si diem mortis nostrae in mente habemus, cito omnia, quae in hoc mundo sunt, despicimus. 3. Ad vitae aeternae ἐπιθυμίαν ac coelestium bonorum appetentiam.* Qui se brevi moriturum cogitat, is spretis terrenis toto cordis affectu coelestia desiderat exclamans cum Davide Psalm. 39, v. 13: *Peregrinus apud te ego et incola, ut omnes patres mei,*

*ξεῖνος ἐγὼ κόσμου καὶ οὐρανοῦ εἰμι πολίτης,*
*hospes sum mundi, sed civis et incola coeli;* et cum Paulo Hebr. 13, v. 14: *Non habemus hic civitatem manentem, sed futuram requirimus*, ubi particula adversativa ἀλλά vim quandam illationis simul obtinet, non habemus hic civitatem manentem, ideo futuram inquirimus. Hieronymus ad Cyprian. tom. 4. pag. 45: *Qui recordatur, se quotidie moriturum, contemnit praesentia et ad futurum festinat. 4. Ad veram in adversis patientiam.* Ultimus morborum medicus et omnium malorum finis mors est, qui ergo se brevi moriturum cogitat, is morbos et quaevis adversa in morte finem habitura patienter tolerat. Calamitates hujus vitae apostolus 2. Cor. 4, v. 17. appellat τὸ παραυτίκα ἐλαφρὸν τῆς θλίψεως propter brevitatem et fugacitatem hujus vitae, cum qua omnes finiuntur, ecquis igitur calamitates tam brevi tempore duraturas patienter tolerare recuset? *5. Ad divini numinis reverentiam. Timete eum*, inquit Salvator, *qui potest animam et corpus perdere in gehenna* Matth. 10, v. 28. qui est vitae ac mortis dominus, qui *habet claves mortis et inferni* Apoc. 1, v. 18. *qui vivificat et mortificat* 1. Sam. 2, v. 6. ecquis enim eum non timeret, quem in se vitae ac mortis imperium habere cognoscit? Chrysostomus homil. 5. ad pop. Antioch. recte nos confert pueris, qui larvas timent, ignem non timent. *Pueri parvi*, inquit, *larvas timent, ignem non timent, sed si ad lucernam portari contingat, manum immittunt flammae; sic nos timemus mortem, quae est larva contemtu digna, peccatum (quo Deus offenditur) non timemus, quod est vere timendum et ignis more conscientiam corrodit.*

483. Eadem meditatio est salutare ἀντιφάρμακον ac προφυλακτικόν a quibusvis peccatis hominem revocans. Sir. 7, v. 40: *Memorare novissima* (inter quae primum locum obtinet mors), *et in aeternum non peccabis.* Hieronymus ad Cypr. tom. 4. p. 45: *Memento mortis tuae, et non peccabis.* Augustinus lib. 2. de Genes. contra Manichaeos c. 28: *Nihil sic revocat homines a peccatis, quemadmodum imminentis mortis cogitatio.* in specul. peccator c. 5: *Quid est in omni scientia, quod hominem provocet facilius ad sui custodiam et omnem injustitiam*
*expellendam, ad sanctitatem in timore Dei perfi-* XVIII. 248
*ciendam, quam suae corruptionis consideratio, suae*

*mortalitatis certa cognitio, postremo tremendae mortis suae recordatio? Quando enim homo fit non homo, hoc est quando aegrotescit, aegrotando crescit, vultus pallescit, facies nigrescit, oculus obtenebrescit, auris surdescit, nasus putrescit, lingua fatiscit, os obmutescit, corpus tabescit, caro marcescit; tunc pulchritudo carnis foetor efficitur et putredo resolvitur in cinerem et vertitur in vermem, ecce satis horribile spectaculum etc.* Gregorius lib. 12. moral. *Qui considerat, qualis erat in morte, semper pavidus erit in operatione atque in oculis conditoris sui vivet. Nil quod transeat, appetit, cunctis vitae praesentis desideriis contradicit et paene se mortuum considerat, quia moriturum se minime ignorat. Perfecta enim vita est mortis meditatio, quam dum justi solicite peragunt, culparum laqueos evadunt.* Idiota in libro de contemplat. mortis: *Memoria mortis quotidiana prodest ad deprimenda carnalia desideria.* Thomas de Kempis lib. 1. de imitat. Christi cap. 21: *Si frequentius de morte tua quam de vitae longitudine cogitares, non dubium est, quin ardentius te ipsum corrigeres.* In specie contra septem capitalia, quae sic vocant vitia, salutare remedium in quotidiana mortis meditatione nobis est propositum. 1. *Contra superbiam*, Gen. 18, v. 27. inquit Abraham: *Ecce nunc coepi loqui ad Dominum meum* וְאָנֹכִי עָפָר וָאֵפֶר *et ego cinis et pulvis*, id est cum sim cinis et pulvis. Sirac. 10, v. 9: *Quid superbit terra et cinis?* v. 13. *Cum moritur homo, hereditabit serpentes et bestias et vermes.* Timor de futura morte mentem necessario concutit et quasi clavis carnis omnes motus superbiae ligno crucis affigit. 2. *Contra avaritiam.* Luc. 12, v. 16: *Hominis cujusdam divitis ager uberes protulit fructus*, v. 17. *et cogitabat intra se dicens, quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos?* v. 18. *et dixit, hoc faciam, destruam horrea mea et majora faciam et illuc congregabo omnia, quae nata sunt mihi et bona mea*, v. 19. *et dicam animae meae, anima, habes bona multa reposita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare.* v. 20. *Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam a te repetent, quae autem parasti cujus erunt?* Congruunt cum hac parabola Christi etiam alia Scripturae dicta. Psalm. 39, v. 6: *Tempus meum tanquam nihil coram te, vere universa vanitas, omnis homo virens congregat et nescit, qui colligit ea*, Lutherus, er sammelt und weiß nicht wer es krieget. Jerem. 17, v. 11: *Perdix colligit ova et non parit sive excludit ea; sic qui facit divitias et non in judicio, in dimidio dierum suorum derelinquet eas, et in novissimo suo erit insipiens.* (Perdix alterius perdicis ova, id est aliena, furatur et eis incubat fovetque; cumque foetus adoleverint et vocem ejus audierint, quae ova generarit, avolant et alienum parentem relinquunt; sic divitiae malis artibus partae avolant et diripiuntur. Ambrosius lib. 6. hexaëm. c. 3. Hieronymus in comm. illius loci.) Baruch. 3, v. 17: *Ubi sunt, qui argentum thesaurisant, et aurum, in quo confidunt homines, et non est finis acquisitionis eorum;* v. 18: *qui argentum fabricant et solicitudine magna comparant, et non est inventio operum illorum, exterminati sunt, ad inferos descenderunt et alii surrexerunt pro illis.* 1. Tim. 6, v. 7: *Nihil intulimus in mundum, manifestum, quod nec quidquam efferre possumus.* Augustinus lib. 5. de civit. Dei cap. 18: *Felices non faciunt nos terrenae divitiae, aut nobis viventibus amittendae, aut nobis mortuis, a quibus nescimus vel forte a quibus nolumus possidendae.* Bernhardus in serm.: *Quid thesaurisat quis in terra, cum sine dilatione transeat, et illud, quod colligitur, et ille, qui colligit? Post hominis mortem tria quaerunt sortem: vermis carnem, Satanas animam, posteritas rem. 3. Contra luxuriam.* Cur
tam delicato cibo saginas corpus, quod brevi erit XVIII. 249.
esca vermium? Quid profuit illis, qui in luxuria corporis et praesentibus vitae voluptatibus usque ad ultimum diem permanserunt? Intuere nunc sepulcra eorum, ubi nunc ipsorum voluptas? nullum profecto inter corpora divitum et pauperum discrimen reperies praeter hoc solum, quod divitum cadavera utpote delicatius et cibis variis nutrita foetore superant pauperum corpora, qui pane cibario et lutulenta aqua contenti fuerunt. *Edamus et bibamus*, inquiunt Epicurei, *cras enim moriemur.* Es. 22, v. 13. Sap. 2, v. 6. 1. Cor. 15, v. 32. sed veri Christiani ac pii dicunt: *Jejunemus et oremus, cras enim moriemur et post mortem judicio Domini praesentabimur. 4 Contra invidiam.* Invidiam merito exstinguere debet meditatio mortis omnibus ex aequo communis, quae *diaboli invidia in mundum intravit* Sap. 2, v. 24. *Moriuntur pariter magnus ac parvus, servus et liber* Job. 3, v. 19. *sapiens ac stultus* Psalm. 49, v. 11. *Ne gaudeas ergo in mortuo inimicissimo tuo, memento, quod omnes morimur* Sir. 8, v. 8. *5. Contra gulam.* Multi avide hic devorant, quod in sepulcro, imo in inferno demum digerunt. Es. 5, v. 11: *Vae iis, qui surgunt mane, ut ebrietatem sectentur, qui morantur usque ad crepusculum, donec vinum eos aestuare faciat.* v. 14. *propterea dilatavit* שְׁאוֹל *sepulcrum et infernus animam suam.* Hab. 2, v. 5: *Dilatavit sicut infernus animam suam et ipse veluti mors, et non saturabitur, et congregabit ad se omnes gentes et coadunabit ad se omnes populos.* Innocentius serm. de miser. vitae: *Gula carum tributum exigit, sed vilissimum reddit, quia quanto sunt delicatiora cibaria, tanto foediora erunt cadavera. 6. Contra iram.* Sir. 28, v. 5: *Homo caro exsistens conservat iram? Memento novissimorum et desine inimicari.* Cum mortales simus, iras immortales gerere minime convenit. Eph. 4, v. 26: *Sol non occidat super iram vestram, ne furoris vestri testis abscedat.* Lactantius lib. 6. instit. c. 18. Sensus est, quod reconciliatio fraterna non sit differenda in crastinum, ut colligitur ex Deut. 24, v. 15. quia incertum est, an diem crastinum vivendo attingere possimus. 7. *Contra acediam.*

*Praecipita tempus, mors atra impendet agenti.* Gal. 6, v. 10: *dum tempus habemus, bonum operemur.* Quod hodie peragendum, ne differas in crastinum, quia nescis, an vitae tuae longitudo se extendat in crastinum. Sic ergo in mortis meditatione contra capitalia vitia antipharmacum praeservativum videmus esse propositum. *Superbiam* deprimit cogitata *mortis foeditas*; *avaritiam* inexspectata *mortis celeritas*; *luxuriam* horribilis *mortis foecunditas*; *invidiam mortis aequalitas*; *gulam mortis aviditas*; *iram mortis potestas*; *acediam mortis anxietas.*

2. Usus παρακλητικός consolatorius. 484. 2. Usus παρακλητικὸς in eo consistit, ut consolationes morti opponendas animo complectamur et cordi probe infigamus, iisdemque contra mortis terrorem mature nos muniamus. Antequam vero fontes praecipuarum consolationum ex verbo Dei aperiamus, enumerabimus potiores *philosophicas consolationes*, quas saniores gentiles luce verbi destituti ex lumine naturae hauserunt iisdemque contra mortis terrorem utcunque sese sustentarunt, non quod mixturam quandam divinae et humanae sapientiae conficere velimus, sed ut ex mutua collatione doctrina verae ecclesiae de consolationibus morti opponendis magis dulcescat et majoris a nobis aestimetur. Ut enim primam ac praecipuam mortis causam, quae est peccatum per unum hominem
XVIII. 230. in mundum introductum, philosophi ignorant, ita quoque salutare remedium in Christo mortis victore et vitae reparatore nobis propositum non habuerunt cognitum, ideo veram et solidam consolationem mortis terrori et amarori opponendam invenire non potuerunt. Ceterum philosophicae illae consolationes revocari possunt ad haec capita. Primum est *mortis necessitas.* Cum enim omnibus omnino hominibus tandem moriendum sit, stultum esse dicunt timere illud, quod mutare non possis ac irrito mortis metu totius vitae tranquillitatem turbare. *Ut nemo miratur liquefactum, quod potuit liquescere; sectum, quod erat sectile; exustum, quod exustibile; ita mirandum non est mortuum esse, qui erat mortalis,* ait Plutarchus in moral. cui conforme illud. Senec. ep. 30: *Tam stultus est, qui mortem timet, quam qui senectutem. Nam quemadmodum senectus adolescentiam, sic mors sequitur senectutem.* Ep. 78: *Nemo tam imperitus est, ut nesciat, sibi quandoque moriendum, tamen cum prope accesserit, tergiversatur, tremit et plorat. Quid fles miser? quid trepidas? omnes hac necessitate ducuntur, eo ibis, quo omnia eunt. Ad hanc legem natus es etc. an non putabis, te ad id aliquando perventurum, ad quod semper ibas? nullum sine exitu iter est.* Menander βροτοῖς ἅπασι κατθανεῖν ὀφείλεται. Isocrates ad Demonic.: τὸ τελευτῆσαι πάντων ἡ πεπρωμένη κατέκρινε, τὸ δὲ καλῶς ἀποθανεῖν ἴδιον τοῖς σπουδαίοις. Cicero Tuscul.: *Natura dedit usuram vitae tanquam pecuniae nulla praestituta die. Quid est igitur quod querare, si repetit cum vult? ea enim conditione acceperas.* Anaxagoras absens morti ab Atheniensibus adjudicabatur, id nuntianti respondit: *Jam olim istam sententiam tulit natura aeque in illos atque in me*, sentiens, Athenienses non minus addictos morti, quam esset is, quem damnarent. *Aliis aliud mortis genus obtingit, sed omnibus eadem est moriendi necessitas*, Laërtius lib. 2. dict. phil. Idem cum rerum naturalium causas auditoribus explicaret interque disserendum de filii morte nuntium sermone cujusdam acciperet, paululum oratione inhibita dixit iis, qui una aderant: *Sciebam, filium me genuisse mortalem.* Plutarchus de consol. ad Apollonium. Cum hoc Anaxagorae responso convenit illud Gallieni imperatoris, qui cum patrem Valerium audisset exstinctum, in haec erupit verba: *Sciebam, eum esse mortalem. 2. Mortis aequalitas.* Cum enim summi reges, viri eruditione, virtute et magnis in rempublicam meritis praestantes, adeoque omnes majores mortem aequo animo tulerint, non debemus peculiarem et propriam sortem postulare. Senec. epist. 78: *Ad hanc legem* (moriendi) *natus es, hoc patri tuo accidit, hoc matri, hoc majoribus, hoc omnibus ante te, hoc omnibus post te. Quantus te populus moriturum sequetur? quantus concomitabitur? fortior, ut opinor, esses, si multi tibi commorerentur; multa millia hominum hoc ipso momento, quo tu mori dubitas, animum variis generibus emittunt.*

Homerus:

*Κάτθανε καὶ Πάτροκλος, ὅπερ σέο πολλὸν ἀμείνων.*

Lucretius:

*Lumina sis oculis etiam bonus Ancu' reliquit,*
*Qui melior multis quam tu fuit improbe rebus.*
*Inde alii multi reges rerumque potentes*
*Occiderunt, magnis qui gentibus imperitarunt.*
*Scipiades, belli fulmen, Carthaginis horror,*
*Adde repertores doctrinarum atque leporum,*
*Adde Heliconiadum comites, quorum unus Homerus,*
*Sceptra potitus eadem aliis sopitu' quiete est,*
*Tu vero dubitabis et indignabere obire?*

Horat. 1. carm. 4. XVIII

*Pallida mors aequo pulsat pede pauperum tabernas,*
*Regumque turres.*

*3. Multiplex hujus vitae calamitas.* Cum enim per omnes aetatis gradus, per omnes vitae status et ordines multiplices miseriae et calamitates hominem infestent, cum sint trecenta morborum genera, quibus corpus hominis est obnoxium; cum omnibus adversae fortunae telis, bellis, incendiis, paupertati, sterilitati, orbitati, liberorum infelicitati, calumniis, detrectationibus, angoribus et doloribus fere innumeris, periculis autem momentaneis homo in hac vita sit obnoxius, ideo praestare existimant quam potest fieri citissime malis hisce defungi eademque praematura morte antevertere. Cicero 1. Tuscul.: *A malis mors abducit, non a bonis.* Polyaenus, *non dolendum esse propter mortuos* dicebat, *quandoquidem melius sit mori quam misere vivere.* Maximus serm. 35. Solon ad Croesum apud Herodotum lib. 1: *In diuturno tempore multa videntur,*

*quae nemo velit videre, et tolerantur multa, quae nolit quispiam tolerare.* Thriver. in apophth. 109: *Nemo est, qui non gaudeat, ubi longa emensus maris pericula terrae appulerit; quid ergo imminente morte pertimescimus? nam tempestates hujus mundi magis periculosas ipsa morte.* 4. *Virtutis dignitas.* Cum nihil quidquam gloriosius aut praestantius sit quam pro patria, pro aris et focis honeste mori, ex eo collegerunt, mortem non esse ut summum malum metuendam, sed virtutem ipsi vitae longissime anteferendam. Angesilaus percunctanti cuidam, *qua ratione pararet sibi eximiam gloriam? si mortem;* inquit, *contemseris. Nihil enim in bello praeclarae rei geret, cujus animum mortis metus occupaverit. Idem affectus in omni vita mortalium a pulcherrimis facinoribus revocare solet.* Plutarchus in Lacon. Callicratidas interroganti, *quamobrem viri fortes gloriosam mortem ingloriae vitae anteponant?* respondit, *quoniam alterum naturae proprium, alterum peculiariter suum esse ducunt. Nam naturae beneficio vivunt et ignavissimi, at honeste mori non contingit nisi virtute praeditis.* Idem. Cum nec infantes, nec pueri, nec mente capti mortem timeant, turpissimum esse dicunt, si eam tranquillitatem et securitatem nobis ratio et virtutis studium non praestet, ad quam stultitia perducit. 5. *Mortis utilitas*, quam deorum etiam judiciis comprobatam esse asserunt. Cum mos esset, sacerdotem Argivam junctis bobus ire ad templum Junonis, et solenni die boves non invenirentur, pestilentia enim, quae per Atticam transierat, omnia consumserat, duo sacerdotis filii Cleobis et Biton matrem subeuntes jugo ad templa duxerunt. Tunc Juno probans eorum religionem obtulit matri, id quod vellet, posceret filiis. Illa pia responsione ait, *ut quod sciret utile dea mortalibus, ipsa praestaret.* Altero itaque die sacerdotis filii juvenes inventi sunt mortui, ex quo probatum est, *nihil esse morte praestantius.* Servius in comm. Virgil. Silenus a Mida captus, *quid homini esset optimum?* rogatus tandem respondit, *vel non nasci, vel natum quam primum mori.* Aristoteles in Eudem. Plutarchus in orat. consolat. ad Apollon. Qua vero ratione mors homini sit utilis, de eo sententiis plurimum variant. Qui enim animam una cum corpore interire statuunt, utilitatem mortis in eo quaerunt, quod omnem mali sensum homini penitus adimit. Sic enim disseruit Epicurus referente Diogene Laërtio lib. 10. de vitis philos.: *Consuesce arbitreris, nihil ad nos pertinere mortem. Bonum enim omne ac malum in sensu est, sensus autem privatio mors est, unde recta cognitio, quod nihil ad nos sit mors, id efficit, ut mortale quod est, fruatur vita non ambiguum adjiciens tempus, sed immortalitatis desiderium af-*
2. *ferens etc. Quod acerbissimum malorum est et horrendum maxime mors nihil ad nos, quoniam cum nos sumus, mors non adest, cum vero mors adest, nos jam non sumus. Neque igitur ad viventes, neque ad mortuos pertinet, nam his qui sunt, illa non est, quibus vero adest, jam illi non sunt.* Lucretius Epicuri vestigiis insistens sic canit:

*Et velut anteacto nil tempore sensimus aegri,*
*Ad confligendum venientibus undique poenis;*
*Sic ubi non erimus, cum corporis atque animai*
*Dissidium fuerit, quibus haesimus uniter apti,*
*Accidere haud quidquam poterit sensumque movere,*
*Non si terra mari miscebitur et mare coelo.*

Seneca de consol. ad Martiam: *Mors omnium et solutio et finis est, ultra quam mala nostra non exeunt.* Ibidem: *Non potest esse miser, qui nullus est* etc. Qui vero animae immortalitatem amplexi sunt, illi de beata post mortem vita in campis Elysiis exspectanda aliquid per obscuram quasi nebulam se videre suspicati sunt. Cicero 1. Tusculan. propter fluctuationes sententiarum de animae immortalitate summam doctrinae de consolatione ex mortis utilitate petenda dilemmate complectitur, et sive cum corpore exstinguatur anima, sive post mortem hominis superstes maneat, tamen in morte nihil mali esse demonstrat. *Si superstes* (inquit) *manet anima pereunte corpore et aeternum vivit, tum nihil optabilius est morte, qua ex hujus vitae miseriis in aeternam vitam, quae sola vita nominanda est, et in eas oras, quas qui beati sunt, incolunt, transferimur, ubi vel dii ipsi, vel cum diis futuri sumus, quod non modo non miserum est, sed summum etiam bonum. Sin prorsus exstinguitur et deletur anima cum corpore, tum nullus doloris, maestitiae, angorum, aegritudinum sensus superesse post mortem potest, sed pacatissimam quietem instar somni nullis somniorum visis turbati mors perpetuam affert. Utrumvis igitur concesseris, efficitur, mortem nec malum, nec metuendam esse.* Aelianus de Cercida Arcade scribit, *quod magno desiderio mortuus sit, inquiens, sperare se, quod conventurus sit ex philosophis Pythagoram, ex historicis Hecataeum, ex musicis Olympum, ex poetis Homerum.* Seneca in consolatione ad Martiam expositis praecipuis consolationum philosophicarum fontibus brevi epiphonemate omnia complexus sic exclamat: *O ignaros malorum suorum, quibus non mors ut optimum inventum naturae laudatur, quae sive felicitatem includit, sive calamitatem repellit, sive satietatem aut lassitudinem senis terminat, sive juvenile aevum, dum meliora sperantur, in flore deducit, sive pueritiam ante duriores gradus revocat, omnibus finis, multis remedium, quibusdam votum, de nullis melius merita quam de iis, ad quos venit, antequam invocaretur.*

485. Sed enim quemadmodum ad amicos suos a veris consolationum fontibus aberrantes Jobus dicit cap. 16, v. 2: *Consolatores* עָמָל *miseri, onerosi, laboriosi omnes vos estis,* Lutherus ihr seid leidige Tröster; ita quoque de consolationibus illis philosophicis idem dicere possumus, quod sint insufficientes, miserae atque inopes, quia animos hominum, dum extra teli jactum constituti sunt, i. e. dum extra sensum miseriarum ac mortis versantur, sua-

viter demulcere possunt, sed in veris ac seriis conscientiae cum peccato, morte et inferno luctantis angoribus, non praebent stabile ac firmum fundamentum, sed instar fumi evanescunt ac nivis instar in aestu tentationum colliquescunt. Proinde quod Gerson. lib. 3. de consolat. prosa 4. de theolog. in genere asserit, *quod philosophiae doctrinas, si verae sint, si rectae, si salutares approbet, utens eis jure suo et catholicas reddens; si tenebrosiores sint,*
XVIII. 253. *illuminet; si noxiis erroribus mixtae sint, pretiosum a vili separet, illud retinens, hoc exterminans;* idem de hisce philosophicis consolationibus ad theologiam collatis in specie recte dici potest. Theologia enim docet 1. per *mortis necessitatem* non esse intelligendum fatum quoddam Stoicum, sed *justum Dei judicium*, quo propter peccatum totum genus humanum morti est subjectum, cui in vera cordis humilitate ac patientia nos subjicere debemus, itemque *paternam Dei voluntatem*, qua dilectos suos non nisi per mortis januam ad veram et aeternam vitam introducere constituit, quod salutare Dei consilium de salute nostra reverenter agnoscere eidemque locum relinquere convenit. 2. Per *mortis aequalitatem* non esse intelligendam naturae proprietatem eidem concreatam, qua homo non minus quam bruta interitui naturaliter sit obnoxius, quia homo ad imaginem Dei et proinde ad immortalitatem fuit conditus, sed *confirmitatem cum Christo et omnibus sanctis*, qui non nisi per mortis ignominiam ad coelestem ingressi sunt gloriam. 3. Calamitates hujus vitae illis, qui *in Domino*, i. e. in vera conversione ad Deum et fide in Christum, moriuntur, abrumpi eosdemque ad locum quietis et gaudii statim a morte transferri. 4. Per *virtutis dignitatem* cumprimis veram in Christum mortis victorem et mediatorem *fidem* intelligendam esse, quae in Christo efficax remedium contra mortis venenum invenit, itemque *oboedientiam erga Deum*, quae confessionem veritatis ipsi vitae anteferendam esse docet. 5. *Mortis utilitatem* non esse constituendam in quadam *ἀνυπαρξίᾳ* et *ἀναισθησίᾳ*, quae omnis boni ac mali sensum penitus homini auferat, sed *ratione termini a quo* in liberatione a jugo peccati et crucis, a periculis et adversis omnibus, *ratione termini ad quem* in translatione ad suavissimum consortium cum Christo et omnibus electis in coelo triumphantibus, in locum quietis et securitatis, in paradisum laetitiae et regnum gloriae.

Decem capita consolationum theologicarum morti opponendarum.

486. Revocabimus igitur consolationes theologicas morti opponendas ad decem praecipua capita. Primum est *Christi de morte triumphatio.* Haec est acropolis et principalis fons omnis in morte consolationis, quod Christus per *mortem destruxerit eum, qui habebat mortis imperium, hoc est diabolum, ac liberarit eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti* Hebr. 2, v. 14. et 15. quod *mortem ipse destruxerit, lucem vero vitae et incorruptelam reduxerit* 2. Timoth. 1, v. 10. Peccatum est *τὸ κέντρον τοῦ θανάτου, stimulus mortis*, 1. Cor. 15, v. 55. ac per peccatum diabolus homines sibi subjugaverat ac morti eos obnoxios reddiderat, quia igitur Christus morte sua pro peccatis satisfecit, ideo etiam diabolo robur et morti suum in nos imperium ademit. *Morte Christi mors nostra est mortua*, inquit Bernhardus serm. 2. in nativ. ex quo igitur Christus nostram mortem sua morte destruxit et ab inferis tertia die resurrexit, jam non est terribilis mors fidelibus. Os. 13, v. 14: *Ero mors tua* (pestis et venenum) *o mors, et morsus tuus* (excisio) *inferne.* Quemadmodum venenum intro assumtum vitam homini eripit; sic Christi mors nostram mortem occidit. Pulchre Lutherus tom. 1. Lat. p. 481: *Contra peccatum, quod mortem operatum est, rursus aemulatio divina non aliud quam mortem armat, ut hic videas illud Poëtae, necis artificem arte perire sua, et peccatum a suo fructu proprio perdi et morte quam genuit occidi, sicut viperam a sua prole.* Debemus igitur in agone mortis et terroribus conscientiae oculos mentis a conspectu tristissimarum illarum imaginum et spectrorum, quae nobis a diabolo objiciuntur, mortis sc., peccati, legis et inferni XVII
aversos in unicum et solum Christum mortis victorem, justitiae reparatorem, legis consummatorem et inferni destructorem firmo intuito defigere et *mortem* non in nostro corpore, sed in Christo resuscitato mortis victore et vitae datore; *peccatum* non in nostra conscientia, sed in Christo agno Dei gestante et tollente nostra ac totius mundi peccata; *legem* non in nostris cordibus scriptam et plurimis transgressionibus violatam, sed in cruce Christi transfixam; *infernum* et tentationes de abjectione aeterna, non in nobis ipsis aut innumerabili multitudine damnatorum, sed in Christo hanc tentationem pro nobis sustinente ac vincente, quando in cruce exclamat, *Deus meus, quare me dereliquisti*, oculis fidei intueri, ut ex Luthero in comm. cap. 13. Hoseae tom. 4. Lat. p. 673. pulcherrime scribit Chytraeus lib. de vit. et mort. p. 45. Christus mortis victor sublato trophaeo unicuique nostrum acclamat Apoc. 1, v. 17: *Noli timere, ego sum primus et novissimus*, vers. 18: *et vivus, et fui mortuus et ecce sum vivus in secula seculorum et habeo claves mortis et inferni*, id est mihi competit dominium in mortem et infernum; mortem devici, infernum destruxi, ideo sum mortis et inferni dominus, ut ex utroque liberare possim, quia victori claves portarum urbis tradi solent. Ad hunc mortis victorem et *vitae ducem* Act. 3, v. 15. vera fide confugere debemus et nullum in nos amplius mors habere poterit imperium. Ad hunc vivificae consolationis fontem aliquoties in suis concionibus Christus nos revocat. Joh. 5, v. 24: *Qui verbum meum audit et credit ei, qui misit me, transiit a morte ad vitam.* cap. 8, v. 51: *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum.* cap. 11, v. 25: *Ego sum resurrectio et vita, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet*, v. 26. *et omnis, qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum*, id est liber erit a morte spirituali et aeterna ac liberabitur a morte temporali per resuscitationem ad

vitam. Ubi animam hominis fides in Christum vivificat, jam mors retuso aculeo et veneno absterso letale vulnus infligere nequit. 2. *Termini cuivis praestituti ordinatio. Nemo nostrum sibi vivit, nemo sibi moritur, sed sive vivimus, Domino vivimus, sive morimur, Domino morimur; sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus* Rom. 14, v. 7. et 8. Deus est, *qui definivit dies cujusvis hominis, qui statuit numerum mensium ejus* Job. 14, v. 5. Psalm. 139, v. 16. Nequaquam igitur casu morimur, sed paterna Dei per mortem ad se nos evocantis tanquam summi imperatoris voluntate; is certum cuique statuit vitae terminum, quem ubi adventare intelligimus, Deo vocanti promte oboediamus. Act. 13, v. 36: *David in sua generatione cum inservisset voluntati Dei, obdormivit*, id est postquam perfecit ea, quae Deus in hoc mundo per ipsum agere constituit, placide defunctus est. Ad hanc consolationis fontem deducit nos Siracides c. 41, v. 5: *Ne timeas judicium mortis, memento priorum te et ultimorum, hoc enim judicium tuae carni a Domino.* vers. 6: *Et quid recusas in beneplacito Altissimi? sive decem, sive centum, sive mille anni* (praeterierint, tandem tamen moriendum erit). Item apostolus 2. Tim. 4. v. 6: *Tempus meae ἀναλύσεως instat*, v. 7. *bonum certamen certavi* (sicut strenuus athleta et *παγκρατιαστής*), *cursum consummavi* (sicut strenuus cursor ac *δρομεύς*), *fidem servavi* (sicut strenuus miles *καλὸς καὶ ὑφισιάμενος στρατιώτης*), jam finito constituto certamine, cursu et militia coronam exspecto. *Vixi et quem dederas cursum, bone Christe, peregi.* 3. *Exemplorum consideratio.* Christus, qui se vocat *viam* Joh. 14, vers. 6. *per mortem ingressus est in coelestem gloriam* Luc. 24, v. 26. ejus imagini nos conformes fieri
II. 255. decet Rom. 8, v. 29. oportet nos mori cum mortuo, ut resuscitemur cum resuscitato et glorificemur cum glorificato. Omnes sancti, qui ab exordio mundi vixerunt, hanc viam ingressi sunt, nec nisi per angustam mortis vallem ad latissimum et laetissimum vitae aeternae campum penetrarunt; nequaquam igitur peculiarem sortem expetere vel commune onus recusare debemus. Ad hunc consolationis fontem deducit nos Elias propheta 1. Reg. 19. v. 4: *Sufficit nunc Domine, tolle animam meam, quia non sum melior patribus meis*, qui scilicet omnes diem suum obierunt. Notandum vero, hos duos consolationis fontes, secundum scilicet ac tertium, non esse primarios, sed duntaxat secundarios, nec nisi cum reliquis conjunctos firmum contra mortis praesidium suppeditare. 4. *Gratiosae praesentiae et auxilii divini in ipsa morte confirmatio.* Benignissimus Deus credentibus in Christum ex gratia promisit, quod non solum in omnibus hujus vitae calamitatibus ipsis praesto esse ac liberationem, mitigationem, consolationem illis impertiri velit, sed quod in media morte sua gratia et potenti auxilio eos velit erigere, conservare et sustentare, ut superatis omnibus mortis doloribus, et angoribus instar infantis ex angustiis uteri materni in hunc spatiosum mundum nascentis ad veram vitam eluctari possint. Ad hunc consolationis fontem remittit nos David Psalm. 23, v. 4: *Etiamsi ambulavero per vallem umbrae mortis; non timebo malum, quia tu Domine* (lux et vita mea) *mecum*, et Psalm. 91, v. 15. Deum sic loquentem introducit: *Cum ipso sum in angustia, eruam eum et glorificabo eum*, v. 16. *longitudine dierum saturabo eum et ostendam ei salutem meam.* 5. *Mortis in somnum per Christum facta commutatio.* Quod in morte nostra acerbissimum erat, videlicet sensum irae divinae et maledictionem legis, Christus in se suscepit, inde mors temporalis piis non amplius est vera mors, sed suavis somnus et ad veram vitam ingressus.

*Nomina mors retinet, facilis sunt cetera somnus.*

Ad hanc consolationem remittit nos Christus Matth. 9, v. 24: *Non est mortua puella, sed dormit.* Joh. 11, v. 11: *Lazarus amicus noster dormit.* Membra comparationis inter mortem ac somnum et plures ejusmodi appellationes et descriptiones mortis consolatorias adduximus superius §. 17. et seqq. 6. *A jugo peccati liberatio.* In hac vita circumferimus peccatum in carne nostra, quod ad lapsus quotidie nos solicitat, unde cum Paulo ingemiscere omnes assidue cogimur Rom. 7, vers. 18: *Scio, quod non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum.* vers. 24. *Miser ego homo, quis me liberabit ex corpore mortis hujus?* hoc est *grave illud jugum quod a die exitus de ventre matris usque ad diem reversionis in terram omnium matrem Adae filios premit* Sirac. 40, vers. 1. Sed in morte ab illo liberamur. Ad hanc consolationem remittit nos apostolus Rom. 6, vers 7: *Qui mortuus est, justificatus est a peccato.* Methodius mortem definit, quod sit *φαρμακευτικὴ κάθαρσις ψυχῆς καὶ σώματος*. 7. *A laboribus et miseriis hujus vitae ad quietem translatio.* In hac vita nulla datur intercapedo molestiae et laboris, sed in morte tela calamitatum, quam per omnes vitae dies teximus, tandem abrumpitur. Ad hanc consolationem revocat nos Johannes Apoc. 14, v. 13: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur a modo, quia Spiritus dicit, quod requiescant a laboribus suis.* Ambrosius de bona morte cap. 3: *Sola mors requies viro.* Caecilia sancta virgo: *Non homo, sed miseria hominis moritur.* Augustinus lib. 1. de civit. Dei cap. 11: *Cum unicuique mortalium sub quotidianis hujus vitae casibus innumerabiles mortes quodammodo comminentur, quamdiu incertum est, quaenam earum ventura sit, quaero, utrum satius sit, unam perpeti moriendo, quam omnes timere vivendo?* Mors est vitiorum malorumque omnium sepultura. Lutherus tom. 1. Jen. Latin. XVIII. 236.
pag. 354: *Quemadmodum satis magno cum periculo puer ex illa angusta materni alvi cellula in amplum hoc et jucundum coeli lumen editur; sic homo per illam mortis portam ex hac misera vita in perpetuam vitam immigrat. Et quanquam hoc coeli spatium, in quo jam vivimus, item illa terrae magnitudo satis ampla videantur, tanto tamen sunt*

*minora et angustiora, si ad futuros coelos compares, quanto uterus maternus angustior est eo mundo, in quo jam sumus. Mortua tua est, hoc interpretor, desiit peccare, desiit jactari, desiit misera esse.* Lipsius cent. 2. epist. 30. 8. *Animae post mortem in sinum Abrahae deportatio.* In hac vita anima corporis ergastulo inclusa laborum ac dolorum corporis particeps redditur, sed per mortem ex carcere illo liberata in liberum campum progreditur. Ad hanc consolationem remittit nos Christus Luc. 16, v. 22: *Lazarus portabatur ab angelis in sinum Abrahae.* Psalm. 142, v. 8. orat David: *Educ ex carcere animam meam.* Sap. 3, v. 1: *Justorum animae in manu Dei sunt, et non tangit illos tormentum. 9. Ad jucundissimam cum Christo, sanctis angelis et beatis in coelo societatem traductio.* In hac vita *peregrinamur a Domino*, sed in morte in patriam et beatissimum sanctorum consortium recipimur. Hanc consolationem monstrat nobis apostolus 2. Cor. 5, v. 6: *Dum sumus in corpore, peregrinamus a Domino.* v. 8. *Cupimus magis peregrinari a corpore et praesentes esse ad Dominum.* Philip. 1, v. 23: *Cupio dissolvi et esse cum Christo.* Cyprianus in serm. de mortal. (quem Augustinus lib. de praedest. sanct. c. 14. *multis et paene omnibus ecclesiasticas literas amantibus suo tempore laudabiliter notum fuisse* asserit) circa finem: *Quis non peregre constitutus properet in patriam regredi? quis non ad suos navigare festinans ventum prosperum cupidius optaret, ut velociter caros liceret amplecti? Patriam nostram paradisum computamus, parentes nostros patriarchas jam habere coepimus, quid non properamus et currimus, ut patriam nostram videre, ut parentes salutare possimus? Magnus illic nos carorum numerus exspectat parentum, fratrum, filiorum, frequens nos et copiosa turba desiderat, jam de sua immortalitate secura et adhuc de nostra incolumitate solicita etc. Illic apostolorum gloriosus chorus, illic prophetarum exsultantium numerus, illic martyrum innumerabilis populus etc.* Et paulo ante: *Ejus est mortem timere, qui ad Christum nolit ire, ejus est ad Christum nolle ire, qui se non credit cum Christo incipere regnare.* Et paulo ante: *Mente integra, fide firma, virtute robusta parati ad omnem Dei voluntatem simus, pavore mortis excusso, immortalitatem, quae sequitur, cogitemus. Hoc nos ostendamus esse, quod credimus, et cum accersitionis propriae dies venerit, incunctanter et libenter ad Dominum ipso vocante veniamus.* Bernhardus in medit. devotis. cap. 6. col. 1196: *Non solum angeli, sed angelorum creator nos exspectat; expectat nos Deus Pater tanquam filios et heredes, ut constituat nos super omnia sua bona. Expectat nos Filius Dei tanquam fratres et coheredes, ut fructum suae nativitatis et pretium sui sanguinis Deo offerat; exspectat nos Spiritus sanctus, ipse siquidem est caritas et benignitas, in qua ab aeterno praedestinati sumus, nec dubium est, quin praedestinationem suam adimpleri velit. Ergo quia omnis coelestis curia nos exspectat et desiderat, desideremus et nos, quanto possumus desiderio. 10. Corporum nostrorum ad vitam et gloriam resuscitatio.* In hac vita circumferimus corpus mortale, corruptibile, morbis obnoxium, sed in morte laceram et detritam illam vestem Deus nobis exuit et ejus loco indumentum glorificati corporis nobis restituit, eccur igitur corporis amiculum in morte deponere recusemus? Ad hanc consolationem revocat nos Jobus cap. 19, vers. 25: *Scio, quod redemtor meus vivit et novissimo super pulverem me statuet etc.* revocat nos Christus Johan. 14, v. 19: *Vivo ego et vos vivetis;* revocat apostolus 1. Cor. 15, v. 43: *Seminatur in corruptione, resurget in ἀφθαρσίᾳ,* v. 44. *seminatur* XVIII. 23
*in ignobilitate, surget in gloria, seminatur in infirmitate, surget in virtute.* 1. Thess. 4, vers. 14: *Si credimus, quod Jesus mortuus est et resurrexit; sic et Deus eos, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo.* Ambrosius in cap. 8. Luc.: *Ubi resurrectionis fides est, non mortis species, sed quietis est.* Atque haec de consolationibus theologicis morti opponendis dicta sufficiant. Confer ea, quae ex Scripturis et patribus de mortis descriptionibus proposuimus superius §. 17 et seqq.

---

## CAPUT X.

## DEFINITIONEM MORTIS PROPONIT.

487. Definitio mortis in se ac per se consideratae talis institui potest. Mors est *poena humano generi propter peccatum irrogata animae et corporis unionem solvens*, vel hoc modo: *Mors est separatio animae a corpore poenae loco hominibus imposita, ut magnitudo irae divinae adversus peccatum eo luculentius conspiciatur.* Hae definitiones exstructae sunt ex Gen. 3, v. 19. Psalm. 90, v. 10. Rom. 5, v. 12. cap. 6, v. 23. cap. 8, v. 10. etc. Christus mortis victor ac vitae reparator sit mors nostrae mortis et vitam spiritualem in hac vita in nobis inchoet, in futura autem perficiat. Amen. Coronidis loco quasdam piorum meditationes ac preces sub ipsum vitae exitum ardentissima devotione ad Deum fusas et cognatas ejus generis materias huc referemus.

### Jacobus Patriarcha. Genes. 49, v. 18. Salutare tuum exspecto Domine.

Targum Hierosolymitanum in haec verba sic commentatur. Dixit pater noster Jacob, non exspecto redemtionem Gideonis filii Joas, quae est salus temporalis, neque redemtionem Samsonis, quae est salus transitoria; sed exspecto redemtionem Messiae filii David, qui venturus est, ut adducat sibi filios Israël, cujus redemtionem desiderat anima mea.

## Christus in cruce propter nos pendens.

1. Ad Patrem coelestem: Pater, remitte illis, nesciunt enim, quid faciant. Luc. 23, v. 34.

2. Ad conversum latronem: Amen, dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Luc. 23, v. 43.

3. Ad Mariam matrem: Ecce hic est filius tuus; ad Johannem discipulum: Ecce haec est mater tua. Joh. 19, v. 26 et 27.

4. Ad Patrem coelestem: Deus mi, Deus mi, ut quid me dereliquisti? Matth. 27, vers. 46. Marc. 15, v. 34.

5. Ad adstantes: Sitio. Joh. 19, v. 28.

6. Ad eosdem: Consummatum est. Joh. 19, v. 30.

7. Ad Patrem coelestem: Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Luc. 23, v. 26.

Harm. de pass. cap. 14. pag. 659. Haec verba Christi docent nos εὐθανασίας formam, quod scilicet debeamus proximo, a quo offensi sumus, ex animo remittere, per preces ad Deum nos convertere, de rebus domesticis testamento disponere, de
VIII. 258. paradiso unice cogitare et in manus coelestis Patris animas nostras commendare. Confer hortul. animae a Cramero repurgat. semit. 7. p. 438.

## Oratio venerabilis Bedae de his septem verbis, quae Christus in cruce pendens dixit.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui in cruce pendens dixisti: Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt; fac, ut ego amore tui parcam cunctis mala mihi facientibus. Et qui dixisti latroni: Hodie mecum eris in paradiso; fac me ita vivere, ut in hora mortis dicas mihi: Hodie mecum eris in paradiso. Et qui dixisti matri tuae: Mulier ecce filius tuus; deinde discipulo: Ecce mater tua; fac, ut matri tuae me societ amor tuus et caritas vera. Et qui dixisti: Eli, Eli, lama asabathani, hoc est Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti? fac me dicere in omni tribulatione et angustia mea: Pater mi, Domine mi, miserere mei peccatoris et adjuva me, rex meus et Deus meus, qui tuo proprio sanguine redemisti me. Et qui dixisti: Sitio; fac, ut semper sitiam te fontem aquae vivae. Et qui dixisti: Pater in manus tuas commendo spiritum meum, fac, ut in obitu meo perfecte et libere possim ego tibi dicere: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum, recipe me venientem ad te, quia nunc constituisti terminum temporalis vitae meae. Et qui dixisti: Consummatum est, fac, ut audire merear illam dulcissimam vocem tuam, scilicet: Veni amica mea, dilecta mea, sponsa mea, veni, quia jam disposui penurias tuas consummari. Veni, ut mecum conscendas cum angelis et sanctis meis in regno meo epulari, jucundari et commorari per infinita secula seculorum. Amen.

## Stephanus protomartyr.

Actor 7, vers. 55. Ecce video coelos apertos et Filium hominis stantem a dextris Dei. v. 58. Domine Jesu suscipe spiritum meum. v. 59. Domine ne statuas illis hoc peccatum.

## Paulus apostolus.

2. Tim. 4, v. 6. Ego jam immolor et tempus meae resolutionis instat. vers. 7. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. vers. 8. Quod reliquum, reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex, non solum autem mihi, sed et iis, qui diligunt adventum ejus.

## Oratio, quae tribuitur S. Dionysio.

Dulcissime Domine Jesu, splendor paternae gloriae et sol justitiae, qui pro me indigno servulo tuo dignatus es vilissimam pati doloris formulam, qui in monte Calvariae pro mundi redemtione tradidisti animam et Patri orans eam commendasti, praesta mihi hujus amarissimae mortis tuae dolorem pariter et amorem jugiter in pectore meo circumferre atque ad commoriendum tibi per mortificationem omnium vitiorum quotidie me ipsum exercere, ut appropinquante vitae termino in luce miserationum tuarum possim respirare et tecum in paradisi gaudia feliciter introire. Adesto mihi morienti, succurre agonizanti, occurre desideranti, defende me ab hostibus, eripe me de aerumnis, consolare gementem, conforta trementem, refove deficientem, suscipe exspirantem. Ultimum verbum tuum in cruce sit ultimum verbum in hac luce, et cum amplius fari non possum, exaudi finale desiderium meum: Pater in manus tuas commendo spiritum meum, redemisti me Deus veritatis. Amen.

Sigfr. Sacc. in histor. pass. p. 129.

## Oratio, quae tribuitur S. Polycarpo. XVIII. 259.

In lib. cantion. Pomer.

O domine Jesu Christe, quando mihi ex hac vita discedendum est, tunc largire mihi quietam et beatam horam et placidam obdormitionem, ut in vera agnitione et confessione tuae gratiae cum pace et laetitia meum spiritum et misellam meam animulam tradam et manibus tuis committam, neque diu macerer, ut quidem millies promeritus sum, et ut cum corpore meo quiete fruar in terra et evigilem et coheres fiam resurrectionis omnium credentium ad vitam aeternam, te laetanter laudem et glorificem et tibi gratias agam in omni aeternitate pro omnibus iis et innumeris beneficiis, quae mihi toto peregrinationis meae tempore contulisti. Ne reputes Domine vetera debita et ne memineris delictorum juventutis meae, sed miserere mei secundum magnam misericordiam tuam et sustenta me in firma fide et consolatione usque ad extremum meum halitum, ne peccatum, mors et diabolus mihi noceant, neque propria mea caro me impatientem reddat. Amen.

## Oratio ejusdem Polycarpi, quam recitat Eusebius libr. 4. Histor. Ecclesiast. cap. 15.

Pater dilecti ac benedicti Filii tui Jesu Christi, per quem cognitionem tui accepimus, Deus angelorum ac virtutum omnisque creaturae et omnis generis justorum, qui vivunt coram te, tibi gratias

ago, quod hac me die et hora dignatus es, ut partem accipiam in numero martyrum, in populo Christi, ad resurrectionem vitae aeternae, animae simul et corporis, incorruptione sancti Spiritus, in quibus suscipitur in conspectu tuo hodie, in sacrificio pingui et accepto, sicut praeparasti, jam ante patefecisti et adimplesti, qui mentiri nescis Deus verax. Quapropter et te de omnibus laudo, te benedico, te glorifico per aeternum pontificem Jesum Christum Filium tuum dilectum, per quem tibi una cum ipso et Spiritu sancto sit gloria nunc et in futuris seculorum seculis, Amen.

## Cyprianus in sermon. 4. de mortalitate p. 213.

Cum quidam de collegis et consacerdotibus nostris jam infirmitate defessus et de appropinquante morte solicitus commeatum sibi precaretur, adstitit deprecanti et jam pene morienti juvenis honore et majestate venerabilis, statu excelsus et clarus adspectu et quem assistentem sibi vix posset humanus adspectus oculis carnalibus intueri, nisi quod talem videre jam poterat de seculo recessurus, atque ille non sine quadam animi et vocis indignatione infremuit et dixit: Pati timetis, exire non vultis, quid faciam vobis? Increpantis vox est et monentis, qui de persecutione solicitis, de accersione securis non consentit ad praesens desiderium, sed consulit in futurum. Audivit frater noster et collega moriturus, quod ceteris diceret, nam qui moriturus audivit, ad hoc audivit, ut diceret. Audivit non sibi ille, sed nobis. Nam quid disceret jam recessurus? didicit imo nobis remanentibus, ut dum sacerdotem, qui commeatum petebat, intrepidum esse comperimus, quid cunctis expediat, agnosceremus.

## Oratio Cypriani, quam sub die passionis suae dixit. In operibus pag. 511.

Domine sancte Pater, hagios Deus, hagie et hagie
Deus meus, quis enim major te? tibi gratias et lau-
XVIII. 260. dem gero Deus Abrahae et Deus Isaac et Deus
Jacob, Deus patrum nostrorum, Deus apostolorum et Deus prophetarum et Deus martyrum, qui fuisti ante mundi dispositionem, Deus vivorum, venturus judicare vivos et mortuos, qui es Deus verax, qui sedes super Cherubim et Seraphin et prospicis abyssos, qui vides cuncta, priusquam nascantur, qui habes potestatem et rursus restituere, qui habes potestatem de arido viride facere. Tu omnium dominus dominator, libera me ab hoc seculo et exaudi me orantem, sicut exaudisti filios Israël de terra Aegypti et non tibi crediderunt nec famulo tuo Moysi. Vae peccatis meis. Cum te levaveris confringere terram, sub qua fissura petrarum me absconsurus sum abante virtutem tuam? Cui monti dicturus sum, cade super me, et cui colli, tege me abante metum Domini, cum te levaveris confringere terram? Rogo Domine, subveni mihi, noli secundum actum meum me judicare, nihil enim in praeceptis tuis parui. Exaudi me orantem, sicut exaudisti Jonam de ventre ceti, sic exaudias me et ejicias me de morte ad vitam, sicut Ninivitae induerunt cinerem et cilicium et poenitentiam egerunt. Exomologesin facienti ante conspectum tuum pro universis peccatis meis, qui es amator poenitentiae, miserere mei. Sed et David dicit: Domine propter nomen tuum dele peccatum meum! Et ego deprecans majestatem tuam, dele universa peccata mea et exaudi me orantem, sicut audisti tres pueros de camino ignis, Ananiam, Azariam, Misaëlem, et misisti angelum tuum cum tymbo roris et confusus est Nabuchodonosor praepositus regni, quoniam tu es rex regnantium et dominus dominantium, qui solus habes immortalitatem et lucem habitas inaccessibilem, quam nemo hominum videt nec videre potest. Exaudi me orantem, sicut exaudisti Danielem de lacu leonum et misisti Abakuk prophetam, et attulit ei prandium et dixit: Prande prandium, quod tibi misit Deus. Et dixit Daniel: Non relinquet Dominus quaerentem se. Exaudi me orantem, sicut exaudisti Tobiam et Saram, dum orarent in atrio domus suae, tunc obtulit pro eis Raphaël angelus orationes eorum, sic et tu exaudias preces meas et admittas ad aulam sanctam tuam orationes meas et continenter mittas angelum tuum, qui deleat universa delicta mea, sicut delesti spiritum immundum a Sara filia Raguel, et illumines cor meum, sicut illuminasti oculos Tobiae. Exaudi me orantem, sicut exaudisti Ezechiam regem Judae et delesti ab eo infirmitatem, sic et a me auferas infirmitatem carnis et augeas mihi ad fidem, sicut illi auxisti annos quindecim ad vitam. Libera me de medio seculi hujus, sicut liberasti te clam de medio amphitheatro, libera me ab omni infirmitate carnis meae. Te deprecor Pater majestatis, qui in fine temporum misertus es nostri, mittens nobis Jesum Christum Filium tuum Dominum Deum Salvatorem nostrum, natum ex Maria virgine de Spiritu sancto annuntiante Gabriele angelo, per quem nos liberasti de periculo mortis imminentis. Et te deprecor Filium Dei vivi, qui fecisti tanta miracula, qui in Cana Galilaeae de aqua vinum fecisti propter Israël, qui coecis oculos aperuisti, qui surdos audire fecisti, qui paralyticos ad sua membra revocasti, qui solvisti linguas blaesorum, daemonio vexatos sanasti, claudos currentes fecisti velut cervos, mulierem de profluvio sanguinis liberasti, mortuos suscitasti, super aquam pedibus ambulasti, qui Petro labenti manum tradidisti, qui mare fundasti et terminum ei posuisti et dixisti, huc usque venies et hic te confringes in virtute tua. Te deprecor Filium Dei vivi propter universa commissa mea, qui es in coelis Filius in Patre, et Pater in te in sempiternum, qui sedes super Cherubin et Seraphin honoris tui.
Tibi assistunt angeli, archangeli, numerus innu- XVIII. 261.
merabilis, timentes et paventes honorem et virtutem tuam, clamantes voce magna et dicentes: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sebaoth. Tu ipse nobis testamentum fecisti: Petite et accipietis, pulsate et aperietur vobis. Quodcunque a Patre peti-

eritis in nomine meo, ego a Patre peto, ut accipiatis. Ego peto, ut accipiam, quaero, ut inveniam, ego pulso, ut aperiatur mihi, ego in tuo nomine peto, ut tu a Patre petas et detur mihi. Paratus sum propter nomen tuum victimam sanguinis fundere et quodcunque tormentum sustinere. Tu es Domine adjutor meus et defensor, defende me ab adversario meo. Angelus tuus lucis protegat me, quoniam tu dixisti, quod credentes petieritis per orationem, dabitur vobis. Omnis homo mendax, tu es verax, Sicut tu repromisisti, potestatem habes Domine dare mihi omne sacramentum coeleste, ut dignus sim faciem sanctorum tuorum videre. Spiritus in me operetur, voluntas tua in me fiat, quoniam tibi spopondi omnibus diebus vitae meae, qui passus es sub Pontio Pilato, bonam confessionem, qui crucifixus descendisti et conculcasti aculeum mortis. Devicta est mors, devictus est inimicus diabolus. Tu resurrexisti a mortuis et apparuisti apostolis tuis, sedes ad dextram Patris, qui venturus es judicare vivos et mortuos. Tu dominaberis, libera me de manu quaerentis animam meam. Per nomen tuum libera me ab adversaria potestate, ut operam des vincendi inimicum meum, quoniam tu es potens assertor et advocatus precum et petitionum nostrarum animarum. Die ac nocte interpelles pro peccatis meis, orationem meam proferas ad Patrem tuum. Et tu Domine sancte Pater digneris respicere super preces meas, sicut respexisti super munera Abel. Digneris me liberare ab igne et poena perenni et ab omni tormento, quod parasti iniquis, per bonum et benedictum Jesum Christum Salvatorem nostrum, per quem tibi laus, honor, virtus, gloria in secula seculorum. Amen.

## Martinus episcopus apud Sulpitium Severum epist. 3. ad Bassulam socrum.

Gravis est Domine corporeae pugna militiae, etsi satis est, quod huc usque certavi, sed si adhuc in eodem labore pro castris tuorum stare me praecipis, non recuso, nec fatiscentem causabor aetatem. Munia tua devotus implebo sub signis tuis; quoad ipse jusseris, militabo, et quamvis optata sit seni missio post laborem, est tamen animus victor annorum et cedere nescius senectuti, ac si jam parcis aetati, bonum est mihi Domine voluntas tua, hos autem, quibus timeo, ipse custodies.

## Ambrosius Mediolanensis episcopus apud Paulinum in ipsius vita.

In praefat. operum Ambrosii.

Dum lectulo decumberet, nobilibus viris et amicis ad eum venientibus et persuadere volentibus, ut diuturniorem sibi vitam a Domino impetraret, praeclarissimam illam et apostolico viro dignam sententiam dixit: Non ita inter vos vixi, ut me vixisse pudeat, nec mori timeo, quia bonum habemus Dominum. Hoc Ambrosii apophthegma Augustinus referente Posidonio in ipsius vita ut sapientissimum et piissimum laudavit ac praedicavit. Ideo enim

Tom. 1. oper. Aug. col. 877.

eum dixisse intelligendum est, nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus, ne crederetur praefidens de suis purgatissimis moribus praesumsisse, non sic vixi, ut me pudeat inter vos vivere, hoc enim dixerat ad illud, quod homines de homine nosse poterant. Nam sciens examen aequitatis divinae de bono Domino dicit se magis quam de suis meritis confidere, cui etiam in oratione Dominica quotidie dicebat: Dimitte nobis debita nostra. XVIII. 262.

## Quidam episcopus tempore Augustini apud Posidonium in ipsius vita.

Cum Augustinus ad quendam coëpiscopum et familiarissimum suum amicum visitandum jam morti appropinquantem venditasset, et ille manus gestu se de seculo exiturum significaret, atque illi ab Augustino esset responsum, adhuc eum ecclesiae necessarium vivere posse, ille, ne putaretur vitae cupiditate teneri, respondit: Si nunquam, bene; si aliquando, quare non modo? Quam sententiam Augustinus mirabatur et laudabat.

## Bernhardus referente Guilielmo Abbate lib. 1. de ipsius vita cap. 13.

In operibus Bernh. col. 1886.

Cum extremum jam trahere spiritum videretur, in excessu mentis suae ante tribunal Domini sibi visus est praesentari. Affuit autem et Satan ex adverso improbis eum accusationibus pulsans. Ubi vero ille omnia fuerat prosecutus et viro Dei pro sua fuit parte dicendum, nil territus aut turbatus ait: Fateor, non sum dignus ego, nec propriis possum meritis regnum obtinere coelorum. Ceterum duplici jure illud obtinens Dominus meus, hereditate scilicet Patris et merito passionis, altero ipse contentus, alterum mihi donat, ex cujus dono jure illud mihi vendicans non confundor. In hoc verbo confusus inimicus, conventus ille solutus et homo Dei in se reversus est.

## Idem responsum Bernhardi versibus redditum.

Perdita traduxi durae mea tempora vitae,
  Unica sed misero haec spes mihi certa manet,
Quod duplici Christus coelum de jure Redemtor
  Possidet et regni gaudia laeta Patris.
Natus ab aeterno primum est quia mente parentis,
  Deinde quod emeruit regna beata cruce.
Contentus primo coelum, quod possidet heres,
  Quod meruit, donat jus mihi, morte, Deus.

## Formula consolandi aegrotos, quae inter epistolas Anselmi manuscriptas in bibliothecis Angliae et aliis asservatur.

Sacerdos dicebat: Laetaris, quod in fide Christiana moreris? Respondeat: Etiam! Fateris, te tam male vixisse, ut meritis tuis poena aeterna debeatur? Respondeat: Etiam! Poenitet te horum? Respondeat: Etiam! Habes voluntatem emendandi, si haberes spatium? Respondeat: Etiam! Credis, quod pro te

est mortuus Dominus Jesus Christus? Respondeat: Etiam! Agis ei gratias? Respondeat: Etiam! Credis, te non posse nisi per ejus mortem salvari? Etiam! Age ergo dum superest in te anima, in hac sola morte totam fiduciam tuam constitue, in nulla alia re habeas fiduciam, huic morti te totum committe, hac sola te totum contege, hac morte te totum involve. Et si Dominus tuus te voluerit judicare, dic: Domine, mortem Domini nostri Jesu Christi objicio inter me et tuum judicium, aliter tecum non contendo. Et si tibi dixerit, quia peccator es, dic: Domine, mortem Domini nostri Jesu Christi pono
XVIII. 263. inter te et mea peccata. Si dixerit tibi, quod meruisti damnationem, dic: Domine, mortem Domini nostri Jesu Christi obtendo inter me et merita mea ipsiusque meritum offero pro merito, quod ego debuissem habere, nec habeo. Si dixerit, quod tibi est iratus, dic: Domine, mortem Domini nostri Jesu Christi oppono inter me et iram tuam. Quo expleto dicat infirmus ter: In manus tuas commendo spiritum meum. Confer hortul. animae a Cramero edit. pag. 415.

## Georgius Fabricius in supplemento chronici Misnensis.

Praepositus quidam Afranus vocato ad se suae societatis canonico juvene erudito et bono, eum rogavit, ut sibi tres res gratas faceret, si fortasse contingeret, ut in agone sibi adesset. Quod cum submisse polliceretur se facturum, primum est, inquit, ut me admoneas sudoris Christi, quem in angustia sui pectoris copiose effudit, ne videlicet peccatorum multitudine in meo angore obruar. Alterum, ut me admoneas omnium dolorum et acerbitatum, quas Christus in cruce sustinuit, ne rigorem et poenas delictorum in mea infirmitate sentiam. Ultimum, ut verborum me admoneas, quae locutus est Christus, quibus pro crucifigentibus se oravit et latroni promisit paradisum, ne ipse extremo spiritu deficiam, sed ut Christus sua caritate me recipere in manum et coelos aperire mihi dignetur, qui meis meritis servari nequeo ac coeleste regnum obtinere. Haec canonicus. Ille juvenis multis hominibus retulit, quia cum alacritate mori suum praeceptorem vidit et in pluribus postea locis inolevit, ut is consolandi modus apud morientes servaretur.

## Preces D. Martini Lutheri jamjam morituri apud Sleidanum lib. 16. histor.

Pater mi coelestis, Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, Deus omnis consolationis, ago tibi gratias, quod Filium tuum Jesum Christum mihi revelasti, cui credidi, quem sum professus, quem amavi, quem celebravi, quem pontifex Romanus et reliqua impiorum turba persequitur et afficit contumelia, rogo te mi Domine Jesu, suscipe animulam meam. Mi Pater coelestis, etiamsi divellor ex hac vita, licet corpus hoc mihi jam sit deponendum, certo tamen scio, me tecum esse permansurum in sempiternum, neque posse me tuis ex manibus a quoquam avelli.

## Philippi Melanchthonis pro beato vitae exitu.

Cur metuam mortem? mors non est, mortis imago est,
Nam merito nitor, maxime Christe, tuo.
Vermis adhuc spiro, moriturus forte sub horam,
Mors etenim certa est, funebris hora latet.
Ergo, Gnate Dei, tibi me jam trado, Redemtor,
Vivam seu moriar, sanguine vivo tuo.

## Jul. Caes. Scaligeri.

O anima emigra! Christo moriente quid horres?
Vita mori in ligno voluit, ne morte perires.
Arbore mors venit, sed in arbore vita redemta est.
Alter Adam reddit vitam, quam perdidit alter. XVIII. 264.
Christe Deus, tua mors quid non queat illa mereri?
En tecum moriar tecumque ex morte resurgam.
O anima emigra! coelos contemplor apertos,
Et Christum dextra nos ad sua regna vocantem.
I, propera, i felix, sequere ad meliora trahentem,
Ne trepida, comitante Deo contemne pericla.
Balat ovis, vox nota tibi, dulcissime Jesu.
Balat ovis, dormitat ovis, bone pastor adesto.
Pande sinus aperique tuae bonitatis ovile.
Laudibus immoriar Christi nunquam moriturus.
Cum Christo morior, cum Christo ex morte resurgo.

## ** Ejusdem.

Egredere o miseris multum defuncta ruinis,
Egredere et servis servilia regna relinque.
Aude, hospes, tenebris horrendi imponere finem
Exsilii et patriae speratas quaerere sedes.
Tristes exuviae falsaeque incommoda lucis,
Istic nunc fera turba jace. Nos libera coeli
Pignora promisso jamjam potiemur Olympo.
Tu modo, nate Deo, rerum pia victima Jesu,
Adspice nos, qui cuncta animas, spes unica, mortem
Exue morte nova atque nova vita indue vitam. **

## Ἀδήλου.

In te Christe mori quam felicissima mors est,
Cum potius vitae mors ea principium.
Transitus e vivis vitae melioris origo,
O utinam liceat sic mihi Christe mori!

## Johannis Alberti ducis Megapolitani.

Nunc igitur, quod vere felix faustumque sit, finem decursae vitae ac laboriosae peregrinationis meae adesse sentio; nunc igitur laetissimum beatae commigrationis nuntium laetus accipio. Tempus est, ut tandem lassus curis, fessus de via, defatigatus cursu, ex hoc non satis opportuno et sordido brevissimae commorationis diversorio discedam et in patriam jamdiu speratam optatamque, cujus ipsa moenia jam non ita procul apparere prospicio, commigrem. Quoniam igitur commorandi tantum, non habitandi diversorium dedit ipse Deus, ex hac vita tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo laetus

In hortul. anim. Crameri semit. 7. p. 456. et in append. tract. de mysterio corporis spiritualis p. 188.

et agens gratias emigrabo. O felicem ex hac vita discessum! O laetissimum diem, diem inquam meae migrationi, novo meo natali diei, triumpho meo consecratum. Hoc unicum restat ex laboribus, periculis et curis omnibus certamen, jam sese mea redemtio, salus mea, vita mea, jam veluti ex longa et difficili navigatione tutus sese et plane tranquillus portus, jam sese aurora clari praenuntia solis ostendit. Jam ipse sol justitiae meae Filius Dei Jesus Christus mihi propius exoritur et tenebris meis praeclaram lucem praefert mihique iter ad astra, h. e. aeterna coeli regna, suo sanguine a
XVIII. 265. vepribus et dumetis perpurgatum patefecit. Gaude mea anima, quid inquam mea? imo Christi anima. Hujus enim pretioso sanguine redemta es; gaude, inquam, anima et laetare in Deo salutari meo. Egredere cum Lotho ex Sodoma, nec respice. Transi per mare rubrum, ut e manibus persequentium elabaris et in terram lacte et melle fluentem intres. Coelestia spectato, humana contemnito. Coelo nata es, coelo redemta es, coelo electa et sanctificata es, coelo deberis. Illic tibi jam pridem innocentis mactati Agni sanguine laetissima sedes parata est. Illuc oculos defige, illuc respice et molestam immundae carnis sarcinam cupide depone. Jam tibi Abrahae patet sinus, jam ipsi coeli ceu Christo ex baptismo adscendenti panduntur, jam tibi palmiti Christo per fidem inserto ejusdemque purgato sanguine paradisus aperitur. Sentis discedendi molestiam? sustine paululum, punctum temporis est, quo te expediet Deus. Perfer magno et infracto animo et obdura fortiter. Semel et brevissimi temporis sustinere labores, et quod semel persolvendum est debitum, mature sineque versura persolvere, quam diutius in hujus mundi improbitate versari, multis partibus melius est. Non morieres, sed vives vitam sempiternam et narrabis opera Domini. Unus dies in illo sanctissimo beatorum concilio omnibus humanae vitae seculis est anteponendus. Tu vero corpus, in quo alendo, curando, fovendo, reficiendo nimis multum temporis consumendum fuit, tu, inquam, cujus pondere anima mea nimis saepe ad terram depressa, minus libere se ad coelestia potuit attollere, tu igitur, quoniam Dei stat sententia, ut sicuti de terra sumtum es, in terram redeas, idque tibi toties tot morborum generibus et casibus humanis, quorum brevissimum hactenus intercessit intervallum, ceu signis fuit denuntiatum, trade te quieti, intra in cubiculum tuum, claude ostium, abscondere modicum, donec transeat indignatio. Corruptio tua erit purgatio, multo prodibis gloriosius, seminaris corruptibile, resurges incorruptibile, seminaris in ignominia, resurges cum gloria, seminaris infirmum, validum vegetumque resurges. Gessisti personam terreni, geres personam coelestis et in carne tua faciem Dei adspicies; satiaberis, cum ad imaginem ejus evigilaveris; tibi reditus in vitam certissimus est propositus. Quin etiamsi ex universa rerum natura amitteris, Domino tamen tuo, qui est os ex ossibus tuis et caro ex carne tua, cui insitum es, nunquam amitteris. Ipso evocante prodibis, depositum repente redderis. Ille Lazarum jam colliquefactum et putrescentem unico verbulo ex sepulcro vivum et plane vegetum excitabat. Idem ille in te quoque excitando virtutem suam ostendet. Cruciaris nunc quidem, torqueris et angoribus conficeris; momentum est, jam jamque liberaberis. Universa rerum natura desiderio finis sui afficitur et hunc extremum mortalis conditionis diem videre cupit. Tune quietem recusares? Tu summi imperatoris te ex statione vitae ceu ex praesidio evocantis mandato non pareres? Age igitur, pergat, instet, urgeat ipsa mors, et solvat, quod ut solveretur, fuit conglutinatum. Mors non pestis mihi, non acerba, non luctuosa, sed beneficii loco numerabitur. Illa mihi pacem et laetitiam nunquam perituram afferet. Has ego oculorum tenebras non invitus subibo, ut aeternam lucem adspiciam. Tu modo o salus mea, Fili Dei, Domine Jesu Christe, qui me ex inferno eruisti meque de manu mortis salvum fecisti, si unquam affuisti mihi, nunc in hoc supremo vitae meae mortalis articulo laboranti ades. Ad te animam erigo, tibi manus tendo, tibi aeger hic et languidus spiritus ducitur, te invoco, te unice desidero, tibi suspiro, ad te confugio, a te opem peto, tibi me penitus trado totumque. O rex meus et Deus meus, qui hanc carnis humanae in te sustulisti miseriam, ut mihi aditus in coelum pateret; qui in ara crucis sanctam egisti animam, ut ego in cruce exspirans reviviscerem; tu animae tranquillitatem largitus es mihi, tu terrorem mortis sustulisti, tu vitae parens, tu dux vitae ne derelinquas me. Domine Deus, ne discesseris a me, festina ad ferendum auxilium mihi,
Domine salutis meae. O verbum aeterni Patris, fac XVIII. 266.
quaeso, ne unquam ex pectore meo evanescat illud verbum: Haec est vita aeterna, ut te verum Deum et quem tu misisti Jesum Christum, agnoscant. Illud verbum, quo latronem, cum jam extremum spiritum duceret, suavissime consolatus es, sancto Spiritu tuo in corde meo obsigna: Hodie mecum eris in paradiso. Fac igitur, ut placide ex hoc diversoriolo emigret anima mea et extremus spiritus meus sanctissimo tuo et plane paterno corde excipiatur, ut qui ex te coepit initium, tibi dedicetur, in te hic postremus vitae meae mortalis actus finiatur. Da, ut ex hujus corporis compagibus te duce ceu per mare rubrum victor perrumpam. In manus tuas commendo spiritum meum, redemisti me Deus veritatis. Nunc igitur ad requiem tuam ingredere anima mea, quia Dominus benefecit tibi, quia eripuit te de morte, oculos tuos a lacrymis, pedes a lapsu continet. Depugnavi praeclare, cursum confeci. Nunc tempus est, ut in eundem portum, ex quo egressus sum, magna jactatus tempestate confugiam. Deinceps corona justitiae mihi reposita est, quam ipse Dominus in illa die mihi reddet. Munde vale, satis exercuisti me, jam nunc quaere alium, cui facessas negotium. O dulcis coeli regia! o suavissima patria salve! Haec omnia paucis mu-

tatis repetit Johannes Rosa professor academiae Jenensis in quadam oratione.

## E. R. P. morituri precatio.

Tu vero Deus, infinitae misericordiae et philanthropiae, Rex et Domine Sionis tuae, qui est populus fidelium tuorum, ex quo ego etiam unus sum, tua gratia mera tuoque gratuito beneficio et dono tuo prorsus, in hoc natus, in hunc a te cooptatus, vocatus et evocatus, ut sim et maneam in fidelibus tuis, consors horum, fide in te mea, quae quamvis languida in me est, fides est tamen, o ne obliviscaris mei in calamitatibus meis, o adsis mihi hoc tempore, quo nunquam mihi magis fuit opus ope tua, morienti jam et conflictanti cum morte et mortiferis doloribus animi et corporis. Confirma spiritum meum Spiritu tuo sancto adversus conatus et tentationes diaboli, ne deficiat fides mea, qui conservet in me et corroboret promissiones salutis tuae, ut perseverem manere in te usque ad finem. Sonet in auribus meis, iteret indesinenter Spiritus sanctus tuus meo spiritui in corde meo; illoquere hanc salutarem vocem in cor meum, inculca ei fiet tuum, dic meo spiritui tuo Spiritu vocem hanc tuam laetissimam et salutarem consolationis tuae: Hodie mecum eris in paradiso. Quod unius fidelis fidei dicis et precibus respondes, id dicis et respondes omnibus, et pertinet ad singulos et universos, qui aeque diligis universos tuos. Quod promittis minimo ex fidelibus tuis mihi etiam promittis, qui sum etiam ipse ex tuis, quocunque loco; neque a te magnitudo culpae, sed poenitentiae et conversionis fides et veritas respicitur. Confirma me Spiritu tuo, ut te sequar evocantem firma fide in locum eum, ubi fruatur spiritus meus conspectu tuo et consuetudine tua et consolationes percipiat Abrahamicas in quiete et pace et sinu fidei et contemplatione gratiae et beneficiorum aeternorum tuorum et inchoato usufructu horum et regni tui, inque gratiarum actione et celebratione tui, usque ad tempus laetissimae resurrectionis corporis mei, quando resuscitatum corpus meum reddes animae meae, ut totus ego animo et corpore toto perfecteque regno tuo fruar, completis prorsus plenisque beneficiis omnibus salutis tuae, qui dilexisti me ab aeterno, ante mundi initia, quando decrevisti et praedestinasti mihi salutem tuam, ab incarnatione dilecti Filii tui, in quo et propter quem me diligis et tum diligere coepisti a tanto tempore et omnes fideles tuos, quod probat mihi et persuadet fides in te mea, cujus donum mihi contulisti de mera solaque gratia tua, qua conserver. Hanc igitur mihi conserva, confirma, auge. Hoc sit mihi viaticum in itinere hoc meo ad te Sionico. Haec sit baculus mihi et pedum tuum per vallem miseram, asperam et aridam, quam peregrinor jam per tot annos vitae meae, per quos exspectavi hunc diem, hanc
XVIII. 267. horulam tuam et meam, qua me ad te evoces. Recordare Domine precum mearum, quarum formulam tu nosti Pater, quas jam per multos annos vitae peractae meae ad te facio languidius quidem et segnius quam spiritus meus ipse probare in me potuit, sed tamen per tuam gratiam aliquas. Ambulo per caliginem mortis corporis hujus. Ne dele lychnum fumantem, alliga quassam arundinem, qui sum et ipse unus ex minimis tuis, sed tuus tamen, cujus languida fides est, sed fides tamen. Confirma hanc mihi sic, ne dubitem, me etiam statim post mortem, quando emigrabit spiritus meus, incepturum tecum esse. Memento mei memoria misericordiae tuae, o Domine Deus Pater Jesu Christi Filii tui et propter hunc noster Pater, Deus Filius et Deus sancte Spiritus, Deus unice in tribus personis, unum tria, tria unum. Jesu Redemtor, Salvator, σῶτερ, dimitte servum tuum in pace, redemisti me Deus fidelis. In manus tuas commendo spiritum meum. Hodie sim tecum o Christe in paradiso tuo, ab hora mortis meae, a tempore emigrantis spiritus mei sim tecum, sit spiritus meus, anima mea, qui sum ego, usque ad resurrectionem corporis mei et postea inde animo et corpore totus in toto regno tuo aeterno in aeternum. Amen. Responde mihi inclamanti te Fili Dei Jesu Christe, itera migranti, oro iterum, vocem tuam in auribus meis, in corde meo verbum tuum: Hodie eris mecum in paradiso! ut meum cor, meus spiritus haec sentiant et teneant ad extremum usque et perseveret usque ad finem fides mea, ut nunquam a te divellar in omni aeternitate. Ad hanc vocem tuam migret spiritus meus amen: Hodie mecum eris in paradiso.

## Epistola consolatoria D. I. G. ad amicum letaliter aegrotantem.

S. Clarissime Vir mihique longe carissime, allatum est ad me, in recidivam te incidisse ac graviter omnino decumbere. Doleo certe ex animo non tam tuam quam tuorum vicem. Nota mihi singularis tua pietas et patientia, ideo nullus dubito, quin animo aequissimo, quidquid aerumnarum Deus imponit, sis toleraturus. Versaris in schola theologiae practica, ostendendum jam re ipsa, quid profeceris. Carnis afflictio ista erit maximum spiritus incrementum. Beatissimum te hoc nomine judica, quod sancta cruce Christo conformeris, a mundo abstraharis et ad coelestis patriae desiderium exciteris. Languet caro, sed certo crede, brevi revirescet ac germinabit, si non ad hanc, certe ad coelestem et immarcessibilem istam vitam. Circumspice mecum, quid rerum in mundo jam agatur atque habeatur, quid quaeso est, quod ad vitam diuturniorem magnopere aliquem invitare possit? Re ipsa experior, vita diuturniore me nihil aliud lucrari, quam quod plura mala agam, plura videam, plura patiar. At mei, inquis, in maerore maximo relinquendi; an vero existimas, eos tibi magis curae atque cordi esse quam Deo, qui plus in eos impendit? sapientissimus ille ac clementissimus Pater exactissime novit, quid tuis, quid tuorum rebus ma-

gis commodum sit. Cogita, non qua, sed quo voceris, et quidquid doloris atque afflictionis in hoc gymnasio, in quo jam sudas, tibi exantlandum patientissime tolerabis. Spes praemii minuet dolorem flagelli. Christianus es, sortem Christianorum ne respue; filius Dei es, utique ergo et heres; integram hereditatem accipe; in hac vita Deus filiis suis destinavit crucem, in futura tandem coelestis gloriae lucem; in hac vita distribuit illis calicem tribulationis, in futura demum offeret calicem salutaris consolationis. Caro non intelligit crucis mysterium, cave ergo, ne carnis judicium sequaris. Spiritu Dei renatus es, Spiritus judicium sequere. Quodnam vero illud? Audi Spiritum in Scripturis loquentem: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolationem accipient. Per multas tribulationes oportet nos ingredi in regnum coelorum; quodsi ergo plurimae te exercent tribulationes, collige ex eo, quod
III. 268. in vera ad regnum coelorum via ambules. Pugnas sat scio, precibus, pugnabo tecum, vinces, mihi crede, imo vero Deo, qui id promisit, crede: vinces et coronaberis. Vale carissime mi et literis tumultuariis ignosce, Dominus Jesus confortet, roboret, sustentet et ad gloriam te evehat. Amen.

### Alia ejusdem auctoris et argumenti.

Salutem et corporis, praesertim vero animae a Christo incolumitatem!

Allatum est ad me, reverende et doctissime vir, amice et frater in Christo conjunctissime, gravi iterum morbo te oppressum esse. Doleo sane ex animo vicem tuam, praesertim vero tuorum, sed solatur me pietas et patientia tua signis minime dubiis jam ante perspecta. Afflictio illa corporis erit incrementum spiritus, corruptio hominis exterioris erit renovatio interioris. Incrementum tribulationis erit augmentum consolationis. Ita enim nobiscum agit archiatros ille noster; per amaram crucis medicinam animae nostrae sanitatem procurat. Quodsi forte morbus hoc nomine contristat, quod soleat esse mortis anteambulo, noris, Christi morte mortem nostram exstinctam et in somnum suavissimum commutatam, si dormit Lazarus, dicunt discipuli, melius habebit. Veri omnino judices! Qui in Christo obdormiscunt, melius habere incipiunt, ex maris fluctibus ad portus tranquillitatem, ex perpetua militia ad victoriae coronam, ex variis terroribus ad plenam securitatem perveniunt. Nec videatur praematurus finis vitae, quae Deo maturuit. Diu enim peregrinati sumus, tandem redeundum est domum. Quantum decedit huic vitae, quae est mors vitalis, tantum accedit illi, quae est vita immortalis. Quis dubitet crucem luce, onera honore, afflictionem recreatione permutare? Quis non malit victor regnare cum Christo, quam miles pugnare cum diabolo? Involve te morti Christi, absorpta erit mors tua; involve te justitiae Christi, deleta erunt peccata tua; involve te lateri Christi, ab ira divina absconderis penitus. Excedat atque excidat animo peccatorum pondus, obversetur pondus satisfactionis Christi. Quid tam ad mortem commiserit homo, quod Filius Dei sua morte non possit sanare? Eripiet te Dominus ex hac morbi morte vel ad hanc, vel ad alteram vitam. Quidquid Deo placuerit, tibi etiam placeat; ubicunque vivimus, Domino vivimus. Abnega te ipsum penitus et voluntatem tuam divinae resigna voluntati. Novit ille rectius, quid tibi, quid tuis utilius; novit id sapientissime et procurabit benevolentissime. Pater enim est et talis pater, qui ut te possit habere filium, unigenito suo Filio non pepercit, ut te conservaret in morte vivum, Filium suum in mortem tradidit. Huic te crede, non fallet exspectationem tuam; virtus illius in tua infirmitate perficietur, pugnabit in te et coronabit te. Pugnabimus et nos tecum precibus. Vale in Domino, qui si volet, valebis brevi etiam corpore.

XVIII. 285. # TRACTATUS SECUNDUS

# DE MORTUORUM RESURRECTIONE.

## I.

Commendatio hujus doctrinae.

Exposito primo ex novissimis, videl. *morte*, transitum facimus ad alterum, quod esse diximus *mortuorum resurrectionem*. Ut enim vitae opponitur *mors*, quae est vitae privatio, ita morti opponitur *resurrectio*, quae est vitae restitutio, ejus quod prius cecidit, statio sive resuscitatio. Confer ea, quae de ordine novissimorum dicta sunt superius §. 8. Merito autem doctrina de mortuorum resurrectione nobis debet esse grata et commendata, 1. quia est *mysterium natura ignotum*, in solo autem verbo patefactum ac revelatum. Actor. 17, v. 32: *Cum Athenienses Areopagitae audirent resurrectionem mortuorum, quidam Paulum irridebant, quidam vero dixerunt, audiemus te de hoc iterum.* Augustinus in Psalm. 88: *In nulla re sic contradicitur Christianae fidei quam in resurrectione carnis.* 2. Quia est *omnis vivificae consolationis* in quibusvis adversis et in ipsa morte *fundamentum*. *Haec spes reposita est in sinu meo*, inquit Jobus cap. 19, v. 27. postquam de resurrectione confessionem ediderat, unde etiam Actor. 23, v. 6. et cap. 24, v. 14. *spes et resurrectio mortuorum* ab apostolo Paulo conjunguntur, et cap. 28, v. 20. articulus de resurrectione vocatur *spes Israëlis*, quia in resurrectione mortuorum omnis solidae spei fundamentum consistit. 1. Cor. 15, v. 19: *Si in hac vita tantum in Christo speramus, miserrimi omnium hominum sumus.* 1. Thess. 4, v. 13: *Nolumus vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini sicut ceteri, qui spem non habent.* Tertulliani liber *de resurrectione carnis* sic exorditur: *Resurrectio mortuorum fiducia Christianorum.* Epiphanius in ancorato pag. 390. edit. Basil. an. 1578: *ἐν τῇ ἀναστάσει τῆς ἡμετέρας σαρκὸς πᾶς ὁ θησαυρὸς καὶ κρηπὶς παντὸς σώφρονος λογισμοῦ διάκειται.* Syris resurrectio
XVIII. 286. vocatur נוּחָמָא, *consolatio*. 3. Quia est efficacissimum *pietatis incensivum*. Tertullianus lib. de resurrect. cap. 11. pag. 318: *Nemo tam carnaliter vivit, quam qui negant carnis resurrectionem, negantes enim poenam despiciunt et disciplinam.* Cyprianus in exposit. symb. pag. 385: *Sermo, qui resurrectionem praenuntiat, summam totius perfectionis succinctam brevitate concludit.* Epiphanius d. l. *ἐν τῇ ἀναστάσει πάσης ἀγαθοεργίας ἐλπὶς διάκειται.* Cyrillus Hieros. catech. 18. in princ.: *ἡ ἀνάστασίς ἐστι ῥίζα τῆς ἀγαθοεργίας.* Gregorius Nyss. orat. 3. de resurrect. Christi pag. 161: *Sublata resurrectione unus apud omnes obtinens sermo reperietur: Edamus et bibamus* etc. Chrysostomus hom. 42. in Matth. oper. imp.: *Tolle spem resurrectionis, et soluta est tota observantia pietatis. In omni enim re aut actu sive corporali, sive spirituali agendi virtus spes est praemii futuri.* Idem hom. 1. de resurrect. ex variis in Joh. locis: *Sicut cum non creditur resurrectio, vitam nostram subvertit malisque sexcentis implet; ita cum creditur, nos ad diligentem virtutis curam promovet vitiaque magno studio expellit.* 4. Quia est *proprium ecclesiae κειμήλιον.* Ut enim in sola ecclesia notae sunt efficaces et solidae consolationes morti opponendae; ita quoque in ea sola, doctrina de resurrectione consolationum illarum non postrema sonat. Proinde quod de Christi resurrectione Augustinus dicit lib. 16. contra Faustum cap. 29: *Mortuum esse Christum, pagani ac inimici ejus credunt, resurrexisse autem Christum propria fides est Christianorum;* idem etiam de nostra resurrectione paucis mutatis dici potest, homines morti obnoxios esse omnes credunt, imo vident, sed homines ex mortuis resurrecturos esse, propria est fides Christianorum; unde Phil. Melanchthon in explic. evang. hom. paschat. pag. 513. multis ostendit, *articulum de resurrectione mortuorum imprimis illustre discrimen facere inter ethnicos et veram Dei ecclesiam, atque extra conspectum rationis positum et propriam ecclesiae vocem esse.* **Breviter, articulus de resurrectione mortuorum est 1. Christianae religionis nucleus, 2. vitae nostrae scopus, 3. omnium adversitatum clypeus.**

## CAPUT I.

## DE *ΟΝΟΜΑΤΟΛΟΓΙΑΙ.*

1. ἐτυμολογία. 2. Ordiemur hujus novissimi explicationem methodo consueta ab ὀνοματολογίᾳ. *Resuscitatio*, quae resurrectionis causa, est *ejus*, *quod prius cecidit*, *erectio*. *Resurrectio* ex eo dicta est, *quod sit iterata quaedam statio*, sicut et Graecis ἡ ἀνάστασις dicitur quasi δευτέρα τοῦ πεπτωκότος στάσις, *secunda ejus quod cecidit statio*, παρὰ τὸ ἀνά, quod in compositione significat *re* et *sursum* et ἵσταμαι, ut sic ἀναστῆναι sit et *iterum surgere* post mortis scil. casum, et *sursum surgere* ex pulvere scil. terrae erectum. Job. 19, v. 25: *Scio ego* אַחֲרוֹן עַל־עָפָר יָקוּם *novissimo super pulverem staturum*, inde ex etymologia et emphasi hujus vocis Methodius apud Epiph. her. 64. pag. 242. erudite colligit, resurrectionem non ad animas, sed ad corpora pertinere: εἰ δέ τις τὴν ἀνάστασιν ἐπὶ τῆς ψυχῆς καὶ μὴ ἐπὶ τῆς σαρκὸς βιάζεται λέγειν ἔσεσθαι, πολλὴ μὲν μωρία τούτῳ καὶ ἀλογία, οὐ γὰρ τὸν ἑστῶτά τις ἀνίστησιν, ἀλλὰ τὸν κείμενον, *si quis vero*, inquit, *resurrectionem de anima et non de carne futuram esse dicere contendit, nae multa est illi fatuitas ac dementia, non enim stantem quis erigit, sed jacentem.* Hebr. קִימָה et תְקוּמָה *erectio*, *resurrectio*, formatur ex rad. קוּם *surrexit ad standum*, *erectus fuit*, *stetit*, in hiphil *erexit*, *suscitavit*, *excitavit jacentem aut mortuum* Joh. 6, v. 54. אָקִימֶנּוּ *resuscitabo eum in die novissimo.* XVIII. 287.

2. ὁμωνυμία. 3. *Resurrectionis* nomen accipitur vel *proprie*, vel *figurate*. Propria significatio est vel *generalis*, vel *specialis*. *Generaliter* resurgere dicitur, qui prius vel casu cecidit, vel sponte accubuit aut consedit. Psalm. 139, v. 2: *Domine tu cognovisti sessionem meam et resurrectionem meam.* Thren. 3, v. 63: *Sessionem et resurrectionem eorum adspice*, ubi tamen nomine *sessionis ac resurrectionis* invicem conjuncto per modum synecdoches non absurde quis intellexerit totam vitae conversationem, omnes hominis actiones, consilia et motus tam internos quam externos, quo sensu hominis *ingressus et egressus* alibi usurpatur. *Specialiter* accipitur pro corporum ex mortuis resuscitatione et vitae restitutione, vita enim quasi quaedam *statio* est, mors contra *casus*, proinde a morte reviviscere est quasi denuo surgere, in qua significatione h. l. usurpatur, ac distinguitur 1. *in particularem seu antecedentem ac temporariam* paucorum illorum resurrectionem, qui a Christo, prophetis et apostolis ad hanc vitam miraculose resuscitati fuere Matth. 11, v. 4. Hebr. 11, v. 35. etc. 2. *in singularem ac nobis perquam salutarem ipsius Christi resurrectionem* tertio a morte die factam Matth. 16, v. 21. Marc. 8, v. 31 etc. et 3. *in universalem seu finalem omnium omnino hominum resuscitationem* in novissimo die futuram, quae ab ipso Christo distinguitur *in resurrectionem judicii et vitae* Joh. 5, v. 29. de quibus divisionibus ab objecto et fine petitis suo loco inferius plura dicentur. *Figurata* significatio est vel *metonymica*, vel *metaphorica*. Metonymicae significationis exemplum Bucanus in loc. cap. de resurrect. pag. 412. affert ex Phil. 3, v. 11: *Si quo modo occurram ad resurrectionem, quae est ex mortuis*, ubi τὴν ἐξανάστασιν pro immortali vita μετωνυμικῶς positam statuit, sed absque ulla absurditate vel incommodo specialis ac propria hujus vocabuli significatio eo in loco retinetur, ut sc. accipiatur ratione *termini ad quem* pro beato piorum ad vitam aeternam resurrectione, quae alias vocatur *resurrectio vitae* Joh. 5, v. 29. *resurrectio ad vitam* 2. Macc. 7, v. 14. Sic ergo erit sensus, configuratus sum morti Christi, ut conformis etiam ipsi reddar ratione resurrectionis ad gloriam. Commodius proinde exemplum metonymicae significationis statuitur in verbis Christi Joh. 11, v. 25: *Ego sum resurrectio et vita*, i. e. non ipse solum resurgam et vivam, sed etiam sum auctor resurrectionis et vitae tum spiritualis, tum corporalis, sicut explicatio statim sequitur, *qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet, et omnis, qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum.* Christus est ipsa resurrectio et vita, ideo etiam est mortis alexipharmacum, quia contrariorum sunt contraria remedia. Quibusdam μετωνυμικῶς Christus dici videtur πρῶτος ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν Actor. 26, v. 23. ut sit sensus, Christum esse *primum sive primitias resuscitatorum ex mortuis.* Sed potest propria significatio retineri, *ex resurrectione* i. e. post resurrectionem mortuorum, sive postquam ex mortuis resurrexit. *Metaphorice* accipitur resurrectio *1. pro liberatione ex calamitatibus et periculis.* Ut enim adversitates et pericula *mortis* nomine quandoque veniunt Exod. 10, v. 17. Rom. 8, v. 10. 1. Cor. 15, v. 31. 2. Cor. 1, v. 10. cap. 4, v. 11. XVIII. 288.
cap. 11, v. 23. ita ex opposito liberatio ex adversitatibus et periculis *resurrectio et exaltatio ex portis mortis* Psalm. 9, v. 14. appellatur Psalm. 41, v. 9: *Quando jacuerit, non addet, ut resurgat*, i. e. si semel eum depresserimus et grandi infortunio involverimus, non patiemur ipsum iterum emergere. Esa. 24, v. 20: *Corruet et non adjiciet resurgere*, er wird dergestalt fallen, daß er des Aufstehens vergesse. cap. 26, v. 14: *Rephaim non resurgent* (ἐξήγησις statim sequitur), *dissipasti eos et perdidisti omnem eorum memoriam.* Amos 5, v. 2: *Cecidit et non adjiciet, ut resurgat virgo Israël*, *prostrata est in terram, et non est, qui erigat eam.* Amos 8, v. 14: *Cadent et non resurgent ultra.* Hoc modo intelligi etiam poterit, quod de impiis dicitur Psalm. 1, v. 5: *Non resurgent impii in judicio nec peccatores in coetu justorum*, i. e. non stabunt, non consistent, sed ob malam causam succumbent ac pessundabuntur. *2. Pro conversione ad Deum* per veram ac seriam poenitentiam. Ut enim *peccare* est in via Domini labi et *peccatum* est παράπτωμα, sic a *peccatis ad Deum converti* est resurgere et *conversio* est quaedam resurrectio. Augustinus libr. 10 de civ. Dei cap. 10: *Sicut animae spiritualiter possunt cadere, i. e. peccare, ita etiam spiritualiter queunt resurgere.* Prov. 24, v. 16:

***Cadet justus et resurget.*** (Quidam tamen de liberatione ex periculis hunc locum exponunt sicque ad praecedentem significationem referunt). Jer. 8, v. 4: ***Numquid qui cadit, non resurget?*** ἐξήγησις statim additur, ***numquid avertetur et non convertetur?*** Luc. 2, v. 34: ***Hic positus est in ruinam et resurrectionem multorum in Israël*** (i. e. qui hunc lapidem angularem in Sion positum vera fide apprehendunt eique innituntur, illi possunt ex luto peccati et mortis, in quo haerent, per veram conversionem sese erigere, qui vero lapidem illum apprehendere nolunt, sed sibi videntur stare et contra Christum se extollunt, in coecitatem et exitium sempiternum ruent Matth. 21, v. 44. Joh. 9, v. 39). Eph. 5, v. 14: *Surge qui dormis et exsurge a mortuis* (i. e. *a peccatis*, juxta interpretationem Chrysostomi hom. 18. in epist. Eph. quippe quae dicuntur *opera mortua* Hebr. 9, v. 14. *ab incredulitate*, juxta explicationem Augustini tract. 22. in Joh. *per fidem enim Christus vivit in cordibus nostris* Gal. 2, v. 20.) et *Christus te illuminabit.* Huic significationi cognata est ea, qua 3. accipitur de *communicatione vitae spiritualis*, i. e. de justificatione et adoptione ad vitam aeternam, qua ex morte spirituali, in qua omnes per naturam haeremus, ad veram ac spiritualem vitam resurgimus. Ut enim status irae divinae atque injustitiae in Scripturis sic describitur, quod homines sint spiritualiter *mortui* Joh. 5, v. 25. Rom. 6, v. 4. Col. 3, v. 1. ita e contrario status gratiae, justitiae et υἱοθεσίας vocatur spiritualis resurrectio. Rom. 6, v. 5: ***Si complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus.*** Col. 2, v. 12: ***Consepulti ei per baptisma in quo et resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum a mortuis*** (eadem Dei virtus, quae Christum emortuis excitavit, efficit, ut per fidem cum ipso spiritualiter resurgamus). Col. 3, v. 1: ***Si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt, quaerite.*** Apoc. 20, v. 5: ***Haec est prima resurrectio.*** v. 6. ***Beatus et sanctus, qui habet partem in prima resurrectione, in his secunda mors***, i. e. ***aeterna damnatio non habet potestatem*** sive ullum jus. De hac spirituali resurrectione loquitur Christus Joh. 5, v. 25: ***Venit hora et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei et qui audierint, vivent.*** Origenes in epist. ad Rom. cap. 6. lib. 5. pag. 543: ***Quae secundum mentem est ex fide resurrectio in***
XVIII. 289. ***his, qui ea, quae sursum sunt, sapiunt, ubi Christus est in dextra Dei, videtur impleta. Generalis autem illa carnis resurrectio, quae ad omnes pertinet, adhuc futura est, quia haec in primo, illa in secundo complebitur Domini adventu.*** Augustinus libr. 4. de Trin. 3: ***Alia est resurrectio carnis, alia mentis.*** Idem lib. 20. de civ. Dei cap. 6: ***Sicut duae sunt regenerationes, una secundum fidem, quae nunc fit per baptismum, alia secundum carnem, quae fiet in ejus corruptione atque immortalitate per judicium magnum atque novissimum; ita sunt et resurrectiones duae, una prima, quae nunc est, animarum, quae venire non permittit in mortem secundam, alia secunda, quae nunc non est, sed in fine seculi futura est, nec animarum, sed corporum est, quae per ultimum judicium alios mittet in secundam mortem, alios in eam vitam, quae non habet mortem.*** 4. ***Pro manifestatione irae*** ac judicii divini adversus peccata. Quemadmodum enim Deus dicitur quasi ***dormire*** et requiescere, quando poenas impiorum differt ac pios sub cruce laborare aliquandiu permittit; ita ex adverso dicitur ***surgere*** sive resurgere, quando vindictam exercet adversus ecclesiae persecutores, piis vero auxilium ac defensionem praestat. Psalm. 44, v. 24: ***Suscita te, et quid dormies Domine? expergiscere, ne elonges te in perpetuum.*** Psalm. 78, v. 65: ***Excitatus est Dominus tanquam dormiens.*** Jer. 31, v. 26: ***Expergefactus sum et vidi, et somnus meus fuit dulcis mihi.*** Soph. 3, v. 8: ***Exspectate me, dixit Dominus, ad diem resurrectionis meae, qua consurgam ad spolium.*** Oswaldus lib. 4. rosarii citante Altensteigio in lexico theol. in voce *Resurrectio*, tripliciter resurrectionis vocem accipi scribit, *1. active* pro resuscitatione et sic aliquando appropriatur Patri, aliquando Filio, aliquando Spiritui sancto, quia Patris, Filii et Spiritus sancti una est potentia, qua fiet resurrectio; 2. *mystice* pro resuscitatione animae a peccato mortali ad statum gratiae; 3. *proprie* pro reunione animarum rationabilium in sua corpora. Brulefer 4. sent. dist. 43. q. 1. sic procedit: ***Resurrectio est duplex. Quaedam est increata et est ipsemet Deus efficiens et causans resurrectionem creatam tam corporalem quam spiritualem, unde illud, ego sum resurrectio et vita; et ista resurrectio non est futura, sed fuit ab aeterno. Alia est resurrectio creata et ista est triplex, scil. spiritualis, temporalis et corporalis. Resurrectio spiritualis est illa, qua quis resurgit de peccato ad gratiam, et ista solum fit a Deo; resurrectio temporalis est illa, qua quis quandoque cadit de prosperitate hujus seculi et tandem resurgit ad talem prosperitatem, sicut patet de Jobo; resurrectio vero corporalis est reunio animarum intellectivarum ad sua corpora.***

4. *Synonyma* resurrectionis sunt, quod vocatur ab 3. *συνωνυμία.*
Hebraeis תְּקוּמַת־הַבָּשָׂר *resurrectio carnis*, תְּחִיַּת הַמֵּתִים *vivificatio mortuorum*. Quidam sic distinguunt quod תְּחִיָּה *ἀναβίωσις καὶ ζωοποίησις* proprie sit duntaxat *justorum*, תְּקוּמָה vero sive *ἐξανάστασις καὶ ἔγερσις* in genere *omnium hominum*, de quo discrimine in quaestione de subjecto resurrectionis uberius agetur. Resuscitare Hebraeis etiam est חִיָּה *vivificare* Ose. 6, v. 2. גָּאַל *redimere et vendicare a morte* cap. 13, v. 14. *aperire tumulos et educere mortuos, dare spiritum in mortuos et restituere vitam* Ezech. 37, v. 6. et seqq. *revocare a corruptione et illuminare luce viventium* Job. 33, v. 30. etc. Resurgere ipsis est יָקַץ vel קִיץ *evigilare* Esa. 26, v. 19. Dan. 12, v. 2. Psalm. 17, v. 15. ut opponatur morti, quae est *obdormitio*. Syris dicitur non solum חַיּת מִיתֵא vivificatio mortuorum, sed

etiam peculiari et probe observanda appellatione
XVIII. 290. נוּחָמָא *consolatio* Joh. 11, v. 24. unde Talmudistis dies resurrectionis vocatur יום הנחמה quia, ut paulo ante monuimus, *omnis vivificae consolationis in quibusvis adversis et in ipsa morte fundamentum in resurrectione mortuorum piis est propositum.* Item אֲנְבְעָה *scaturitio*, a rad. נָבַע *scaturivit*, quia articulus de resurrectione est vena uberrima ac fons perennis aquae vivae, salutaris scil. et efficacis consolationis perpetuo scaturiens, nunquam ἄνυδρος, unde non absurde quis existimaverit, Christum ad hunc consolationis fonte digitum intendere, quando Joh. 4, v. 14. inquit: *Qui biberit ex aqua, quam ego ei dabo, non sitiet in aeternum, sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.* Syr. דְּנָבְעִין *aquarum scaturientium* participio ex eadem radice formato. Graecis vocatur non solum ἀνάστασις καὶ ἐξανάστασις, quarum appellationum priorem resurrectioni piorum, posteriorem vero resurrectioni impiorum peculiariter tribui volunt, qua de re quid statuendum sit, suo dispicietur loco; sed etiam ἔγερσις Matth. 27, v. 53. παρὰ τὸ ἐγείρομαι, *excitor et expergefio;* item ἀναβίωσις q. d. *reviviscentia* 2. Macc. 7, v. 9. De Christi resurrectione Paulus Rom. 14, v. 9. usurpare quibusdam videtur verbum ἀναζάω, *revivisco*, sed ἀνάζησις illa resurrectionem formaliter et stricte sic dictam praecessit, quia Christus ζωοποιηθεὶς τῷ πνεύματι ad inferos prius descendit, antequam ex sepulcro surgeret 1. Pet. 3, v. 18. unde apostolus ἀνάζησιν ab ἀναστάσει ibidem distinguit. 1. Cor. 15, v. 22. resuscitatio vocatur ζωοποίησις, *vivificatio*, quae tamen, si exacte loqui velimus, est antecedens ἀναστάσεως, quia corpora per animae unionem prius vivificata postea resurgent. De Lazari resuscitatione Christus Joh. 11, v. 11. utitur verbo ἐξυπνίζειν, *e somno excitare*, quia mors piorum est somnus Matth. 19, v. 28. dies resurrectionis vocatur ἡ παλιγγενεσία. Quidam secuti Hilarium verba ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ praecedentem sententiam referunt explicantes ea vel de restauratione per Christum facta, vel praepositionem ἐν ἀντὶ τοῦ διά positam existimantes, ut sit sensus, *qui secuti estis me per regenerationem.* Sed codices emendatiores ad sequens membrum referunt, ideoque accipienda sunt de regeneratione, quae futura est in die universalis resurrectionis et judicii, sicut etiam Syrus reddidit בְּעָלְמָא חַדְתָא, *in seculo novo seu venturo.* Nequaquam igitur haec verba pertinent ad descriptionem *subjecti*, sed ad determinationem *temporis*, quae est adjecta *praedicato*, ut constat non solum ex subjuncta ἐξηγήσει et explicatione, *cum sederit Filius hominis in sede majestatis suae*, sed etiam ex reliquorum evangelistarum collatione Marc. 10, v. 30. Lucae 18, v. 29. Augustinus lib. 20. de civ. Dei cap. 5: *Quod ait in regeneratione, procul dubio mortuorum resurrectionem nomine voluit regenerationis intelligi, sic enim caro nostra regenerabitur per incorruptionem, quemadmodum est anima nostra regenerata per fidem.* (In hac vita ipsimet intra nos gemimus adoptionem, *filiorum exspectantes redemtionem corporis nostri* Rom. 8, v. 23. sed in die resurrectionis et judicii succedit *regeneratio* i. e. perfecta totius naturae renovatio ac instauratio, sicut et Petrus diem illum vocat diem ἀποκαταστάσεως πάντων Act. 3, v. 21. tunc enim abolito peccato et morte, perfecta justitia et immortalitas piis restituetur, quando ex morte resuscitati in aeterna tabernacula, *in quibus justitia habitat* 2. Petr. 3, v. 13. a Filio Dei introducentur). Idem lib. 3. contra duas epist. Pelag. cap. 3: *Regenerationem hoc loco ambigente nullo novissimam resurrectionem vocat, Paulus quoque apostolus et adoptionem et redemtionem nuncupat. Numquid non per lavacrum sanctum regenerati, adoptati et*
*redemti sumus? et tamen restat regeneratio, adop-* XVIII. 291.
*tio, redemtio, quam in fine venturam nunc patienter exspectare debemus, ut tunc filii hujus seculi ex nulla parte jam simus.* libr. 4. contra duas epist. Pelagian. cap. 11: *Sicut regeneratio lavacri dicitur, per quam detersa peccatorum colluvione renovamur; ita regeneratio dici videtur, per quam ab omni corporeae concretionis purificati labe mundo animae sensu in vitam regeneramur aeternam, eo quod purior quaedam qualitas sit regenerationis, quam lavacri istius, ut non solum in actus ejus, sed ne in ipsas quidem cogitationes nostras aliqua cadat suspicio peccatorum.* Idem repetit l. 2. contra Julian. Gregorius lib. 4. moral. cap. 26: *Si ipsa carnis nostrae resurrectio quasi quaedam nativitas non esset, de ea veritas non dixisset: In regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suae.* Bernardus in declamat.: *Quid est, quod dicit in regeneratione, aut quae haec est nova regeneratio? Neque enim jam ignoramus, quoniam oportet hominem nasci denuo non ex sanguinibus neque ex voluntate viri, sed ex aqua et Spiritu sancto. Ceterum cum nullatenus ad eam regenerationem valeat haec promissio pertinere, forte et altera regeneratione opus esse videtur, non solum denuo, sed et tertio hominem nasci necesse est. Infelix ergo homo et miserabilis casus meus, cui non una sufficit, cui duplex est necessaria regeneratio. Nimirum ex corpore et anima constitutus occidi totus simul, simul totus omnino resurgere non possum etc.*

5. Ad synonymiam pertinent etiam *periphrases et encomia*, quibus pii veteres resurrectionem mortuorum describunt. Gregorius Nyssen. in libr. de anim. et resurrect. pag. 216: *Resurrectio est naturae nostrae in antiquum statum restitutio.* Graeci patres sic describunt: ἡ ἀνάστασίς ἐστιν ἔγερσις ἐκ φθορᾶς πρὸς ἀφθαρσίαν. Item: ἡ ἀνάστασίς ἐστι συνδρομὴ τῶν διασωθέντων στοιχείων πρὸς ἑαυτὰ κελεύσει τοῦ κτίσαντος, *est conservatorum elementorum concursus mutuus jussu creatoris.* Damascenus lib. 4 orth. fidei cap. 28: ἀνάστασίς ἐστι δευτέρα τοῦ πεπτωκότος στάσις. Et postea: ἡ ἀνάστασίς ἐστι συνάφεια πάλιν ψυχῆς τε καὶ σώματος καὶ δευτέρα τοῦ διαλυθέντος καὶ πεσόντος ζώου στάσις, *est*

*conjunctio rursus animae et corporis et secunda iterataque ejus, quod dissolutum fuit ceciditque, animalis restitutio.* Scholastici sic describunt: *Resurrectio est copulatio rursus animae et corporis, et secunda ejus, quod dissolutum est et cecidit, animalis resurrectio, vel est iterata surrectio ejus, quod cecidit.* Brulefer 4. sent. dist. 43. q. 2. Plena et integra definitio resurrectionis sub finem capitis inferius subjicietur.

---

## CAPUT II.

## DE *ΤΩΙ ΟΤΙ.*

## AN SIT RESURRECTIO MORTUORUM.

An sit resurrectio mortuorum.

6. In *πραγματολογίᾳ* primum omnino locum obtinet quaestio, *an sit mortuorum resurrectio futura?* Inventi enim sunt omnibus temporibus, tum intra externum visibilis ecclesiae consortium, tum extra ecclesiae gremium, qui hunc articulum prorsus negarunt, ac in gravibus et seriis tentationibus assensus etiam in piis est imbecillior, ideo muniendi sunt animi certis et immotis fundamentis, quibus fides ac spes nostra de futura resurrectione firmiter innitatur. Ex professo de hoc argumento scripserunt plurimi ex veteribus. *Athenagoras* Atheniensis philosophus Christianus in libr. de resurrectione (in quo totam tractationem in argumenta 1. *ἀνασκευαστικά, pro veritate* contra negantes resurrectionem, et 2. *κατασκευαστικά, de veritate* partitus est. Prius caput in quaestionem 1. de *Dei voluntate* et 2. *potentia* subdividit docens, omnem impotentiam, cum *aut ab ignorantia, aut imbecillitate* pendeat, penitus hic esse exclusam; posterius caput 1. *a fine hominis ad imaginem aeterni Dei creati;* 2. *a natura hominis ex anima et corpore conflati*, in qua illum durare oportet; 3. *a Dei justitia et futuro judicio* deducit). *Tertullianus* lib. de resurrectione carnis (in quo primum commemoratis adversariorum in carnem convitiis, quibus resurrectionem apud simpliciores exagitant, *dignitatem carnis* ostendit, quippe cujus auctor ac redemtor sit Deus; deinde *de potestate Dei* disserit quidvis efficere valentis; mox ex revolubili rerum ordine resurrectionem persuadet phoenicis exemplum cumprimis urgens. Sed et causam affert resurrectionis, videlicet quod integritas judicii de totius hominis repraesentatione constet. Qua jam explicata arguit eos, qui resurrectionem in arcanis prophetici instrumenti literis praedicatam spiritualiter tantum volebant intelligendam, ipse contra tum ex figuratis, tum ex simplicibus atque apertis prophetarum oraculis corporalem resurrectionem adstruit atque idem deinde facit evangelicis utens testimoniis et mox apostolicis. Tandem de qualitate resurgentium corporum meminit et in summa colligit, carnem resurrecturam et *ipsam* et *omnem* et *integram*). *Origenes* l. 2. *περὶ ἀρχῶν* cap. 10. et in dialogo 3. contra Marcionistas cap. 3. *Epiphanius* in ancorat. et l. 2. tom. 1. haeres. 64. *Cyrillus Hierosol.* catech. 4. et latius in 18. *Gregorius Nyss.* in lib. de anima et resurrectione ad Macrinam sororem, *Hieronymus* epist. 41. *Ambrosius* in orat. de fide resurrectionis, *Theodoretus* in epitome divinorum decretorum c. de resur. et de judicio, *Prosper* in dimid. temp. c. 18. *Damascenus* lib. 4. orth. fidei cap. 28. quorum argumenta praecipua in sequentibus adducentur. Ex recentioribus quidam constituunt decem classes *τῶν ἀποδείξεων* articuli de resurrectione. Prima est *Christi resurrectio*, quae non solum exemplum, praeludium, arrhabo et pignus, sed etiam causa efficiens ac fons est nostrae resurrectionis. 2. *Oracula Christi*, coelestia ab evangelistis annotata. 3. *Specimen resurrectionis* in illis propositum, qui cum Christo resurgentes venerunt in civitatem sanctam et apparuerunt multis. 4. *Consensus sanctorum prophetarum et patrum*, adeoque totius ecclesiae V. T. 5. *Exempla illustria* restitutionis et glorificationis naturae humanae partim in iis proposita, qui ex terrena in coelestem vitam translati sunt, ut Enochi, Eliae et Christi, partim lucentia in mortuorum resuscitatione. 6. *Constans fides et confessio* resurrectionis in gente Judaica edita a septem martyrum matre, a Martha et a Pharisaeis. 7. *Creatio hominis ad Dei imaginem*, quae totius compositi aeternam cum Deo consuetudinem complectitur. 8. *Societas animae et corporis* in recte et male factis hujus vitae, cujus comes est individua praemiorum poenarumque *κοινωνία*. 9. *Sanctificatio* non solum animae, sed et *corporis* piorum in hac vita inchoata, in aeternitate consummanda. 10. *Incorruptibile et vivificum viaticum* corporis et sanguinis Christi in sacra coena nobis propositum. Quidam ad quatuor causas in resurrectionis demonstratione potissimum respiciendum censent, videlicet ad causam *συνεκτικήν*, quae est Christi resurrectio; ad causam *προκαταρκτικήν*, quae est Dei justitia; ad causam *προηγουμένην*, quae est Dei voluntas in verbo patefacta; et ad *συναίτιον*, XVIII. 293. quae est coena eucharistica. Illis postea addunt *congruam appellationem*, qua mortui vocantur dormientes; *quotidianam precationem*, qua petimus, ut regnum Dei adveniat; *absurdorum*, quae negationem hujus articuli sequuntur, *enumerationem et variarum similitudinum comparationem.* Quidam hos argumentorum fontes statuunt: 1. Oracula Spiritus sancti *αὐτόπιστα*, 2. exempla tum V. tum N. T. luculenta, 3. universae ecclesiae catholicae *συμφωνίαν*, 4. similia ex natura petita. Quidam ad quatuor principalia Dei attributa resurrectionis demonstrationem revocari posse censent. Nititur enim ea 1. *voluntate Dei infallibili* in perspicuis et manifestis Scripturae testimoniis patefacta; 2. *omnipotentia Dei*, quae firmissimum argumentum suppeditat, si cum clarissimo voluntatis testimonio conjungatur; 3. *justitia Dei*, quae requirit, ut pietati praemium, impietati supplicium reddatur, quod in hac vita differtur; 4. *sapientia Dei*, cui non con-

gruit, Deum frustrari creationis fine. Is vero hominem condidit ad imaginem suam eoque ipso ad bonitatis, sapientiae, justitiae et immortalitatis participationem et perpetuum Dei cultum, ad quem perpetuitas vitae ac proinde corporum resuscitatio requiritur. In postill. eccles. dom. 24. post Trinit. decem fundamenta, quorum meditatione fides nostra in hoc articulo confirmari possit, produximus, utpote 1. *Dominicam resurrectionem*; 2 *nostram redemtionem*, quia Christus non solum animam, sed etiam corpus nostrum redemit; 3. *nostram cum Christo unionem*, quia Christus est caput nostrum, nos sumus illius membra, quod ergo in capite praecessit, in membris sequetur; 4. *aeternam regni Christi durationem*, Christus est rex aeternus, utique ergo subditi ejus non manebunt in morte; 5. *nostram sanctificationem*, corpora nostra in hac vita sunt templa Spiritus sancti, ergo non perpetuo quiescent in pulvere; 6. *sacrae eucharistiae usurpationem*, in qua vivifico Christi corpore et sanguine ad ἀφθαρσίαν pascimur; 7. *justitiae divinae rationem*, quae requirit, ut, quia corpus et anima conjuncta fuerunt in operatione, eadem etiam conjungantur in praemiorum ac poenarum retributione; 8. *disertam ex Moyse probationem* traditam a Christo Matth. 22; 9. *exemplorum declarationem*, quia et in V. et in N. T. quidam leguntur resuscitati in futurae universalis resurrectionis praeludium; 10. *naturae praefigurationem*. Notandum vero de hisce fundamentis, 1. illis omnibus immotae baseos instar substernenda esse perspicua V. et N. T. oracula, quae resurrectionem certo futuram esse testantur, sicut ibidem sub finem monetur; 2. non esse omnium istorum fundamentorum eandem rationem, quaedam enim sunt *primaria*, quaedam duntaxat *secundaria;* quaedam potius *illustrantia quam confirmantia*, videl. naturae praefiguratio, quae proinde in ultimum locum fuit rejecta; 3. fundamenta illa potissimum ad piorum resurrectionem demonstrandam comparata esse, illa enim sola est beata ad vitam et gloriam resurrectio; interim quia cum resurrectione piorum indivulso nexu conjuncta erit resurrectio etiam impiorum, ideo demonstrata resurrectione piorum etiam demonstrata est universalis omnium hominum resurrectio; 4. enumerationem illam fundamentorum proponi in scripto homiletico, ideoque mirum non debere videri, si vel maxime exemplo veterum ecclesiae scriptorum argumenta necessaria et apodictica cum probabilibus conjungantur, vel etiam fundamenta quaedam praetermittantur.

[§]. 294. [Fu]ndamentum [resu]rrectionis. 7. Ut autem tractatio sit accuratior et res tota fiat illustrior, distinguendum esse dicimus inter *fundamentum*, cui fides resurrectionis firmiter innititur, et *argumenta*, quibus eadem fides confirmatur. *Fundamentum*, cui fides nostra in hoc articulo innititur, est unicum, videl. omnipotens Dei voluntas in verbo prophetico et apostolico revelata. *Argumenta vero*, quibus fides resurrectionis confirmatur, sunt complura et quidem diversimode comparata, quaedam sunt *primaria*, quaedam *secundaria*, quaedam κατασκευαστικά, quaedam ἀνασκευαστικά; quaedam *necessaria et apodictica*, quaedam *probabilia et topica;* quaedam *confirmativa*, quaedam *illustrantia*, ut suo loco apparebit. De fundamento hujus articuli primo loco agendum esse nemini dubium. Diximus vero, illud esse *omnipotentem Dei voluntatem*, h. e. ut distinctius loquamur, et voluntatem, et omnipotentiam Dei. Unde Christus Matth. 22, v. 29. Sadducaeos resurrectionem carnis negantes revocat ad Scripturas et ad virtutem Dei. *Erratis*, inquit, *nescientes Scipturas nec virtutem Dei.* Ex Scripturis vult disci voluntatem Dei, cum qua conjungenda sit Dei virtus sive omnipotentia. Resuscitatio mortuorum est peculiaris quaedam solius veri Dei actio, jam vero cujusque actionis duo sunt principia et necessaria, et sufficientia, *voluntas sc. et facultas.* Ergo etiam in hoc opere resuscitationis ad Dei voluntatem et facultatem respiciendum. Distinguitur autem docendi causa Dei voluntas a potentia, non quod in Deo ipso realiter sint distincta, sed ratione objectorum et effectorum, non quod latius pateat voluntas quam facultas, quasi Deus aliquid velit, quod non possit, sed quia Deus plura potest praestare quam vult, ac proinde ex potentia Dei absolute et simpliciter non posset probari resurrectio, nisi de voluntate Dei ex verbo revelato constaret. Contra vero demonstrata Dei voluntate statim quoque demonstrata est resurrectio. In actionibus quidem humanis posita voluntate non statim ponitur actio, quia non omnia, quae homines volunt, praestare statim possunt propter virium ἀδυναμίαν, sed in actionibus divinis res aliter se habet, posita enim voluntate statim ponitur actio, quia est omnipotens voluntas Psalm. 115, vers. 3: *Dominus noster in coelo, quaecunque voluit, fecit.* Quod si ergo demonstraverimus, Deum velle, ut certo et constituto tempore homines resurgant, eo ipso quoque fundamentum immotum ac prorsus ἀκίνητον resurrectionis nostrae demonstratum erit, *αἰεὶ γὰρ ὁ θεὸς τῇ θελήσει σύνδρομον ἔχει δύναμιν καὶ πάντα, ὅσα θέλει, δύναται*, ut ex Graecis patribus loquitur Damascenus libro primo de orth. fid. capite ultimo.

8. Ceterum de *voluntate* Dei non nisi ex verbo revelato constare nobis quidquam potest. Conquirenda igitur et diligenter expendenda sunt verbi divini oracula de resurrectione mortuorum a prophetis et apostolis edita, quae in duas classes commode distinguuntur, videlicet in vaticinia V. ac N. T. (Galatinus libro duodecimo de arcan. capite secundo adducit dictum Rab. Simai: *Non exstat aliquod capitulum Scripturae, in quo non fiat mentio de resurrectione mortuorum, tametsi vis nostra non possit illud penetrare*, cum quo congruit illud Ruffini in expos. symboli pag. 386: *De ipsa resurrectionis gloria et de repromissionum magnitudine si quis plenius scire desiderat, omnibus pene divinis voluminibus inveniet indicari.*) Dicta Veteris Testamenti petenda sunt 1. *ex Moyse*, 2. *ex Jobo*, 3. *ex psalmis*, 4. *ex prophetis. In Moyse 1.* Dicta Scripturae de resurrectione 1. ex V. T. 1. ex Moyse 1. Gen. 3, v. 15. XVIII. 295.

exstat protevangelium *de semine mulieris contrituro caput serpentis* Gen. 3, v. 15. ex quo primi parentes et ipsorum posteri resurrectionem corporum optima ratione colligere potuerunt. Conterere enim caput serpentis est *destruere opera diaboli* 1. Joh. 3, v. 8. jam vero ad opera diaboli pertinet non solum peccatum, sed etiam *peccati stipendium*, videlicet *mors*, temporalis et aeterna, Rom. 6, v. 23. Quodsi ergo semen mulieris debet conterere caput serpentis, utique etiam debet destruere mortem 2. Timoth. 1, v. 10. Si debet potentiam ac regnum Satanae frangere, utique etiam debet mortem vincere, quia diabolus *habet imperium mortis* Hebr. 2, vers. 14. Lutherus in comment. cap. 3. Genes. pag. 44: *Includitur in hanc sententiam redemtio a lege, peccato ac morte, et ostenditur manifesta et certa spes resurrectionis et invocationis in altera vita post hanc vitam. Si enim serpentis caput conteri debet, profecto oportet aboleri mortem. Si mors aboletur, etiam mortis meritum aboletur, h. e. peccatum. Si peccatum, ergo lex quoque* (respectu maledictionis) *abo-*
2. Gen. 4. v. 10. *letur.* 2. Gen. 4, v. 10. de Abele interfecto dicit Dominus ad Cainum: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Per *vocem sanguinis* quidam intelligunt parentes sanguine junctos, qui coram Deo gemant, atqui illi ignorabant Abelis occisionem; Hebr. 11, v. 4. diserte dicitur, quod *Habel etiam vita functus per fidem adhuc loquatur.* De sanguine igitur effuso et a terra absorpto dicit Dominus, quod *ad se* vel *coram se* clamet, tum quia anima Abelis licet mortui in conspectu Dei adhuc vivit, tum quia corpus Abelis ad vitam aliquando excitabitur, quae interpretatio colligitur ex Luc. 20, vers. 38. *Omnes vivunt ei*, ideo non dicitur, quod spiritus sive *anima* clamet, sicut Apoc. 6, v. 9. *animae interfectorum sub altari clamasse* dicuntur, sed notanter *sanguis* a terra absorptus dicitur clamare. Plenum consolatione est, quod Psalm. 34, vers. 21. dicitur *Dominus ossa piorum custodire, ne unum ex illis pereat*, sed quia ossa durabiliora sunt quam sanguis, ideo jucundius est, quod de sanguine dicitur, ipsum etiam post mortem ad Deum clamare ac Deum istum clamorem exaudire. Epiphanius lib. 1. tom. 1. contra Samaritas col. 22: *Sanguis non est anima, sed in sanguine est anima, et non dixit, anima clamat ad me, ostendens, quod est spes resurrectionis mortuorum etc.* lib. 2. tom. 1. haeres. ult. col. 504: *Si vult Deus, potest hoc facere, ut adsint corpora et absque anima moveantur. Quemadmodum etiam sanguis ipsius Abel cum corpus esset et non anima, post mortem loquebatur. Non enim anima est ipse sanguis, sed corpus est, quod apparet.* in ancorat. col. 1008: *Ubi non dixit divina Scriptura de resurrectione? Primum sanguis Abel praedicatur, post mortem enim adhuc loquitur.* Lutherus in comm. cap. 4. Gen. tom. 1. pag. 96: *Est haec quatuor priorum capitum Geneseos summa, ut credamus post hanc vitam resurrectionem mortuorum et vitam aeternam per semen mulieris.* Et paulo ante pag. 82: *Si nullus esset, qui curam nostri haberet post hanc vitam, Abel occisus non esset requisitus. Sed Deus requirit Habel sublatum ex hac vita, non vult ejus oblivisci, retinet memoriam ejus, quaerit, ubi sit; ergo est Deus mortuorum Deus, hoc est ergo etiam mortui vivunt et habent Deum curantem et salvantem eos in alia vita, quam haec corporalis est, in qua sancti affliguntur.*
3. Tertull. de resurr. carn. cap. 28. et Theodore- 3. Gen. 9. v. 5.
tus q. 54. in Gen. et Damascenus lib. 4. orth. fid. cap. 28. pro adstruendo resurrectionis articulo ad- XVIII. 2
ducunt locum Gen. 9, v. 5: *Sanguinem animarum vestrarum requiram, de manu cunctarum bestiarum requiram eum.* Verba Tertulliani sic habent: *Nihil exquiritur, nisi quod reposcitur, nihil reposcitur, nisi quod et reddetur, et utique reddetur, quod ultionis nomine reposcetur et exquiretur, neque enim vendicari poterit, quod omnino non fuerit. Erit autem, dum restituitur, ut vendicetur. In carnem itaque dirigitur, quidquid in sanguinem praedicatur, sine qua non erit sanguis. Caro suscitabitur, ut sanguis vendicetur.* Theodoretus sic loquitur: *ἐνταῦθα αἰνίττεται τὴν ἀνάστασιν, οὐχ ὡς τὰ θηρία παραδόξως εἰς τὸ κριτήριον καὶ δίκας τὴν ἀνθρωποφαγίαν εἰςπραξάμενος, ἀλλ' ὡς τὰ ὑπὸ τούτων καταναλένθα σώματα συνάξων τε καὶ συναναστήσων, hic insinuat resurrectionem, non quod bestias contra omnium opinionem vocaturus sit in judicium et de his supplicium sumturus, eo quod homines devorarint, sed ut congregaturus corpora ab ipsis consumta et illa suscitaturus.* Damascenus sic disserit, *πῶς* (inquit) *ἐκζητήσει τὸ αἷμα τοῦ ἀνθρώπου ἐκ χειρὸς πάντων τῶν θηρίων, ἢ ὅτι ἀναστήσει τὰ σώματα τῶν ἀνθρώπων τῶν ἀποθνησκόντων; οὐ γὰρ ἀντὶ τοῦ ἀνθρώπου ἀποθανεῖται τὰ θηρία, quomodo requiret sanguinem hominis de manu omnium bestiarum, nisi quia resuscitabit corpora mortuorum hominum? non enim pro homine morientur bestiae.* In eum locum commentator Damasceni sic scribit: *Non requiret Deus humanum sanguinem de manu bestiarum, quia acturus sit poenam a bestiis aut illis supplicium illaturus propter effusum ab eis humanum sanguinem aut ademtam hominibus devoratis vitam, quemadmodum de manu occidentis hominis requiret Deus animam occisi, quia de occisore vindictam homicidii expetet. In bestiam enim non cadit peccatum, quod liberi arbitrii sit exsors, quare neque poena ei debetur aut supplicium pro occiso homine tanquam de maleficio nequiter perpetrato. Non enim dicit litera pro homine morientur bestiae, ut in punitionem, scil. commissi sceleris, illud patiantur, quod homini intulerunt, sed de manu omnium bestiarum requiret Deus humanum sanguinem, quia hominum etiam a bestiis interfectorum corpora in extrema resurrectione revocabit ad vitam, rursus unito corpori sanguine, qui dum vitam hic agebat, prius in eo fuerat. Est ergo illud admodum conveniens testimonium ad resurrectionis veritatem convincendam.* Sed in prima acie et contra pertinacem adversarium non posset hic locus urgeri, simplicissimus enim sensus is est,

quod homicidium adeo Deo sit adversum, ut a brutis quoque poenam velit exigi, si hominem interfecerint, ut constat exemplo bovis cornupetae, Exod. 21, v. 28. et 29. Quamvis enim bruta non sint rationis capacia, tamen ad majorem peccati detestationem et irae divinae adversus illud amplificationem, ipsa etiam *ἄλογα ζῶα* propter peccati ministerium ad poenam vocantur, Gen. 3, v. 14. Lev.
4. Gen. 12, v. 3. c. 18, v. 18. etc. 20, v. 15. 4. Gen. 12, v. 3. cap. 18, v. 18. cap. 22, v. 18. cap. 26, v. 4. cap. 28, v. 14. promissio de Messia ex Abrahae, Isaaci et Jacobi semine sive posteriate nascituro his verbis proponitur, quod in ipso *benedicendae sint omnes gentes terrae*. Haec benedictio opponitur *maledictioni*, cui propter peccatum totum genus humanum est subjectum, ac proinde continet tum *ἀφαίρεσιν κακῶν*, tum *θέσιν καλῶν*. Quare cum ad maledictionem per peccatum introductam pertineat *mors* temporalis et aeterna Gen. 2, v. 17. utique etiam benedictionis nomine continetur liberatio a morte per resuscitationem ad vitam. 5. Classicus ac primarius pro adstruenda resurrectione locus exstat Ex. 3, v. 6: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob*. v. 15:
XVIII. 297. *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob misit me ad vos*, ex quo Christus Matth. 22, v. 32. Marc. 12, v. 26. Luc. 20, v. 38. contra Sadducaeos resurrectionem mortuorum negantes et ex V. T. libris solos Mosaicos recipientes miranda et divina prorsus sapientia hunc articulum demonstrat, hoc modo concludens. Quos Deus eo loco habet, ut se eorum Deum esse pronuntiet, illi secundum animam adhuc vivunt et secundum corpus ex morte iterum resuscitabuntur. Rationem connexionis Christus dat eam, quia *Deus non est Deus mortuorum, sed viventium*. Sed Abrahamum, Isaacum et Jacobum Deus eo loco habet, ut se eorum Deum esse etiam post mortem pronuntiet. Ergo Abrahamus, Isaacus et Jacobus secundum animam adhuc vivunt et secundum corpus ex morte iterum suscitabuntur. Quae vero est ratio horum patriacharum, eadem est omnium fidelium, quia eorum etiam Deum sese vocat, Lev. 26, v. 12. Pluribus de hoc loco egimus superius in quaestione de immortalitate animae §. 143. Si obvertas, *animae quidem immortalitatem, non autem corporum resurrectionem ex hoc loco probari*, respondendum est, quaestiones has esse arctissime inter se connexas, ut d. l. fuit ostensum. Adde quod Deus foedus illud, cujus ratione et propter quod se vocat istorum patriarcharum Deum, non cum sola anima, sed cum toto composito inierit, ac signum foederis in corpore susceptum ostendit, ipsum etiam corpus ex mortuis resuscitatum aeternae gloriae
6. Num. 24, v. 5. particeps futurum. 6. Origenes hom. 17. in Numer. ad resurrectionem accommodat dictum Bileami Num. 24, v. 5: *Quam pulchra tabernacula tua Jacob, tentoria tua Israël, velut valles nemorosae, ut horti juxta fluvios irrigui. In his* (ait) *verbis, non solius literae contuenda sententia est, nec puto, quod domicilia eorum collaudet terrena. Quoniam quidem quae loquitur Balaam, assumta parabola sua loquitur. Si enim consideres divisiones illas et ordines populorum, qui in resurrectione habebuntur, in populo veri Israël, quando unusquisque resurget in suo ordine, si potes intueri tribus illas et plebes et cognationes, in quibus non tam carnis et sanguinis est cognatio, quam mentis et animi, tunc intelliges, quam bonae sunt domus Jacob et quam bona tabernacula Israël.* Sed hoc videtur paulo coactius. 7. Epiphanius in ancor. p. 1010 adducit lo- 7. Deut. 33, v. 6.
cum Deut. 33, v. 6: *Vivat Ruben et non moriatur. Quod mortui* (inquit) *spem vitae aeternae habeant et qui in monumentis sunt, resurgent, cita mihi rursus testem fide dignissimum Moysen etc. Is enim cum duodecim tribubus benediceret, ad Ruben progressus et gnarus, quod esset sacerdos Levi* (*in manu enim sacerdotii solvebantur ac ligabantur peccata*) *inquit*: *Vivat Ruben et non moriatur. Quomodo vero vivere poterat, qui ante centum viginti sex annos sepultus erat? Verum quoniam novit resurrectionem omnium futuram esse et novit, mortem secundam per condemnationem in die judicii, volens ipsum pro uno supplicio levare a futuris dicit*: *Vivat, in resurrectione significans, (noverat enim, quod vivent omnes) et non moriatur, id est non objiciatur morti secundae, condemnationis videlicet et tormentis aeternis. Si enim de vitae damno cura ipsi fuisset, suffecisset dicere solum, vivat Ruben. Quandoquidem vero de futuris significat, dicit, vivat Ruben et non moriatur.* Sed ex hoc loco resurrectio non poterit apodictice demonstrari. Sensus enim literalis hic est, quamvis Ruben propter incestum cum noverca commissum promeritus fuerit, ut tota ejus posteritas deleretur, tamen benignissimus Deus ex immensa misericordia hanc poenam
mitigavit. *Vivat ergo Ruben et non penitus moria-* XVIII. 298.
*tur*, vel deficiat posteritas ac tribus ejus, interim ut exstent signa judicii divini adversus peccantes, erit *Ruben parvus in numero*, h. e. non tam copiosam habebit posteritatem quam tribus reliquae, Gen. 49, v. 4: *Effusus es sicut aqua, non crescas.* Sic ergo non de Rubenis persona, sed posteritate Moyses loquitur.

9. 2. Ex Jobo 1. Epiphanius in ancor. p. 1011. 2. Ex Jobo 1. Job. 19, v. 26.
adducit locum, *donec rursus nascar et corpus hoc, quod haec exhaurit, et renovabis me.* In Graeco est pag. 510: *ἕως πάλιν γέννωμαι καὶ τὸ σῶμα τοῦτο τὸ ἀντλοῦν ταῦτα καὶ ἀνακαινιεῖς με.* Sed ubi locus ille in Jobo exstet, nondum invenire potui, nisi forte Epiphanius alludat ad c. 19, v. 26. ubi habetur *τὸ δέρμα ἀναντλοῦν ταῦτα.* 2. Quidam ex recentioribus 2. Job. 13, v. 15.
ad resurrectionis probationem afferunt dictum Job. 13, v. 15: *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.* In Hebr. est הֵן *ecce occidet me*, לֹא *non sperabo*, ut adverbium negandi לֹא positum sit pro adverbio interrogandi הֲלֹא *an non sperabo in eum?* sicut Esa 33, vers. 1: usurpatur; *Vae tibi qui spolias*, לֹא, *an non ipse quoque spoliaberis?* Lutherus ex antecedentibus colligit, esse potius querelam ex infirmitate carnis, quam consolationem ex robore spiritus profectam. *Quare lacero carnes dentibus meis*

*et animam meam porto in manibus meis? Ecce occidet me*, i. e. scio, quod in hisce miseriis mihi sit succumbendum, quod non possim ante mortem ex his malis eluctari; *non exspectabo*, id est tantis premor angustiis, ut non possim illud tempus exspectare, sed optarim potius, me jamdum esse mortuum. Er wird mich doch erwürgen, und ich kann's nicht erwarten. Eodem modo exponit Rabinus Levi. Sed Mercerus recte notat, posse haec verba Jobi accipi tanquam magnae fidei et spei, quae in cruce et morte potissimum elucet, testimonia. Statim enim sequitur versu decimo sexto: *Ipse est mihi in salutem.* Posset igitur pro defensione vulgatae versionis dici, *τὸ* הֵן positum esse pro אִם sicut etiam alias fieri consuevit, ac pro לֹא notantibus Masoretis legendum esse לוֹ ut sit sensus *sperabo in eum*, sicut et Chaldaeus reddidit, *orabo ante eum, deprecabor eum*, i. e. non abjiciam spem in media morte, scio enim, quod corpus meum tot malis excruciatum et in pulverem tandem redactum sit

3. Job. 14, v. 15. e sepulcro suscitaturus. 3. Job. 14, v. 15: *Vocabis me* (in die sc. novissimo, *quando mortui audient vocem Filii hominis* Joh. 5, v. 28), *et ego respondebo tibi* (audiam vocem tuam et prodibo vivus ex

4. Job. 17, v. 14. sepulcro), *operi manuum tuarum favebis*. 4. Job. 17, v. 14: *Foveae dicam, pater meus es tu, et vermi dicam, mater mea es.* Sicut parentes nos generant ad hanc vitam, sic fovea sive sepulcrum ac vermes sunt veluti progenitores nostri, a quibus ad futuram vitam mirabili partu aliquando in lucem

5. Job. 19, v. 25. producemur. 5. Cumprimis vero de resurrectione expendendus est locus classicus Job. 19, v. 25. et seqq.: *Scio, quod redemtor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum: Et rursum circumdabor pelle mea et in carne mea videbo Deum, quem visurus sum ego ipse et oculi mei conspecturi sunt et non alius, reposita est haec spes mea in sinu meo.* Quidam ex *Rabinis* et eos secutus *Mercerus* in comm. statuunt, Jobum non de resurrectione corporis post mortem, sed de *restitutione sanitatis in hac vita*, nec de gloria sempiterna in

XVIII. 299. coelis, sed de *felicitate temporali in terris* verba facere, ut sit vaticinium de secutura rerum conversione ac restituta prosperitate, cujus complementum describatur cap. 42, v. 12. Eugubinus etiam textum hunc suspectum reddere voluit, notante Pineda in cap. 19. Jobi p. 100. Bernh. Ochinus lib. 1. dial. 2. sic reddidit, *scio eum, qui injuriosa vestra in me verba vendicaturus est, et vivere et semper victurum esse suaque virtute me, qui nunc monstri instar pelle exutus sum, denuo vestiturum esse pelle mea, ita ut sanus, qualis antea fui, iterum evadam atque ita demum solus ego, qui tot miserias expertus sum, Dei bonitatem singularem experiar.* Vorstius part. 2. resp. ad Sladum p. 97: *Locus Job. 19. licet typum resurrectionis proponat, obscurus tamen est et proprie de liberatione in hac vita disserit.* Georgius Enyedinus Photinianus (cujus tamen auctoritatem repudiat Schmaltzius in disp. contra Franz.) expositionem hujus loci de resurrectione mortuorum duobus praecipue argumentis a doctissimis quibusque oppugnari scribit in explicat. loc. V. ac N. T. p. 51. Primo, *si hic locus de resurrectione mortuorum ageret, Hebraei, qui aeque ut Christiani resurrectionem credunt atque confitentur, hoc annotassent et sic interpretati verba Jobi fuissent, sed cum nemo Rabinorum sic de eo locutus sit, argumentum esse posse, quod alius sit verborum sensus. Deinde grammaticam quoque ipsam interpretationem vulgatam refellere.* Sed hisce *φλυαρίαις* ac novitatibus non obstantibus ecclesia hunc locum Jobaeum unanimi consensu de secutura corporum resuscitatione ac sempiterna piorum in coelis laetitia constanter exposuit, unde Hieronymus ad Pammach. istud dictum praeclaro exornat praeconio, *nullus*, inquiens, *tam aperte post Christum quam Jobus ante Christum de resurrectione loquitur.* Utilem vere ac laudabilem in vindicatione hujus loci a corruptelis adversariorum navavit operam theologus eximius, amicus noster singularis Balth. Meisnerus in disp. Witeb. ann. 1616 ex eo instituta, in qua praeclare ac late ostendit, nulla nos cogi necessitate, ut a communi et recepta ecclesiae sententia discedamus, quinimo evidentibus argumentis demonstrat, Jobum hic loqui de resurrectione corporis, non autem de restitutione sanitatis, 1. *a cohaerentia horum verborum cum antecedentibus.* Baldad et Zophar amici Jobi ipsum habebant pro impio ac juxta receptam Judaeorum opinionem, qua statuunt, pios duntaxat resuscitatum iri, omnem resurrectionis spem ipsi denegabant cap. 18, v. 5. 13. 14. cap. 20, v. 9. sed huic ipsorum insultationi opponit Jobus thesin contrariam. Quamvis putetis, me esse impium et post mortem nunquam revocatum iri in vitam, scio tamen, quod redemtor meus vivit, qui etiam ex terrae pulvere me suscitabit etc. 2. *A prooemio Jobi et postulata attentione.* Si enim Jobus de temporaria restitutione loqui voluisset, quorsum opus fuisset adeo magnifice praefari, *utinam stylo ferreo vel plumbo inscriberentur verba mea* ad perpetuam rei memoriam? Si de re paulo post futura loqui constituisset, quid opus fuisset scriptione tam firma ad aeternam recordationem, vere illud futurum, de quo Jobus hic vaticinatur? 3. *A plena scientia, qua Jobus se hoc nosse profitetur.* Et *ego novi*, inquit, certa sc. et indubitata fidei notitia, eam enim verbum יָדַע exprimit. Atqui sanitatem et omnia bona sibi restitutum iri tam certa et indubitata notitia minime noverat. Adde quod hanc suam fidem et notitiam per particulam copulativam וְ cum aliorum fidelium notitia et fide conjungat, jam vero fides resurrectionis, non autem restitutionis bonorum in hac vita exspectandae Jobo cum aliis fidelibus est communis. 4. *A nomine redemtoris*, quod Christi proprium est, cum notet ejusmodi vindicem, qui tum redimendis consanguinitate junctus XVIII. 3[illegible]
est, tum pretium quoddam pro redemtione interponit. Gen. 48, v. 16. Esa 59, v. 20. cap. 63, v. 9. Ose. 13, v. 4. etc. Atqui si per nomen redemtoris in specie intelligitur promissus Messias et ad ejus

resurrectionem simul respectus habetur, id quod non solum ipsa appellatio, sed etiam singula descriptionis membra et aliorum locorum collatio manifeste ostendunt, hic textus exponi nequit in genere de Deo sanitatem restituente, sed potius de beneficio Christi hominis ex terrae pulvere resuscitantis in specie exponi debet. 5. *A nomine* אַחֲרוֹן, quod notat *postremum et novissimum.* Tale ergo quid Jobus intelligit, quod novissimo tempore adeoque post multa annorum intervalla futurum erat. Atqui restitutio sanitatis ac bonorum non est facta novissimo tempore post multos annos, quia statim post colloquium cum Deo Jobus convaluit, cap. 42, v. 9. 10. 6. Ex verbis: *stabit super pulverem.* Si de temporali bonorum restitutione eadem accipias, non potest eorum commoda expositio dari. Cur enim de redemtore super terram stante verba faceret, si ad bonorum in hac vita restitutionem unice respiceret? At si de resurrectione Jobi verba accipias, omnia optime cohaerent, tum enim statio redemtoris super terram de adventu ipsius in carnem, resurrectione ex mortuis et ultimo adventu ad judicium commode exponi potest. 7. Ex verbis: *postquam corroserint carnem meam.* Quocunque enim modo haec verba exponantur, ipsa tamen mors corporalis et corruptio totalis innuitur, נָקַף enim est *corrodere*, et testibus plerisque interpretibus subaudiendi sunt *vermes corrosores*; utique ergo de re post mortem et post stationem redemtoris super pulverem futura, non autem de temporali hujus vitae beneficio Jobus loquitur. 8. Ex verbis: *et de carne mea videbo Deum.* Visio Dei *ex carne* vel *de carne* non nisi post mortem temporalem in futura demum vita nobis continget, est enim visio corporalis et fit de facie ad faciem. 9. *Ab opinione Jobi*, qua de restitutione temporalium bonorum desperaverat, cap. 7, v. 7. cap. 10, v. 20. et 21. cap. 13, v. 15. (juxta Lutheri versionem) cap. 16. vers. 22. cap. 17, v. 1. 14. et 15. cap. 19, v. 10. cap. 30, v. 23. Ergo quando hoc loco de re certa sibique infallibiliter cognita sermonem facit, non restitutionem sanitatis vel temporale aliquod beneficium, sed resurrectionem corporis et aeterna bona intelligit. 10. *Ab absurdo et periculo.* Si ob tenues quasdam ratiunculas a literae simplicitate et unanimi ecclesiae consensu cuivis licet recedere, nulla amplius manebit certitudo in fidei articulis ex Scriptura demonstrandis. 11. *A testimonio LXX interpretum*, qui per גֹּאֵל intelligunt *Christum*, per *stare super pulverem* ipsam resurrectionem, sic enim vertunt: *οἶδα, ὅτι ἀέναός ἐστιν ὁ ἐκλύειν με μέλλων, ἐπὶ γῆς ἀναστῆσαι τὸ δέρμα μου, scio ego, quod aeternus est, qui me solvere debet* (a peccato, ab ira Dei et a morte), *et super terram suscitabit pellem meam.* Iidem interpretes in ultimo capite Jobi sic legunt: *Mortuus est Job senior et plenus dierum. Scriptum est autem* (videl. in cap. 19.), *ipsum rursus resurrecturum, cum quibus resuscitat Dominus*, quae verba teste Niceta in cat. aurea et Origene in epist. ad Africanum non leguntur in Hebraeo, neque apud Aquilam et Symmachum, leguntur tamen apud Theodotionem. 12. *A testimonio Targum.* Locoenim גֹּאֲלִי legit פָּרִיקִי quod idem est ac *redemtor meus*, quo nomine intelligit Christum, qui carnem nostram assumens factus est frater noster consanguineus, ut nos ex potestate diaboli redimendi jus ad ipsum pertineret, Esa 59, v. 20. Luc. 1, v. 71. 1. Tim. 2, v. 6. 13. *A testimoniis Rabinorum*, Galatinus lib. 3. de arc. cap. 19. XVIII. 301.
adducit locum ex R. Haccados in revelatore arcan.: *Quia Messias Deus et homo futurus est, vocatum est nomen ejus Immanuel, quod interpretatur nobiscum Deus, in corpore sc. et carne nostra, quemadmodum Job testatur c. 19. dicens: Et ex carne mea videbo Deum.* Pineda in Jobum p. 101. refert, R. Samuelem Marochianum nostram de resurrectione interpretationem approbasse in epistola de adventu Messiae ad Isaacum c. 11. Galatinus dicto lib. cap. 27. adducit locum ex Beresith Ketanna in expos. cap. 18. Gen.: *Scriptum est Job 19. et rursus vel postea pelle mea circumdabuntur ista et ex carne mea videbo Deum. 14. A testimoniis patrum*, qui unanimi suffragio de resurrectione corporis hunc locum exponunt, Clemens Rom. 5. constit. cap. 5. Justinus in orat. ad. Anton. Tertullianus de resurrect. carnis cap. 29. Cyprianus libro 3. testim. cap. 58. Ruffinus in expos. symb. Nazianzenus orat. 23. in laudem Hieronis, Cyrillus Hierosol. catech. 18. Hieronymus in epist. ad Pammach. Nicetas Heracleensis in caten. aurea Job. 14. Augustinus lib. 22. de civ. Dei cap. 29. Gregorius lib. 14. moral. cap. 28. Cassiodorus lib. 1. div. lect. cap. 5. etc.

10. Argumenta, quae in contrarium proferuntur, potiora haec sunt: 1. *Hebraei aeque ut Christiani resurrectionem credunt, at nullus eorum de resurrectione locum Jobi exponit.* Respondemus: 1. quaedam ex Rabinis pro nostra sententia sunt adducta; 2. si vel maxime nullus Rabinorum sic exponeret, nihil tamen veritati ex eo decederet, quia Scripturae interpretatio non pendet ab auctoritate humana; 3. multo minus a Rabinis solida et genuina Scripturae interpretatio speranda, cum *visiones omnes illis obsignatae* Esa 29, v. 11. *et velamen oculis eorum sit impositum* 2. Cor. 3, v. 14. Vide Forsterum in praefatione lexici; 4. ne ipsi quidem Photiniani in Scripturae expositione vel a Rabinorum vel Christianorum interpretum auctoriate pendere volunt. 2. *Grammatica verborum et phrasium significatio non admittit receptam de resurrectione interpretationem.* Respondemus: Contrarium luculente ostendit Meisnerus d. l. ubi etiam ea, quae Lutheri versioni objiciuntur, optime diluit. Lutherus fidi interpretis functus officio non singulas voces de verbo ad verbum reddere, sed sensum exprimere propositum sibi habuit. 1. Nomen אַחֲרוֹן exponit adverbialiter *deinceps*, vel quia nomina apud Hebraeos saepe adverbiascunt, vel quia אַחֲרוֹן positum pro בְּאַחֲרוֹן *in novissimo.* 2. Verba יָקוּם עַל עָפָר vertit *ex pulvere suscitabit*, sensum scil. attendens atque eo respiciens, quod עַל quandoque usurpetur pro a vel ab et יָקוּם *transi-*

*tive* positum videatur Amos 7, v. 2. et 6: *Quis eriget seu suscitabit Jacob?* Hebraea ad verbum habent: redemtor ille meus *novissimus* vel *in novissimo*, scilicet tempore, *super pulverem stabit*, in resurrectione scilicet sua et in novissimo ad mortuos resuscitandos et judicandos adventu, quae versio interpretationem de resurrectione non evertit, sed confirmat, quia resurrectio nostra a Christi resurrectione pendet. Possunt etiam haec verba sic verti *in novissimo resurget*, id est exercebit vires suas erga pulverem, id est erga corpora defunctorum in pulverem redacta, illa excitando. 3. Verba וְאַחַר עוֹרִי נִקְּפוּ זֹאת reddidit *et postea circumdabor hac cute mea*, denuo respiciens ad sensum. Hebraea ad verbum varie a variis explicantur, Zanchius part. 1. de trib. Elohim lib. 2. cap. 4. reddit *et postquam pellem meam contriverunt vel corroserunt* (ut sit praeteritum plurale in piel a rad.
XVIII. 302. נָקַף *excidit*, *concidit*, ac subintelligatur cognatae significationis nomen *corrosores*, morbi sc. et mors), *hoc*, id est haec ipsa cutis, hoc ipsum corpus scilicet *resurget*, ut ἀπὸ κοινοῦ ex versu praecedente repetatur verbum יָקוּם. Quidam reddunt *et postquam cutis mea confodietur*, *concidetur*, *haec iterum surget*, ut sit tertia pluralis in niphal. Sed quia pronomen זֹאת per lineolam macceph cum verbo נִקְּפוּ conjungitur, ideo alii sic reddunt *et postquam pelle mea circumdata sunt haec*, ut נִקְּפוּ deducatur a rad. נָקַף *circumdedit*, *circumvolvit*, qua ratione per usitatam temporis enallagen praeteritum poneretur pro futuro, pluralis pro singulari et per זֹאת ipsum corpus vel caro intelligeretur. Haec versio proxime ad Lutheri mentem accedit atque ad eandem alludere videtur paraphrastes Chaldaeus: *Postquam inflata vel circumdata fuerit pellis mea, erit hoc, de carne mea videbo Deum*. Ezech. 37, v. 9. iisdem fere verbis resurrectio describi videtur, *quod caro et ossa pelle sint cingenda*. Hieronymus epist. 41. reddit *resuscitaturus est pellem meam, quae nunc haec haurit*, h. e. quae ista tormenta perpetitur. Pagninus, Tremellius, Vatablus et Piscator reddiderunt *et quamvis post pellem meam* (vermes) *contriverunt vel confoderunt hanc vel hoc*, hoc est miseram illam carnem, tamen *ex illa carne mea videbo Deum*. Simplicissima expositio videtur ea, qua vocabulum עוֹרִי deducitur a radice עוּר *excitatus est*, *experrectus est*, ac verbaliter exponitur hoc sensu *et post excitari meum vel postquam ex mortuis* per illum meum redemtorem *excitatus fuero*, *exscindetur hoc*, hoc est haec omnia, quae oculis in mundo intuemur, ut denuo temporis et numeri enallage statuatur. Schindlerus vocem עוֹרִי vertit per *pellem*, ideo subintelliget ubique nomen, *post cutem meam* hoc est post putrefactionem cutis meae *exscindentur*, *absumentur*, *conterentur haec*, hoc est omnia visibilia. *3. Visio illa Dei*, *quam Jobus sperat*, *in hac vita ipsi contigit*, *ut apparet ex complemento in ultimis capitibus descripto*. Respondemus: Quidam existimant, Deum nequaquam visibili quadam specie Jobo apparuisse, sed *de turbine*, hoc est praemissa ingenti tempestate, cum ipso locutum esse, Job, 38 v. 1. Verum quia cap. 42, v. 5. dicit Jobus, *oculus meus vidit te*, ideo distinguimus inter visionem, de qua loquitur Jobus cap. 19. et quae describitur cap. 42. Illa fuit Jobo promissa ac certo sperata, haec vero fuit ipsi ignota et inexspectata. Illa debuit objecti loco habere redemtorem sive Messiam naturaliter vivum et resuscitatum, haec vero speciem visibilem et ad tempus apparentem complexa est; illa debuit ferri in redemtorem stantem super pulverem sive terram, haec vero Deum ex nube et caligine e sublimi loquentem respexit; illa debuit fieri in novissimo tempore, post resurrectionem tum Messiae, tum ipsius Jobi, haec vero brevi tempore interjecto Jobo in terris adhuc vivente contigit. 4. *Jobus dicit*, *se de carne sua*, *non autem in carne Deum visurum esse*. Respondemus: 1. praepositio מִן non solum *de*, sed etiam *ex*, Gen. 15, v. 4. Mich. 5, v. 1, *in* Psalm. 68, v. 30. Psalm. 72, v. 16. Jerem. 3, v. 20. Ezech. 48, v. 29. et *cum* significat Esa. 57, v. 8. quae significationes omnes huic loco congruunt, *videbo Deum ex carne*, *in carne* et *cum carne mea*, statim enim subjungitur, *quem ego visurus sum mihi*, hoc est in meum commodum seu pro me ipso et oculi mei conspecturi sunt eum et non alius. 2. Si vel maxime reddatur *videbunt Deum de carne mea*, h. e. Deum incarnatum propinquitate carnis mihi conjunctum, sicut Rabini apud Galatinum libr. 3. de arcanis cap. 1. exponunt, nihil tamen decedit nostrae sententiae, si enim Jobus oculis suis XVIII.
Filium Dei incarnatum intueri aliquando debet, utique etiam in carne sive corpore suo ex mortuis resuscitato Filium Dei incarnatum, resuscitatum et ad judicium venientem intuebitur. 5. Jobi 42, v. 12. dicitur, *quod Dominus benedixerit Jobo* אַחֲרִית *in novissimis*. *Ergo etiam in verbis cap. 19. ad benedictionem illam temporalem respectus habetur*. Respondemus: de benedictione illa temporali et bonorum omnium restitutione Jobus plane desperaverat, ergo ad eam non potuit tanta fidei πληροφορία respectum habere. Aliud ergo *novissimum* intelligendum cap. 19. quam de quo agitur cap. 42. Illud respicit *mundi novissimum* vel tempus primi adventus Messiae, hoc vero respicit *novissimum Jobi* h. e. postremam vitae partem. 6. *De tali visione loquitur Jobus*, *quae futura sit ipsi propria*, *ego visurus sum eum et non alius*. *Atqui visio redemtoris in extremo judicio erit communis omnibus hominibus*. Respondemus: non nudum externum, sed etiam cum eo conjunctum internum, salutarem et beatificum adspectum Jobus intelligit, quia ex eodem consolationem in suis aerumnis desumit. Verba illa, *ego videbo eum et non alius*, nequaquam denegant reliquis piis salutarem illam visionem, sed potius confirmant ejusdem carnis (non qualitatum, sed substantiae respectu) resurrectionem. 7. Jobi 33, v. 30: *Ecce ista omnia operabitur Deus vicibus tribus cum viro, ad convertendum et revocandum animam ejus a corruptione et illuminandum luce*

*viventium*. Hunc locum Wigandus in syntagm. ad resurrectionem accommodat, et sane finalis liberatio piorum in resurrectione ad vitam sequetur, interim proprie et in sensu literali loquitur Elihu de vicissitudine calamitatum et liberationis ex illis, quae piis in hac vita contingit, addit enim *illa omnia operabitur Deus tribus*, h. e. aliquot vicibus cum viro.

3. Ex Psalmis. 11. 3. Ex Psalmis complura vaticinia de resurrectione adducunt, quae tamen non sunt ejusdem generis, directe sc. et immediate resurrectionem probantia. 1. Psalm. 3, v. 6: *Ego dormivi et soporatus sum et exsurrexi*. (Hunc locum veteres Rabini ad resurrectionem accommodant, sic enim legitur in Midras Tehillim: *Ego accubui (pro accubabo) et dormiam et resurrexi vel evigilavi (pro resurgam et evigilabo), quoniam Deus suscipiet me, scil. per manus Messiae*. Sed in sensu literali loquitur ibi David de piorum adjutorio ac sustentatione divina in hujus vitae periculis. Confisus in tua bonitate tranquillo sum animo et tua protectione fretus pacate dormio, quia potenti tua dextra me suffulcis, additur enim versus 7.: *Non timebo myriadas populi circumdantis me*.) 2. Psalm. 16, vers. 9: *Caro mea requiescet in spe*, scilicet futurae resurrectionis; versu decimo, *quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*. Sed in Hebraeo proprie est *caro mea habitabit* לָבֶטַח *in fiducia* sive confidenter, ac testantur Petrus Actor. 2. versu 31. et Paulus Actor. 13. versu 35. Davidem hic loqui non de se ipso, quia additur, *non dabis sanctum tuum videre corruptionem*, jam vero David vidit corruptionem, sed de Messia tertio die, antequam corruptionem sentiret, a mortuis resuscitando. Ad nostram igitur resurrectionem hic locus referri nequit, nisi quatenus probat Christi resurrectionem, ex qua nostra resurrectio dependet. Quodsi omnino in sensu literali ad nostram resurrectionem immediate ac directe hoc vaticinium referre velimus, quod facit Wigandus in syntagm. Veteris Testamenti col. 1651. dicendum erit, Davidem propterea dicere, *quod caro non sit visura corruptionem*, quia ex corruptione
XVIII. 304. est aliquando liberanda, sicut *mortem non videre* dicitur, qui est ex morte in vitam revocandus, Johannis 8, v. 51. 3. Psalm. 17, v. 15: *Ego in justitia videbo faciem tuam, satiabor, cum excitatus fuero, imagine tua*, hoc est resuscitatus aliquando ex mortuis ad perfectam justitiam adspirabo et summa cum laetitia faciem tuam intuebor. Rab. Salomo in haec verba sic commentatur: *Videbo faciem tuam, sicut dictum est* Esaiae 52. *quia oculo ad oculum videbunt. Satiabor, cum evigilaverit forma, vel figura, vel imago, vel similitudo tua, h. e. cum evigilaverint mortui de somno suo*. 4. Psalmo 22, v. 27: *Edent pauperes et saturabuntur corda eorum, in seculum seculi vivent*. Hunc locum Wigandus et judex in syntagm. ad resurrectionem referunt. Sensus est, qui Christum pro nobis passum ac mortuum vera fide recipiunt, satiabuntur coelestibus beneficiis ac in Christo vitam et laetitiam sempiternam invenient. 5. Epiphanius lib. 2. adversus haeres. tom. 1. haeres. 64. adducit locum ex Psalmo 30, v. 1. *David* (inquit) *in psalmo de innovatione domus velut propheta exspectans et in Spiritu sancto videns futurum consentanee de resurrectione dixit: Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, renovans domum meam h. e. corpus collapsum, et non exhilarasti inimicos meos super me*. Sed nec in Hebraeo, nec in Graeco, nec in Latina versione de renovatione domus quidquam hoc loco habetur. 6. Psalm. 34, v. 21: *Custodit Dominus omnia ossa piorum, unum ex illis non peribit*. Quamquam corpora piorum a persecutoribus objiciantur dilanianda bestiis, vel ignibus in pulverem redigantur, tamen suo tempore ad vitam resuscitabuntur, ac tam perfecte iterum singula membra et ossa divinitus compingentur, ac si nullum ex illis unquam fuisset laesum. Duplex enim est corporis alicujus solidi contritio. Una *destructiva*, ut si granum contusum in ventos dissipetur; altera vitae *reparativa*, ut si granum in terram projectum moriatur et destruatur, antequam fructum afferat et ex terra enascatur, Joh. 12, v. 24. Ossa et corpora piorum non conteruntur modo priore, sed posteriore. Hilarius in Psalm. 52, p. 373: *Integram et incorruptam spem aeternitatis significari in ossibus etiam illic meminimus, ubi dicitur: Custodit Dominus omnia ossa justorum, unum ex his non conteretur, quia secundum demonstratam Ezechieli resurrectionem sacramentum ejus sub ossium significatione sit revelatum*. Atque ex hoc loco Davidico Judaei fortassis hauserunt suam traditionem, qua statuunt, in spina dorsi humani esse quoddam ossiculum, quod nunquam putrescit vel penitus conteritur, etsi per multa annorum millia sub terra jacuerit, et ex eo fabulantur Deum initium resurrectionis facturum. Sed phrasis Hebraica, qua *unum ex ossibus* conterendum negatur, proprie habet hunc sensum, quod nullum ex omnibus ossibus sit conterendum. 7. Psalm. 41, v. 11: *Tu autem Domine resuscita me, et retribuam eis*. Hunc locum itidem pro asserenda resurrectione affert syntagma, sed complementum in histor. passionis de Juda proditore Matth. 26, v. 14. Marc. 14, v. 10. Luc. 22, v. 4. Joh. 13, v. 18. Act. 1, v. 16. ostendit, proprie et in sensu literali hic agi de resurrectione Christi, is enim a Patre coelesti ex mortuis suscitatus vindictam de suis hostibus sumsit. 8. Psalm. 50, v. 3: *Deus noster veniet et non silebit, ignis vorans est coram eo, et in circuitu ejus tempestas valida*, v. 4. *vocabit coelum sursum et terram judicare populum suum*. (Hunc locum Rabini exponunt de resurrectione mortuorum, quia descriptio extremi judicii eidem conjungitur. Sic enim Rab. Simai in comment. Deuter. scribit referente Galatino libr. 12. de arc.
cap. 2: *Non exstat aliquod capitulum Scripturae, in quo non fiat mentio de resurrectione mortuorum*. XVIII. 305.
*Et hoc est, quod scriptum est: Vocabit coelum desuper et terram ad judicandum populum suum*.

*Vocabit coelum desuper, haec est anima, et terra, hoc est corpus.*) 9. Psalm. 68, v. 21: *Deus est nobis Deus ad salutes et Domino Deo sunt exitus ad mortem*, h. e. talem Deum invocamus et colimus, qui multas vias ac modos novit, per quos salutem nobis praestare et ex morte nos liberare possit. Inter hosce modos est etiam resuscitatio corporum ex terrae pulvere. 10. Psalm. 72, v. 17: *Ante solem permanet nomen ejus.* Hoc dictum veteres Rabini ad resurrectionem accommodarunt, sic enim legitur in Midras Tehillim: יִכּוֹן *filiabit vel nasci faciet, fuit nomen ejus, quia futurum est, ut ipse filiet vel nasci faciat omnes dormientes in pulvere.* Quo accommodari posset, quod homines resuscitati dicuntur *filii resurrectionis* Luc. 20, v. 36. sed in sensu literali sermo est vel de Messiae divinitate, vel de regni ejus aeternitate. 11. Psalm. 90, v. 3: *Convertis hominem usque ad contritionem et dicis, revertimini filii hominum*, h. e. per morbos et mortem in cineres homines redigis, sed in resurrectione ex pulvere illos reverti jubes. Quidam tamen malunt ad propagationem generis humani in hac vita, qua in locum defunctorum alii sucedunt, hoc referre. 12. Psalm. 103, v. 4: *Benedic anima mea Domino, qui redemit de interitu vitam tuam*, v. 5. *renovabitur ut aquilae juventus tua.* Hunc locum pro adstruenda corporum resuscitatione adducit Epiphanius in ancorato p. 1011. eumque per sphalma μνημονευτικὸν Jobo tribuere videtur. De hac aquilae renovatione infra in similibus, quibus resurrectio declaratur, agendum erit, hoc loco illud monemus, quod David in sensu literali de beneficiis hujus vitae agat, docet enim, Deum collapsas animi et corporis vires quandoque in piis ita instaurare, ut quodammodo renati et pristinam juventutem recuperasse videantur. Esa. 40, v. 29: *Qui dat lasso virtutem et his, qui non habent fortitudinem, robur multiplicat*, v. 31. *sperantes in Domino mutabunt virtutem, adscendent alis quasi aquilae.* 13. Hieronymus in commentar. Ezech. 37. ac Damascenus lib. 4. orthodox. fidei cap. 28. huc accommodant locum Psalmi 104, vers. 30: *Tempore resurrectionis*, ait Hieronymus, *completur illud, emitte Spiritum tuum et creabuntur*; ὁ θεοπάτωρ, *Dei parens David* (ait Damascenus) *dicit ad Deum, Auferes spiritum eorum, et deficient et in pulverem suum revertentur. Ecce de corporibus sermo. Deinde subjungit, emittis Spiritum tuum et creabuntur et renovabis faciem terrae.* Sed loquitur ibi David in sensu literali de annua et quotidiana mundi renovatione, qua individuis decedentibus nova semper succedunt, ut species rerum conserventur. Secundario tamen et consequenter ad resurrectionem hic locus accommodari potest, quia tunc erit plena naturae restitutio, ἀποκατάστασις τῶν πάντων, ac nova omnium rerum facies, quando morte abolita ad vitam aeternam pii resuscitabuntur. 14. Psalmo 116, vers. 8: *Eripuit animam meam a morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu*, vers. 9. *ambulabo coram Domino in regione viventium.* Sed et hic David proprie loquitur de prospera ac laeta rerum conversione, quae in hac vita ipsi obtigerat, pro quo beneficio sese gratum fore et in timore Domini ambulaturum promittit.

4. Ex Proverbiis.

XVIII. 36.

12. Ad haec dicta Davidica referri etiam potest illud, quod ex Salomone Davidis filio Proverbiorum 24. versu 27. allegat Epiphanius libro secundo tom. 1. adversus haeres. pag. 503. *Salomon* (inquit) *in Proverbiis similiter ad praeparationem illuc omnem spem parans exhortatus est dicens: Para opera tua ad exitum tuum, exitum appellans hinc discessum. Et para te*, inquit, *ad agrum, simul ad omnes admonitionem extendens et qui in agris et qui in urbibus, tum eruditas, tum mechanicas artes tractant, in quibus nulla operatio in agro requiritur. Unde enim linificis et argentifusoribus, poetis item ac scriptoribus praeparatio ad agrum? Comprehensim enim simul indiscriminatim vox haec omnes allocuta vocavit, para te ad agrum. Imo innuit, quod omni homini civili ac rurali depositio corporis est ager propter sepulturam et mortem. Deinde postea eandem resurrectionis spem significans dicit, et reaedificabis domum tuam. Semel enim aedificata est in formatione in ventre, quando matres unumquemque nostrum in formatione gestaverunt. Verum a terra est resurrectio, aut ab agro, quae reaedificatur propter illatam ipsi destructionem in sepulturae ruina.* Sed praeceptum Salomonis in sensu literali acceptum est oeconomicum, quod prius procuranda sint ea, quae ad victum parandum sunt necessaria, quam de habitatione cogitandum.

5. Ex prophetis.

1. Sam 2, v. 6.

13. 5. *In prophetis* haec occurrunt vaticinia. 1. Tertullianus libr. de resurrectione carnis cap. 28. pag. 327. ad resurrectionem probandam applicat dictum Hannae 1. Sam. 2, v. 6. (quod propterea ad prophetica dicta referimus, quia non solum Rabini Samuelem numerant inter נְבִיאִים רִאשׁוֹנִים, sed etiam Petrus *tempora prophetarum inde a Samuele* deducit et arcessit Actor. 3, v. 24). *Sunt quaedam* (inquit Tertullianus) *ita pronuntiata, ut allegoriae quidem nubilo careant, nihilo minus tamen suae simplicitatis sitiant interpretationem, quale est illud apud Esaiam: Ego occidam et vivificabo* (cum quo congruit illud Hannae: *Dominus mortificat et vivificat*). *Certe postquam occiderit, vivificabit. Caro est autem, quae occiditur per mortem, caro itaque et vivificabitur per resurrectionem. Certe si occidere carni animam eripere est, vivificare contrarium ejus carni animam referre est, caro resurgat necesse est, cui anima per occisionem erepta referenda est per vivificationem.* Sed loquitur ibi Hanna in sensu literali de vicissitudine tristitiae ac gaudii in hac vita ac de spirituali mortificatione et vivificatione, quae fit per crucis castigationem et paternam ex cruce liberationem, interim secundario ad corporalem vivificationem sive resuscitationem, in qua plena et perfecta liberatio ab omnibus malis sequetur, hoc dictum accommodari posse, non nega-

2. Esa. 25, v. 7. verimus. 2. Esa. 25. v. 7: *Absorbebit Dominus in monte isto superficiem operimenti, quo operti sunt omnes populi, et velum, quo velatae sunt omnes gentes*, hoc est excitabit mortuos et removebit ab ipsis linteamina, quibus fuerant corpora eorum involuta. v. 8. *Absorbebit mortem in sempiternum*, ut non amplius possit pios occidere, *et absterget Dominus Deus lacrymam ab omni facie electorum*, hoc est consolabitur eos et aeternam laetitiam pro luctu hujus vitae reddet et opprobrium populi sui auferet de universa terra. Hieronymus in comment.: *Absorberi faciet Dominus faciem mortis et vinculi, quo omnes populi ligabantur, disrumpetque rete mortis et telam, quae omnes ceperat nationes; et juxta apostolorum absorbebitur mors in perpetuum. Et auferet Dominus lacrymam ab omni facie, quando morte superata Christi advenerit regnum, et opprobrium generis humani, quod ad imaginem conditum fuerat creatoris, diaboli et mortis effu-*
XVIII. 307. *gerit servitutem*. Reportavit quidem Christus de morte victoriam sua morte et resurrectione, sed in mortuorum resurrectione victoria illa demum plene conspicietur, quando scil. *novissimus iste hostis* penitus destruetur, 1. Corinth. 15, v. 26. mortuorum enim resurrectio est mortis destructio. Unde apostolus ibidem v. 54. hoc propheticum vaticinium di-
3. Esa. 26, v. 19. serte ad resurrectionem mortuorum applicat. 3. Esa. 26, v. 19: *Vivent mortui tui* (o ecclesia, in universali scilicet resurrectione), *interfecti mei resurgent* ad vitam et gloriam sempiternam, (per *interfectos Dei* intelliguntur vel *in specie* martyres, qui pro gloria Dei vitam posuerunt, vel *in genere* omnes pii, quorum tota vita est crux et martyrium et qui dicuntur *mortui in Christo* 1. Thess. 4, v. 16.) addit propheta: *resurgent una cum cadavere meo*, se ipsum excitandis Dei interfectis associans. Ergo et *materia* resurrectionis, quae est proprium cujusque corpus, et *causa efficiens* resurrectionis, quae est solius Dei potentia, simul exprimuntur, inde enim atque ideo pii ad vitam resurgent, quia sunt *interfecti Dei*, h. e. quia Deus non est Deus mortuorum, sed viventium. Monendum etiam vocem Hebraicam נְבֵלָתִי substitutis aliis punctis legi posse numero multitudinis, ut sit sensus, *cadavera mea resurgent*, quasi Deus respondeat prophetae, qui dixerat *interfecti tui vivent*, dicatque affirmando, *cadavera mea utique surgent. Expergiscimini*, de somno scil. mortis, et *jubilate, qui habitatis in pulvere*, qui in sepulcris quiescitis et quorum corpora in cineres sunt redacta, *quia ros herbarum virentium ros tuus*. Sicut gramina aestu solis torrida rore lucis sive matutino et antelucano recreantur et quasi reviviscunt, sic mortuorum corpora virtute divina in vitam restituentur; sicut prata aestu solis exsiccata beneficio roris denuo virent et florent citra hominum culturam, ita mortui resurgent Dei potentia citra naturae facultatem. *Et terram gigantum detrahes in ruinam*, hoc est regna tyrannorum in glorioso ad judicium adventu evertes, v. 20. *Vade populus meus, intra in cubilia tua*, ad tempus sc. in illis quieturus, *claude ostia tua super te, abscondere ad momentum, donec pertranseat indignatio*. Quemadmodum ex cubili nostro iterum surgimus, sic mortui ex sepulcris velut e cubiculis ad vitam resurgent. Hoc testimonium propheticum etiam Rab. Aben Ezra ad mortuorum resurrectionem refert. Chaldaeus paraphrastes reddidit, *Deum projecturum esse mortuos in gehennam*, quod fiet in die novissimo resuscitationi mortuorum destinato. Tertullianus de resurrectione carnis cap. 27. pag. 327. *Nam et cum legimus: Populus meus introite in cellas promas quantulum, donec ira mea praetereat, sepulcra erunt cellae promae, in quibus paulisper requiescere habebunt, qui in finibus seculi sub ultima ira per Antichristi vim excesserint. Aut cur cellarum promarum potius vocabulo usus est et non alicujus loci receptorii, nisi quia in cellis promis caro salita et usui reposita servatur depromenda illinc suo tempore? proinde enim et corpora medicata condimentis sepulturae, mausoleis et monumentis sequestrantur, processura inde cum jusserit Dominus, quod cum ita intelligi congruat, (et quae enim ab ira Dei cellariorum nos refugia servabunt?) hoc ipso, quo ait, donec ira praetereat, quae exstinguet Antichristum, post iram ostendit processuram carnem de sepulcris, in quae ante iram fuit illata, nam et de cellariis non aliud effertur, quam quod infertur, et post Antichristi eradicationem agitabitur resurrectio*. cap. 31. pag. 329: *De omnibus gentibus dictum est: Vivent mortui et exsurgent de sepulcris, ros enim, qui a te est, medela est ossibus*
*eorum*. Hieronymus in comm.: *Hi, quos in Christo* XVIII. 308.
*mortuos apostolus vocat, et propter nomen Domini interfecti sunt, resurgent in gloria. Et quia mors eorum somnus est, nequaquam juxta LXX interpr. resurgere, sed expergisci et evigilare dicuntur, unde et Lazarus, qui evigilaturus erat, a Domino dormiens appellatur. Omnes igitur martyres et sancti viri, qui pro Christo fuderunt sanguinem et quorum fuit tota vita martyrium, resurgent et evigilabunt atque laudabunt Deum creatorem suum, qui habitant in pulvere. Ros enim Domini juxta fabulas poëtarum vincens omnes herbas Paeonias, vivificabit corpora mortuorum. Et quomodo jactis in terram seminibus ros paulatim crescere facit herbas et ad fruges sui generis pervenire; sic Domini ros, qui pro misericordia ponitur, ros erit hominum plurimorum*, quod Hebraice dicitur אורות. *Terram autem, h. e. corpora gigantium et impiorum, Dominus in poenas detrahet sempiternas*. Ambrosius in orat. de fid. resur.: *Quam bene recessus esse signavit tumulos mortuorum, quibus paululum abscondimur ut in judicium Dei, quod pro nostris sceleribus jus debitae indignationis assumet, tolerabilius transire possimus*. Augustinus l. 20. de civ. Dei cap. 21. in pr.: *Propheta Esaias, resurgent, inquit, mortui et resurgent, qui in sepulcris erant, et laetabuntur omnes, qui sunt in terra. Ros enim, qui abs te est, sanitas illis*

*est, terra vero impiorum cadet. Totum illud superius ad resurrectionem pertinet beatorum. Quod autem ait, terra vero impiorum cadet, bene intelligitur dictum, corpora impiorum ruina damnationis excipiet. Jam vero si de bonorum resurrectione quod dictum est, diligentius et distinctius velimus intueri, ad primam referendum est, quod dictum est, resurgent mortui; ad secundam vero quod sequitur, et resurgent qui in sepulcris erant. Jam et si illos inquiramus sanctos, quos hic vivos inventurus est Dominus, eis congrue deputabitur, quod adjunxit, et laetabuntur omnes, qui sunt in terra, ros enim, qui abs te est, sanitas illis est, sanitatem loco isto immortalitatem rectissime accipimus. Ea namque est plenissima sanitas, quae non reficitur alimentis tanquam quotidianis medicamentis.* Damascenus lib. 4. orth. fid. cap. 28: *De resurrectione Esaias dicit, resurgent mortui et suscitabuntur, qui sunt in monumentis. Atqui manifestum eis, quod non animae in monumentis collo-*
4. Esa. 35, v. 10. *cantur, sed corpora.* 4. Esa. 35, v. 10: *Redemti a Domino revertentur* (in resurrectione ad vitam) *et venient in Sion* (in coelestem Hierosolymam) *cum jubilatione et laetitia sempiterna super caput eorum, gaudium et laetitiam obtinebunt et fugiet dolor et gemitus* (consequens beatae ad vitam resurrectionis erit gloria et laetitia sempiterna). Quidam tamen secuti Hieronymum ad primum
5. Esa. 38, v. 16. Christi adventum malunt referre. 5. Tertullianus libro de resurrectione carnis cap. 28. pag. 327. adducit locum ex Esa. 38, v. 16. *Sunt quaedam,* inquit, *ita pronuntiata, ut allegoriae quidem nubilo careant, nihilominus tamen ipsius simplicitatis suae sitiant interpretationem, quale est apud Esaiam: Ego occidam et vivificabo. Certe postquam occiderit, vivificabit* etc. Sed in Hebraeo est *sanabis me et vivificabis me*, vel ut alii reddunt, *somnum induxeras mihi et vivificasti me*, loquitur enim Ezechias de beneficio restitutae sanitatis in hac
6. Esa. 66, v. 13. vita sibi divinitus praestito. 6. Esa. 66, v. 13: *Sicut mater alicui blanditur, sic ego consolabor vos.* v. 14. *Ossa vestra quasi herba germinabunt* (Symmachus *florebunt).* v. 16. *In igne Dominus dijudicabit et in gladio suo ad omnem carnem, et congregabuntur interfecti a Domino.* Similitudo
XVIII. 309. graminis est pulcherrima. Sicut gramen tempore hiemis plane emortuum in vere iterum progerminat, sic ossa vestra, quae in monumentis putrefacta et consumta sunt, in novissimo die vigorem recipient ac reviviscent, *et cognoscetur manus seu potentia Domini in servis ejus,* quia resurrectio est opus divinae potentiae. Casparus Sanctius Pontificius in comment. pag. 763. *de reductione in terram patriam ex captivitate Babylonica* accipit ac per *ossa germinantia* ac florida spiritum jucundum et statum felicem denotari existimat, Proverbior. 17, v. 22. sed circumstantiae textus ostendunt, de finali liberatione ecclesiae ex omnibus calamitatibus per resurrectionem ad vitam aeternam ibi sermonem esse, quo modo etiam pii veteres constanter hunc locum exponunt. Tertullianus de resurrectione cap. 31. pag. 329: *Ossa vestra velut herba orientur, quia et herba de dissolutione et corruptela seminis reformatur.* Postea conjungit ejusdem cap. v. 23: *Veniet adorare omnis caro in conspectu meo, dicit Dominus. Quando? cum praeterire coeperit habitus hujus mundi. Supra enim, quemadmodum coelum novum et terra nova, quae ego facio in conspectu meo, dicit Dominus, ita stabit semen vestrum. Tunc ergo quod subjicit, implebitur: Et exibunt, utique de sepulcris, et videbunt artus eorum, qui impie egerunt, quoniam vermis illorum non morietur et ignis eorum non exstinguetur et erunt conspectui omni carni, scilicet quae resuscitata et egressa de sepulcro Dominum pro hac gratia adorabit.* Augustinus libr. 20. de civitate Dei cap. 21: *Flumen pacis abundantiam illius debemus accipere, hoc flumen se in eos declinare dicit, quibus tantam beatitudinem pollicetur, ut intelligamus, in illius felicitatis regione, quae in coelis est, hoc flumine omnia satiari. Sed quia et terrenis corporibus pax incorruptionis atque immortalitatis vim influet, ideo declinare se dicit hoc flumen, ut de supernis quodammodo etiam inferiora perfundat et homines aequales angelis reddat* etc. *Ne putaremus, illa bona Jerusalem ad nostrum tantummodo spiritum pertinere, et ossa, inquit, vestra ut herba exorientur, ubi resurrectionem corporum strinxit, velut quod non dixerat reddens. Neque cum viderimus, fient, sed cum fuerint facta, videbimus.*
7. Jerem. 31, v. 16: *Haec dicit Dominus: Quiescat* 7. Jerem. 31, v. 16.
*vox tua a ploratu et oculi tui a lacrymis, quia est merces operi tuo,* v. 17. *et revertentur filii tui de terra inimici et est spes novissimis tuis, ait Dominus, et revertentur filii tui ad terminos suos,* h. e. liberi tui interfecti in die novissimo tibi restituentur, resurgent enim in corporibus suis ad vitam. Hieronymus in com. h. l.: *Melius hoc de parvulis intelligimus, quod mercedem habeant effusi sanguinis pro Christo et pro terra Herodis inimici teneant regna coelorum et reversuri sunt in sedem pristinam, quando pro corpore humilitatis corpus receperint gloriosum. Ista est spes novissima, quando justi fulgebunt sicut sol, et infantes quondam parvuli atque lactentes absque aetatum incremento et injuriis ac labore corporeo resurgent in virum per-*
*fectum* etc. 8. Ezech. 37, v. 1: *Facta est super* 8. Ezech. 37, v. 1.
*me manus Domini et eduxit me in Spiritu Domini et dimisit me in medio campi, qui erat plenus ossibus,* v. 2. *et circumduxit me per ea in gyro, erant autem multa valde super faciem campi siccaque vehementer,* v. 3. *et dixit ad me: Fili hominis, putasne, vivent ossa ista? et dixi: Dominus Deus tu nosti.* v. 4. *Et dixit ad me, vaticinare de ossibus istis et dices eis: Ossa arida audite verbum Domini,* v. 5. *haec dicit Dominus Deus ossibus his: Ecce ego intromittam in vos spiritum, et vivetis,* v. 6. *et dabo super vos nervos et succrescere faciam super vos carnes et superextendam*
*in vobis cutem et dabo vobis spiritum, et vivetis et* XVIII. 310.

*scietis, quia ego Dominus.* Postea additur complementum v. 7. 8. 9. et 10. Quidam ex interpretibus hanc visionem propheticam existimant fuisse duntaxat *typum* liberationis ex captivitate Babylonica ac restitutionis in terram Canaan. Sanctius in comm. Esa. 66: *Qui in exsilio sunt, pro mortuis censentur, quia a matre, h. e. ab urbe, sic avulsi videntur, sicut ramus, qui a radice seu trunco avulsus statim arescit et moritur. Quare Judaei, qui in exsilio agebant Babylonico, in sepulcris esse dicuntur et ossa vocantur arida* etc. Sane non diffitemur, hac visione prophetica confirmatam fuisse Israëlitis promissionem de liberatione ex Babylonica captivitate et pristini vigoris recuperatione, quia haec accommodatio ab ipso propheta ostenditur, v. 11: *Fili hominis, ossa haec universa domus Israël est, ipsi dicunt: Aruerunt ossa nostra et periit spes nostra et excisi sumus*, v. 12. *propterea vaticinare et dices ad eos: Haec dicit Dominus Deus: Ecce, ego aperiam tumulos vestros et educam vos de sepulcris vestris, populus meus, et inducam vos in terram Israël.* Sed negamus, *tantum* ad liberationem ex Babylonica captivitate respectum fuisse habitum, siquidem etiam universalis mortuorum resurrectionis quasi quoddam praeludium ac speculum in hac visione proponitur, id quod probamus, *1. ex emphatica descriptione.* Vix enim alius datur Scripturae locus, in quo *forma ac modus resurrectionis* tam emphaticis verbis ac phrasibus describatur, *ego aperiam tumulos vestros. Accesserunt ossa ad ossa unumquodque ad juncturam suam et ecce super ea nervi et carnes adscenderunt et extenta est in eis cutis desuper et spiritus ingressus est in ea, et revixerunt steteruntque super pedes suos* etc. 2. *Ex subjecti ampliatione* Dicitur enim, quod in ossium illorum aridorum vivificatione spiritus venerit *a quatuor ventis*, h. e. a quatuor mundi plagis, et insufflaverit mortuos illos, ut revixerint v. 9. Atqui Judaei in reductione ad terram Canaan non collecti sunt ex omnibus mundi plagis, sed in universali resurrectione demum hoc futurum, ut angeli electos e mortuis suscitatos congregent *a quatuor ventis, a summis coelorum usque ad terminos eorum* Matth. 24, v. 31. Marc. 13, v. 37. De resuscitatis dicitur, *quod eorum exercitus fuerit grandis nimis valde.* Sed Israëlitarum e Babylone in Canaan reductorum non fuit tantus numerus. Promittit Deus, *se aperturum tumulos* Israëlitarum, jam vero ossa illa jamdum erant in campo dispersa ac proinde etiam tumuli aperti Ergo deducimur ad beneficium resurrectionis universalis in die novissimo futurae. 3. *Ex beneficiorum et operum divinorum subordinatione.* Quaecunque corporalia beneficia Deus in V. T. populo suo Israëlitico praestitit, ea fuere quasi quidam typi ac praeludia spiritualia beneficiorum in regno Messiae exspectandorum. Sic liberatio ex Aegyptiaca servitute fuit typus liberationis ex infernalis Pharaonis potestate, cibatio per manna in deserto fuit typus spiritualis alimoniae per Messiam exhibendae etc. pari ergo ratione liberatio Israëlitarum ex captivitate Babylonica et reductio in terram Canaan fuit typus finalis liberationis spiritualium Israëlitarum ab omnibus miseriis et calamitatibus in resurrectione mortuorum secuturae, proinde una eademque visio ad utrumque beneficium praefigurandum optima ratione referri potest. Particularis illa ac corporalis liberatio ex captivitate Babylonica nondum potuit solidam ac firmam consolationem afflictis Israëlitarum conscientiis praestare, tum quia multi in exsilio erant mortui, multi etiam morituri, priusquam Cyrus rerum potiretur eosque libertate donaret; tum quia in ipsa terra Canaan variis miseriis et pressuris adhuc subjecti ac morti tandem XVIII. 311.
obnoxii fuere; tum quia piae mentes non haerent in corporalibus beneficiis, ideo revocat illos Dominus praecipue ad promissionem de universali resurrectione piorum ad vitam ac laetitiam sempiternam. Quinimo promissio de resurrectione in hac visione Israëlitis ob oculos posita confirmare ipsos debuit in fide adhibenda promissioni de reductione in terram Canaan. Qui enim divina sua virtute corpora in pulverem ac cinerem redacta ad vitam aliquando revocare poterit is etiam poterit exsules, qui aridis ossibus non sunt absimiles, in patriam reducere ac pristinum libertatis vigorem illis restituere. Sic ergo de beneficio temporali et leviori praestando ipsos confirmat per resurrectionem mortuorum, quae est beneficium longe majus ac videtur rationi difficilior. Quamvis enim articulus resurrectionis sit *natura ignotus*, ac proinde ad aliud beneficium probandum non videatur satis commode adhiberi posse, tamen *lumine fidei* magis notus erat quam restitutio Israëlitarum in terram Canaan, cum publica piorum confessione ex revelatione verbi ab omnibus fuerit receptus. *4. Ex aliorum V. ac N. T. dictorum collatione*, in quibus iisdem fere phrasibus mortuorum resurrectio describitur, ut constat. *5. Ex saniorum Rabinorum expositione.* Galatinus libr. 12. de arcan. cap. 2. adducit dictum Rab. Simai in libro Elle haddevarim, h. e. in comment. Deuteronom: *Unde habemus, quod non sit verbum aliquod in Scriptura, quod non loquatur de resurrectione mortuorum? ubi dictum est, a quatuor ventis veniet spiritus, quoniam nomen Dei invocabo. 6. Ex unanimi patrum testificatione.* Tertullianus de resurrect. carnis cap. 29. pag. 28: *Si et allegoricae Scripturae et argumenta rerum et simplices voces resurrectionem carnis, quanquam sine nominatione ipsius substantiae subradiant, quanto magis, quae hanc spem in ipsas substantias spirituali mentione determinant, non erunt deducendae in quaestionem, accipe Ezechielem. Et facta est, inquit, super me manus Domini* etc cap. 30. *Hanc quoque praedicationem scio qualiter concutiant in allegoriae argumentationem, quia dicendo, ossa ista omnis domus Israël est, in imaginem ea fecerit Israël et a propria conditione transtulerit, atque ita figuratam esse non veram resurrectionis praedicationem. Statum enim*

*Judaeorum deformari quodammodo emortuum et exaridum et dispersum in campo orbis. Itaque et imaginem resurrectionis in illum allegorizari, quia recolligi habeat et recompingi os ad os, h. e. tribus ad tribum et populus ad populum et recorporari carnibus facultatum et nervis regni, atque ita de sepulcris, hoc est de habitaculis captivitatis tristissimis atque teterrimis, educi et refrigerii nomine respirare et vivere exinde in terra sua Judaea. Et quid post haec? morientur sine dubio. Et quid post mortem? nulla, opinor, resuscitatio, si non haec erit ipsa, quae Ezechieli revelatur. Sed enim et alias praedicatur resurrectio, ergo et haec erit, et temere in statum eam Judaicarum rerum convertunt. Aut si alia est illa, quam defendimus, nihil mea interest, dum sit et corporum resurrectio sicut et rerum Judaicarum. Denique hoc ipso quod recidivatus Judaici status de recorporatione et readunatione ossium figuratur, id quoque eventurum ossibus probatur. Non enim posset de ossibus figura componi, si non id ipsum et ossibus eventurum esset. Nam etsi figmentum veritatis in imagine est, imago ipsa in veritate est sui, necesse est esse prius sibi, quo alii configuretur. De vacuo similitudo non competit, de nullo parabola non convenit. Ita oportebit ossium quoque credi revisceratione et respirationem, qualis dicitur, de qua possit exprimi Judaicarum rerum reformatio, qualis affingitur. Sed magis religiosum est, veri-*
XVIII. 312. *tatem de suae auctoritate simplicitatis defendi, quam sensus divinae propositionis expostulat. Si enim ad res Judaicas spectaret haec visio, statim revelato situ ossium subjecisset, Ossa ista omnis domus Israël est. At cum ostensis ossibus de propria spe eorum, qui obloquitur, nondum nominato Israële et fidem tentat prophetae: Fili hominis, si vivent ossa haec, ut et ille responderet, Domine tu scis, non utique Deus prophetae fidem de ea re tentasset, quae futura non esset, quam nunquam Israël audisset, quam credi non oporteret, sed quoniam praedicabatur quidem resurrectio mortuorum, Israël vero pro sua incredulitate diffidens scandalizabatur et adspiciens habitum senescentis sepulturae desperabat resurrectionem, vel non in eam potius animam dirigebat, sed in circumstantias suas, idcirco Deus et prophetam quasi et ipsum dubium praestruxit ad constantiam praedicationis, revelato ordine resurrectionis et populo id credendum mandavit, quod prophetae revelavit, ipsos dicens esse ossa, quae erant resurrectura, qui non credebant resurrectura. Denique in clausula et cognoscetis, inquit, quod ego Dominus locutus sim et fecerim, id utique facturus, quod fuerat locutus, ceterum non id facturus, quod locutus, si aliter facturus quam locutus.* cap. 31: *Plane si et populus allegorice mussitaret ossa sua arefacta et spem suam perditam, dispersionis exitu querulus merito videtur et Deus figuratam desperationem figurata promissione consolatus. Sed cum dispersionis quidem injuria nondum populo accidisset, resurrectionis vero spes apud illum saepissime cecidisset, manifestus est de corporum interitu labefactans fiduciam resurrectionis; ita et Deus eam restruebat fidem, quam populus destruebat. Quamquam etsi aliqua praesentium rerum tunc conflictatione maerebat Israël, non idcirco in parabola accipienda esset revelationis intentio, sed in testationem resurrectionis, ut in illam spem erigeret illos aeternae sc. salutis et necessarios restitutionis et averteret a respectu praesentium rerum.* Haec Tertullianus, cujus tamen argumenta non sunt omnia aequalis ponderis. Justinus in apol. 2. pro Christian. pag. 68: *In secundo adventu Christus omnium, qui unquam exstitere, mortalium corpora excitabit* etc. *Dictum enim est a propheta Ezechiele hoc modo: Coagmentabitur junctura ad juncturam et os ad os et carnes denuo succrescent.* In quaest. et resp. ad orth. q. 45. sic formatur, *utrum universalem resurrectionem in aridis ossibus propheta vidit?* ad eam Justinus pag. 325. respondet hoc modo: *Quia a propheta Ezechiele per visionem depingenda erat mortuorum resurrectio, quae futura est in fine rerum per Filium hominis, propterea nomine Filii hominis est appellatus* etc. *Exhibita est sancto vati a Deo visio ista praecipue quidem, ut per eam indicaretur futura per Christum universalis omnium in toto mundo mortuorum resuscitatio, deinde vero propter Israëlitarum consolationem, qui ob eam, in qua detinebantur, servitutem de liberatione ex Babyloniorum dominatu spem sibi ipsis desperatione praeciderant. Nam sicut defuncta corpora in monumentis sita spem resuscitationis non habent; sic illi se Babylone esse rebantur absque spe reditus et restitutionis.* Cyprianus lib. 3 ad Quirin. cap. 58: *Neminem contristari morte debere, cum sit in vivendo labor et periculum, in moriendo pax et resurgendo securitas,* id inter cetera probat ex hoc oraculo Ezech. 37. Origenes in Johannem tomo 12. part. 2. oper. pag. 326: *Magnum est resurrectionis nostrae mysterium prorsusque contemplatu difficile, quod cum in aliis Scripturarum locis, tum vero etiam apud Ezechielem annuntiatur his verbis: Facta est super me manus Domini* etc. Cyrillus Hierosolymitanus catech. 18. itidem de resurrectione hoc oraculum propheticum exponit. Epiphanius lib. 2. tom. 2. haeres. ult. col. 504: *Quod corpus per se ipsum ante se statuere possit Deus per Ezechielem declaratum est, etiamsi propter parabolam res ea* XVIII.
*facta sit, at species ipsa ad allegoriam veritatis tunc impetitae perfecta est. Quod congregatum est os ad os et harmonia ad harmoniam, et cum ossa sicca essent et nondum anima neque spiritus movens in ipsis esset, statim coacta sunt corpora et juxta prophetae verba solidata. Et si vult Deus, potest hoc facere, ut adsint corpora et absque anima moveantur* etc. in ancorato col. 1012: *De resurrectione dicit Dominus ad Ezechielem: Congregabitur os ad os* etc. Et rursus: *Dic fili hominis, veni spiritus a quatuor angulis terrae, a*

*locis videlicet animis destinatis. Et quam ob causam ipse Dominus non dicit, sed hominem dicere jubet? quoniam quod dicit Dominus, simul etiam facit et non amplius solvitur; verum homini dicere praecepit, quo post resurrectionem ad horam significaretur quidem nostra spes salutis, hominis vero sermo solveretur et non Domini, erant enim ossa illa rursus moritura. Cum vero dicit Dominus, resurgite, resurgunt et non moriuntur, Dei enim verbum non solvitur.* Hieronymus in comment. *per parabolam resurrectionis de restitutione Israëlitarum hic prophetari* statuit, sed statim subjungit: *Nunquam poneretur similitudo resurrectionis ad restitutionem Israëlitici populi significandam, nisi staret ipsa resurrectio et futura crederetur, quia nemo de rebus non exstantibus incerta confirmat, totaque nostra illo tendit assertio, quod quomodo videtur incredulum, quod ossibus aridis et multa vetustate confectis futura resurrectio promittatur et tamen futurum est, quod promittitur; sic et restitutio populi Israël, qui ductus est in captivitatem et in toto orbe dispersus, videtur quidem incredibilis his, qui Dei non norunt potentiam, sed tamen futura est, quia ego, inquit Dominus, locutus sum et faciam, sicut pollicitus sum.* Augustinus lib. 10. de Genes. ad literam cap. 5: *Apud Ezechielem cum demonstratur resurrectio mortuorum redintegratis corporibus, ex quatuor ventis coeli advocatur spiritus, quo perflante vivificantur, ut surgant etc. ubi prophetice significatum videtur, non ex illo tantum campo, ubi res ipsa demonstrabatur, sed ex toto terrarum orbe resurrecturos homines, et hoc per flatum quatuor mundi partium fuisse figuratum.* Quod vero ibidem additur, *prophetam illo loco non resurrectionem carnis, qualis proprie futura est, sed inopinatam desperati populi reparationem per Spiritum Domini, qui replevit orbem terrarum, figurata revelatione praevidisse*, illud non est accipiendum *exclusive*, alias diserte contradiceret verbis prioribus, sed *inclusive*, quod de utroque Dei opere ac beneficio ibidem sit sermo. Paulinus de obitu Celsi:

*Si dubitas, cineres in corpora posse recogi*
*Et fieri reduces in sua vasa animas;*
*Ezechiel tibi testis erit, cui prodita dudum*
*Tota resurgendi per Dominum facies.*
*Illic adspicies toto virescere campo*
*Arentes veterum relliquias hominum,*
*Ossaque porrectum late dispersa per agrum,*
*Ultro ad compages currere jussa suas,*
*Atque medullatis penetralibus edere nervos,*
*Moxque supernata ducere carne cutem*
*Et dicto citius perfectis ordine membris,*
*Pulvere de veteri stare novos homines.*

Damascenus lib. 4. orth. fid. cap. 28. *de resurrectione Ezechiel. Et factum est*, inquit, *cum ego prophetarem, et ecce succussio terrae et adduxit ossa, os ad os, singulum ad harmoniam compagemque suam, et adspiciebam, et ecce inducebantur eis nervi et carnes renascebantur et adscendebant super ipsa et circumductae cutes desuper. Deinde docet, quomodo Dei jussu ingressi sunt spiritus* etc. At, inquis, 1. *si haec visio prophetica agit de resurrectione, quae tum temporis in ecclesia Israëlitica publice fuerit credita, cur propheta non respondet assertive, vivent, sed dubitative, Domine tu nosti?* Respondemus: credebat quidem, in fine seculi mortuos vivificandos, sed de ossibus illis, quae ipsi tum temporis ostendebantur, ignorabat, an illa ipsa hora XVIII. 314.
essent excitanda, ac proinde rem Deo in pia simplicis fidei obedientia committebat. 2. *Ossa illa vivificata dicuntur esse domus Israël. Ergo non agitur de universali resurrectione.* Respondemus: ut in aliis Scripturae locis, ita etiam in hac ipsa visione prophetica de resurrectione justorum spiritualium Israëlitarum proprie ac determinate agitur, sed ex eo non est inferendum, impios non esse resurrecturos, cum inclusio unius non sit exclusio alterius. 3. *Visio illa est imaginaria, ergo non praebet certum argumentum.* Respondemus: non est visio humana, sed divina, quae si resurrectionem mortuorum probare minime posset, utique nec ad restitutionem Israëlitarum in terram Canaan confirmandam idonea censeri deberet. 9. Dan. 12, v. 2: 9. Dan. 12, v. 2.
*Multi de his, qui dormiunt in pulvere terrae, evigilabunt, alii in vitam aeternam et alii in ignominiam sempiternam.* Post expositum *de Antichristo* vaticinium agitur de postremis mundi temporibus, quae post revelatum Antichristum ad finem usque seculi futura sunt ac nominatim de statu ecclesiae *vincentis, resurgentis ac triumphantis.* De statu ecclesiae resurgentis dicitur, *quod multi, qui sub pulvere terrae dormiunt, evigilaturi sint.* Quod *multi* dicuntur evigilaturi, cum tamen universalis futura sit omnium resurrectio, illud tripliciter ab interpretibus exponitur. Quidam putant, respectum haberi ad eos, quos dies novissimus vivos deprehendet, illi enim non *evigilabunt* ex somno sub terrae pulvere, sed *immutabuntur* 1. Cor. 15, v. 51. 1. Thess. 4, v. 17. Quidam vocem *multi* non ad subjecti determinationem, sed ad utrumque membrum distributionis in praedicato subjunctae referendum censent hoc pacto, *qui in pulvere terrae dormiunt, evigilabunt, multi ex illis ad vitam, multi ad mortem.* Simplicissime respondetur, nomen collectivum *multi* more in Scripturis usitato non *exclusive et particulariter* pro aliquibus, sed *extensive et universaliter* pro omnibus accipi, Matth. 20, v. 28. Rom. 5, v. 19. etc. quae interpretatio colligitur ex verbis Christi Joh. 5, v. 28. ubi pro voce *multi* substituitur nomen *omnes.* Augustinus lib. 6. contra Julian. cap. 12: *Multi pro omnibus et omnes pro multis frequenter in sacris literis ponitur.* lib. 20. de civ. Dei cap. 23: *Non diversum putetur, quod cum ibi positum sit omnes, qui sunt in monumentis, hic non ait propheta omnes sed multi dormientium. Ponit enim aliquando Scriptura pro omnibus multos, propterea et Abrahae dictum est,*

*patrem multarum gentium posuite, cui tamen et alio loco, in semine*, inquit, *tuo benedicentur omnes gentes terrae.* Theodoretus id confirmat exemplo alio ex epist. Rom. 5. *ubi peccatores dicuntur constituti multi, h. e. omnes.* Porphyrius philosophus insigni audacia et impudentia hoc vaticinium exposuit de statu ecclesiae Israëliticae post redditam victoriam et caesos Antiochi duces: *Tunc*, inquit, *hi qui quasi in terrae pulvere dormiebant et operti erant malorum pondere et quasi in sepulcris miseriarum reconditi, ad insperatam victoriam de terrae pulvere surrexerunt et de humo elevaverunt caput, custodes legis resurgentes in vitam aeternam et praevaricatores in opprobrium sempiternum.* Atqui 1. Hieronymus quaerit, quomodo afflictiones, quibus Israëlitae sub Antiocho pressi fuerint, graviores quam unquam antea exstiterint, cum sub Nebucadnezare urbe eversa, templo exciso et in septuagenariam captivitatem abductis Judaeis gravia passi fuerint? 2. Post miseriam pii et impii simul metaphorice surrexerunt et bona temporalia receperunt. Jam vero propheta de tali resurrectione
XVIII. 315. loquitur, in qua piorum et impiorum erit discretio. 3. Doctores legis Judaicae non coeperunt ab eo tempore fulgere *ut firmamentum in aeternum*, quia ut paulatim fuit lex depravata et sensim imminuta felicitas externa. 4. Quomodo defuncto Antiocho transgressores legis dici possunt a mortuis excitati, ut Porphyrius exponit, cum potius tunc occiderint quam surrexerint, quia vivo Antiocho in honore ac pretio habebantur? 5. Angelus superius caput concludens expresse dixerat, persecutionem ab Antiocho excitatam finem suum habituram et *restare adhuc aliud tempus*, in quo scil. Antichristus Antiochi antitypus ecclesiam sit afflicturus; ergo hoc vaticinium non potest ad Antiochi tempora referri, sed pertinet ad ea, quae diem novissimum proxime sunt praecessura, ut connexionis series ostendit. 6. Adde quod Christus Matth. 24, v. 21. de calamitatibus ecclesiae sub finem mundi disserens, Danielis verba ex h. l. adducit dicens: *Erit tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo nec erit.* Quodsi ergo miseria illa ad postrema mundi tempora juxta infallibilem Christi explicationem referenda, utique non potest ad Antiochi historiam accommodari. 7. Unde pii veteres unanimi consensu hoc vaticinium de liberatione ecclesiae ab Antichristi tyrannide per resurrectionem mortuorum ad vitam aeternam accipiunt. Confer Hieronymum et Theodoretum in comm. Augustinum 20. de civ. Dei cap. 25. Ruffinum in exposit. symb. Damascenum lib. 4. orth. fid. cap. 28. etc. Galatinus libr. 12. de arcan. cap. 3. adducit dictum Rab. Ramonis: *Dormientes in pulvere sunt mortui juxta illud Danielis, et multi ex dormientibus in terrae pulvere evigilabunt, alii ad vitam aeternam, alii ad opprobrium et ad vermiculationem sempiternam.* 8. Quinimo testatur ipsa collatio, cum hoc Danielis vaticinio non tantum convenire descriptionem resurrectionis Apoc. 20, v. 13. propositam, sed etiam ex eodem petita esse verba Christi Salvatoris Joh. 5, v. 28: *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii hominis,* v. 29. *et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae, qui vero mala fecerunt, in resurrectionem judicii.* Praeter Porphyrium etiam quidam Polychronius negavit, vaticinium Danielis de resurrectione mortuorum accipiendum esse, sed confutatur iisdem rationibus. 10. Ose. 6, v. 2: *Domi-* 10. Ose. 6, v. 2.
*nus vivificabit nos post duos dies, in tertia die suscitabit nos, et vivemus in conspectu ejus.* Vaticinium est de Christo, quod resurrecturus sit die tertio, sed quia in Christo capite etiam nos ut corporis ejus mystici membra resurreximus, Ephes. 2, v. 6. *conresuscitavit nos cum Christo* propter infallibilem resurrectionis nostrae promissionem; ideo propheta loquitur *in plurali*, quod et nos in Christo, per Christum ac propter Christum pro nobis mortuum et tertio die resuscitatum Deus ad vitam nos resuscitaturus sit, ut in aeterna laetitia coram ipso vivamus. Dies primus est dies *obdormitionis*, dies alter est *exspectationis*, dies tertius est *resurrectionis ex sepulcro.* Agnoscunt autem ipsi Rabini, hoc propheticum dictum de resurrectione ex mortuis agere. Galatinus lib. 12. de arcan. cap. 3. adducit glossam Hebraicam in cap. 2. Genes. super illud: *Et germinare fecit Dominus Deus de terra omne lignum. Omnes patres et justi, et Moyses, et Aaron, et David, et Salomo, omnesque reges domus David et omnes prophetae dicent ad Messiam: Finis prope est, ad te pertinet, ut vivifices nos, sicut dictum est Ose. 6. vivificabit nos post dies duos,*
*in die tertio suscitabit nos et vivemus ante faciem* XVIII. 316.
*ejus.* 11. Ose. 13, v. 14: *De manu* vel potestate 11. Ose. 13, v. 14.
*inferni redimam eos, a morte redimam eos, ero mors tua o mors, ero morsus tuus inferne.* Hoc propheticum vaticinium apostolus 1. Cor. 15, v. 54. ad resurrectionem mortuorum accommodat. *Cum corruptibile hoc induerit ἀφθαρσίαν et mortale hoc induerit ἀθανασίαν, tunc fiet sermo, qui scriptus est, absorpta est mors in victoria.* v. 25. *Ubi est o mors stimulus tuus? ubi o inferne tua victoria?* Neque vero mirum nobis videri debet, quod apostolus in allegatione prophetici illius vaticinii non Hebraicam veritatem, sed Graecos interpretes sit secutus, quia ut Hieronymus docet in comm. cap. 47. Gen. *illud generaliter observandum, quod ubicunque apostoli aut apostolici viri loquantur ad populos, iis plerumque testimoniis utantur, quae jam fuere in gentilibus divulgata, per translationem scil. septuaginta interpretum.* Adde quod in
sensu ac re ipsa nulla sit discrepantia. 12. Quidam 12. Soph. 3, v. 8.
ad resurrectionis articulum accommodant dictum propheticum Soph. 3, v. 8: *Expectabis me*, ait Dominus, *donec post longum tempus surrexero, quia judicaturus sum, ac futurum est, ut congregem gentes et colligam regna.* (Sed rectius hoc accipitur de judicio particulari contra impias et idololatricas gentes, quae Israëliticum populum affligebant, in quo judicio Deus exsurgit ad inferendam poenam.)

3. Mal. 4, 2. 13. Tertullianus de resurrect. carnis cap. 31. pag. 329. ad resurrectionis articulum accommodat vaticinium Malach. 4, v. 2: *Orietur vobis timentibus nomen meum, sol justitiae et sanitas in pennis ejus, et egrediemini* (de sepulcris) *veluti vituli de vinculis soluti et conculcabitis inimicos* etc. Sed in sensu literali ibi agitur de primo Christi adventu Luc. 1, v. 78. ac de quotidiano piorum profectu in salutari agnitione Christi, per quam magna animi fiducia conculcant mortem, diabolum, infernum, peccatum, mundum et omnes hostes, interim quia in die novissimo, in resurrectione scil., victoria illa demum erit perfecta et absoluta, ideo ἑπομένως et consequenter hoc vaticinium ad resurrectionem applicari potest.

6. Ex libris apocryphis. 14. Ex libris V. T. *apocryphis* pro adstruenda mortuorum resurrectione haec afferri possunt. 2. Maccab. 7, v. 9. ait primus ex septem fratribus Maccabaeis martyribus ad Antiochum: *Tu sceleste ex praesenti vita nos abjicis, at mundi rex defunctos nos pro suis legibus in aeternam resurrectionem vitae nos suscitabit.* v. 11. *Propter Dei leges nunc haec* (membra) *despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero.* v. 14. dicit quartus: *Potius est, ab hominibus morti datos spem exspectare a Deo iterum ab ipso resuscitandos, tibi enim resurrectio ad vitam non erit.* v. 23. dicit mater: *Mundi creator, qui formavit hominis nativitatem et omnium invenit generationem, et spiritum et vitam vobis iterum reddet cum misericordia, sicut nunc vos ipsos despicitis propter ejus leges.* cap. 12, v. 44: *Nisi* (Judas Maccabaeus) *eos, qui ceciderant, resurrecturos sperasset, superfluum et vacuum pro mortuis orare.* Sirac. 46, v. 14. de sanctis defunctis V. T. dicitur: *Ossa eorum ἀναθάλοι, pullulent in loco suo*, perinde ut apud Esaiam dicitur: *Ossa vestra germinabunt quasi herba.* cap. 48, v. 11: *Beati qui viderunt te* (Elia) *et qui in dilectione dormierunt, etenim nos vita vivemus*, h. e. vera in coelis vita tecum perfruemur, Eliae enim vivi in coelum raptus testimonium est,
XVIII. 317. nostra etiam corpora ad vitam aliquando esse resuscitanda. 4. Esdr. 2, 16: *Resuscitabo mortuos de locis suis et de monumentis educam illos, dicit Dominus.* v. 31. *Educam eos de lateribus terrae.* cap. 4, v. 41: *In inferno promtuaria animarum matrici assimilata sunt*, v. 42. *quemadmodum enim illa festinat, quae parit, effugere necessitatem partus, sic et haec festinat reddere ea, quae commendata sunt.* cap. 6, v. 21: *Anniculi infantes loquentur vocibus suis et praegnantes immaturos parient infantes trium et quatuor mensium, et vivent et suscitabuntur.* cap. 7, v. 31: *Excitabitur, quod nondum vigilat seculum, et morietur corruptum*, v. 32. *et terra reddet, quae in ea dormiunt, et pulvis, qui in eo silentio habitant, et promtuaria reddent, quae eis commendatae sunt animae.* Atque haec dicta sunt *de oraculis V. T.* resurrectionis articulum confirmantibus, quae cum sint et pondere gravissima, et perspicuitate clarissima, et numero plurima, mirandum est, quid Chrysostomo in mentem venerit, quod homil. 1. de Lazaro, *mendicum illum eo in hujus vitae calamitatibus majorem dolorem sentire potuisse*, scribit, *quod ne de resurrectione quidem quidquam potuerit philosophari, sed hujus vitae res crederet hujus vitae fine terminari. Erat enim*, inquit, *ex eorum numero, qui gratiam evangelii praecesserunt.* Sed quoties talia in Chrysostomo vel aliis veteribus legimus, meminerimus regulae, quam tradit Sixtus Senens. lib. 6. bibl. annot. 152: *Verba concionatorum non semper eo rigore accipienda sunt, quo primum ad aures auditorum perveniunt, multa enim per hyperbolen crebro enuntiant et inculcant vel occasione locorum, personarum, temporum adducti, vel affectionum impetu, vel orationis cursu rapti*, quod Chrysostomo interdum contingere addit.

15. In N. T. de resurrectione dicta exstant numero plurima ac pondere gravissima. Possunt autem in duas classes distribui. Prior continet *dicta Christi*, posterior vero *apostolorum*. Ad priorem classem haec pertinent, Matth. 10, v. 28: *Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehenna*, h. e. qui corpus ex mortuis suscitatum ac animae redunitum gehennae cruciatibus nunquam finiendis objicere potest. Quodsi enim non solum animae, sed etiam corpora impiorum in gehenna sunt torquenda, utique oportet eorum corpora prius suscitari et vivificari. Tertullianus de resurrect. carnis cap. 35. pag. 331: *Praecipit Dominus, eum potius timendum, qui corpus et animam occidat in gehennam, h. e. Dominum solum, non qui corpus occidant, animae autem nihil nocere possint, i. e. humanas potestates. Adeo hic et immortalis natura recognoscitur, quae non possit occidi ab hominibus, et carnis esse mortalitatem, cujus sit occasio, atque ita resurrectionem quoque mortuorum carnis esse, quae in gehennam nisi resuscitata non poterit occidi.* Et postea: *Sicut caro occidetur in gehennam, si non magis a Deo timuerit occidi ita et vivificabitur in vitam aeternam, si maluerit ab hominibus potius interfici* etc. *Certe cum post resurrectionem corpus cum anima occidi habeat a Deo in gehennam, satis de utroque constabit, et de carnali resurrectione, et de aeterna occisione.* Matth. 10, v. 30. Luc. 12, v. 7: *Vestri etiam capilli capitis omnes numerati sunt*, cum quo congruit illud Luc. 21, v. 18: *Capillus de capite vestro non peribit.* Origenes homil. 1. in Num. Cyrillus libr. 8. in Levit. et alii ex veteribus statuunt, esse *proverbialem locutionem*, cujus sensus is sit, quod pii ab omni periculo et hostium furore Dei protectione tuti sint futuri. Et sane videtur haec phrasis desumta ex 1. Sam. 14, v. 45. ubi populus ad Saulem volentem interficere filium suum Jonathan dicit: *Non cadet capillus de capite ejus in* XVIII. 318.
*terram*, h. e. nulla, ne minima quidem, afficietur

2. Ex N. T. 1. ex evangelistis.

poena, tantum abest, ut eum interfici permissuri simus. 2. Sam. 14, v. 11. dicit rex David mulieri Thecoitidi: *Vivit Dominus, quia non cadet de capillis filii tui super terram.* 1. Regum 1, v. 52, dicit Salomon de Adonia: *Si fuerit vir bonus, nihil non cadet capillus ejus super terram*, h. e. mali ipsi inferetur. In libro Thalmudico Phesichta fol. 18. col. 4. Deus sic locutus introducitur: *Nonne omnes capillos omnis creaturae ego numero?* Interim tamen etiam in sensu literali et historico huic dicto veritas constat, quod Deus non solum *ossa piorum custodiat, ne unum ex illis conteratur* Psalm. 34, v. 21. sed etiam *capillos* eorum omnes in numerato habeat ac in resurrectione ne minimam quidem corporis particulam sit praetermissurus. Quidam exponunt hoc modo, *capilli vestri omnes numerati sunt*, h. e. non secus Deo curae sunt quam hominibus possessiones, quas subinde numerant, ne quid ex illis amittant, inde Tertullianus de resurrect. carnis cap. 35. pag. 331. hunc locum diserte ad resurrectionis probationem accommodat. *Eidem* (inquit) *nos spei fulciens passerum quoque subjungit exemplum, quod ex duobus non cadat alter in terram sine Dei voluntate, ut et carnem, quae ceciderit in terram, proinde credas et resurgere posse per ejusdem Dei voluntatem. Nam etsi passeribus hoc non licet, sed nos multis passeribus antistamus, eo quod cadentes resurgamus. Quorum denique capillos capitis omnes numeratos affirmans, salvos utique repromittit. Perituros enim quae ratio in numerum redegisset, nisi quia hoc est, ut omne quod pater mihi dedit, non perdam ex eo quidquam, i. e. nec capillum, sicut nec oculum, nec dentem?* Hieronymus in comm. Matth. 10: *Derident intelligentiam ecclesiasticam in hoc loco, qui carnis resurrectionem negant, quasi nos et capillos, qui numerati sunt et a tonsore decisi omnes dicamus resurgere, cum Salvator non dixerit, vestri autem et capilli capitis omnes salvandi sunt, sed numerati sunt. Ubi numerus est, scientia numeri demonstratur, non ejusdem numeri conservatio.* Augustinus in Psalm. 109: *Illi in morte de animabus suis pertimescebant, ille ipsis securitatem etiam de capillis dabat, itane vero anima perit, cujus capillus non perit?* libr. 1. de civ. Dei cap. 12: *Neque istud pia fides nimium reformidat tenens praedictum, nec absumentes bestias resurrecturis corporibus obfuturas, quorum capillus capitis non peribit, nec ullo modo diceret Veritas, nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere, si quidquam obesset futurae vitae, quidquid inimici de corporibus occisorum facere voluissent.* Matth. 12, v. 41: *Viri Ninivitae ἀναστήσονται, surgent, in judicio cum generatione ista et condemnabunt eam.* v. 42. Regina austri *ἐγερθήσεται, surget, in judicio cum generatione ista et condemnabit eam.* Idem repetitur Luc. 11, v. 31. et 32. (Atqui si Ninivitae et regina austri in judicio surgent, utique etiam resurgent, quia cum Christus haec loqueretur, in pulverem et cineres erant redacti.) Matth. 22, v. 31. Marc. 12, v. 26. Luc. 20, v. 38. Sadducaeis resurrectionem negantibus Christus opponit *Scripturas et virtutem Dei.* Ex Scripturis unicum producit locum Mosaicum: *Ego sum Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Jacob, non est autem Deus mortuorum sed viventium*, de quo loco egimus superius §. 8. Confer Tertullianum de resurrect. cap. 36. Luc. 14, v. 13: *Cum instruis convivium, voca pauperes, debiles, claudos et coecos*, v. 13. *et beatus eris, quia non possunt tibi retribuere, retribuetur enim tibi in resurrectione justorum.* Vocat *resurrectionem justorum*, non quod soli pii in novissimo die sint resurrecturi, demonstrabitur enim inferius suo loco, omnes omnino homines cum corporibus XVIII suis resurrecturos, sed quia soli pii ad vitam et gloriam aeternam resurgent, impiis contra ad ignominiam ac mortem aeternam resurrecturis. Joh. 5, v. 28: *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii hominis* v. 29. *et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae, qui autem mala egerunt, in resurrectionem judicii.* In praecedentibus egerat Christus *de spirituali resurrectione*, quae fit in hac vita per veram conversionem, ne quis vero cum Hymenaeo et Phileto statuat, spiritualem duntaxat resurrectionem in hac vita sperandam, nullam vero corporalem resurrectionem in die novissimo secuturam 2. Tim. 2, v. 18. ideo concioni de resurrectione spirituali subjungit vaticinium de corporali resurrectione. De resurrectione spirituali loquitur *indefinite*, v. 25: *Venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint, vivent*, illa enim non est omnium hominum, sed duntaxat credentium, de corporali autem resurrectione loquitur *universaliter, omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii hominis*, illa enim est omnium hominum, fine tamen et exitu diverso. Joh. 6, v. 39: *Haec est voluntas ejus, qui misit me, Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in die novissimo.* v. 40. *Haec est autem voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis qui videt Filium et credit in eum, habeat vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in die novissimo*, ad vitam scil. et gloriam sempiternam. v. 44. *Nemo potest ad me venire, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum, et ego resuscitabo eum in die novissimo.* v. 54. *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in die novissimo.* Joh. 11, v. 24. cum Martha confessionem de resurrectionis articulo edidisset, subjungit Christus v. 25: *Ego sum resurrectio et vita, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit* (morte scil. naturali sive corporali), *vivet*, v. 26. *et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum* (morte scil. aeterna). Christus est ipsa *resurrectio*, h. e. auctor resurrectionis, quia non solum corpora excitat e sepulcro, sed etiam animas e peccato; est ipsa *vita* et fons vitae, quia non solum naturalem, sed etiam spiri-

tualem et aeternam vitam confert. Cyprianus serm. de mortal. cap. 8: *Qui spe vivimus et in Deum credimus, et Christum passum esse pro nobis et resurrexisse confidimus, in Christo manentes et per ipsum atque in ipso resurgentes, quid aut ipsi recedere istinc de seculo nolumus, aut nostros recedentes quasi perditos plangimus ac dolemus, ipso Christo Domino et Deo nostro monente ac dicente: Ego sum resurrectio et vita* etc. Cyrillus libr. 4. in Joh. cap. 18: *Vita illud est quod vivificat, non quod ab alio vivificatur, sicut et sapientia, quod sapientem facit, non quod sapiens sit. Vita autem Christus est,* Joh. 14, v. 19. *Vivo ego, et vos vivetis.* Sicut ego ex morte in vitam revocabor, sic et vos utpote membra mea e morte eluctari poteritis, liberavit enim Christus nos non solum a morte spirituali peccatorum, ex morte calamitatum et a morte aeterna, sed etiam ex morte naturali per suam mortem et resurrectionem. Augustinus tract. 75. in Joh.: *Quare de praesenti dixit, se vivere, illos autem de futuro esse victuros, nisi quia vitam etiam carnis, utique resurgentes, qualis in ipso praecedebat et illis est pollicitus futuram? Et quia ipsius mox futura erat resurrectio, praesentis posuit temporis verbum propter significandam celeritatem, illorum autem quoniam seculi differtur in finem, non ait vivitis, sed vivetis.* (Posset etiam usus verbi praesentis eo referri, quod Christus essentialiter sit ipsa vita et quod in morte caro personaliter manserit vivifica).

. 320. Ex stolis. 16. Ad classem posteriorem sequentia dicta referenda sunt, tum ex *concionibus*, tum ex *scriptis apostolorum* petita. Conciones eorum in Actis descriptae habentur. Actor. 4, v. 2. Sadducaei moleste ferunt, *apostolos sub nomine Jesu annuntiare resurrectionem ex mortuis.* Act. 17, v. 18. Paulus *Jesum et resurrectionem* Atheniensibus annuntiat, quod tum de resurrectione Christi accipi potest, ut sit figura hendiadys, *annuntiabat Jesum* et *resurrectionem,* h. e. Jesum resuscitatum, tum de nostra resurrectione, quae a Christi resurrectione dependet; sed haec doctrina apostolica a philosophis deridetur, v. 32. Tertullianus de resurrect. cap. 39. pag. 333: *Athenienses non aliam quam corporalem resurrectionem intellexerant a Paulo portendi. Denique irriserant, non irrisuri omnino, si animae solius restitutionem ab eo audissent, suscepissent enim vernaculae suae philosophiae frequentiorem praesumtionem.* Act. 23, v. 6. *Sciens Paulus, quia una pars esset Sadducaeorum et altera Pharisaeorum, exclamavit in concilio: Viri fratres ego Pharisaeus sum, filius Pharisaei, de spe et resurrectione mortuorum ego judicor,* quod itidem sic exponi potest *de spe et resurrectione,* h. e. de sperata resurrectione mortuorum, vel de spe fundata in Christo, qui est resurrectio et vita, qui ad vitam aeternam merito suae mortis ac resurrectionis nos suscitabit. Actor. 24, v. 15. coram praeside Felice Paulus testatur, *se exspectare resurrectionem futuram justorum et iniquorum.* Act. 26, v. 8. *Num incredibile apud vos judicatur, si Deus mortuos suscitat?* In scriptis apostolicis plurima omnino resurrectionis exstant testimonia, ut enim Tertullianus d. l. scribit: *Ubi nationes praeconium resurrectionis inauditae retro ipsa novitate concussit et digna incredulitas rei tantae quaestionibus fidem torquere coepit, tunc et apostolus per totum paene instrumentum fidem hujus spei corroborare curavit, et esse eam ostendens et nondum transactum, et de quo magis quaerebatur corporalem et quod insuper dubitatur, non aliter corporalem.* Rom. 4, v. 17: *Abraham credidit Deo vivificanti mortuos.* Varie quidem illa ζωοποίησις τῶν νεκρῶν ab interpretibus exponitur, sed simplicissima et textui maxime congrua est illa interpretatio, qua de corporali resurrectione accipitur, ut colligitur ex Hebr. 11, v. 19. Roman. 8, v. 11: *Si Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis, is qui suscitavit Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis,* ubi apostolus ex Christi resurrectione et Spiritus sancti inhabitatione nostram resurrectionem probat. Quia enim Spiritus Christi ex mortuis resuscitati in piis habitat eosque membra Christi efficit, ideo etiam in morte perpetuo manere nequeunt, sed ad exemplum capitis in vitam iterum revocabuntur. Rom. 14, v. 7: *Nemo nostrum sibi vivit et nemo sibi moritur.* v. 8. *Sive enim vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus.* v. 9. *Propter hoc enim Christus et mortuus est et resurrexit et revixit, ut et mortuis et viventibus dominetur,* h. e. ut credentes in vita et morte sint ipsius. Atqui si in morte etiam sunt Christi Domini sui, utique aliquando ex morte suscitabuntur. 1. Cor. 6, v. 14: *Deus et Dominum suscitavit, et nos suscitabit per virtutem suam,* h. e. a resurrectione Christi divinitus facta pendet nostra resurrectio. 1. Cor. 15. habetur propria sedes hujus doctrinae. Cum enim inter ceteros errores in ecclesia Corinthiaca *quidam* resurrectionem mortuorum negarent, apostolus ex professo hunc articulum tractat ac hisce potissimum argumentis veritatem resurrectionis confirmat, *1. a resurrectione Christi, 2. a ritu veteris ecclesiae,* XVIII. 321.
quo baptismum super sepulcris ad testandam resurrectionis fidem suscipiebant; *3. ab absurdis variis et innumeris,* quae resurrectionis negationem consequantur; *4. ex oppositis,* per primum hominem mors, per secundum resurrectio; *5. a Christi victoria,* omnes hostes tandem subjicientur Christo. Ergo et mors. 2. Cor. 1, v. 9: *Deus suscitat mortuos.* 2. Cor. 4, v. 14: *Qui suscitavit Jesum, idem et nos per Jesum suscitabit et sistet nos vobiscum ad se,* ut Syrus addidit. 2. Cor. 5, v. 10: *Omnes nos manifestari oportet coram tribunali Christi, ut recipiat unusquisque ea, quae in corpore sive per corpus gessit, sive bona, sive mala.* Atqui si in corpore recipienda sunt benefactorum praemia ac malefactorum supplicia, utique corpora ex morte in vitam erunt revocanda. Ephes. 2, v. 6: *Conresusci-*

*tavit nos Deus in et cum Christo*, ubi apostolus utitur more prophetarum verbo praeteriti temporis, tum propter infallibilem certitudinem, quia tam certum est, nos resurrecturos, ac si jamdum praecessisset resurrectio; tum propter Christi resurrectionem, quae jam praecessit, cum Christus sit caput nostrum, in quo resurreximus. Videtur tamen propius ad textum accedere, si quis hunc locum de spirituali resurrectione interpretetur, quia praecedit v. 5: *Cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo, gratia enim estis salvati.* Phil. 3, v. 11: *Si quo modo occurram ad resurrectionem, quae est ex mortuis.* v. 21. *Christus reformabit corpus nostrum humile, ut conforme reddat corpori glorioso.* At si corpus est glorificandum et corpori Christi conformandum, utique etiam ex mortuis est resuscitandum, gloria praesupponit naturam et essentiam. 1. Thess. 4, v. 14. apostolus lugentes obitum cognatorum et amicorum revocat ad spem resurrectionis: *Si credimus, quod Christus mortuus est et resurrexit; sic et Deus eos, qui dormierunt per Jesum*, h. e. qui in vera fide Christi mortui sunt, *adducet cum eo*, h. e. ex sepulcris resuscitatos in gloriam coelestem introducet. Est autem in verbis apostoli ἀνανταπόδοτον ex phrasi εἰ πιστεύομεν hoc modo supplendum, *si credimus, quod Jesus divina virtute resurrexit, credamus etiam, quod sicut illum mortuum Deus suscitavit, sic et nostros mortuos suscitaturus sit.* v. 16. *mortui in Christo*, h. e. in salutari agnitione et fide Christi, quos Johannes Apoc. 14, v. 13. vocat *mortuos in Domino*, *resurgent primi*, respectu scilic. illius ἁρπαγῆς, qua omnes pii, mortui scilic. et vivi, rapientur in nubibus in occursum Domini. 2. Tim. 4, v. 1: *Testificor coram Deo et Domino Jesu Christo, qui judicaturus est vivos et mortuos*, h. e. tum illos, quos novissimus dies apprehendet vivos, tum ante illum defunctos. Atqui si mortui sunt judicandi, utique prius erunt resuscitandi. Hebr. 6, v. 2. articulus *de resurrectione mortuorum* refertur inter fidei Christianae rudimenta catechumenis proponi solita. cap. 11, v. 19: *Fide obtulit Abraham Isaacum λογισάμενος, quod etiam ex mortuis suscitare potens est Deus*, et hac ratione implere promissionem de multiplicatione seminis per Isaacum exspectanda. v. 35. *Fide acceperunt mulieres ex resurrectione mortuos suos*, h. e. ex mortuis virtute Dei mirabiliter resuscitatos in testimonium et confirmationem futurae universalis resurrectionis. v. 36. *Non acceperunt redemtionem*, h. e. non acceptarunt oblatam sibi conditionem, fore ut ex tormentis dimitterentur et libertatem suam reciperent, siquidem vellent agere contra suam religionem, *ut meliorem resurrectionem*, ad vitam scilic. et gloriam aeternam *consequerentur*, h. e. maluerunt sententia Dei in futuro judicio resurgere ex mortuis ad vitam aeternam, quam sen-
XVIII. 322. tentia tyrannorum ac persecutorum in judicio isto perituro resurgere ex praesentissima morte cum veritatis divinae et salutis aeternae dispendio.

1. Petr. 1, v. 3: *Deus regeneravit nos in spem vivam per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis. Spem vivam* quidam putant dictam *metaphorice* eam, quae est efficax et firma; quidam *metonymice* dictam arbitrantur eam, quae vivificat et cor laetificat. Quia enim Christus sponsor noster resurrexit, ex eo certi reddimur, quod pro peccatis nostris Deo Patri plene satisfecerit. Potest autem spes viva proprie accipi *ratione objecti*, quod scilic. per resurrectionem Christi obtinuerimus spem resurrectionis et vitae, quia enim Christus caput nostrum ad vitam resurrexit, ex eo confirmamur, quod et nos ad vitam aeternam simus resuscitandi, qui est primarius nostrae regenerationis finis ac scopus. cap. 4, v. 5: *Impii rationem reddent ei, qui paratus est judicare vivos et mortuos.* Apoc. 11, v. 18: *Advenit tempus mortuorum* scilic. resuscitandorum, statim enim additur, *ut judicentur et ut des illis mercedem.* Apoc. 20, v. 12: *Vidi mortuos magnos et pusillos stantes coram Deo* etc. v. 13. *et dedit mare mortuos, qui in eo erant, et mors et infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant.* Quidam existimant, describi tres classes mortuorum, quarum una sit eorum, qui in mari sunt submersi; altera eorum, qui extra mare mortui, sed non sepulti, verum a bestiis devorati vel in cineres redacti; tertia eorum, qui in sepulcris reconditi, ut ᾅδης vertatur per sepulcrum. Sed commodius exponitur *de inferno*, ut sit sensus, futurum in extremo judicio, ut ii quoque, quos infernus vivos absorpserat, inde revocentur ad judicium, sequitur enim v. 14. *et mors et infernus projecti sunt in lacum ignis*, h. e. plerique eorum, quos mors et sepulcrum reddiderant, ac omnes, quos infernus deglutierat, in ignem infernalem missi sunt. Eusebius Pamphilus in apologia pro Origene ex ejusdem secundo de resurrectione libro inferni nomine intelligit aërem. *Etiamsi* (inquit) *corruptum fuerit genus humanum, subsistere rursum potest Dei virtute conservatum et custoditum usque ad resurrectionis suae diem. Quod autem ubicunque fuerit, restituatur, i. e. ab omni loco, in quocunque fuerit, ita ait Johannes in sua revelatione: Et reddidit mare mortuos etc. forte enim, ut ego puto, mare hic pro humido omni appellatum est elemento, infernus autem pro aëre, mors vero pro terra.* Quidam negant, Core, Dathan et Abiron cum corporibus suis ad infernum descendisse, ideo per mortuos ab inferno reddendos intelligunt non corpora, sed animas impiorum in inferno conclusas, quae recte dicuntur mortuae, quia et spirituali morti in peccatis et aeternae morti sunt obnoxiae. Sed Moyses de seditiosis illis diserte testatur, *quod vivi in infernum descenderint* Num. 16, v. 33. ac coactum est per τοὺς νεκροὺς modo animas modo corpora defunctorum intelligere. Plura de hoc loco agemus in tract. de inferno in cap. de ὀνοματολογίᾳ.

17. Atque haec sunt dicta Scripturae, quae voluntatem et consilium Dei de futura universali omnium hominum resuscitatione nobis exponunt. Alterum resurrectionis fundamentum Dei potentia.

Ne vero praeposterum corruptae rationis judicium secuti resurrectionem ex numero *τῶν ἀδυνάτων* esse suspicemur, ideo unum fidei oculum *ad voluntatem Dei* in Scripturis revelatam, alterum *ad Dei virtutem* convertere debemus ac pie cogitare, voluntatem illam esse Dei omnipotentis voluntatem, promissionem illam esse Dei omnipotentis promis-
XVIII. 323. sionem, *in cujus verbis et promissis nulla falsitas, quia in ejus factis nulla impossibilitas*, apud quem nihil impossibile, nisi quod non vult, Gen. 18, v. 14. Jer. 32, v. 17. et 27. Zach. 8, v. 6. Matth. 19, v. 26. Marc. 14, v. 36. Luc. 1, v. 37. cap. 18, v. 27. Eph. 3, v. 20. etc. qui est *ἀπειροδύναμος*, ut essentia, ita quoque potentia infinitus, ut habet *ἄφθαρτον τὴν οὐσίαν*, ita quoque *ἀνεμπόδιστον τὴν ἐνέργειαν*, *talem operandi efficaciam, cui nihil prorsus intercedit impedimenti* docente Justino in evers. dogmat. Aristot. pag. 86. Proinde quamvis nostrae rationi absurdum, contradictorium et *ἀδύνατον* videatur, mortuos in pulverem redactos, a bestiis vel anthropophagis devoratos, in mari submersos etc. iterum ad vitam resurrecturos, tamen ex nostrae rationis principiis minime aestimandum, quaenam in mysteriis fidei omnem rationis captum transcendentibus pro vere contradictoriis censeri debeant. Quae enim Deus in Scripturis sacris se facere posse asserit seque facturum promittit, ea non sunt *ὄντως* et vere contradictoria respectu ad divinam potentiam habito, si vel maxime rationi nostrae talia videantur. Ratio est manifesta. Quae enim vere, absolute et simpliciter sunt contradictoria, ea etiam sunt absolute et simpliciter impossibilia. Atqui quae Deus in Scripturis sacris se facere posse asserit seque facturum promittit, ea non sunt absolute et simpliciter impossibilia, alias periclitaretur veritas, si enim absolute impossibilia essent, quomodo Deus vere promitteret, se illa praestiturum? Ergo etiam ea, quae Deus in Scripturis sacris se facere posse asserit seque facturum promittit, ea non sunt vere, absolute et simpliciter contradictoria. Ulterius. Quae potentiae vel scientiae humanae respectu contradictionem implicant ac fieri non possunt, ea non statim divinae potentiae respectu contradictionem implicare ac impossibilia esse statuendum. Ratio prioris est manifesta, quia potentia humana est finita, ergo quae humanae potentiae respectu contradictionem implicant et impossibilia sunt, ea non statim etiam divinae potentiae respectu contradictionem implicant ac Deo impossibilia sunt, cum ipsius potentia sit infinita, ex quo principio petita est distinctio *inter impossibilia naturae et impossibilia naturâ*, inter *impossibilia κατά τι respective et impossibilia ὅλως καὶ ἁπλῶς absolute*. Ratio posterioris peti potest ex dicto apostolico Ephes 3, v. 20: *Deus potest superabundanter plus praestare, quam petimus aut intelligimus*. Ut nostra potentia, ita quoque scientia est finita, ergo non potest esse mensura infinitae Dei potentiae, *fateamur igitur, Deum aliquid facere posse, quod scire et investigare non possimus*, qua de re in praelect. de div. attrib. cap. 9. de Dei potentia q. 3. dictum fuit uberius. Quascunque proinde contradictiones, absurditates, *ἀδυναμίας, ἀπορίας* in hoc articulo ratio nostra sibi fingat, illis ut pie loquitur Justinus in *ἐκθ. πίστ.* pag. 304. opponamus *ἑτοίμην λύσιν τὴν πίστιν*, *quod enim est nobis inintelligibile, id Deo possibile*, ait Hilarius lib. 3. de Trinit. pag. 23. Inde pii veteres in hac quaest. ad divinam potentiam *τῇ τοῦ θεοῦ βουλήσει σύνδρομον* non injuria provocant. Irenaeus lib. 2. cap. 51. pag. 152: *Mortalia nostra corpora Deus faciet immortalia resuscitans illa, est enim melior quam natura, habet apud semet ipsum velle, quoniam bonus est, et posse, quoniam potens est, et perficere, quoniam dives et perfectus est.* lib. 5. cap. 5. pag. 320: *Refutant potentiam Dei et non contemplantur, quod est verum, qui infirmitatem carnis intuentur, virtutem autem ejus, qui suscitat eam a mortuis, non contemplantur. Si enim mortale non vivificat et corruptibile non revocat ad incorruptelam, jam non potens est Deus* etc. Tertullianus de resurr. carn. cap. 11. pag. 318: *Si tanta auctoritas carnem munit, quanta illi ad meritum salutis patrocinari possit, numquid etiam Dei ipsius po-* XVIII. 324.
*testatem et licentiam recensere debemus, an tantus sit, qui valeat dilapsum et devoratum et quibuscunque modis ereptum tabernaculum carnis reaedificare atque restituere? an et aliqua nobis exempla hujus sui juris in publico naturae promulgarit, ne qui forte adhuc sciant, Deum nosse, qui non alia lege credendus est, quae ut omnia posse credatur?* Hilarius in Psalm. 51: *Interceptio quidem corporum affert temporarium mortis occasum, sed lex constituta moriendi legem non adimit resurgendi, quia decernenti legem lex non affert necessitatem. Neque sibi Deus jus vivificandi ademit legem nobis decernendo moriendi. Mors autem in eos tantum* (dominatur), *in quos decreta legitime est. Vivunt autem omnes Deo, ex cujus lege mortui sunt, neque mors, quae non nisi per legem decernentis invaluit, potest per se in his invalescere, ne per decernentem renovandae vitae legem demutabilis sit lege vivendi, cum decernentis potestas constitutam ab exordio in Adamo sub conditione decreti vitae legem demutaverit lege moriendi.* Augustinus lib. 20. de civ. Dei cap. 20: *Resurrectionem mortuorum futuram esse in carne oportet, si Christiani esse volumus, ut credamus. Sed non ideo de hac re inanis est fides nostra, si quemadmodum futura sit, perfecte comprehendere non valemus.* In quae verba sic commentatur Vives: *Hoc est unum ex dogmatibus pietatis, istud credendum, istud tuendum est. Rationem, qua id futurum sit, Deo relinquamus et subjiciamus cervices nostras in jugo suavissimi Christi in obsequium Dei. Satis est Christiano credere, hoc aut illud esse, fore aut fuisse, causas et rationes omnium illi noscendas dimittat, qui ne in apertissimis quidem et manifestissimis naturae rebus voluit nobis claras et apertas esse.* Damascenus lib. 4. orth. fid. cap. 28.

circa fin.: *πίστευε τῶν νεκρῶν ἀνάστασιν ἔσεσθαι θείᾳ βουλήσει καὶ νεύματι, σύνδρομον γὰρ ἔχει τῇ βουλήσει τὴν δύναμιν.*

Argumenta fidem resurrectionis confirmantia. 1. Ex Christi resurrectione.

18. Posito hoc immoto resurrectionis *fundamento* superstrui possunt *argumenta* fidem nostram in hujus articuli veritate confirmantia. Ea vero sunt diversi generis, quaedam sunt *primaria*, quaedam duntaxat *secundaria*, magis *illustrantia* quam *confirmantia;* quaedam *κατασκευαστικά*, quaedam potius *ἀνασκευαστικά*, ut ex singulorum diligenti consideratione apparebit. Primum ac praecipuum resurrectionis argumentum desumitur *ex Christi resurrectione.* Job. 19, v. 25: *Scio, quod redemtor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum*, hoc est, quia ipse resurget ad vitam, ideo ego non manebo in morte. Ose. 6, v. 2: *Dominus vivificabit nos post duos dies, in tertia die suscitabit nos et vivemus in conspectu ejus*, h. e. sicut Messias tertia die ex mortuis resurget, ita quoque ipsius virtute resurgemus ac vivemus. Joh. 11, v. 15: *Ego sum resurrectio et vita*, non solum ipse resurgam et vivam, sed etiam aliis ero resurrectionis et vitae causa. Joh. 14, v. 19: *Vivo ego et vos vivetis.* 1. Cor. 6, v. 14: *Deus et Dominum suscitavit, et nos suscitabit per potentiam suam.* 1. Cor. 15, v. 12: *Si Christus praedicatur, quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam inter vos dicunt, quod non sit futura mortuorum resurrectio?* v. 21: *Per hominem mors et per hominem resurrectio mortuorum;* v. 22. *et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.* 2. Cor. 4, v. 14: *Scimus, quod qui suscitavit Jesum, etiam nos per ipsum suscitabit.* 1 Thess. 4, v. 14: *Si credimus, quod Christus resurrexit, sic et Deus eos, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo.* 2. Tim. 2, v. 11: *Si mortui sumus cum Christo, etiam cum ipso vivemus.* 1. Joh. 4, v. 9: *Misit Deus Filium suum in mundum, ut vivamus per eum.* Antequam vero expli-
XVIII. 325. cemus modum, quo ex resurrectione Christi nostra resurrectio deducatur, notari jubemus, de piorum ac fidelium ad vitam resurrectione in illis dictis quaestionem esse, ut omnes circumstantiae ostendunt, et in quaestione de causa meritoria resurrectionis latius demonstrabitur. Quodsi ex Christi resurrectione universalem omnium hominum ac proinde etiam impiorum resurrectionem deducere atque oppositionem apostolicam, *per hominem mors et per hominem resurrectio, ut in Adamo omnes moriuntur, ita in Christo omnes resurgunt*, generaliter accipere velimus, dicendum erit, Christum in officio suo considerari dupliciter, 1. *ut salvatorem corporis sui mystici*, cujus caput divinitus est constitutus; 2. *ut judicem omnium hominum* vivorum ac mortuorum itidem divinitus constitutum. Priori respectu piorum ac fidelium duntaxat resurrectio ex Christi resurrectione probatur, posteriori vero omnium omnino hominum resurrectio ex Christi resurrectione certo modo deducitur, ut ostendunt sequentia dicta. Joh. 5, v. 27: *Pater dedit Christo potestatem faciendi judicium, quia filius hominis est*, ac statim additur v. 28. *venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filii hominis.* Act. 17, v. 30: *Annuntiat Deus omnibus hominibus ubique, ut poenitentiam agant*, v. 31. *eo quod statuit diem, in quo judicaturus est orbem in justitia in viro, in quo statuit, fidem praebens omnibus suscitans eum a mortuis*, h. e. quia Deus Christum ex mortuis suscitavit, eo ipso manifestum omnibus fecit ac fide dignum testimonium cuivis exhibuit, quod eum omnium judicem constituerit. Rom. 14, v. 9: *Christus propter hoc et mortuus est et resurrexit et revixit, ut et mortuis et viventibus dominaretur.* 2. Cor. 5, v. 10: *Omnes nos manifestari oportet coram tribunali Christi, ut reportet unusquisque quae in corpore fecerit, congruenter ad id quod fecerit, sive bonum, sive malum.* Ex illis omnibus nascitur haec consequentia: Christus ut judex vivorum et mortuorum, adeoque omnium hominum resurrexit. Ergo omnes homines, adeoque etiam impii judicandi suscitabuntur. Sed de piorum ac fidelium resurrectione sanctis Dei viris potissimum est sermo, quando ex Christi resurrectione nostram resurrectionem deducunt, quorum vestigiis insistunt pii veteres, quando etiam ipsi resurrectionem Christi et nostram arctissime conjungunt. Justinus in confut. Graecarum q. n. 14. p. 162. Christum vocat *ἀρχηγὸν τῆς ἀναστάσεως*. Tertullianus Christi resurrectionem vocat *exemplum spei nostrae, clavem sepulcrorum nostrorum et pignus nostrae resurrectionis.* Theodoretus in 1. Cor. 15. tom. 2. p. 77. Christum vocat *vadem et obsidem nostrae resurrectionis.* Anselmus in 1. Cor. 15. p. 79. Christi resurrectionem dicit esse *causam efficientem, formam et finem nostrae resurrectionis.* Theodoretus in epitom. divin. dogm.: *fidejussor est communis resurrectionis.*

19. Age vero paulo diligentius expendamus rationem connexionis in hoc argumento apostolico: *Christus resurrexit, ergo et nos resurgemus.* Videri posset primo intuitu, nullam esse in hoc argumento connexionem propter maximam inter nos et Christum, inter nostram et Christi mortem, inter nostram et Christi resurrectionem disparitatem. 1. Christus est *θεάνθρωπος*, verus Deus, nos miselli terrae vermiculi; 2. Christus est *separatus a peccatoribus, sanctus et justus* Hebr. 7, v. 26. nos peccatores et injusti; 3. Christus voluntarie mortem subiit, nos necessario; 4. nostra mors est peccati stipendium, Christi mors est peccatorum remedium; 5. Christus resurrexit virtute propria, nos non possumus resurgere nisi virtute aliena, scil. divina. Quae ergo tandem connexionis in argumento apostolico est ratio? Thomas part. 3. q. 56. art. 1. resurrectionem nostram ex Christi resurrectione deducit hoc modo: XVIII. 326.
*Illud quod est primum in quolibet genere, est causa omnium, quae sunt post. Primum autem in genere resurrectionis fuit resurrectio Christi, unde oportet, quod resurrectio Christi sit causae nostrae resurrectionis. Nam principium humanae vivificationis est verbum Dei, de quo dicitur Psalm. 36: Apud*

*te est fons vitae, unde et ipse dicit Joh. 5: Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius, quos vult vivificat. Habet autem hoc naturalis ordo rerum divinitus institutus, ut quaelibet causa primo operetur in id, quod est sibi propinquius, et per illud operetur in alia magis remota, sicut ignis primo calefacit aërem sibi propinquum, per quem calefacit corpora distantia, et ipse Deus primo illuminat substantias sibi magis propinquas, per quas illuminat magis remotas. Et ideo verbum Dei primo tribuit vitam immortalem corpori sibi naturaliter unito et per ipsum operatur resurrectionem in omnibus aliis.* Sed haec sunt magis philosophica quam ex theologia, unde etiam Thomas ad eorum confirmationem adducit axiomota Stagiritae non oracula Spiritus sancti. Ex ipsa igitur Scriptura rectius hujus connexionis rationes quaeruntur. Primum connexionis vinculum nectit ipse apostolus 1. Cor. 15, v. 20. *ex typo quodam Levitico*, Christus resurrexit a mortuis *καὶ ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων ἐγένετο, primitiae dormientium factus est.* Revocat nos apostolus ad constitutionem Leviticam Levit. 23, v. 10: *Cum ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, et messuri estis segetem, feretis fasciculos spicarum primitias messis vestrae ad sacerdotem*, v. 11. *qui movebit fascilum coram Domino, ut acceptabile sit pro vobis altero die sabbati et movebit illum.* Confer. Exod. 23, v. 19, cap. 34, v. 26. Deut. 26, v. 2. Hanc primitiarum oblationem die post pascha Judaicum proxime sequente, h. e. altera paschatis Judaici feria factam statim sequebatur plena messis, quem typum apostolus elegantissime ad Christum accommodat, quando eum *primitias dormientium factum esse dicit.* Christus enim ea ipsa die, quae fuit sabbato paschali Judaico proxima, die scil. Solis, feria paschatis Judaici secunda e mortuis elevatus *primitiae dormientium* factus est, quo ipso nobis peperit, ut hanc primitiarum oblationem sequatur plena messis, h. e. ut universalis resurrectio credentium ad vitam aeternam in die novissimo sequatur, *messis enim est consummatio seculi* Matth. 13, v. 39. Aliud concludendi medium in voce primitiarum monstrat nobis Augustinus in enarrat. Psalm. 129. circa med. *Sacerdos noster a nobis accepit, quod pro nobis offerret. Accepit enim a nobis carnem, in ipsa carne victima factus est, holocaustum factus est, sacrificium factus est. In passione sacrificium factus est, in resurrectione innovavit illud quod occisum est, et tanquam primitias tuas dedit Deo, et ait tibi: Consecrata sunt jam omnia tua, quando tales primitiae tuae de te datae sunt Deo. Spera ergo et in te futurum, quod praecessit in primitiis tuis.* Et ante Augustinum Hippolytus in epistola quadam citante Eusebio lib. 6. cap. 21: *Cum apostolus dixit Christum primitias, id suo testimonio confirmavit, quod a nobis dictum est, quod qui ex eadem massa carnem acceperat Servator, eam excitavit justorum carnis primitias constituens, ut omnes in spe ejus, qui resurrexit, resurrectionem exspectemus, qui credidimus.* Alteram connexionis rationem monstrat idem apostolus v. 21. *ex opposito. Quoniam per hominem mors et per hominem resurrectio mortuorum;* v. 22. *et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.* Opponit sibi invicem primum et secundum hominem, *Adamum et Christum*, illum constituit *fontem mortis, hunc vero vitae.* Ut enim Adamus non tantum pro se peccavit et per peccatum morti obnoxius factus est, sed etiam in omnes posteros peccatum et mortem introduxit, *per unum enim* XVIII. 327.
*hominem peccatum intravit in hunc mundum et per peccatum mors* Rom. 5, v. 12. *sicque injustitiae et mortis fons* toti humano generi factus est, quia haec mala ab ipso in omnes posteros per carnalem generationem derivata sunt; sic Christus e converso factus est *fons justitiae et vitae*, quam per spiritualem regenerationem credentibus communicat, *adduxit perfectam justitiam* Dan. 9, v. 24. ac proinde etiam resurrectionem ad vitam, neque enim minoris efficaciae obedientia Christi quam inobedientia Adami Rom. 5, v. 17. Ambrosius in comm.: *Quia peccato hominis mors inventa est, Christi justitia resurrectionem meruit mortuorum. Sicut Adam peccans mortem invenit et omnes ex ejus origine tenuit, ut dissolvantur; ita et Christus non peccans ac per hoc vincens mortem, quia qui non peccat, vincit mortem, cum mors ex peccato sit, omnibus ex ejus corpore acquisivit vitam h. e. resurrectionem. Quamvis ergo generalem tribuerit resurrectionem, ut sicut in Adam omnes, sive justi, sive injusti moriuntur, ita et in Christo omnes tam credentes quam diffidentes resurgent, licet ad poenam; increduli tamen vivificari videntur, quia corpora sua recipient jam non morituri, sed passuri poenam in eis sine fine.* Sedulius in cap. 15. 1. Cor.: *Sicut per Adamum mors intravit, quia ipse primus est mortuus, sic per Christum resurrectio, quia ipse primus resurrexit.* Primasius ibid.: *Sicut Adam forma morientium, ita Christus forma resurgentium.* 3. *Ex perrupto terrae utero.* Christus resurrexit et e sepulcro adscendit ut *perruptor*, quem alii sint secuturi. Mich. 2, v. 13: *Ascendit* הַפֹּרֵץ *ille effractor, ille perruptor* scilicet promissus Messias, *ante eos, effregerunt et transierunt portam et egressi sunt per eam, et transivit rex eorum ante eos et dominus in capite eorum.* Tenebatur Christus in sepulcro velut in carcere mortis conclusus, sed tertia die instar Samsonis vincula et carcerem perrupit ac reliquis in carcere mortis conclusis exitum patefecit, ut hunc perruptorem et effractorem sequi possint. *Invenit viam ad vitam* Psalm. 16, v. 11. eamque aliis etiam monstravit, ut per eandem viam e mortis faucibus eluctari possint. *Deus suscitavit eum λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ θανάτου, solutis doloribus mortis*, Act. 2, v. 24. *ὠδῖνες* proprie dicuntur *dolores parturientium*, deducit igitur nos apostolus ad hanc similitudinem. Ut in corporibus feminarum os sacrum, quod a sancto generationis opere sic vocatur, arctissime clauditur et tamen ex ejus-

modi angustiis, quasi ex munitissimo quodam carcere adeoque *ex inferioribus terrae* Psalm. 139, v. 15. divina virtute infans maturus patefactis et quasi luxatis femorum nexibus educitur Psalm. 22, v. 10. Psalm. 71, v. 6. sic terrae, quae est omnium nostrum mater Sirac. 40, v. 1. alvus nobis quasi clausa fuit, ut nostris viribus ex ea ad vitam eluctari non potuerimus, sed Christus maledictionem nobis debitam in se suscipiens in mortem ac sepulcrum ingressus est ac terrae alvum in resurrectione sua nobis reseravit *primitiae resurgentium factus.* In mortis ergo carcerem ingressus est, non ut illic clausus maneret, sed ut eos, qui in claustris mortis captivi tenebantur, educeret, unde *primogenitus ex mortuis* vocatur Apocal. 1, vers. 5. sic ergo terra propter maledictionem divinam conclusa, per Christi resurrectionem, quae fuit quasi ejus ex morte primogenitura, nobis iterum est aperta, ut ex ea ad vitam eluctari et *filii resurrectionis* fieri possimus Luc. 20, v. 36. Sicut Christus non sibi, sed nobis mortuus est; ita quoque non sibi, sed nobis resurrexit, ut videlicet virtute resurrectionis Christi suscitaremur per ipsum in die novissimo. Ambrosius de benedictione patriarch. cap. 13: *Primum et maximum fidei fundamentum in resurrectionem Christi*
XVIII. 328. *credere. Quicunque enim crediderit resuscitatum, festinus requirit, devotus accipit et intima Deum mente veneratur. Credit enim, quod ipse non moriatur, si credat in resurrectionis auctorem.* 4. *Ex Christi triumpho.* Christus resurrexit ut gloriosus triumphator ac victor omnium hostium. Psalm. 68, v. 2: *Exsurgat Deus et dissipentur inimici ejus.* Inter illos hostes est etiam mors. Ose. 13, v. 14: *A morte redimam eos, ero mors tua o mors,* utique ergo etiam mortis victor in resurrectione sua factus est, proinde mors non poterit in perpetuum eos tenere captivos, quos sepulcris velut carceri suo includit, sed *novissimus hostis destruetur mors* 1. Cor. 15, v. 26. mors quidem adhuc sese movet ac stimulum suum nobis infigit, interim venenum in Christo accepit, quod tandem penitus eam interficiet, der Gift, welchen der Tod an Christo gefressen, wird ihm endlich das Herz abstoßen. Sicut is, qui venenum assumsit, aliquamdiu adhuc vivit, tandem tamen, quando venenum cor occupavit, cogitur mori; sic mors Christum deglutiens venenum suum hausit, quo tandem penitus conficietur. Justinus in confut. quaest. Graecanic. p. 161: *Ad potentiam Dei respiciendum, qui non modo mortuos se resuscitaturum pollicetur, verum etiam per eam, quae jam praecessit, Salvatoris nostri Christi resurrectionem certam ejus nobis fidem fecit et persuasionem.* Chrysost. homil. 44. in 1. Cor. urget phrasin apostolicam, qua Christus dicitur *primogenitus mortuorum* Coloss. 1, v. 18. Apoc. 1, v. 5. *Si resurrectio non est,* inquit, *quomodo primogenitus esset mortuorum, cum nemo post illum resurgeret?* Quamvis vero juxta regulam Bedae *primogenitus* in lingua sancta dicatur etiam is, *post quem non nascitur alius, modo ante eum nullus fuerit ex illa matre natus,* tamen ex aliis Scripturae locis colligitur, Christum propterea vocari *primogenitum ex mortuis,* quia inter multos fratres cum ipso ad vitam resurrecturos est primogenitus Rom. 8, v. 29. Athanasius de humanit. Verbi: *Christus trophaeum de morte excitatum ostendit simulque omnibus certum et indubitatum reddidit, corruptionem ab eo deletam esse, nihilque jam deinde nisi corporum incorruptibilitatem restare, de qua in pignus monumentumque omnino futurae in posterum resurrectionis corpus suum incorruptum servavit.* 5. *Ex pleno redemtionis lytro.* Christi resurrectio est evidens ac publicum testimonium perfectae redemtionis ac plenariae satisfactionis. Si sponsor aliquis ob debitum alterius, pro quo fide jussit, in carcerem conjectus cum honore et gloria ex eo educitur, id evidens et publicum indicium est, quod creditori plene satisfactum ac debitum integre persolutum sit; sic Pater coelestis *cum gloria ex mortuis educens Christum* Rom. 6, v. 4. Hebr. 13, v. 20. qui pro peccatorum nostrorum debitis sese satisfacturum pollicitus erat Hebr. 7, v. 22. evidenter ostendit, quod plena et integra pro nobis praestita sit satisfactio, quodque opus redemtionis per Christum perfecte sit consummatum. Quodsi perfecta est nostra redemtio, consequens est, nos etiam a morte olim liberandos. Christus enim non solum animam, sed etiam corpus nostrum liberavit, cum non solum animam, sed etiam corpus assumserit, cum in passione non solum *anima ipsius laboraverit* Esa 53, v. 11. sed etiam corpus afflictum sit, cum in ipsius resurrectione anima cum corpore glorificato iterum unita fuerit, utique ergo etiam nostris corporibus resurrectionem per suam ἀπολύτρωσιν promeruit, *ut conformia aliquando reddi possint corpori suo glorioso* Philip. 3, v. 21. In hac vita corpus nostrum peccato et morti adhuc obnoxium est, qui duo venenati vermes illud quotidie arrodunt, unde vocatur *corpus mortis* Rom. 7, v. 24. corpus ταπεινώσεως Phil. 3, v. 21. XVIII. 329.
necdum apparet, quod per Christum sit liberatum, oportet igitur sequi resurrectionem perfectae redemtionis indicium atque effectum. 6. *Ex capitis et membrorum nexu.* Christus resurrexit, ut esset caput ecclesiae et omnium credentium. Ephes. 1, v. 20: *Deus suscitavit Christum a mortuis,* v. 22. *et dedit ipsum caput super omnia ipsi ecclesiae.* Quodsi ergo caput e mortuis eluctari potuit, utique etiam reliqua membra sequentur. Quale enim istud foret corpus, cujus caput esset vivum, membra autem essent ac perpetuo manerent mortua? Cyrillus lib. 4. in Joh. cap. 12: *Omnes resurgent propter eum, qui primus resurrexit et omnes ut homo in se ipso continebat.* Augustinus lib. 2. de Trinit. cap. 17. ante med.: *Hoc in membris Christi speramus, quae nos ipsi sumus, quod perfectum esse in ipso tanquam in capite nostro fidei sanitate cognoscimus.* In exposit. inchoat. epist. Rom. pag. 835: *Eum decebat venire ad judicium resurgentium, qui praecesserat ad exemplum, neque ad exemplum omnium resurgentium, sed ad exemplum eorum,*

*qui sic resurrecturi sunt, ut cum ipso vivant et regnent in sempiternum, quorum etiam caput est tanquam corporis sui.* In enarr. Psalm. 65. in princ. *Resurrectionem Christiani novimus in capite nostro jam factam et in membris futuram. Caput ecclesiae Christus est, membra Christi ecclesia. Quod praecessit in capite, sequetur in corpore.* In enarrat. Psalm. 129. circ. med. *Hoc speremus in nobis futurum, quod praecessit in Domino. Jam enim peccata nostra dimissa sunt, sed nondum resureximus. Si nondum resurreximus, nondum in nobis factum est quod praecessit in capite nostro. Quid praecessit in capite nostro? quia et caro ipsius capitis resurrexit, spiritus illius capitis nunquam mortuus est, sed quod in eo mortuum est, resurrexit. Resurrexit autem tertia die et quodammodo hoc nobis dixit Dominus, quod in me vidistis, sperate in vobis, h. e. quia erit resurrectio, resurgetis et vos.* In enarr. Psalm. 131: *Non auderet sibi resurrectionem corpus promittere nisi prius caput resurgeret.* Gregorius lib. 14. moral. cap. 27. *Resurrectionem, quam in se Christus ostendit, nobis promisit, quia sui capitis gloriam sequuntur membra. Redemtor noster suscepit mortem, ne mori timeremus. Ostendit resurrectionem ut nos resurgere posse confidamus. Cum videmus caput hominis super aquas exstare, non dubitamus reliqua membra emersura etc.* Inde apostolus Coloss. 1, v. 18. notanter conjungit haec duo, quod Christus sit *caput ecclesiae*, et quod sit *primogenitus ex mortuis*, inde enim atque ideo est primogenitus ex mortuis, quem alii etiam sequentur, quia est caput corporis sui mystici. 7. *A Christi dominio.* Christus resurrexit, ut esset rex ecclesiae suae perpetuus. Es. 53, v. 10: *Cum posuerit animam suam pro peccato, habebit semen et vivet in longinquum.* Rom. 14, v. 9: *In hoc Christus mortuus est et resurrexit et revixit, ut et mortuis et viventibus dominaretur.* Quodsi Christus ex mortuis resuscitatus est rex aeternus, utique ejus subditi non manebunt perpetuo in morte. Qualis enim rex foret, qui nullos haberet subditos? eripiet igitur hanc praedam morti ac subditos suos in libertatem et vitam aliquando asseret. Es. 49, v. 25: *Haec dicit Dominus, captivitas a forti tolletur et quod ablatum fuerit a robusto, eripietur.* 8. *Ex Spiritus sancti templo.* Christus resurrectione sua inter cetera beneficia etiam promeruit nobis donationem Spiritus sancti. *Nisi ego ad Patrem abiero* (per passionem scil. mortem ac resurrectionem) *paracletus non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos* Joh. 16, v. 7. unde ex mortuis redux factus discipulos insufflat dicens: *Accipite Spiritum sanctum.* Joh. 20, v. 22. quod beneficium ne ad solos apostolos per-
III. 330. tinere judicetur, in genere pronuntiat psaltes regius Psalm. 68, v. 19. et ex eo apostolus Eph. 4, v. 8: *Adscendens in altum accepit dona pro hominibus* Per hunc Spiritum morte et resurrectione Christi nobis partum non solum animae, sed et corpora nostra sanctificantur, ut proinde sint et dicantur *Spiritus sancti templa* 1. Cor. 3, v. 16. cap. 6, v. 19. 2. Cor. 6, v. 16. num vero existimamus Spiritum sanctum permissurum, ut hoc ipsius templum aeternis cineribus maneat sopitum atque obrutum? Minime vero, quin potius sicut in templo Salomonis erant *palmae et cedri incorruptibiles* 1. Reg. 6, v. 18. sic piorum corpora Salomonis templo longe pretiosiora non erunt perpetuo subjecta corruptioni. Sicut destructo templo primo Deus curabat aliud reaedificari priore longe illustrius Hagg. 2, v. 10. sic quamvis tabernaculum corporis nostri per mortem destruatur, illud ipsum tamen divina virtute majori cum gloria reparabitur. Hoc concludendi medium et ex inhabitatione Spiritus sancti per Christi resurrectionem nobis parta nostram resurrectionem demonstrandi *ἐπιχείρημα* monstrat nobis apostolus Rom. 8, v. 11: *Si Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis, is qui suscitavit Christum ex mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis,* q. d. jus resurgendi consequitur non ex sola unione hypostatica, quae est Christi propria, sed ex gratia sanctificante, per quam Spiritus habitat in vobis, ac proinde sicut Christus resurrexit, ita qui ab ipso gratiam et Spiritum participant, cum eo etiam resurgent. Piscator quidem et eum secutus Tossanus *per vivificationem corporum intelligunt* renovationem corruptae naturae nostrae ad vitae sanctitatem propter praecedentem v. 10. sed renovatio illa non consequitur Spiritus sancti inhabitationem, verum immediato et indivulso nexu cum ea est conjuncta. Jam vero de tali vivificatione corporum loquitur apostolus, quae Spiritus sancti inhabitationem sequitur et ex ea concluditur. Neque quidquam per hanc nostram interpretationem ex verbis proprie et in sensu literali acceptis aptissime fluentem textus connexioni decedit, quia utrumque est beneficium inhabitantis Spiritus sancti renovatio scil. naturae in hac vita et resuscitatio corporum ad aeternam vitam. Adde quod per *corpus* in versu praeced. ipsum illud quod proprie notat, commode intelligi possit, dicitur enim illud *mortuum propter peccatum*, quia juxta Augustini explicationem lib. 13. de civ. Dei cap. 23. *est moriendi necessitate constrictum.* Ex eodem principio resurrectionem nostram concludumt pii veteres. Irenaeus l. 4. adv. haeres. c. 9. p. 324: *Templum Dei, in quo Spiritus habitat Patris, et membra Christi non participare salutem, sed in perditionem redigi dicere, quomodo non maximae est blasphemiae?* 9. *Ex resurrectionis Dominicae merito.* Christi resurrectionem sic describit Spiritus sanctus, quod non ipse solum resurrexerit et vivat, sed quod etiam sit *ipsa resursurrectio et vita* Joh. 11, v. 25. principium, causa et fons resurrectionis et vitae, Christus igitur resuscitatus est *arbor vitae* perpetuo vivens ac florens Apoc. 22, v. 2. quisquis illi per fidem insertus fuerit, is vivet, non solum vita spirituali, sed etiam corporali, ad quam ipsius virtute resuscitabitur, Joh. 14, v. 19: *Vivo ego et vos vivetis.* Sicut in para-

diso per arborem vitae primi homines conservati fuissent in vita; sic Christus ex mortuis suscitatus est beatissima illa arbor vitae, a qua vitam spiritualem et corporalem participamus. Ad hoc concludendi medium remittit nos Christus ipse Joh. 11, v. 25: *Ego sum resurrectio et vita, qui in me credit,*
XVIII. 331. *etiamsi mortuus fuerit, vivet;* v. 26. *et omnis, qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum.* 10. *Ex eorum, qui cum Christo resurrexerunt, exemplo.* Cum Christo resurgente *multa corpora sanctorum resurrexerunt* Matth. 27, v. 52. quod ipsum indicium fuit, resurrectionem Christi *esse socialem*, voluit quosdam ex defunctis sanctis patriarchis, matriarchis, regibus, prophetis etc. socios et consortes habere in testimonium, quod fructus resurrectionis ejus sit fidelium ad vitam resurrectio, cujus in die novissimo olim exspectandae typus in hisce universalis resurrectionis primitiis proponitur, quod enim illis Christi resurrectio praestitit, idem etiam nobis fidelibus aliquando praestabit, cum sit una omnium fides, una spes, una salus. Justinus in qq. et resp. ad orth. q. 85. p. 344: *Praestita est sanctorum istorum resurrectio, ut demonstratio esset, mortificationem esse mortis omnium nostrûm Christi mortem, quam pro salute et vita mortalium omnium pertulit.* Hilarius can. 27. in Matth.. *Illuminans mortis tenebras et inferorum obscura collustrans in sanctorum ad praesens consopitorum resurrectionem mortis ipsius spolia detrahebat. Monumentorum reseratio quid aliud nisi claustris mortis effractis resurrectionem significat mortuorum? erant enim mortis claustra reserata.* Inde Theodoretus in comm. 1. Corinth. 15. resuscitatos illos vocat *obsides nostrae resurrectionis.* Gregorius homil. 21. in evang.: *Ad instruendam ignorantiam nostram, ad roborandam infirmitatem nostram suae resurrectionis exemplum nobis sufficere noluit, solus mortuus est, sed non solus resurrexit. Ne quis dicat, sperare de se non debet homo, quod in carne sua exhibuit homo Deus, ecce cum Deo homines resurrexisse cognoscimus. Sperare debemus in nobis membra ultima, quod de membris ejus superioribus audivimus.* Idem lib. 14. moral. c. 28: *Ne quis cogitatione tacita forsitan dicat, quod idcirco Christus resurrexit a mortuis, quia unus idemque Deus et homo mortem, quam ex humanitate pertulit ex deitate superavit, nos vero qui puri homines sumus a mortis surgere damnatione non possemus, recte in resurrectionis ejus tempore etiam multorum sanctorum corpora resurrexerunt, ut et in se nobis exemplum ostenderet et de aliorum, qui nobis per puram humanitatem similes fuerunt, nos resurrectione roboraret, quatenus cum se homo desperaret percipere, quod in se ostenderat Deus homo, hoc in se fieri posse praesumeret, quod in ipsis factum cognosceret, quos puros fuisse homines non dubitaret.* 11. *Ex pari consequentiae nervo.* Petrus Act. 2, v. 24. docet, ἀδύνατον fuisse, Christum a morte captivum teneri. Inter causas ceteras illius impossibilitatis eminet etiam ea, quod de Christi resurrectione extent manifesta V. T. vaticinia, unde 1. Cor. 15, v. 4. dicit Paulus, *Christum resurrexisse tertia die secundum Scripturas*, requirebat igitur Dei veritas, ut Christus ex mortuis resurgeret. Pari ratione etiam nos dicere possumus ἀδύνατον esse, ut pii teneantur a morte, quia de ipsorum resurrectione itidem exstant manifesta Spiritus sancti oracula, requirit ergo et hoc Dei veritas, ut sequatur resurrectio.

20. Alterum resurrectionis demonstrandae argu- 2. Ex justitiae divinae administratione.
mentum desumitur *ex justitiae divinae administratione.* Deus, cum sit justus, imo ipsa justitia, nihil quidquam boni sine praemio relinquit. *Nil immune boni bonis futurum, nil impune mali malis futurum.* Jam vero anima non seorsim, sed *in corpore et per corpus* operatur tum bonum, tum malum; justum igitur atque aequum est, ut corpus etiam praemiorum ac poenarum reddatur particeps. Ad hanc consequentiam digitum intendit apostolus 2. Cor. 5, v. 10: *Omnes sistemur ante tribunal*
*Christi, ut reportet unusquisque quae in corpore* XVIII. [illegible]
*fecerit congruenter ad id, quod fecerit sive bonum, sive malum.* De scortatoribus dicit apostolus, *quod in proprium corpus peccent*, 1. Cor. 6, v. 18. quod ipsum etiam de ebriosis, iracundis et aliis peccantibus certa ratione dici potest, contra vero pii *castigant suum corpus* 1. Cor. 9, v. 27. pii martyres corpus suum in mortem tradunt, justitia igitur divina requirit, ut corpus animae in bonis vel malis operibus conjunctum ab eadem in praemio et poena recipienda non separetur. Ad hoc argumentum a justitia divina petitum ipsemet apostolus nos deducere videtur. Postquam enim de resurrectione late egerat 1. Cor. 15. subjungit v. 58: *Itaque fratres estote stabiles et immobiles abundantes in opere Domini semper, scientes, quod labor vester non erit inutilis coram Domino.* Atqui labor communis corpori et animae. Ergo etiam utilitas sive praemium. Irenaeus lib. 2. cap. 51. pag. 152: *Quia in corporibus perficiuntur ea, quae sunt justitiae etc. ideo etiam corpora, quae participaverunt justitiae cum animabus, quae similiter participaverunt, obtinebunt refrigerii locum, siquidem potens est justitia illuc traducere ea, quae participaverunt, et verus et firmus et integer de resurrectione corporum sermo, quem quidem credimus nos, quoniam et mortalia corpora nostra custodientia justitiam resuscitans Deus incorrupta et immortalia faciet.* Athenagoras Atheniensis de resurr. mortuor. f. 483: *Corpus sicut fuit animae socius in actionibus passionibusque tam virtutum quam vitiorum et in sanctimonia et martyrio comes, ita debet in poena vel praemiis habere consortium. Est ergo corpus idem resurrecturum. Nisi enim praemia manerent vitae sequentis, providentia justitiaque divina traheretur in dubium etc. Nisi resurgant corpora, non habet justitia divina locum in corpore vel anima. Non in corpore, quia injustum foret animam habere praemia laborum, in quibus magnam partem perpessum est corpus, ipsum vero non*

*habere in praemio partem, non in animam solam dare poenas peccatorum quam plurimorum, quae non commisisset, nisi corpus ei fuisset conjunctum.* Tertullianus in Apolog. cap. 48. pag. 79: *Quia ratio restitutionis destinatio judicii est, eo quod omnino de judicio Dei pati debent, necessario idem ipse, qui fuerat, exhibebitur, ut boni seu contrarii meriti judicium a Deo referat. Ideoque repraesentabuntur et corpora, quia neque pati quidquam potest anima sola sine stabili materia, id est carne* (haec ratio Tertulliani falsa est, ut ostendit ignis aeternus paratus diabolo et angelis ejus Matth. 25, v. 41. Apoc. 20, v. 10. vera autem ea, quam statim subjungit) *et quod omnino de judicio Dei pati debent animae, non sine carne meruerunt, intra quam omnia egerunt.* Idem de resurr. carnis cap. 14. pag. 320: *Haec tota causa imo necessitas resurrectionis, congruentissima scil. Deo destinatio judicii, de cujus dispositione despicias, an utrique substantiae humanae dijudicandae censura divina praesideat tam animae quam et carni. Quod enim congruet judicari, hoc competet etiam resuscitari etc. Dicimus, perfectam plenitudinem perfectionemque judicii non nisi de totius hominis repraesentatione constare, totum porro hominem ex utriusque substantiae concretione parere idcircoque in utraque exhibendum, quem totum oporteat judicari etc.* cap. 15: *Age jam scindant adversarii nostri carnis animaeque contextum prius in vitae administratione, ut ita audeant scindere etiam illud in vitae remuneratione. Negent operarum societatem, ut inerti possint etiam mercedem negare. Non sit particeps in sententia caro, si non fuerit et in causa. Sola anima revocetur, si sola decedit. At enim non magis sola decedit, quam sola decucurrit illud, unde decedit, vitam hanc dico. Adeo autem non sola anima transigit vitam, ut nec cogitatus, licet solos, licet*
XVIII. 333. *non ad effectum per carnem deductos, auferamus a collegio carnis, siquidem in carne et cum carne et per carnem agitur ab anima, quod agitur in corde etc. Illi quidem delinquentias carnis enumerant, ergo peccatrix tenebitur supplicio. Nos vero etiam virtutes carnis opponimus, ergo et bene operata tenebitur praemio. Et si anima est, quae agit et impellit in omnia, carnis obsequium est; Deum non licet aut injustum judicem credi aut inertem. Injustum si sociam bonorum operum a praemiis arceat; inertem, si sociam malorum a suppliciis secernat, cum humana censura eo perfectior habeatur, quo etiam ministros facti cujusque deposcit, nec parcens, nec invidens illis, quo minus cum auctoribus aut poenae aut gratiae communicent fructum.* cap. 16. respondet ad objectionem, *quod caro sit duntaxat instrumentum ac vasculum*, ac proinde sententiae judicii minime obnoxia. cap. 17. pag. 322: *Haec erit ratio in ultimum finem destinati judicii, ut exhibitione carnis omnis divina censura perfici possit. Alioquin non sustineretur in finem, quod et nunc animae decerpunt apud inferos, si solis animabus destinaretur.* cap 56. pag. 344: *Quam absurdum, quam vero et iniquum, utrumque autem quam Deo indignum, aliam substantiam operari, aliam mercede dispungi, ut haec quidem caro per martyria lanietur, alia vero coronetur, item e contrario haec quidem caro in spurcitiis volutetur, alia vero damnetur.* Cyprianus (vel quicunque alius auctor) serm. de Christi resurrectione: *Resurrectio communis est et ante tribunal Christi necesse est in corpore justos stare et impios, Dei hoc dictante justitia, ut pietas et impietas in operatoribus debitis stipendiis donarentur, et qui finem habere contemserunt in malis, infinita clauderentur ultione in poenis, et qui gloriati sunt in cruce, cum crucifixo regnantes beatae fierent perennitatis participes.* Pamphilus martyr in apolog. pro Origene ex lib. 1. illius de resurrect. haec adducit: *Quomodo non videtur absurdum, ut hoc corpus, quod pro Christo pertulit cicatrices et pariter cum anima persecutionum toleravit saeva tormenta, carcerum quoque et vinculorum ac verberum supplicia pertulit, igne etiam cruciatum, ferro caesum est, insuper et bestiarum cruentos morsus crucis patibula ac diversa poenarum genera perpessum est, tantorum certaminum praemiis defraudetur? Contra omnem rationem esse videtur, quod sola anima, quae sola non certaverat, coronetur et corporis sui vasculum, quod ei cum magno labore servivit nulla agonis et victoriae praemia consequatur* etc. Epiphanius lib. 2. adv. haeres. tom. 1. haeres. ult.: *Id quod est, in proprium statum Deus restituet, ut justum decernat judicium, ut non aliud pro alio judicet, ut ne id quod laboravit, privet etc. Nonne injustus est Deus, si privet laborem fatigati et non rependat mercedem corpori una cum anima fatigato? statim enim irritum reperiretur judicium. Si enim anima sola judicium subire reperiretur, contradixerit utique. Non ex me est, dicet, causa peccati, sed ex illo corruptibili et terreno corpore scortari, adulterium committere, petulanter agere. Ex quo enim illud a me discessit, nihil horum a me perpetratum est, atque sic facile se defendet. Si vero corpus per se ipsum ante se statuerit Deus, non poterit corpus absque anima judicari. Contradixerit enim etiam ipsum dicens: Ego non peccavi, sed anima, ex quo enim emota est illa, non commisi adulterium, non scortationem peregi, non simulacra colui, atque sic contradicet corpus justo Dei judicio et merito contradicet. Hac itaque de causa et propter multa alia necessaria Deus per sapientiam suam mortua corpora nostra et animas ad regenerationem profert in benignitatis suae erga homines promissione, quo is qui fatigatus est in sanctimonia tota, bonam retributionem recipiat; et si qui vana operati sunt, similiter judicentur, corpus una cum anima, et anima una cum corpore.* Similia habet XVIII. 334.
in ancorato fol. 390. Gregorius Nyssenus de resurr. Christi orat. 3. pag. 167: *Hominem quid esse dicimus, utrumque simul an alterum separatim? at*

*manifestum est, quod conjunctio amborum designat animal. Cum hoc ita sit, illud quoque insuper consideremus, utrum ea, quae committunt ac perpetrant homines, verbi gratia adulterium, caedem, furtum aut quidqnid his affine est, aut ex contrario sobrietatem continentiam, et omnem vitio oppositam actionem, utriusque dicimus esse effectus, an anima sola circumscribimus actiones? at etiam in hoc manifesta veritas est. Nunquam enim a corpore separata anima vel furtum committit vel parietes perrumpit, neque contra sola vel panem esurienti praebet vel in carcerem concedit, ut ministerium praestet ei, qui affligitur, sed in omni actione ambo sibi invicem conjuncta simul et capessunt et perficiunt ea, quae aguntur. Qua ratione igitur cum haec ita sint et ante actorum judicium fore concedas, alterum ab altero divellis? et cum alterum alteri in commissis et perpetratis socium esse des, anima sola judicium determinas atque circumscribis?* Confer ea, quae ibidem sequuntur, in quibus ostendit, *corpus quandoque prius in culpa esse quam animam.* Nazianzenus orat. 24. in laudem Caesarii circa fin.: *Quemadmodum caro ob naturae conjunctionem in societatem aerumnarum animae vocata fuit; sic etiam vicissim gaudia sua anima cum corpore communicabit totum videlicet corpus ad se rapiens velutque absumens, cumque eo unum effecta* etc. Ambrosius in orat. de fide resurrect. tribus potissimum fundamentis resurrectionis fidem probari asserit, *ratione, universitatis exemplo ac testimonio rei gestae.* Rationem ducit *a Dei justitia*, quae requirit, ut anima una cum corpore in judicium vocetur. *Cum omnis* [inquit] *vitae nostrae usus in corporis animaeque consortio sit, resurrectio autem aut boni actus praemium habeat aut poenam improbi, necesse est corpus resurgere, cujus actus expenditur. Quomodo enim in judicium vocabitur sine corpore, cum de suo et corporis contubernio ratio praestanda sit?* Damascenus lib. 4. orth. fid. cap. 28. non longe a princ.: *Ecce videmus complures justos penuria laborantes et injuriis affectos neque unum in praesenti vita adeptos praesidium, peccatores autem et injustis divitiis et omnibus deliciis affluentes. At quis hoc justi judicii aut sapientis providentiae opus, qui probe sapiat, existimabit? Erit igitur, erit surrectio. Nam Deus justus est et in iis, qui sustinent eum, mercedis retributio efficitur. Si igitur anima sola virtutis certaminibus conflixit, etiam sola coronabitur et si sola in voluntatibus implicita fuit, etiam sola juste punietur. Sed quia neque subsistebat separata, neque virtutem neque vitium transegit anima sine corpore, juste simul ambo ad retributiones sunt fabricata.* Rabini, ut testatum redderent, divinam justitiam requirere mortuorum resurrectionem, fabellam quandam confinxerunt dicentes, *opulentum quendam hominem paradisum sibi plantasse nobilissimis arborum generibus, quae fructus praestantissimos ferebant. Ne autem diriperetur, apposuisse custodes. Et quoniam ab ipsis etiam custodibus erat cavendum, duos ita factos adhibuit, ut unus perspicue videret, sed ita claudus, ut nullo modo posset incedere, alter valebat quidem pedibus, sed erat caecus. Cum abiisset horti dominus, coeperunt mali custodes inter se consultare de fructibus comedendis. Caecus ajebat, ego quidem cupio, sed non video; claudus ajebat, ego vero illos cerno, sed accedere nequeo. Post multa convenerunt, ut caecus ad terram se prosterneret et super dorsum reciperet claudum, qui cum videret manu regebat caecum. Ita simul conjuncti ad arbores pervenerunt et fructibus illis arbitratu suo desiderium expleverunt. Paradisi dominus rediit et animadvertens damnum datum custodes increpavit. Claudus excusabat, se* XVIII. 338. *non potuisse ad arbores accedere; caecus autem dicebat, se non potuisse fructus cernere. Tum herus cognita illorum vafricie atque astutia, conjunxistis, ait, operas, propterea ego quoque vos rursus conjungam et una plectam. Alligavit itaque rursus eos et caedendo ac percutiendo utrumque simul punivit. Ita, inquiunt, in homine res habet. Animus quidem cognoscit, intelligit et sapit, verum externa per se non potest obire opera; corpus vero per se stupidum est, nec sapit, quod tamen ab animo cum impellitur et movetur, idoneum instrumentum est actionum externarum. Quod cum ita sit, ratio postulat et justitia, ut post mortem conjungantur denuo ad perferendas poenas et praemia.*

**3. Ex corporum conditione.**

21. Tertium argumentum peti potest *ex corporum conditione*, Corpora nostra 1. in Adamo primo generis humani parente ad immortalitatem sunt condita, Sap. 2, v. 23; 2. per incarnationem Filii Dei sunt in ipsius consanguinitatem assumta, Ephes. 5, v. 30; 3. per Christi resurrectionem, adscensionem et ad dextram Dei sessionem jamdum glorificari coepta; 4. per lavacrum regenerationis ac renovationis a peccatis abluta Ephes. 5, v. 27. Tit. 3, v. 5; 5. per fidem membra Christi in corpore ipsius mystico facta 1. Cor. 6, v. 15; 6. Spiritus sancti templa et habitacula 1. Cor. 3, v. 16. cap. 6, v. 19; 7. corpore et sanguine Christi ad vitam aeternam cibata et sanctificata Joh. 6, v. 54; 8. bonorum operum salutaria organa et arma justitiae Rom. 6, v. 13. Ecquis igitur dubitare poterit, quin eadem corpora ad vitam aliquando sint resuscitanda, cum tot beneficiis a Deo sint ornata, tot praerogativis honorata, tot gratiarum donis insignita? Hujus argumenti quaedam partes, utpote quod nostra corpora sint *membra Christi, Spiritus sancti templa et salutaria bonorum operum organa,* in praecedentibus sunt propositae, quaedam vero partes, utpote quod in Adamo ad immortalitatem simus conditi, in baptismo ad vitam aeternam regenerati et in sacra coena cibo coelesti ad vitam aeternam cibati, in sequentibus latius explicabuntur, hic vero illud cum omnibus partibus integrum proponere voluimus, ut esset evidentius ac illustrius. Tertullianus de resurrect. carn. cap. 5. pag. 316: *Incipiat tibi caro placere, cujus artifex tantus est*

etc. cap. 7: *Caro dum ministra et famula animae deputatur consors et coheres invenitur, si temporalium, cur non et aeternorum?* cap. 8: *Caro abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut et anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut et anima spiritu illuminetur; caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur. Non possunt ergo separari in mercede, quas opera conjungit.* cap. 9: *Quam Deus manibus suis ad imaginem Dei struxit, quam de suo afflatu ad similitudinem suae vivacitatis animavit, quam incolatui, fructui, dominatui totius suae operationis praeposuit, quam de sacramentis suis disciplinisque vestivit, cujus munditias amat, cujus castigationes probat, cujus passiones sibi adpretiat, haeccine non resurget totiens Dei? Absit, absit, ut Deus manuum suarum operam, ingenii sui curam, afflatus sui vaginam, molitionis suae reginam, liberalitatis suae heredem, religionis suae sacerdotem, testimonii sui militem, Christi sui sororem in aeternum destituat interitum* etc. cap. 51: *Christus sequester Dei et hominum appellatus ex utriusque partis deposito commisso sibi, carnis quoque depositum servat in semetipso arrhabonem summae totius. Quemadmodum enim nobis arrhabonem Spiritus reliquit, ita et a nobis arrhabonem carnis accepit et vexit in coelum pignus totius summae illuc quandoque redigendae. Securae estote caro et*
XVIII. 336. *sanguis, usurpastis et coelum et regnum Dei in Christo, aut si negent vos in Christo, negent et in coelo Christum, qui vobis coelum negaverunt.* cap. 63: *In deposito est caro ubicunque apud Deum, per fidelissimum sequestrem Dei et hominum Jesum Christum, qui et homini Deum et hominem Deo reddet, carni spiritum et spiritui carnem. Utrumque jam in semetipso foederavit, sponsam sponso et sponsum sponsae comparavit. Nam etsi animam quis contenderit sponsam, vel dotis nomine sequetur animam caro. Non erit anima prostituta, ut nuda suscipiatur a sponso. Habet instrumentum, habet cultum, habet mancipium suum carnem, ut collectaneam comitabitur. Sed caro est sponsa, quae in Christo Jesu sponsum per sanguinem pacta est. Hujus interitum, quem putas, secessum esse scias.* Maximus in serm. de resurr. Christi: *In Christo homine est uniuscujusque nostrum caro, sanguis et portio. Ubi ergo portio mea regnat, ibi me regnare credo; ubi dominatur sanguis meus, dominari me sentio ac ubi gloriatur mea caro, me gloriosum esse cognosco.*

4. Ex analogica operum divinorum collatione.

22. Quartum argumentum desumitur *ex analogica operum divinorum collatione.* Hoc vero argumentum potius est ἀνασκευαστικόν, oppositum illis, qui divinam potentiam in opere resuscitationis nondum digne satis aestimant, quam κατασκευαστικόν directe et immediate resurrectionem probans. Ejusmodi vero opera divina, quae per quandam analogiam cum resuscitatione mortuorum conferuntur, sunt potissimum tria. *1. Primaeva hominis et rerum omnium creatio; 2. nostra in utero materno formatio; 3. Filii Dei incarnatio.* Ex creatione et formatione hominis in utero ad resuscitationem argumentum duci in scriptoribus ecclesiasticis est frequentissimum. Qui enim potuit omnia ex nihilo creare (quae est *creatio primi generis)* et ex limo terrae corpus primi hominis formare (quae est *creatio secundi generis);* is etiam destructum corporis aedificium in resuscitatione poterit reparare et ex pulvere terrae reproducere. Qui potuit ea, quae non sunt, vocare tanquam sint, is multo facilius poterit ea, quae creata sunt, sed collapsa, revocare. Qui corpus hominis ex semine in utero materno potuit formare, is pristinum illud domicilium poterit reformare. Ad hoc argumentum nos deducere videtur apostolus Rom. 4, v. 17. ubi de Abrahamo omnium credentium patre dicitur, quod *crediderit in Deum, qui vivificat mortuos et vocat ea, quae non sunt, tanquam sint.* Quamvis enim per utrumque membrum quidam intelligant *vocationem gentilium* ad consortium ecclesiae, per quam facti sunt populus Dei, *qui non erant populus* Ose. 1, v. 10. eorundumque ex spirituali morte peccati resuscitationem; rectius tamen ac textui convenientius dicitur, quod apostolus ad articulum creationis et resuscitationis mortuorum respiciat, cum in utroque illustre divinae potentiae specimen nobis exhibeatur. Ceterum si diligenter attendamus, apparebit, inter mirabilia divinae potentiae opera talem esse ordinem, ut priora sequentibus sint mirabiliora ac praecedentia fidem faciant sequentibus. Primum divinae potentiae opus est *creatio primi generis* proprie et specifice sic dicta, i. e. productio immediata ἐκ τοῦ μὴ ὄντος, rudis illius massae corporalis, quam Moyses *coeli et terrae* nomine appellat, primo hexaëmeri die facta. Hoc opus ut ordine est primum, ita quoque reliquorum omnium est maximum et sublimissimum, ex nihilo enim facere aliquid infinitam omnino arguit potentiam. Alterum opus est *primarum specierum* ex illa rudi et indigesta materia in sequentibus hexaëmeri diebus secuta *productio*, quam creationem *secundi* XVIII. 337.
*generis* vocant. Quinto enim die creavit Deus pisces et aves, sexto animantia, bestias terrae, jumenta, reptilia et ipsum hominem non immediate ex nihilo, sed ex materia primo die condita ac tertio die digesta atque exornata, ex terra scilic. et aqua, quae tamen materia adhuc erat homogenea ex se et sua natura nullam aptitudinem, nullum symbolum ad productionem avium, piscium, animantium et aliarum specierum obtinens. Hoc divinae potentiae opus ut ordine sequentia opera antecedit, ita quoque iisdem mirabilius est et fidem illis conciliare poterit. Si enim Deus ex materia homogenea nullam ad species creatas habitudinem aut symbolum obtinente species matrices atque heterogeneas producere potuit, multo facilius ex materia symbolum habente individua specierum producere et hac ratione species creatas propagare potest. Tertium enim divinae potentiae opus est *specierum creatarum* per nova individua *propagatio* ac quotidiana no-

varum creaturarum productio, non quidem ex nihilo neque ex materia remota nullam aptitudinem ac symbolum ad productionem novi individui habente, sed ex materia homogenea, convenienter disposita ac praeparata et ad productionem novi entis apta nata. Hac ratione Deus ex seminibus convenientibus plantas, volucres, pisces, animantia et homines producit, quod opus ut ordine priora duo sequitur et quartum antecedit, ita quoque priora sunt longe mirabiliora hoc tertio et hoc tertium mirabilius est quarto eidemque fidem conciliat. Quartum enim divinae potentiae opus est *mortuorum resuscitatio*, in qua Deus corpus hominis destructum et collapsum restituet, quod longe facilius nobis videri debet, quam prima hominis formatio. Deo quidem nullum opus vel facilius vel difficilius vocari debet, quippe qui solo nutu et imperio quidquid vult praestare ac producere potest, interim nostrae cognitionis respectu admirabilius ac difficilius videtur *dare quam reddere, creare quam resuscitare, exstruere quam collapsum restituere.* In primo opere ostendit se Deus ut *creatorem*, in altero ut *conditorem*, in tertio ut *conservatorem*, in quarto ut *reparatorém.* Quodsi priora duo opera fide credimus et tertium quotidie ob oculos nobis positum negare non possumus, utique etiam quarto, quod adhuc futurum exspectamus, fidem habere debemus. Si Deus potuit coelum et terram ex nihilo creare, utique etiam poterit corpus hominis ex pulvere resuscitare. Si potuit primi hominis corpus ex limo formare, utique etiam poterit nostra corpora ex pulvere reformare. Si potest ex semine rudi, informi et homogeneo plantas, animantia, homines producere, utique multo magis ex materia plene formata sed resoluta hominem restiuere poterit. Huc pertinent dicta piorum veterum. Irenaeus lib. 5. adv. haer. cap. 5. p. 320: *Quod potens sit Deus carnem a mortuis suscitare, de initio nostro contemplari debemus, quoniam sumsit Deus limum terrae et formavit hominem. Et quidem multo difficilius et incredibilius est ex non exsistentibus ossibus et nervis et venis et reliqua dispositione, quae est secundum hominem, facere ad hoc, ut sit, et quidem animatum et rationabilem facere hominem, quam quod factum est et deinde solutum in terram propter causas certas redintegrare licet in illa cesserit, unde et initio eum, qui non erat fecit ut esset, multo magis eos qui fuerunt rursus restituet volens in eam, quae ab eo datur vitam. Invenietur autem perceptrix et capax caro virtutis Dei, quae ab initio percepit artem Dei etc.* lib. ejusd. c. 14. p. 335: *Is qui ab initio condidit ho-*
XVIII. 338. *minem, post resolutionem ejus in terram promisit eis secundam generationem etc.* Justinus apolog. 2. pro Christ. ad Antonin. p. 50: *Rem ipsam secum consideranti quid incredibilius videatur, quam si in corpore nondum essemus, atqui aliquis diceret, ex parva quapiam humani seminis gutta fieri posse, ut ossa, nervi et carnes ad eam quam videmus conformata effigiem exsistant. Si quis vobis cum nondum tales exstaretis neque ex talibus orti essetis, asseveraret, semen humanum et imaginem pictam indicans, ex eo ipso semine naturam hujusmodi fieri posse, num prius quam id factum esset, crederetis? non equidem opinor, quempiam contra hoc dicere ausurum esse. Persimili ergo modo propterea, quod nondum mortuum resurrexisse videretis, vos incredulitas resurrectionis tenet. Sed enim quomodo ab initio non credidissetis, possibile esse, ut e tenui gutta tales exsisterent et exstitisse tamen videtis; eodem modo existimate, impossibile non esse, ut dissoluta atque seminum instar in terram disjecta corpora humana tempore suo jussu Dei resurgant et naturam incorruptibilem induant.* Idem in confut. Graecanic. qq. p. 161: *Quomodo si incredibilis atque impossibilis esse eorum, quae intereunt, existimatur restitutio, non incredibilis atque impossibilis etiam erit eorum, quae ab initio facta sunt creatio? quod certe est perquam absurdum.* Athenagoras in orat. ad gentiles: *Par est potestas Dei ad instituendos et restituendos homines.* Minucius Felix in Octavio p. 395: *Quis tam stultus aut brutus, ut audeat repugnare, hominem a Deo ut primum potuit fingi, ita posse denuo reformari? sicut de nihilo nasci licuit, ita de nihilo licere reparari? difficilius est id quod non sit incipere quam id quod fuerit, iterare.* Tertullianus in apologet. c. 48, p. 79: *Sed quo modo, inquis, dissoluta materia exhiberi potest? Considera te ipsum o homo et fidem rei invenies. Recogita, quid fueris, antequam esses, utique nihil, meminisses enim, si quid fuisses. Qui ergo nihil fueras, prius quam esses, idem nihil factus cum esse desieris, cur non possis esse rursus de nihilo ejusdem auctoris voluntate, qui te voluit esse de nihilo? Quid novi tibi eveniet? qui non eras, factus es, cum iterum non eris, fies. Redde si potes rationem, qua factus es, et tunc require, qua fies. Et tamen facilius utique fies, quod fuisti aliquando, quia aeque non difficile factus es, quod nunquam fuisti aliquando. Dubitatur credo de Dei viribus, qui tantum corpus hoc mundi de eo, quod non fuerat, non minus quam de morte vacationis et inanitatis imposuit animatum spiritu omnium animarum animatore etc. Ubicunque resolutus fueris, quaecunque te materia destruxerit, hauserit, aboleverit, in nihilum prodegerit, reddet te. Ejus est nihilum ipsum, cujus et totum.* Idem de resurr. carn. c. 11. p. 319: *Etsi ita in vero haberetur* (Deum ex subjacente materia omnia condidisse), *cum tamen longe alias substantias longeque alias species ex reformatione materiae diceretur protulisse, quam fuisset ipsa materia, non minus defenderem, ex nihilo eum protulisse, si ea protulerat, quae omnino non fuerant. Quo enim interest ex nihilo proferri, an ex aliquo, dum quod non fuit, fiat? quando etiam non fuisse nihil sit fuisse. Sic et fuisse e contrario, non nihil est fuisse. Nunc et si interest, tamen utrumque mihi applaudit. Sive enim ex nihilo Deus molitus est cuncta, poterit et carnem*

*in nihilum productam exprimere de nihilo; sive de materia modulatus est alia, poterit et carnem quocunque dehaustam evocare de alio. Et utique idoneus est reficere, qui fecit, quanto plus est fecisse, quam refecisse, initium dedisse, quam reddidisse. Ita restitutionem carnis faciliorem credas institutione.* c. 57. p. 345: *Idoneus Deus reficere quod fecit.* in lib. de judicio Domini c. 5. p. 545:

*An Deus omnipotens, cujus sub lege reguntur*
*Omnia, non valeat post mortem reddere vitam?*
III. 339. *Aut aliquid Dominus rerum non posse videtur?*
*Si potuit tenebris pulsis extendere lucem,*
*Atque omnem verbo subito componere molem,*
*Omnia de nihilo quoque voce potente parare;*
*Cur non ex aliquo possit componere notam,*
*Quae fuerat quondam, quam finxerat ante figuram?*
*Assimilemque sibi jubeat resurgere formam?*
*Cum sint cuncta Dei, reddit magis omnia tellus,*
*Jussa retexit enim, quidquid contexerat olim. etc.*

Hilarius in Psalm. 63. p. 409: *Qui resurrectionem carnis abnegabit, sciet, non difficilem ejus instaurationem futuram ei, cui inchoatio prima sit facilis.* Epiphanius l. 2. adv. haer. tom. 1. haer. ult. p. 503: *Si Deus ex nihilo fecit corpora ut essent, quanto magis id quod est, in proprium statum facile restituerit.* Gregorius Nyss. or. 3. de resurr. Chr. p. 162: *Audisti quod pulvis ad formam reductus et homo factus est. Doce igitur me quaeso tu, qui tua sapientia omnia complecti vis, qua ratione tenuis pulvis dissipatus coactus sit? quomodo terra caro facta sit? at qui eadem materia qua ratione et ossa et cutem et adipem et pilos confecerit? quomodo cum una sit caro, diversae cum formae membrorum, tum qualitates et tactus sint? quomodo pulmo tactu mollis, colore lividus, jecur solidum, firmum et non cedens ac rubeum? cor constrictum ac durissima particula carnis? lien rarus et niger? omentum album et instar piscatorii retis a natura complicatum? etc.* p. 163: *Ostende mihi ratione atque oratione tua quomodo hae res, quas videmus, ad essentiam productae sint, dic, qua arte multiforme hoc opus creavit? nam si haec excogitaveris atque compereris merito perplexus et implicitus haesitas et succenses et indignaris, quod regenerationis transformationem nescis, qui generationis rationem haud ignores etc. Idem artifex est et primae creationis et secundae transformationis. Novit, quomodo suum opus dissolutum rursus concinnet et ad pristinum statum reducat. Si sapientia opus est, fons sapientiae est apud illum; si potentia et viribus opus est, non indiget socio aut adjutore.* Confer eundem in l. de opificio hominis c. 11. et 27. Cyrillus Alexand. l. 2. in Joh. c. 145: *Qui a nihilo cuncta produxit, quomodo non poterit, quae semel producta sunt, ab interitu ad vitam rursum revocare? ejusdem certe utrumque ac immensae potestatis est.* Ambrosius de fid. resurr.: *Unde hoc caput et vultus iste mirabilis? cujus artificem non videmus, opus videmus etc. Ignota nobis sunt naturae organa, sed nota ministeria. Et tu semen fuisti, et tuum corpus est semen resurrecturi. Cur miremur, renasci posse quod fuerit, cum videamus natum esse quod non fuit?* Ruffinus in exposit. symb. p. 386: *Si secundum ea, quae scripta sunt, quod accipiens Deus limum terrae plasmavit hominem, credimus, et hoc est natura corporis nostri, ut voluntate Dei terra verteretur in carnem, quid tibi aut absurdum aut contrarium videtur, si eisdem rationibus, quibus lutum profecisse dicitur in corpus animale, in corpus proficere spirituale credamur?* Augustinus in enarr. Psalm. 62: *Si Deus fecit nos, qui non eramus, magnum est illi reparare qui eramus? Ergo hoc vobis incredibile non videatur, quia quasi putrescere mortuos videtis et ire in cinerem et in pulverem. Omnia quae discerpuntur et in favillas quasdam putrescunt, integra Deo sunt, in illa enim elementa mundi eunt, unde primo venerunt.* serm. 19. de verb. apost.: *Te appello, quicunque infideli animo de resurrectione dubitas et putas, non posse mortuos resuscitari, quid est amplius, ex nihilo homines facere, qui vivant, aut* XVIII. 340.
*eos, qui facti sunt et vixerunt, reparare post mortem? Utique plus est facere, quod nunquam fuit, quam reparare, quod fuit. Quomodo ergo impossibile esse dicis, ut Deus, qui hominem formavit, ex nihilo reformet? Quomodo nos suscitare non potest conversos in pulverem, qui etiamsi in nihilum rediremus, facere poterat ut essemus, sicut effecit nos esse, cum antea nunquam fuissemus?* Gregorius hom. 26. in evang.: *Longe minus est Deo reparare quod fuit, quam creasse, quod non fuit. Aut quid mirum, si hominem ex pulvere refecit, qui simul omnia ex nihilo creavit?* Damascenus lib. 4. orth. fid. c. 28. in princ.: *Non impotens est is, qui in principio ex pulvere terrae corpus constituit, rursus resolutum et conversum in terram, ex qua sumtum fuerat, secundum conditoris dictum, iterato illud suscitare.* Et sub fin. cap.: *Dicet quispiam, quomodo resurgent mortui? O infidelitatem, o insipientiam. Qui pulverem in corpus sola voluntate transmutavit, qui parvam materiae stillam, i. e. semen in utero adolescere praecepit et fecit illud multiforme et multimodum corporis organum, nonne magis quod fuit et defluxit, iterum suscitabit sola voluntate?* Ex *Filii Dei incarnatione* et sancta ejus ex virgine nativitate itidem resurrectionem nostram inferunt pii veteres. Si enim divina potentia fieri potuit, ut Filius Dei ex virgine nasceretur, utique eadem potentia fieri poterit, ut terra omnium nostrum mater in resuscitatione corpora nostra enitatur. Bernhardus serm. 4. de nativ. col. 43: *Facile erit ei, per quem mater ipsa incorruptionem carnis non perdidit pariendo, ut et incorruptibile hoc incorruptionem induat resurgendo.* Theophylactus in. c. 3. Phil.: *Si resurrectio ex fide cognoscitur, quomodo quod majus est, nimirum nativitas Christi rationibus deprehendetur? at qua ratione id majus est? quia resurrectionis multa sunt exempla. Multi namque et ante Christum resurrexerant, ex virgine autem nemo unquam natus erat.*

5. Ex finis, ad quem homo conditus est, consideratione.

23. Quintum argumentum desumitur *ex finis, ad quem homo conditus est, consideratione.* Deus ἀριστομέγιστος, bonitate optimus, potentia maximus non ad hanc caducam et transitoriam duntaxat, sed ad aeternam potissimum vitam primum hominem et in eo omnes posteros condidit, ut exacto hujus terrenae vitae curriculo et anima et corpore in coelestem vitam translati in aeternum cum ipso in sempiterna laetitia et gloria viverent, sicut illius μεταθέσεως exemplum in Enocho, Elia et Christo postea fuit propositum, inde Genes. 2, v. 7. dicitur, *quod Deus in faciem hominis ex pulvere terrae formati inspiraverit* נִשְׁמַת־חַיִּים *spiraculum vitarum,* ubi per dualem numerum gemina hominis vita, temporalis et aeterna, quam utramque animae beneficio homo consequitur, denotari quibusdam videtur (quamvis rectius dicatur חַיִּים non *significatione,* sed dumtaxat *terminatione* esse plurale), ac veluti Christus Joh. 20, v. 22. *in sufflando dedit apostolis Spiritum sanctum;* sic quando Deus in prima hominis formatione inspiravit in faciem hominis *spiraculum vitarum,* eundem simul participem fecit Spiritus sancti, per quem ad hanc et aeternam vitam sanctificetur. Irenaeus lib. 5. c. 13. p. 330: *Aliud est afflatus vitae, qui et animalem efficit hominem, et aliud Spiritus vivificans, qui et spiritualem eum efficit.* Sap. 2, v. 23: *Fecit Deus hominem ἐπ' ἀφθαρσίᾳ, ad conditionem incorruptam* vel ad immortalitatem *et ad imaginem propriae similitudinis fecit illum,* ut imaginem creatoris immortalis sua non solum justitia et sanctitate, sed etiam ἀφθαρσίᾳ et immortalitate exprimeret. Quamvis vero *invidia* XVIII 341. *diaboli mors intraverit in mundum* Sap. 2, v. 24: non tamen convenit divinae bonitati, sapientiae ac potentiae permittere, ut finis creationis hominis penitus intervertatur ac consilium Dei per astutiam diabolicam evertatur, alias enim finita diaboli potentia infinitam Dei potentiam superaret ac malitia diaboli plus posset ad destruendum quam infinita Dei bonitas ad restituendum, inde etiam per Christum mediatorem voluit fieri ἀποκατάστασιν, quippe qui *mortem absorpsit* ac destruxit Es. 25, v. 8. ac *vitam et ἀφθαρσίαν nobis illucescere fecit* 2. Timoth. 1, v. 10. qua ratione homo finem illum, propter quem ab initio fuit conditus, iterum consequitur et vitae aeternae non solum animae, sed et corporis respectu particeps iterum redditur. Gregorius Nyssen. orat. 3. de Christi resurr. p. 162: *Numquid Deus eo consilio hominem in rerum naturam produxit, ἵνα γεννηθεὶς φθορῇ καὶ τελείαν ὑποστῇ τὴν ἀπώλειαν, ut genitus corrumperetur et extremum subiret interitum? at vanum id consilium, ineptum propositum et absurda fuisset intentio, ac vehementer sane indigna res est talem cogitationem ad Deum referre et hujusmodi quidquam de eo sentire. Puerulis enim hac ratione assimilaretur studiose aedificantibus et celeriter structuram solventibus, quippe ad nullum finem utilem mente eorum spectante. Contrarium autem prorsus edocti sumus, quoniam eum, quem primum finxit, immortalem creavit, verum cum postea accidisset transgressio atque peccatum, in poenam delicti eum immortalitate privavit, deinde fons bonitatis exundans humanitate et ad opus manuum suarum flexus sapientia atque scientia adornavit, donec ita factu commodum ei visum est esse, ut in pristinum nos statum restitueret ac renovaret* etc. Lutherus in comm. cap. 1. Gen. p. 10: *Nulla creatura praeter hominem aut intelligere coeli motum, aut metiri corpora coelestia potest. Sus vacca et canis aquam, quam bibunt, non possunt metiri, et homo coelum et omnia coeli corpora metitur. Quare hic emicat scintilla vitae aeternae, quod homo naturaliter exercetur in illa naturae cognitione, significat enim cura illa homines non eo conditos, ut in hac infirma orbis parte semper vivant, sed ut coelum possideant, quod in hac vita admirantur et occupantur studio et cura rerum coelestium* etc. Idem argumentum multis verbis tractant Athenagoras in orat. de resurr. Ambrosius de fide resurr. et alii ex veteribus.

6. Ex nostra cum Christo conjunctione.

24. Sextum argumentum petimus *ex nostra cum Christo conjunctione.* Christus est *caput* nostrum, nos sumus ipsius *membra,* at non convenit capitis vivi membra perpetuo manere mortua, de qua parte hujus argumenti superius egimus. Christus est *vitis,* nos sumus *palmites* Joh. 15, v. 1. Atqui vitis illa vivit ac manet in aeternum, ergo etiam palmites hujus vitis manere et aeternae vitae fructum participare oportet. Christus est noster *sponsus* ac *maritus,* Esa. 54, v. 5. cap. 61, v. 10. cap. 62, v. 5. Ose. 2, v. 19. Ephes. 5, v. 32. Apoc. 19, v. 7. cap. 22, v. 17. Ergo et *sponsam* ex mortuis suscitari oportet, ut in spirituali ac coelesti consortio cum sponso suo vivat, quia desponsatio facta est in perpetuum. Christus est *sacerdos et rex aeternus* Psalm. 110, vers. 4. Luc. 1, v. 33. Hebr. 5, v. 6. etc. Ergo et in aeternum habebit *regale sacerdotium,* gentem sanctam, populum acquisitionis 1. Pet. 2. v. 9. Christus est noster *Jesus ac Salvator* liberans populum suum a peccatis eorum Matth. 1, vers. 21. Ergo etiam a peccati stipendio, a morte scilicet nos liberabit et in vitam iterum restituet, Roman. 6, vers. 23. Christus est noster *frater.* Ergo nos suos confratres in possessionem coelestis hereditatis secum introducet. Christus est *via, veritas et vita* Johan. 14, vers. 6. Via est, ergo notam nobis faciet viam ad vitam. Veritas est, ergo implebit suam promissionem. XVIII. 342. *Vivo ego et vos vivetis.* Vita est, ergo non deseret nos in morte. Christus est noster *pastor* Psalm. 23, vers. 1. Esai. 40, v. 11. Ezech. 34, v. 23. Joh. 10, v. 12. nos sumus ipsius *oviculae,* non relinquet bonus ille pastor oviculas suas in morte, sed ad vitae aeternae pascua eas introducet.

7. Ex sacramentorum participatione.

25. Septimum argumentum deducitur *ex sacramentorum participatione.* Sacramenta N. T. duo sunt *baptismus et coena Dominica,* ex utroque resurrectionis probationem pii veteres desumunt. Baptismus tum *effective,* tum *typice* resurrectionem nostram demonstrat. *Effective* quia baptismus est

*lavacrum regenerationis et renovationis*, quo totus homo anima et corpore constans ad vitam aeternam regeneratur. Per baptismum contingit remissio peccatorum. Ergo etiam liberatio a morte, quae est peccatorum stipendium. Per baptismum Deus nobiscum init aeternum foedus, quod velit esse noster Deus in vita et morte, adeoque in aeternum, utique ergo liberatos ex morte ad se in coelum recipiet. Per baptismum Christum induimus, filii Dei et heredes vitae aeternae constituimur, ex potestate et regno Satanae liberamur ac salvamur, utique ergo etiam de resurrectione ex morte ad vitam per baptismum confirmamur. Clemens Alexand. lib. paedagog. c. 6. *Tincti illuminamur, illuminati in filios adoptamur, adoptati perficimur, perfecti immortales reddimur. Typice* etiam baptismi sacramentum ad resurrectionem accommodari potest, quia quemadmodum baptizatus ex aquis, in quibus videbatur submergendus, extrahitur; sic Deus in baptismo sese nobis obligat, quod ex mari calamitatum, quibus in hac vita immergimur et ex media morte nos extrahere et ad gloriam vitae aeternae traducere velit. Rom. 6, v. 3: *Quotquot baptizati sumus in Christum Jesum, in mortem ejus baptizati sumus.* v. 4. *consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quemadmodum Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris, sic et nos in novitate vitae ambulemus.* v. 5. *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus.* Col. 2, v. 12: *Consepulti simul cum eo per baptismum, in quo simul etiam resurrexistis per fidem operationis Dei, qui excitavit eum a mortuis.* Quamvis enim apostolus de morte et resurrectione spirituali proprie ibi agat, tamen id ipsum consequenter ad mortem et resurrectionem corporalem accommodari potest, quia qui in hac vita Christo spiritualiter in morte peccati et resurrectione ad vitae novitatem conformantur, illi in resurrectione ad vitam aeternam ipsi aliquando conformabuntur. *Sacra coena* itidem est tessera resurrectionis ad vitam aeternam. Christus enim vivifico suo corpore et sanguine in sacra coena nos pascit, efficaciter fidem et spem nostram confirmans, quod illud ipsum corpus nostrum in quo peccatum et mors in hac vita habitant, ex pulvere terrae ad vitam aeternam sit resuscitandum, quippe quod vivifico Christi corpore est nutritum. Johan. 6, v. 54: *Qui manducat carnem meam et bibit sanguinem meum, habet vitam aeternam et ego resuscitabo eum in die novissimo,* unde in canone Nicaeno cibus et potus eucharisticus vocantur τὰ τῆς ἡμετέρας ἀναστάσεως σύμβολα. In actis concil. Nicaen. f. 43. Ignatius epist. 11. ad Eph. p. 65. vocat eucharistiam φάρμακον ἀθανασίας, ἀντίδοτον τοῦ μὴ ἀποθανεῖν. Irenaeus lib. 4. cap. 34. p. 263: *Quomodo dicunt carnem in corruptionem devenire et non percipere vitam, quae a corpore et sanguine Domini alitur? Corpora nostra*
III. 343. *percipientia eucharistiam jam non sunt corruptibilia spem resurrectionis habentia.* Cyrillus in c. 6. Joh.: *Si solo tactu Christi corpora redintegrantur, quomodo non vivemus, qui carnem illam et gustamus et manducamus? reformabit enim omnino ad immortalitatem suam participes sui.* Plura ex veteribus (quos Martyr in loc. comm. class. 3. cap. 15. num. 63. *hac in re lapsos esse* nugatur) in eam sententiam adduximus in tract. de eucharist. §. 213. memb. 5.

26. Octavum argumentum deduci potest *ex absurdorum consecutione.* Hoc concludendi medium presse urget apostolus 1. Cor. 15. Sic enim πρὸς τὸ ἄτοπον Christianorum Sadducaeos resurrectionem negantes deducit v. 13: *Si resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit.* v. 14. *Si autem Christus non resurrexit, inanis est praedicatio nostra, inanis et fides nostra.* v. 15. *Invenimur autem et falsi testes, quoniam testimonium diximus adversus Deum, quod Christum suscitaverit, quem non suscitavit, si mortui non resurgunt,* v. 16. *nam si mortui non resurgunt, nec Christus resurrexit;* v. 17. *quodsi Christus non resurrexit, vana est fides vestra, adhuc enim estis in peccatis vestris.* v. 18. *Ergo et qui dormierunt in Christo, perierunt.* v. 19. *Si in hac vita tantum in Christo speramus, miserrimi omnium hominum sumus.* v. 30. *Si mortui non resurgunt, ut quid periclitamur omni hora?* v. 32. *Si secundum hominem cum bestiis pugnavi Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgent? Manducemus et bibamus, cras enim moriemur etc.* Hisce vestigiis insistens Damascenus lib. 4. orth. fid. cap. 28. idem argumentum urget: *Si non est resurrectio, manducemus et bibamus et voluptuariam deliciosamque vitam transigamus. Si non est resurrectio, in quo differimus a rationis expertibus? Si non est resurrectio, beatas dicimus agrestes feras jucundam tristitiaque carentem deducentes vitam. Si non est resurrectio, neque Deus est neque providentia, sed casu cuncta ducuntur et feruntur.* Ceterum potest hoc concludendi medium per omnia argumentorum genera hactenus enumerata deduci. Si enim non est resurrectio, 1. falsa et mendacia erunt vaticinia de mortuorum resurrectione in sacris literis veritatis tabulis edita; 2. falsum erit, Christum ex mortuis resurrexisse; 3. injustus erit Deus, qui corpus animae in bonis ac malis operibus organum nec praemio nec poenis afficit; 4. falsum erit, corpora nostra in Adamo ad vitam aeternam condita, per incarnationem in consanguinitatem Filii Dei assumta, per resurrectionem et adscensionem ejus glorificari coepta, per baptismum a peccatis abluta, per fidem Christi membra in corpore ejus mystico facta, esse Spiritus sancti templa et habitacula, esse corpore et sanguine Christi ad vitam aeternam cibata, esse bonorum operum salutaria organa. 5. Impotens statuetur Deus, quo minus possit id, quod fecit, reficere; quod collapsum est, erigere; quod destructum est, reparare. 6. Diaboli potentia ac malitia statuetur major quam Dei bonitas ac potentia, quippe qui non possit finem illum, ad quem hominem primo condidit, obtinere. 7. Christus non erit caput nostrum, nec rex aeternus, nec ecclesiae spon-

8. Ex absurdorum consecutione.

sus, nec perfectus redemtor. 8. Nihil beneficii ex baptismo et eucharistia ad corpus nostrum redundabit. 9. Secure indulgendum erit concupiscentiis carnis, cum nulla metuenda sint peccatorum in carne supplicia. Primasius in comm. 1. Cor. 15: *Qui resurrectionem non credit, omnia nefanda committit.* Quae omnia cum sint absurda, ideo absurdum quoque illud, ex quo illa omnia consequuntur.
XVIII. 344. Breviter, resurrectionis negatio est totius Christianismi, omnis fidei, spei et pietatis eversio.

9. Ab exemplorum collatione. 10. A typorum et similium praefiguratione.

27. Nonum argumentum *ab exemplorum collatione*, ac decimum *a typorum et similium praefiguratione* deducimus. Sed haec argumenta sunt duntaxat *secundaria*, potius *illustrantia* quam confirmantia, neque quidquam concludunt a prioribus sequestrata, sed corollarii loco iisdem addita vim quandam concludendi ab iisdem participant. *Exempla*, quae huc accommodantur, sunt duplicia, 1. *μεταθέσεως* sive *translationis*, 2. *ἀναστάσεως* sive *resuscitationis*. Translationis exempla in Scripturis exstant duo, *Enochi* scil. et *Eliae*. De Enocho dicitur Gen. 5, v. 24: *Non apparuit, quia tulit illum Deus, i. e.* vivus in conspectu quorundam patriarcharum subito de terra abreptus et ex oculis eorum in coelum sublatus fuit. Sir. 44, v. 16: *Henoch translatus est* (*in paradisum* addit vulg. vers.), *ut exemplum poenitentiae esset generationibus*, *i. e.* ut realem poenitentiae concionem mundo proponeret, quia exemplo suo docet restare post hanc vitam aliam beatam poenitentibus ac Deum timentibus promissam c. 49, v. 16: *Receptus est a terra.* Hebr. 11, v. 5: *Fide Henoch translatus est, ne videret mortem, et non inveniebatur, quia transtulit illum Deus.* De *Elia* testatur historia sacra, quod *curru et equis igneis* in coelum subvectus fuerit 2. Reg. 2, v. 11. Sir. 48, v. 9. 1. Macc. 2, v. 58. Hi duo *immortalitatis candidati* (ut a piis veteribus appellantur) exemplo suo testantur, quod piorum corpora ex morte suscitata et animabus redunita in coelestis vitae ac gloriae consortium sint assumenda, quemadmodum ipsi corpore et anima in coelum jam ante sunt translati. Epiphanius l. 2. tom. 2. adv. haer. p. 194: *Non est translatus Henoch et reliquit corpus aut corporis partem. Si enim reliquit corpus, vidit ergo mortem. In corpore enim vivente est spiritualiter ablatus et non animaliter propter translationem, et quidem in corpore exsistens spiritualiter. Sed et de Helia similiter quod assumtus est in curru igneo et est adhuc in carne, carne autem spirituali et non opus habente ut per corpus nutriatur etc.* Lutherus in comm. cap. 5. Gen. tom. 1. p. 102: *Memorabilis est historia. Enoch, per quam Deus voluit primo et originali mundo commendare spem melioris vitae post hanc vitam. Postea in secundo mundo, qui habuit legem, dedit Deus exemplum Eliae, qui etiam inspectante servo Elisaeo a Domino raptus est. Nos in N. T. sumus tanquam in tertio mundo. Habemus autem illustrius exemplum ipsum Christum liberatorem nostrum adscendentem ad coelos cum aliis multis sanctis.* Ex historia huc referri posset, quod Eusebius lib. 6. hist. eccles. cap. 41. ex epistola Dionysii Alexandrini episcopi ad Fabium Antiochenum episcopum commemorat de *Chaeremone* sene civitatis, quae Nilus vocatur, episcopo, quod ad montana Arabiae una cum conjuge sua in persecutione Decii fugiens non sit reversus, nec unquam videri potuerint, et licet a fratribus saepenumero quaererentur, nec ipsi tamen, nec corpora eorum sint inventa. *Exempla resuscitatorum* tam in V. quam in N. T. proponuntur. In V. T. 1. *filii viduae Sareptanae* resuscitati ab Elia 1. Reg. 17, v. 22. Sir. 48, v. 15. 2. *filii mulieris Sunamitidis*, quem resuscitavit Elisaeus 2. Reg. 4, v. 33. Hebr. 11, v. 35. 3. *cujusdam hominis* excitati ad contactum ossium Elisaei in sepulcro jacentis. 2. Reg. 13, v. 21. In N. T. 1. *filiae Jairi* a Christo excitatae Matth. 9, v. 25. Marc. 5, v. 41. Luc. 8, v. 54. 2. *filii viduae in Nain* itidem a Christo suscitati Luc. 7, v. 15. 3. *Lazari Bethaniensis* ultimo ministerii anno a Christo excitati Jo- XVIII. 31
han. 11, v. 43. 4. *sanctorum*, quorum sepulcra in apertione petrarum tempore mortis Christi facta, reserata fuerunt, sed post resurrectionem Christi ex sepulcris prodierunt ac Christum in coelos euntem comitati sunt Matth. 27, v. 52. 53. Confer harmon. de passion. cap. 8. p. 582. 5. *Tabithae Joppensis* ad jussum Petri surgentis Act. 9, v. 40. 6. *Eutychi* a Paulo excitati Actor. 20, v. 10. Haec antecedens et particularis certorum hominum resurrectio argumentum est finalis et universalis resurrectionis omnium in die novissimo secuturae. Irenaeus lib. 5. adv. haer. cap. 13 p. 332: *Sicut qui a Domino resuscitati sunt, iisdem surrexerunt corporibus et membris, corporibus percipientibus eam vitam, quae dabatur a Domino per temporalia praeformante aeterna et ostendente, quoniam ipse est, qui curationem plasmati suo et vitam praestare potest, uti ei de resurrectione quoque credatur sermo; sic et in fine in novissima tuba clamante Domino resurrecturi sunt mortui etc.* Epiphanius in ancorat. col. 1012: *Dominus noster ostendere volens aliis miraculum difficilia illa facilia declarans perficiebat. Quando enim accessit ad recens mortuam puellam filiam principis synagogae, quoniam eadem hora mortua erat, dignatus est ad eam dicere: Surge puella! per vocem surge fortificans, quod erat dissolutum, nam adhuc in lecto erat. Filium verum viduae in Nain, quoniam in loculo efferebatur, facilius suscitavit, attigit enim loculum et non dixit aliquid puero* (pugnat id cum Scriptura canonica, quia testatur Lucas, Christum dixisse ad defunctum: *Adolescens, tibi dico, surge!* Luc. 7, v. 14. ergo hic in Epiphanio est vel *ἁμάρτημα μνημονευτικόν* vel *σφάλμα γραφικόν* ac in fumum abit ratiocinatio illa, quae ex illa historiae circumstantia texitur) *sed solum attigit loculum, et resurrexit. Quod vero altissimum est et omnium hominum spem longe excedens, quando venit ad quatriduanum Lazarum, neque dixit, surge, neque attigit manu monumentum, sed sic in promtu vocat in propria*

*potestate, Lazare veni foras! Multo enim facilius est et promtius dicere, veni foras quam attingere, attingere verum facilius est quam vocare, Puella surge. Verum sic omnia facit sanctum Dei Verbum, ut nobis spem resurrectionis demonstret.* Gregorius Nyssen. orat. 3. de resurrect. p. 164: *Quemadmodum unus excitatus est eodem modo decem; quemadmodum decem, ita et trecenti; ut trecenti, ita plures. Unius enim statuae artifex vel sexcentarum facile opifex erit.* Idem de hominis opificio cap. 25, p. 477: *Dominus a miraculis inferioribus exorsus, paulatim nos condocefecit, ut in rebus etiam majoribus fidem ipsi habeamus etc. Initio quidem in curatione morbi, quem posse curari vix existimasses, quasi quoddam de resurrectione prooemium edidit, cum rem quidem eximiam efficeret, quae tamen humanam fidem mereretur. Nam cum vehemente febre Simonis socrus ureretur, tantam mali mutationem uno sermonis imperio effecit, ut continuo ad ministrandum Christo et discipulis esset ei satis virium, quae paulo ante moritura putabatur. Deinde potestati priori nonnihil addit, cum regii cujusdam filium in praesentissimo vitae discrimine decumbentem exsuscitat, narrant enim sacrae literae, jamjam fuisse moriturum etc. quod jam miraculum esse factum potestate quadam majore putandum est propterea, quod ad locum, in quo decumbebat, non accessit, sed quasi e longinquo vitam ei solius imperii vi misit. Posthaec ad miracula quaedam ardua magis accedit. Jairi enim filiae solo sermonis imperio quasi de somno excitatae vitam restituit, ratione quadam et via imbecillitatem hominum ad majora deducens. Rursus hoc etiam alio quodam miraculo superat et potestate excelsiore viam hominibus struit, ut fore ex*
XVIII. 346. *mortuis resurrectionem crederent. Excitavit enim filium viduae in Nain eique non exiguo jam ab intervallo mortuo vitam restituit, cum tantum non sepultus esset, quod jam miraculum priore majus est, quanquam eodem sermonis imperio sit effectum. Enimvero Dominus ad prodigium excelsius etiam progreditur, ut propius per manifestas effectiones ad resuscitationis miraculum accederemus, quod ceteroqui difficile creditu est. Lazarum enim, qui ante quatriduum mortuus fuerat, e sepulcro redivivum reduxit etc. tum haud dubie prodigio quodam illustriori genus humanum universe aliquando ex morte excitandum esse, demonstratum est. Non enim gravi quis morbo levatur, neque is, qui extremum ducebat spiritum, vitae restituitur, neque puella recens mortua vitam recuperat, neque juvenis jamjam sepeliendus de sandapila eximitur, sed homo aetate provectior jampridem mortuus marcidus, putrescens ac diffluens, cujus ad tumulum propter foedum cadaveris halitum ut Dominus accederet, vix ipsi necessarii ferendum existimabant. Hic igitur una voce vitam recuperans fidem doctrinae de resurrectione conciliat, ut jam sit expectandum universe, quod certis in partibus experientia verum esse docuit.* Tandem etiam de Christi resurrectione quaedam subjungit dicens: *Par erat, ut qui homines per edita in alienis corporibus miracula condocefaciebat, ut resurrectionem fore crederent, idem etiam illo in corpore, quod a nobis sumserat, comprobaret*, ac concludit *Quando Dominus resurrectionem fore non verbis modo, sed ipsa etiam re declaraverit, nonnullis in vitam per resurrectionem reductis, quid deinceps praetexent adversarii causae, quo minus nobis assentiantur?* Nicephorus lib. 14. hist. c. 45. ad resurrectionis demonstrationem refert miraculum *septem puerorum*, qui tempore *Theodosii* post 3 2 annorum somnum Ephesi surrexerunt, quod hisce commemorat verbis: *Ephesi in Ionia septem pueri corporibus juxta et animis fratres fuere a parentibus per manus eis traditae religionis nostrae cultores. Tanto vero illi erga Christum flagrarunt amore, ut persecutionem eam, quam Decius Romanus eo tempore imperator gravissimam perquam crudeliter exercuit, parvi facerent. Et cum palam Christum confessi essent, post ea non longe ab urbe ea secesserunt et in vicino quodam antro propter imminens periculum se ipsos occultarunt. Ejus antri aditum et fores persecutores a parte exteriore probe circumvallatas munivere. Illi porro prae anxio animi moerore in somnum sibi profundum delati visi sunt atque ita ad annos 372 dormierunt etc. Ubi vero tempore Theodosii speluncae fores reclusae sunt, e somno illo evigilarunt unumque ex eis in urbem rerum necessariarum comparandarum gratia miserunt. Cum autem is civibus Decii numisma proferret, nova atque insolita monetae forma adducti in thesaurum eum incidisse opinati sunt eumque ad urbis rectorem abductum flagris conciderunt. Ab eo postea miraculum fuit manifestatum, cujus veritatem ipse imperator ad speluncam profectus exploravit etc.* Idem miraculum refert Sigebertus in chron. an. 443. (ubi tamen post annos 192 specum divinitus patefactum ac martyres illos e somno surrexisse dicit). Palmer. in chron. anno Christ. 451. Simile quiddam de *septem dormientibus* in Germania refert Paulus Diaconus in hist. Longobard. lib. 1. cap. 3. Sed sublesta Nicephori fides et reliquorum ecclesiasticorum scriptorum silentium faciunt, ut huic historiae ἀναμφισβήτως vix credatur. Vide centur. Magd. 5, cap. 13. col. 1487.

28. Circa haec resuscitatorum exempla, quae sunt universalis resurrectionis praeludia, notandum 1. quod in *sanctis cum Christo resurgentibus* et cum ipso in coelum adscendentibus non solum ἀναστάσεως, sed
etiam simul μεταθέσεως exemplum proponatur, quale XVIII. 347.
etiam *in Moyse* nobis proponi haud absurde quispiam statuerit. Quia enim is una cum Elia in transfiguratione Christi apparet loquens cum Christo Matth. 17, v. 3. ideo verisimile est, Moysen statim a morte divinitus resuscitatum et in paradisum coelestem esse translatum, quo sensu a quibusdam accipitur, quod *nemo invenerit sepulcrum ejus* Deut. 34, v. 6. 2. Quod *Christus*, cujus exemplum Nyssenus huc refert, non solum sit *causa exemplaris*,

sed etiam *efficiens ac meritoria nostrae resurrectionis*, unde ex Christi resurrectione longe efficacius nostra resurrectio infertur, quam ex aliorum resuscitatione. 3. Quod Christus in diebus carnis suae singulis ministerii sui annis mortuos resuscitaverit, certo tamen ordine, ita ut annotante Nysseno sequens miraculum semper fuit illustrius praecedente. Primo anno resuscitavit *filiam Jaïri* modo defunctam, neque dum domo ad sepulturam elatam; secundo anno excitavit *filium viduae in Nain*, qui jamdum ad sepulcrum deferebatur; tertio anno ex mortuis revocavit *Lazarum* sepulcro jamdum illatum et ante quatriduum mortuum; tandem etiam divina virtute proprium corpus ex morte excitavit, quod est miraculorum omnium maximum ac divinissimum, ut in fide resurrectionis nos confirmaret. 4. Quod historiae ecclesiasticae, quae extra Scripturas canonicas de quorundam resuscitatione loquuntur, si vel maxime sint ejusdem veritatis, tamen cum sacris literis non sint ejusdem canonicae auctoritatis. Ruffinus lib. 1. hist. eccles. cap. 8. refert, quod *ad preces Macarii episcopi crucem Christi recens inventam, sed nondum explorate cognitam primariae cuidam feminae gravi aegritudine confectae ac semineci jacenti applicantis eadem statim a mortis januis ad vitam fuerit revocata.* De Gregorio Thaumaturgo commemoratur, quod aliquoties mortuos excitaverit. Quae posterioribus ecclesiae seculis resuscitatorum afferuntur exempla, de illorum fide non immerito aliquis dubitaverit. 5. Quod ex aliorum resuscitatorum exemplis universalis omnium resurrectio probetur, tum *ratione causae efficientis*, quae est divina potentia, quam annorum numero consenuisse vel decrementum aliquod sensisse nemo dixerit; tum *ratione causae materialis*, ut enim in mortuis illis nulla fuit naturalis potentia, per quam ad vitam se revocare possent ac nihilominus divina virtute excitati sunt, sic in reliquis etiam defunctis eodem modo res sese habet; tum *ratione causae formalis*, ut enim illorum defunctorum anima divini verbi imperio revocata corpori iterum fuit unita, sic in universali resurrectione animae ex receptaculis suis Christi jussu revocatae cum corporibus ex pulvere suscitatis unientur. Sicut defuncti illi in hanc vitam revocati cognatis fuere restituti, sic in die novissimo fiet ἀποκατάστασις omnium et rerum et personarum; tum *ratione causae finalis*, ideo enim Deus quosdam in vitam revocari voluit, ut *monstraret in exemplo, quod jam ante promiserat in praemio*, ut loquitur Gregorius libr. 14. moralium cap. 29. Annotabo hac de re egregium locum ex Nysseno libro de opificio hominis cap. 25. ante med.: *Quemadmodum si agricolae seminum facultatem explicanti forte rusticae rei quis imperitus fidem non habeat, satis ille sibi putat ad veritatis indicationem, uno in grano universorum, quae modius continet, vim facultatemque ostendere, ac quod de uno affirmet, idem etiam in ceteris verum esse polliceri. Nam qui de uno aliquo tritici vel hordei vel alterius frumenti pleno modo comprehensi grano in glebam conjecto spicam nasci viderit, hunc etiam de ceteris nequaquam dubitare necesse est. Ita mihi veritas reliquis divinis oraculis respondens etiam huic de resurrectione arcanae doctrinae fidem conciliare videtur.* XVIII. 34 *Quanquam magis hoc fieri equidem credo per ipsam rerum experientiam, non enim tam verbis quam re ipsa resurrectionem fore didicimus, ex resuscitatorum scilicet exemplis.* 6. Quod ad resuscitationis exempla haud injuria etiam referatur *liberatio ex morbis letalibus*, quam in aliis vel etiam in nobis ipsis Deus ad resurrectionis fidem confirmandam nobis proponit. Ut enim morbi sunt mortis caduceatores et anteambulones, *ἀποκρίματα τοῦ θανάτου* 2. Cor. 1, v. 9. sic liberatio ex morbis, praesertim letalibus qui vocantur *θάνατος* 2. Cor. 1, v. 10. haud immerito resurrectionis futurae quoddam praeludium censetur, unde etiam vocatur *ἔγερσις* Jacob. 5, v. 15. qua voce resuscitatio ex mortuis describi solet. Theophilus Antiochenus ad Autolycum lib. 1: *In te ipso resurrectionis operationem agnosce. Nam non dubito, quin aliquando adversa valetudine affectus amiseris carnes tuas et formam roburque. Ceterum Deus effecit, ut valetudinem amissam recuperares; et quemadmodum ignoras, quo te relicto carnes abierint, sic te fugit, unde redierint et unde eas receperis.* Sed hac de re pluribus agemus inferius.

29. *Typos ac picturas* resurrectionis quod attinet, illi sunt duplicis generis. Quaedam enim petuntur *ex Scriptura*, quaedam *ex natura*. Typi ex Scriptura petiti sunt *allegoriae*, quas de resurrectione pii veteres ex sacris literis proferunt. Tales sunt 1. *primaeva creatio.* Terra Dei jussu viva producens animantia, quae nec ipsa habebat, nec prius in rerum universitate erant, poterit etiam reddere ad vocem Filii Dei viva, quae accepit mortua et concrediti cujusdam loco suscepit deposita. *2. Noachi exemplum* tempore diluvii in arca conservati profert Epiphanius in ancorato col. 1008. *Complacuit*, ait, *Noë Deo, arcam construxit ex praecepto Dei, regenerationem sibi ipsi operans ac efficiens per propriam domum.* Noachus cum suis praesentissimam mortem in illis cataclysmi fluctibus ob oculos quotidie obversantem habuit, ipsius igitur in arca conservatio et ex diluvii aquis liberatio fuit quasi quaedam ex mortuis resuscitatio. *3. Circumcisionem* Abrahae mandatam resurrectionis typum fuisse, constat ex temporis circumstantia. Peragenda erat circumcisio *die octavo* Gen. 17, v. 12. Octonarius est signum futurae resurrectionis, in qua caro nostra a cunctis superfluis passionibus resecabitur, postquam septenarius hujus vitae transactus fuerit. Septem enim dies denotant praesens hujus vitae tempus, quippe quae per septem dies, id est continuo hebdomadum sive septimanarum decursu terminatur, octavus dies tempus resurrectionis notat, in quo plenaria carnis expurgatio et universalis *regeneratio* sequetur Matth. 19, v. 28. proinde ut in ingressu promissae terrae Canaan generalis circum-

Typi ac figurae resurrectionis. 1. Ex Scriptura.

cisio divino mandato suscipiebatur, Josuae 5, v. 4. 4. *Isaaci*, ex effoetis parentibus *nativitas* ab Epiphanio ad resurrectionis figuras d. l. accommodatur. *Abraham senex*, inquit, *acquirit filium mortificato corpore et ex mortuis ei spem largitus est Deus, maxime cum uterus Sarae emortuus esset et quod inveteratum erat et ferme ad deletionem pervenerat juxta consuetum mulierum morem, ipse videt. resiccatus fons rursum vim accepit ad seminis dejectionem et anicula juvencula fert partum.* Inde apostolus de Abrahamo credentium Patre dicit, quod in promissione seminis *non infirmatus fuerit fide, nec consideraverit corpus suum jam emortuum, cum fere centum annorum esset et mortuum uterum Sarae, sed contra spem in spem crediderit Deo*
I. 349. *qui mortuos vivificat.* Rom. 4, v. 17. 18. et 19. Confer eundem Epiphanium lib. 1. tom. 1. contra Samaritas col. 21: *Sara post mortificationem uteri ejus et post siccatum consuetum fontem rursus vivificatur ad seminis dejectionem et anus filium concipit et parit juxta promissionem ob spem resurrectionis.* 5. *Isaacus* in diem usque tertium in corde Abrahae erat mortuus, quia de ipso immolando divinum acceperat mandatum, sed cum tertio die intelligeret, Deum hac tentatione fidem suam explorare voluisse et arietem filii loco immolandum esse, ibi Isaacus in corde parentis quasi revixit, Gen. 22, v. 4. inde in epist. ad Hebraeos cap. 11, v. 19. de Abrahamo dicitur, quod *filium suum Isaacum ἐν παραβολῇ receperit*, non solum resurrectionis Christi die tertio secuturae, sed etiam universalis resurrectionis in die novissimo exspectandae; praecedit enim λογισάμενος ὅτι καὶ ἐκ νεκρῶν ἐγείρειν δυνατὸς ὁ θεός. 6. *Josephi* curam de ossibus suis in terram Canaan transferendis Epiphanius d. l. itidem ad resurrectionis spem accommodat. *Joseph*, inquit, *indicat hanc rem, non in secundo loco ponens ossium spem. Curam enim habebat talium non velut pereuntium, sed quae rursus revictura essent et praecipiebat ea afferri ex Aegyptiorum regione. Non frustra Joseph hoc significabat: Comportate mihi ossa dicens, visitatione enim visitabit vos Dominus*, Gen. 50, v. 25. *Si non spes fuisset resurrectionis, qualis esset ossium cura, ut de corruptibilibus ossibus praeciperent justi?* Hujus loci est observatio illa, quod Jacobus et Josephus inter causas reliquas etiam fine eo in terra Canaan sepeliri voluerint, quod spiritu praeviderint, in Christi resurrectione multa corpora sanctorum suscitanda, quibus ipsi quoque conjungi desideraverint, Gen. 47, v. 30. Matth. 27, v. 53. 7. *Fiscella scirpea* bitumine ac pice illita, in qua Moyses adhuc infans conservatus et ex ea ad vitam protractus Exod. 2, v. 3. resurrectionis typum suppeditat, asservantur enim corpora nostra in arca lignea, ex qua ad vitam aliquando divinitus revocabuntur. 8. *Virga Moysis* ab Epiphanio d. l. tanquam resurrectionis symbolum nobis proponitur. *Persuadeat*, inquit, *incredulos potentia Domini, nemo resistat sententiae. Audiat Moyses et ostendat. Quid in manu tua, inquit Dominus, ipse vero dixit: Virga*, Exod. 4, v. 2. *Virga autem haec lignea erat et sicca penitus, et dixit, Abjice ipsam in terram." Et abjecit aridam virgam, et quod aridum erat, humidum Deus efficiebat, et non solum humidum, sed etiam animatum, imo et natura alteratum et essentia aliter formatum. Versa enim est virga in colubrum*, v. 3. *Non erat spectrum hoc opus, veritas enim Dei praecepto operatur et non imaginatione. Nam in omnibus corrigens nostram cogitationem per Moysen declaravit veritatem. Cognovit enim propheta, quod id, quod factum fuerat, non erat factum in apparentia sed veritate in eo quod aufugeret. Si enim imaginatio fuisset, quod factum erat, non aufugisset a conspectu serpentis. At ut ne rursus hoc offendiculum praeberet contentiosis et dicant, quod alia erat virga, Deus vero dedit ipsi aliud corpus sicut voluit: Primum igitur discant, quod non aliam pro alia nominavit, sed illam ipsam, quae arida erat, animavit. Quoniam hoc datum virgae corpus et motum ab ipso genus sive speciem Deus in judicium non vocabat, neque pro virga draconem judicare voluit, sed certitudinem resurrectionis per virgam operatus est et propriam potentiam Deus ostendit, ut ne quis fidem deroget in omnibus potenti, atque hoc ipsum cum omni certitudine fecit, non enim partem quandam virgae suscitavit, sed totam virgam transmutavit, sicut voluit*, Augustinus lib. 12. contr. Faust. Manich. cap. 28. typum virgae Mo-
saicae paulo aliter ad resurrectionis mysterium ac- XVIII. 350.
commodat. *Ipse* (Christus), inquit, *mihi innuit in virga Moysi, quae in terra serpens effecta ejus mortem figuravit a serpente venientem, sed quod apprehensa cauda significat posterius, peractis jam omnibus in fine actionis ad id, quod fuerat, resurgendo revertitur, ubi per vitae reparationem morte consumta nihil serpentis apparet. Nos quoque corpus ejus in eadem mortalitate per lubrica temporum volvimur, sed fine novissimo velut cauda seculi per manum, i. e. per potestatem judicii, ne ultra prolabamur, apprehensa reparabimur et novissima inimica morte destructa resurgentes in dextra Dei virga regni erimus.* 9. *Virga Aaronis* divino miraculo germinans, florens et fructus ferens Numer. 17, v. 8. illustre resurrectionis specimen exhibet. Christus per Aaronis virgam denotatus est floridus ille surculus ex arida Davidicae stirpis radice prosatus, qui sua nativitate, passione, morte ac resurrectione nobis hoc promeruit, ut corpora nostra in aridum terrae pulverem redacta instar herbae sint iterum progerminatura. Esa. 66, v. 14. Augustinus serm. 99. de temp.: *Resurrectionis ex mortuis sacramentum in his evidenter agnoscimus. Virga enim arida germinat, cum corpus exstinctum coeperit reviviscere. Quae sunt autem quatuor ista, quae resurgenti corpori praestabuntur, ut seminatum in corruptione, surgat in incorruptione, et seminatum in infirmitate, surgat in virtute, seminatum in ignominia, surgat in gloria, et seminatum corpus animale, surgat corpus spirituale? Ista sunt*

*quatuor, quae virga arida corporis nostri in resurrectione germinabit.* Gregorius lib. 14. moral. cap. 28. in princ. ad Christi resurrectionem accommodat, ex qua nostram resurrectionem efficaciter probari ostendimus superius. *Quid hoc signo innuitur, nisi quod omnes, qui usque ad finem mundi jacemus in morte, quasi virgae reliquae in ariditate remanemus? sed cunctis virgis in ariditate remanentibus virga Levi ad florem rediit, quia corpus Domini veri, scil. sacerdotis nostri, in mortis ariditate positum in florem resurrectionis erupit. Quo flore Aaron recte sacerdos esse cognoscitur, quia hac resurrectionis gloria redemtor noster, qui de tribu Juda ac Levi ortus est, intercessor pro nobis esse monstratur. Ecce ergo jam virga Aaron post ariditatem floret, sed virgae duodecim tribuum in ariditate remanent, quia jam quidem corpus Domini post mortem vivit, sed nostra adhuc corpora usque ad finem mundi a resurrectionis gloria differuntur.* Confer Epiphanium d. l. 11. *Apes* natae in cadavere leonis Jud. 14, v. 8. sunt typus nostrae resurrectionis, quam *leo de tribu Juda* morte sua nobis peperit. 12. *Jobo* post superatas adversitates et omnium bonorum dispendia *reddidit Deus omnia duplicia*, liberos vero postea natos cum prius natis una connumeravit Job. 42, v. 10. et 13. quia scil. vita defuncti Deo adhuc vivebant. Gregorius lib. 35. moral. cap. 11: *Quod septem millia ovium et tria millia camelorum et quingenta juga boum et quingentas asinas ante probationem percussionis habuerit, ipsa ejusdem historiae praefatio ostendit, quae per flagellum perdita ipsi nunc reddita sunt duplicia, filii autem totidem sunt redditi, quot amisit. Septem quippe filios et tres filias habuit, septem autem nunc filios et tres filias recepisse describitur, ut et hi qui exstincti fuerant, vivere demonstrentur. Dum enim dicitur, addidit Dominus quaecunque fuerant Jobo duplicia, et tamen totidem filios ei restituit, quot amisit, et liberos dupliciter addidit, cui decem postmodum in carne restituit, decem vero, qui amissi fuerant, in occulta animarum vita reservavit. 13. De visione prophetica* Ezech. 37. resurrectionem praefigurante dictum
XVIII. 351. fuit superius. 14. *Jonam* in ventre ceti per triduum delitescentem ac postea ad littus maris a balaena exsputum resurrectionis typum fuisse, docet Tertullianus lib. de resurr. carnis cap. 32. pag. 329. *Puto,* inquit, *hujus quoque divinae potestatis documentum idoneum Jonam, cum incorruptus utraque substantia carne atque animo de alvo piscis evolvitur, et utique triduo concoquendae carni viscera ceti suffecissent, quam capulum, quam sepulcrum, quam senium requietae atque reconditae alicujus sepulturae.* Mors velut immanis cetus omnes homines deglutit, sed jussu Dei aliquando vivos e ventre terrae iterum cogetur reddere. Lutherus tom. 4. Lat. pag. 357: *Qui volet historiam Jonae tractare et rhetoricari, habet insignem locum de fide resurrectionis a mortuis, seu de vita in media morte, ut discamus, miraculum et potentiam Dei hic nobis proponi in Jona, qui moritur triplici morte, scil. aqua, belua et ira Dei, tamen ne sic quidem moritur, sed vita aeterna vivit.* 15. Macarius hom. 10. ex libris apocryphis adducit typum *ignis Hierosolymitani* sub terra asservati. *Quemadmodum* (inquit) *ignis, qui Hierosolymis subserviebat altari, tempore captivitatis defossus erat in foveam et idem inita pace reversisque captivis quasi renovabatur et pro more serviebat; ita corpus hoc modo nobis familiare, quod ubi dissolutum est, vertitur in lutum, restituitur et renovatur ab igne coelesti, qui suscitat corpora corrupta, siquidem ignis, qui nunc intus latet in corde, tum patefit et resuscitat corpora.*

30. *Ex natura* non minus varii afferuntur typi ac similitudines complures, de quibus in genere sic disserit Tertullianus lib. de resurr. carn. cap. 12. p. 319: *Totus hic ordo revolubilis rerum testatio est resurrectionis mortuorum. Operibus eam praescripsit Deus ante quam literis, viribus praedicavit ante quam vocibus. Praemisit tibi naturam magistram, submissurus et prophetiam, quo facilius credas prophetiae, discipulus naturae, quo statim admittas, cum audieris, quod ubique jam videris, nec dubites, Deum carnis etiam resuscitatorem, quem omnium noris restitutorem. Et ubique, si omnia homini resurgunt, cui procurata sunt, porro non homini, nisi et carni, quale est, ut ipsa deperereat in totum, propter quam et cui nihil deperit?* Hieronymus epist. 41: *Tentemus animas, quae deficiunt in fide, naturalibus rationibus adjuvare.* Paulinus episcopus Nolanus ita canit:

2. Ex natura.
1. Ex corporibus coelestibus.

*Cuncta resurgendi faciem meditantur in omni*
*Corpore et in terris germina et astra polo.*

Ambrosius in orat. de fide resurr.: *Tribus viis colligitur resurrectionis fides, quibus omnia comprehenduntur, ratione universitatis, exemplo, testimonio rei gestae, quia plurimi resurrexerunt. Per rationem universitatis intelligit typos resurrectionis in tota rerum universitate nobis propositos. Prima,* inquit, *resurrectionis fides usus est mundi rerumque omnium status, generationum series, successionum vices, ortus obitusque signorum, diei ac noctis occasus eorumque quotidie tanquam rei divinae successio.* Minucius Felix in Octavio pag. 395: *Vide adeo, quam in solatium nostri resurrectionem futuram omnis natura meditetur. Sol demergit et nascitur, astra labuntur et redeunt, flores occidunt et reviviscunt, post senium arbusta frondescunt, semina non nisi corrupta revirescunt; ita corpus in seculo, ut arbores in hiberno occultant virorem ariditate mentita. Exspectandum nobis corporis nostri ver.* Ceterum quaedam illarum similitudinum ducuntur *ex corporibus coelestibus*, quaedam vero *ex terrenis et sublunaribus. Ex corporum coelestium* XVIII. 352
*motu* oriuntur vicissitudines lucis ac tenebrarum, dierum ac noctium, aestatis et hiemis, quas resurrectionis quoddam symbolum esse volunt. Tertullianus in apol. cap. 48. pag. 80: *Deus corpus hoc*

*mundi voluit esse signatum resurrectionis exemplum in testimonium nobis. Lux quotidie interfecta resplendet et tenebrae pari vice decedendo succedunt, sidera defuncta vivescunt, tempora ubi finiuntur, incipiunt etc. Tu homo, tantum nomen dominus omnium morientium et resurgentium ad hoc morieris, ut pereas?* de resurr. carnis cap. 12. pag. 319: *Dies moritur in noctem et tenebris usquequaque sepelitur; funestatur mundi honor, omnis substantia denigratur; sordent, silent, stupent cuncta, ubique justitium est, quies rerum. Ita lux amissa lugetur. Et tamen rursus cum suo cultu, cum dote, cum sole eadem et integra et tota universo orbi reviviscit, interficiens mortem suam noctem, rescindens sepulturam suam tenebras, heres sibimet exsistens, donec et nox reviviscat cum suo et illa suggestu. Redaccenduntur enim et stellarum radii, quos matutina succensio exstinxerat; reducuntur et siderum absentiae, quas temporalis distinctio exemerat; redornantur et specula lunae, quae menstruus numerus attriverat; revolvuntur hiemes et aestates et verna et autumna cum suis viribus, moribus, fructibus* etc. Epiphanius in ancorat. col. 1000: *Universa creatura palam redarguit Graecos resurrectionem negantes, singulis diebus resurrectionis speciem ostendens. Occidit enim dies et mortuorum modum innuimus per soporem, exoritur dies nos expergefaciens et resurrectionis signum demonstrans.* Graeca sic habent pag. 505: *ἡ κτίσις πᾶσα διαῤῥήδην αὐτοὺς ἐλέγχει ὑποφαίνουσα καθ' ἡμέραν ἑκάστην ἀναστάσεως τὸ εἶδος, δύνει γὰρ ἡ ἡμέρα, καὶ νεκρῶν αἰνιττόμεθα τὸν τρόπον κοιμισμὸν ἀινιττομένης, ἀνατέλλει ἡ ἡμέρα ἡμᾶς διϋπνίζουσα καὶ ἀναστάσεως ὑποδεικνύουσα τὸ σημεῖον.* Augustinus lib. de immortal. anim.: *Ita certam teneamus resurrectionem carnis, ut certius nobis non sit, solem cum occiderit, oriturum.* Gregorius Magn. lib. 14. moral. cap. 28. in med.: *Qui resurrectionis fidem ex obedientia non tenent, certe hanc tenere ex ratione debuerant. Quid enim quotidie nisi resurrectionem nostram in elementis suis mundus imitatur? Per quotidiana quippe momenta lux ipsa temporalis quasi moritur, dum supervenientis noctis tenebris ea, quae adspiciebatur, subtrahitur et quasi quotidie resurgit, dum lux ablata oculis suppressa iterum nocte reparatur.* Damascenus lib. 2. orth. fid. cap. 7: *ἡ σελήνη πάλιν συναπτομένη τῷ ἡλίῳ ἀναγεννᾶται καὶ ἀνακαινίζεται ὑπόμνημα φέρουσα τῆς ἡμῶν ἀναστάσεως.* Quod ergo gentilium poëta canit:

*Soles occidere et redire possunt;*
*Nobis, cum semel occidit brevis lux,*
*Nox est perpetua una dormienda,*

ad illud per inversionem responderi potest ac debet.

2. Ex creaturis sublunaribus. 1. Vegetabilibus.

31. *Creaturae sublunares* sunt vel *rationales*, vel *irrationales*, eaedemque vel *vegetante*, vel *sentiente* anima praeditae. *Vegetabilia* sunt gramen, fruges, seges, frutices, arbores etc. in quibus omnibus resurrectionis *ὑπόδειγμα* quaerunt. Ad similitudinem *graminis* tempore hiemis emortui, vere autem revirescentis ac granorum prius emortuorum, postea vero ex terra renascentium ipsa Scriptura nos deducit. Job. 14, v. 7. et seq. Esa. 26, v. 19. cap. 66, v. 14. Sirac. 46, v. 14. Joh. 12, v. 24. 1. Cor. 15, v. 37. etc. Singulis annis experimur, solem tempore veris cujusque seminis spiritum accendere et semina XVIII. 353. omnia quantumvis inter se permixta et confusa distinguere. Ecquis igitur Christo *justitiae soli* Mal. 4, v. 2. totius universi creatori eandem vim in corporibus nostris vivificandis et inter se distinguendis denegabit? Tertullianus in Apolog. cap. 48: *Fructus consummantur et redeunt, certe semina non nisi corrupta et dissoluta foecundius surgunt, omnia pereundo servantur, omnia de interitu reformantur.* de resurr. cap. 12: *Etiam terrae de coelo disciplina est, arbores vestire post spolia, flores denuo colorare, herbas rursus imponere, exhibere eadem, quae absumta sint semina, nec prius exhibere quam absumta. Mira ratio, de fraudatrice servatrix; ut reddat, intercipit; ut custodiat, perdit; ut integret, vitiat; ut etiam ampliet, prius decoquit, siquidem uberiora et cultiora restituit quam exterminavit. Re vera foenore interitu, et injuria usura, et lucro damno semel dixerim universa conditio recidiva est. Quodcunque conveneris, fuit; quodcunque amiseris, nihil non iterum est. Omnia in statum redeunt, cum abscesserint; omnia incipiunt, cum desierint; ideo finiuntur, ut fiant. Nihil deperit, nisi in salutem* etc. Epiphanius in ancor. col. 1000: *Decerpuntur fructus et status rerum exscinditur, ita ut hinc nostri discessus facies praestituatur. Seminatur terra et germinat, quoniam fracta post sectionem resurgent. Semina fructuum seruntur, et primum moriuntur, deinde perficiuntur. Nisi enim mortua fuerint, non vivificantur* etc. Ruffinus in expos. symb. pag. 385: *Quod in seminibus, quae in terram jacis, per singulos annos fieri vides, hoc in tua carne, quae lege Dei seminatur in terra, futurum esse non credis? Cur quaeso tam angustus et invalidus divinae aestimator virtutis es, ut dispersum uniuscujusque carnis pulverem in suam rationem colligi et raparari posse non credas?* Et postea pag. 386: *Si quis diversa semina in unum permisceat et haec indiscreta seminet vel passim spargat in terram, nonne uniuscujusque seminis granum, quocunque loci jactum fuerit, competenti tempore secundum naturae suae speciem germen producet, ut statum suae formae suique corporis reparet? Ita ergo uniuscujusque carnis substantia, quamvis varie diverseque dispersa sit, ratio tamen ipsa, quae inest unicuique carni, est immortalis, quia immortalis animae caro est, ex eo tempore, quo seminatis in terram corporibus primum veri Dei voluntate arrisit, collectum terrae attractatumque substantiae suae sensum reddit ac reparat in illam speciem, quam mors aliquando dissolverat* etc. Ambrosius in orat. de fide resurr.: *Miraris, quomodo putrefacta solidentur, dispersa coëant, absumta reparentur?*

*non miraris, quomodo semina vapore et terrae compressu soluta viridescunt? nam utique etiam ipsa terreno cohalitu putrefacta solvuntur etc. Quid ergo miraris, si homines, quos acceperit terra, restituat, cum seminum corpora, quae cum vi susceperit, vivificet, erigat, vestiat, muniat atque defendat? Desine ergo dubitare, quod depositum generis humani terrae fides reddat, quae commendata sibi semina usurario quodam foenore multiplicata restituit etc. Num in hominibus terra degeneraret, quae omnia regenerare consuevit?* Chrysostomus homil. de resurrect.: *Semina nisi prius moriantur et putrescant et corrumpantur, non pariunt aristam. Sicut igitur, qui videt ibi granum, quod corrumpitur et dissolvitur, non dubitat de resurrectione, sed certissimam demonstrationem facit, nam si ita maneret et non corrumperetur vel dissolveretur, certum quod nunquam resurgeret; sic cogita et in corpore tuo, cum vides corruptionem, tunc potissimum de resurrectione philosophare* etc. (Confer Macarium hom. 15.). Cyrillus Hierosolymitan. catech. 4: *Qui frumentum propter nos semi-*
XVIII. 354. *natum quotannis mortificatum excitat, numquid nos ipsos, propter quos et ipse surrexit, difficile suscitabit? Cernis, quomodo arbores tot mensibus sine fructu et foliis sunt, sed hieme praetereunte rursus tanquam ex mortuis reviviscunt, et non multo facilius nos reviviscemus?* Augustinus serm. 34. de verb. Dom. circ. med.: *Qui grana seminum mortua et putrefacta vivificat, per quae in hoc seculo vivas, multo magis te ipsum suscitabit, ut in aeternum vivas* etc. Theodoretus serm. 9. de provid.: *Considera naturam docentem te et praedicantem resurrectionem. Nam agricola secat sulcos et tanquam sepulcra quaedam fodit, deinde semina in terram injicit, et tanquam corpora sepulcro mandans terra obruit et nihil amplius potest facere. Deus vero aut coelitus aquam mittit, aut ex fontibus et fluviis eam suppeditat, rigans haec et humectans, postea feliciter omnia proveniunt.* Gregorius Magnus lib. 14. moral. cap. 28: *Per momenta temporum cernimus arbusta viriditatem foliorum amittere, a fructuum prolatione cessare, et ecce subito quasi ex arescenti ligno velut quadam resurrectione veniente videmus folia erumpere, fructus grandescere et totam arborem redivivo decore vestiri. Indesinenter cernimus parva arborum semina terrae humoribus commendari, ex quibus non longe post adspicimus magna arbusta surgere, folia pomaque proferre. Consideremus ergo parvum cujuslibet arboris semen, quod in terram jacitur, ut arbor ex illo producatur, et comprehendamus, si possumus, ubi in illa tanta brevitate seminis tam immensa arbor latuit, quae ex illo processit, ubi lignum, ubi cortex, ubi viriditas foliorum, ubi ubertas fructuum. Num quidnam in semine tale aliquid videbatur, cum in terram jaceretur? tamen occulto rerum omnium opifice cuncta mirabiliter ordinante et in mollitie seminis latuit asperitas corticis et in teneritudine illius absconsa est fortitudo roboris et in siccitate ejus ubertas fructificationis. Quid ergo mirum, si tenuissimum pulverem vel a nostris oculis in elementis redactum, cum vult, in hominem reformat, qui ex tenuissimis seminibus immensa arbusta redintegrat?* Petrus Chrysologus serm. 118: *Vade ad semen, apostolo te docente, tolle triticum aridum sine sensu, sine motu, duc sulcum, fode terram, fac sepulcrum, sepeli triticum, inspice quemadmodum morte deperit, humore turgescit, putredine corrumpitur, et cum pervenerit ad totum, quidquid desperatio, quidquid incredulitas, quidquid corruptela tibi superius ingerebat, tunc subito reviviscit in germine, in herba pubescit, juvenescit in caule, maturescit in fruge et ad illam totam ipsam, quam tu periisse deflebas, speciem resurgit et formam.* Damascenus lib. 4. orth. fid. cap. 28. circa fin.: *Considera in sulcis tanquam in sepulcris semina fuffossa, quis illis radices imponit et stipitem et folia et subtilissimos culmos? nonne qui universorum artifex est, cujus praecepto condita sunt universa? Sic igitur crede, et mortuorum resurrectionem fore divina voluntate ac nutu, concurrentem enim habet voluntati virtutem.* Lutherus in comm. cap. 25. Gen. tom. 3. pag. 4: *Plenus est totus mundus testimoniis de resurrectione. Ex arbore et ligno durissimo enascitur pulcherrimus flosculus, nascuntur folia, rami, fructus suavissimus, quia frequens et usitata res est, ideo vilescit* etc. Vide eundem in comment. 1. Cor. 15. tom. 6. Jenens. German. fol. 274. et seqq. Suavissimi sunt versus Stigelii, quibus similitudinem apostolicam a seminibus frugum petitam expressit:

*Corporis hae segetes decus immortale loquuntur,*
*Quae vivum exsangui corpore germen agunt.*
*Sicca sub immersas conduntur semina glebas,* XVIII.
*In quibus effectus dixeris esse nihil.*
*Haec tamen arcano surgunt crescentia motu*
*Et robur tacitis viribus aucta gerunt.*
*Sic quoque nostra cavis illata cadavera tumbis*
*Accipient vivum glorificata decus.*
*Mersa prius leto, mox vera insignia vitae*
*Ante Deum aeternae tempora lucis agent.*

Si quis excipere velit, *similitudinem seminis ad asserendam corporis resurrectionem minus commode adhiberi, cum semina post sectionem aut ustionem non germinent, sed omni ex parte intereant,* ex quo videtur inferri posse, *eos, qui frustatim dissecantur aut comburuntur, non esse resurrecturos,* ad illud pulcherrime respondet Justinus in quaest. et resp. ad orthod. quaest. 111. pag. 360: *Natura ea efficit, quae ex seminibus producuntur, ut quae certam demensamque ad id ab opifice rerum acceperit facultatem. Ut autem semina apta sint et idonea ad ea, quae ex ipsis fiunt, producenda, necesse est, quapropter si illa urantur aut concidantur, inutilia ad procreandum, quae ex illis sunt, redduntur. At enim Deus demensam non habet facultatem. Quocirca nihil ei est non idoneum et*

*appositum ad facienda, quae velit, omnia neque vel dissectione vel adustione prohibetur, quo minus corporum efficiat resurrectionem. Nam Deus non lege et demenso naturae operatur, sed suapte voluntatis consiliique potestate, quae re nulla destituitur ad ea, quae velit efficienda.*

2. Sentientibus. 32. *Animalia sentiente anima praedita*, in quibus resurrectionis symbolum quaerunt, sunt vel *volucres*, vel *animantia terrestria*, vel *pisces*. Volucres sunt 1. *phoenix* Arabiae avis, quam peculiari carmine Lactantius et ante eum Ovidius libr. 15. Metamorph. et Claudianus celebrarunt. Quamvis vero Palingenius in Leone, commentator Solini et alii complures asserant, totum id, quod de Phoenice memoratur, esse figmentum Graecorum, tamen auctores fide digni historiam phoenicis suo comprobant suffragio, Solinus in histor. cap. 42. Cornel. Tacitus, Oppianus, Pomponius Mela lib. 3. cap. 9. quod est de sinu Arabico, Plinius lib. 10. histor. natur. cap. 2. et ex Christianis Eusebius libr. 4. de vita Constant. cap. 72. Ruffinus in exposit. symb. Scaliger exerc. 233. Lemnius lib. 2. de natur. mirac. cap. 14. etc. Tertulliani scholiastes Pammelius pro stabilienda phoenicis historia allegat *Clementem et Cyrillum Alexandrinum, Ambrosium, Fpiphanium, Ruffinum, Plinium, Oppianum, Euripidem, Lucretium et Pindari interpretem*, subjungens, *se paulo prolixius hac de re egisse, ut persuadeatur, historiam potius esse quam fabulam, cujus tot orthodoxi et gentiles meminerint.* Epiphanii scholiastes Consalus Ponce de Leon addit *Theodorum Heracliensem et Gregorium Nazianzenum, Alcimum Avitum, Suidam, Aurel. Victorem, Philostratum, Tacitum, Solinum, Herodotum, Ovidium, Martialem* etc. quin et in versione LXX interpretum Psalm. 92, v. 13. Job. 29, v. 18. nomen φοίνικος non de palma, sed de hac ave quidam accipiendum esse autumant, unde veteris ecclesiae doctores magno consensu phoenicem *se ipsum reparantem ac reseminantem*, ut Ovidius loquitur, ad resurrectionis mysterium referunt. Cle-
XVIII. 256. mens Rom. lib. 5. const. totam phoenicis historiam narrat eademque corporum resurrectionem probat, tandem sic concludens: *Si ergo, ut ipsi ajunt, in ave rationis experte resurrectio apparet, quid nostra calumniantur?* Tertullianus lib. de resurrect. carnis cap. 13. pag. 319: *Accipe plenissimum et firmissimum hujus spei* (de resurrectione) *specimen. Siquidem animalis est res et vitae obnoxia et morti, illum dico alitem Orientis peculiarem, de singularitate famosum, de posteritate monstruosum, qui semet ipsum lubenter funerans renovat, natali fine decedens atque succedens iterum phoenix. Ubi jam nemo, iterum ipse; qui non jam, alius idem. Quid expressius atque signatius in hanc causam, aut cui alii rei tale documentum? Deus etiam Scripturis suis, et florebit enim, inquit, velut phoenix, id est de morte, de funere, uti credas, de ignibus quoque substantiam corporis exigi posse. Multis passeribus antestare nos Dominus pronuntiavit, si non et phoenicibus, nihil magnum, sed homines semel interibunt avibus Arabiae de resurrectione securis.* Epiphanius in ancor. col. 1000: *De phoenice Arabica avicula dicere superfluum est. Jam enim ad aures multorum pervenit credentium et non credentium. Historia autem de ipso talis apparet. Quingentesimum annum agens et ubi cognoverit, tempus mortis suae instare, rogum ex aromatibus sibi construit eaque in urbem Aegyptiorum Heliopolin appellatam defert et propriis pedibus ac alis pectora sua valde pulsans ignemque a corpore suo proferens subjectam materiam in loco incendit atque sic se ipsum exurit et omnes carnes suas una cum ossibus. Verum ex Dei dispensatione nebula demittitur, quae pluviam effundit et flammam corpus alitis consumentem extinguit, cum mortuus jam sit phoenix et extreme tostus. Extincta autem flamma reliquiae carnis ipsius adhuc crudae restant, quae ad unum diem dissipatae vermem gignunt. Vermis autem pennas producit pullus evadens, tertia vero die crescit et accepto incremento his, qui in eo loco versantur, se ipsum ostendit et rursus ad propriam patriam recurrit.* Confer eundem in physiologo cap. 11. Ambrosius libr. 5. hexaëm. cap. 33. et in orat. de resurrect.: *Docemur hujus avis exemplo resurrectionem credere, quae et sine exemplo et sine rationis perceptione ipsa sibi insignia resurrectionis instaurat. Et utique aves propter hominem sunt, non homo propter aves. Sit igitur exemplo nobis, quia auctor et creator sanctos suos in perpetuum perire non patitur, qui avem unicam perire non passus, eam sui semine voluit reparari. Quis igitur huic annuntiat diem mortis, ut faciat sibi thecam et impleat eam bonis odoribus atque ingrediatur in eam et moriatur illic, ubi odoribus gratis foetor funeris possit aboleri?* etc. Vide Phoenicem Gryphiandri commentario illustratum edit. an. 1618. 2. *Pelecanus* Aegypti avis. Epiphanius in physiol. cap. 8: *Prae omnibus volucribus pelecanus prolis est amans, femina nido incubat pullos suos custodiens ipsosque fovet, complectiturque et nimis osculis sauciat, perforat itaque illorum latera et illi moriuntur. Post tres vero dies accedit mas pelecanus et mortuos invenit pullos et valde angitur doloreque impulsus proprium latus percutit ac terebrat, emanatque sanguis, quem super mortuorum vulnera instillat, qui sic vitae restituuntur. Sic Dominus noster Jesus Christus, cujus latus lancea aperuit continuoque sanguis et aqua exivit, super mortuos filios, hoc est Adamum et Evam ceterosque prophetas et super omnes mortuos, sanguinem suum fudit universumque mundum illuminavit et per triduanam sepulturam ac resurrectionem suam ad vitam illos reduxit, quapropter per prophetam dixit: Similis factus sum pelecano solitudinis* Psalm. 102, v. 7. Augustinus conc. 1. in Psalm. 101: *Dicitur pelecanus tanquam colapho rostri occidere pullos suos eosdemque a se occisos* XVIII. 257.
*postea lugere per triduum, postmodum matrem se ipsam graviter vulnerare et sanguinem suum super filios fundere, quo illi superfusi reviviscunt.* For-

*tasse hoc verum, fortasse falsum sit, tamen si verum est, quemadmodum illi congruat, qui nos vivificavit suo sanguine, videte. Congruit illi, quod matris caro vivificat sanguine suo filios suos, nam et ipse gallinam se dicit super pullos suos, habet paternam auctoritatem, habet maternum affectum, congruit etiam ipsi, quod occidat filios suos, dicit enim: Ego occidam et ego vivificabo, ego percutiam et ego sanabo*, Deut. 32. Similia occurrunt apud Hieronymum sive auctorem epistolae ad Praesidium, Gregorium in Psalm. 5. poenit. et Isidorum in cap. de avibus. Quidam scribunt, *pelecanum, quando pullos suos exclusit, fodere rostro suo corpus atque ita eos alere suo sanguine.* Quidam asserunt, *pelecanum hoc modo restituere vitam pullis interfectis morsu serpentis.* Sed scholiastes Epiphanii statuit, *figuram pelecani rostro pectus sauciantem ac supra pullos sanguinem instillantem eosque vivificantem pro arbitrio pictorum nobis exhiberi, nec ullam hujusce naturae avem usquam esse, partimque ex Aeliani loco de pietate ejusdem avis in filios, partim ex Horo, qui vulturem scripsit femora sauciare et ex fluenti sanguine pullos pascere, hoc omne fuisse effictum, cum et Hebraei ingenue fateantur, nescire se, quae avis sit pelecanus.* 3. *Aquila.* Dictum psaltis regii Psalm. 103, v. 5: *Renovabitur ut aquilae juventus tua*, multi ex veteribus ad renovationem corporum nostrorum in die novissimo exspectandam referunt, in explicatione, tamen et accommodatione illius dicti plurimum variant. Quidam enim aquilam renovari negant, ideoque verba psalmi exponunt vel *mystice* de instauratione regni post captivitatem Babylonicam, vel *historice* de vegeta aquilae natura ac fortissima ejus juventute; quidam literae inhaerentes, aquilae renovationem constanter afferunt, quam vel *de renovatione, qua singulis decenniis juvenescit*, vel *de repullulatione pennarum semper vegeta* exponunt. Confer Hieronymum, Augustinum et Euthymium in commentario illius psalmi. 4. *Palumbes.* Epiphanius in ancorato col. 1000: *Non persuasit eos* (resurrectionis adversarios) *palumbes avicula, moritur enim in diebus quadraginta et rursus post tempora sua reviviscit.* 5. *Hirundines.* Lutherus in comm. cap. 1. Genes. tom. 1. pag. 15: *Miraculum de hirundinibus usu notum est, quod in aquis per hiemem mortuae jacent et sub aestatem reviviscunt, quod sane magnum est resurrectionis nostrae argumentum.* Georgius Major in comment. 1. epistol. ad Cor. cap. 15. refert, se Witebergae in templo arcis sub vetusta quadam tabula tempore hiemis conglobatam hirundinum congeriem invenisse, quae in vaporarium delatae spiritum ac vitam receperint. Michael Neander in sentent. patrum pag. 241. et in theol. Christ. pag. 700: *Retulit mihi Franciscus Schuslerus juris utriusque doctor ac comitum a Stolberg consiliarius, narrasse sibi Spirae ann. 1545. D. Huckel procuratorem fisci imperialis, quod Spirae in aedibus soceri sui Walspurgii viri consularis ac patricii repererit ingentem hirundinum conglobatarum ac demortuarum glomum post id tempus, quo nullae solent in his terris comparere amplius hirundines, et quod delatae in vaporarium calidum vitae mox fuerint redditae.* Alii exempla etiam recitant, quod *in globos collectae in profundum aquarum se dejiciant, aut sub littoribus abscondant mortuae usque ad tempus vernum, quo reviviscant denuo. Audivimus etiam recitari ut a piscatoribus compertum ac singulis annis observatum, quod in auctumno prope oppidum Beske in finibus Marchiae situm, quod olim paruit baronibus a Biberstein, in stagnum quoddam profundum se demittant conglomeratae ex arboribus delapsae, quae ad stagnum* XVIII. 35a. *illud excreverunt, ac inde extrahantur saepe tempore hiberno in magno numero a piscatoribus etc. resurgant autem inde et prodeant tempore verno non gregatim sed sigillatim una post aliam.* 6. *Cuculus.* Neander in theol. d. p.: *De cuculo, quod nudus reperiatur in plumis effusus tempore hiberno abditus in cava silicis arbore ac quod reviviscat ad fornacem admotus, saepe exempla recitari audivimus a viris nobilitate, fide ac virtute praestantibus.*

33. *Animantia terrestria, ferae* scil. vel *insecta*, sunt 1. *leo.* Origenes hom. 17. in cap. 49. Genes.: *Leo cum fuerit natus, tribus diebus et tribus noctibus dormit, tunc deinde patris rugitu tanquam tremefactus cubilis locus suscitat catulum dormientem.* Adducit hoc Origenes ex Physiologo, quem Epiphanius commentario illustravit cap. 2: *Leaena mortuum et coecum edit catulum, juxta quem defixos in illum habens oculos triduo cubat, his vero transactis leo accedit et in catulum spirat, qui statim et ad vitam revocatur et lumen oculorum recipit.* Illud ad resuscitationem corporum nostrorum voce Christi peragendam accommodant, is enim vocatur *leo de tribu Juda* Apoc. 5, v. 5. 2. *Myoxus.* Epiphanius in ancorat. d. l.: *Myoxus animal moritur semestre et rursus post tempora sua reviviscit.* 3. *Serpens.* Gregorius Nyssen. orat. 3. de resurrect. Christi: *Nam et vita serpentum me deducit ad comprobationem propositae rationis. Illorum enim vivida virtus hiberno tempore mortificatur ac menses sex in cavernis delitescunt penitus immobiles. Cum autem statutum tempus advenerit et tonitrua in mundo exaudita fuerint, quasi quoddam signum fragorem accipientes celeriter exsiliunt et longo intervallo consueta agunt. Quaenam hujus rei ratio est? dicat mihi quaesitor, arbiter et explorator operum Dei doceatque me, qua ratione concedat, angues quidem fragore tonitrui mortuos resuscitari, homines vero non admittat tuba Dei de coelo resonante animam recipere et vivificare?* Physiologus cap. 13: *Cum serpens senio gravatur, caligant oculi, et cum iterum juvenescere parat, quadraginta diebus cibo abstinet et tandem emollita cute quaerit petram, per cujus foramen, magno nisu contendens pronusque transire nititur cutemque exuit, qua deposita gaudet atque iterum juvenescit.* Similia habet Tertullianus libr. de Pallio. 4. *Sca-*

rabaei. Epiphanius d. l.: *Scarabaei morti vicini in pila stercoris se ipsos occultant, talem pilam in terra sepelientes ac defodientes, atque sic ex suo ipsorum humore rursus reviviscentes comperiuntur.* 5. *Locustae.* Epiphanius 16: *Locusta moritur, ubi quandam sui ipsius foeturam abjectam in terram defodit et post tempus terra reddit ea, quae defossa sunt.* 6. *Cicadae, erucae, muscae, bombyces etc.* Plinius lib. 11. nat histor. cap. 36. *muscam exstinctam sub tepido cinere reviviscere* tradit. Basilius hom. 8. hexaëm.: *Bombyx, vermis genus, erucae similis resurrectionis quandam imaginem praebet, qui cum vermiculus sit, in erucam primum vertitur, deinde in id, quod bombyx appellatur, postremo volucris effigiem induit.* Ambrosius lib. 5. hexaëm. cap. 23. in princip.: *Vermis Indicus fertur converti primum in speciem caulis atque in eam mutari naturam, inde processu quodam fieri bombylius, nec eam tamen formam figuramque custodit, sed laxis et latioribus foliis videtur pennas assumere etc. Chamaeleon quoque diversas species fertur vario colore mentiri etc. Haec ideo libavi, ut ad commutationis fidem, quae in resurrectione futura est, etiam ista exempla nos provocent.* Levinus Lemnius de occult. natur. miracul. libr. 2. cap. 14: *Ut ex minutissimis naturae rebus corporis humani innovatio comprobetur, quis non observavit, ex cicada jam vetula atque exolescente projecto*
XVIII. 359. *exuvio prosilire recens atque agile insecti genus? ex segni et moribunda eruca papionem picturatum ac volitantem? ex formicis muscam alatam? Quid bombyx vermiculus, qui serica texit, nonne signa renascentis vitae commonstrat, dum mortua reviviscit? etc.* Inter pisces *echinus* maritimus captus et in multa frusta discerptus, in mare vero iterum projectus mox secundum omnes particulas coalescit ac reviviscit.

3. In ipso homine. 34. In *creaturis rationalibus*, in hominibus puta, itidem varia quaerunt resurrectionis praeludia. Possunt autem revocari omnia ad duas principales classes, quaedam enim eorum *sunt in nobis*, quaedam vero *fiunt a nobis*. Ad priorem classem haec referenda: 1. Judaei nugantur, in spina dorsi humani esse quoddam *ossiculum*, quod nunquam putrescit, etsi per multa annorum milia in terra jacuerit, atque ex eo Deum accepturum resuscitationis initium. Sed somnium illud neque τῷ λόγῳ, neque τῇ πείρᾳ probant. 2. Ut in *somno* mortem, ita in *evigilatione ex somno* resurrectionem praefigurari patres complures asserunt, membra comparationis exposuimus in tract. 1. §. 17. Tertullianus de anima cap. 43. p. 288: *Somnus in publicae et communis mortis effingitur exemplar. Voluit enim Deus et alias nihil sine exemplaribus in sua dispositione molitus paradigmate Platonico plenius humani vel maxime initii ac finis lineas quotidie nobiscum agere. manum porrigens fidei facilius adjuvandae per imagines et parabolas sicut sermonum ita et rerum. Proponit igitur tibi corpus amica vi soporis elisum, blanda quietis necessitate prostratum, immobile situ, quale ante vitam jacuit et quale post vitam jacebit, ut testationem plasticae et sepulturae exspectans animam quasi nondum collatam et quasi jam ereptam etc. cum evigilaverit corpus redditum officiis ejus resurrectionem mortuorum tibi affirmat etc. Etiam per imaginem mortis fidem initiaris, spem meditaris, discis mori et vivere, discis vigilare dum dormis.* Ludovicus Vives in introduct. ad sapient. cap. 7: *Quemadmodum de nocte dormiisti, postea evigilasti, sic nostra corpora recordare dormitura per mortem, hinc reddenda vitae a Christo.* Lutherus in comm. cap. 15. Genes. tom. 2. p. 53: *Apud Augustinum suavis historia exstat de quodam medico, qui articulum resurrectionis mortuorum et animae immortalitatem putabat esse dubiam. Dormienti ei apparet pulcherrimus juvenis ac familiariter eum alloquitur et interrogat, num noverit? Id cum dormiens ille negat et tamen fatetur, quod videat et audiat eum,; quomodo, inquit adolescens, me vides, cum oculi tui somno clausi sunt? quomodo audis me, cum aures tuae non sint apertae, sed dormias? etc.* 3. *Capillorum et unguium* resectorum renascentiam huc accommodat Epiphanius in ancorat. col. 1000. *Signacula,* inquit, *in nobis fecit Deus per ungues decem et decem, qui de resurrectionis nostrae spe testimonium praebent. Sed et velut per coronam capilli resurrectionem declaravit. Nam quod in nobis mortuum corpus videtur, hoc est pili, singulis vicibus resecti rursus pullulant resurrectionis spem indicantes.* Huc referri etiam potest, quod Camerarius part. 1. subsecis. oper. cap. 73. circa fin. ex relatione aliorum commemorat, in Aegypto non procul a pyramidibus in certo quodam loco, in quem mense Martio certo die convenire soleat magna multitudo hominum *ad videndam resurrectionem carnis*, ut ipsi vocant, ex sepulturis apparentia et velut paulatim emergentia cadavera defunctorum non quidem integra, sed interdum manus, interdum pedes videri, nonnunquam majorem corporis partem conspicuam esse, et rursus sub terram velut se abscondere. Postea ἐπίκρισιν
suam addens subjungit: *Utrum haec miraculose, ut* XVIII. 360.
*homines illi stolidissimi, (fuit enim olim Aegyptus et nunc est superstitionibus plena, mater idololatriae) resurrectionis et futurae vitae commonefiant, an impostura diabolica accidant, ex phantasmate vel phantasiae, sicut plerique autumant, ut neque confirmare argumentis, neque in animo est refellere, ita ex ingenio suo quisque demat vel addat fidem.*

35. Ad classem posteriorem pertinent *artes* ingenio et industria humana inventae. 1. *Fusoria metallorum.* Origenes dial. 3. de resurrectione: *Tua opinione homines Deo fortiores esse ostenduntur, et vanum est Servatoris pronuntiatum: Quae apud homines sunt impossibilia, apud Deum possibilia sunt, quoniam homines vinum ab aqua sejungunt usi arte et scientia, argentumque ab aere separant, aliaque plura hujusmodi norunt secernere. Deus autem, qui viribus invictus et insuperabilis artifex et opifex omnium, cui aër, aqua, terra obsecundant,*

*cui timore serviunt et per omnia suas partes obeunt, quomodo non unicuique in resurrectione corpus suum proprium reddet?* Chrysostom. homil. de resurrectione: *Mors non simpliciter corpus, sed corruptionem corporis absumit. Hoc etiam in metallorum materiis vides evenire. Rudem enim glebam, in qua aurum, ejus artis gnari et in conflatorium mittunt circumponendo stannum et aliam materiam, et aurum non proferunt, donec purum excoquatur. Jam si tantum potest ignis potentiae, cur non et divina?* Ruffinus in exposit. symbol. p. 385: *An censes, Deum non posse dispersum uniuscujusque carnis pulverem in suam rationem colligere et reparare, cum videas, quod etiam mortale ingenium demersas in profundum terrae metallorum venas rimetur et artificis oculus aurum videt, in quo imperitus terram putat? Haec cur quidem non concedimus ei, qui fecit hominem, quando tantum is, qui ab ipso factus est, assequi potest, et cum auri esse propriam venam et argenti aliam, aeris quoque longe disparem ferrique ac plumbi diversam intra speciem terrae latere mortale deprehendat ingenium, divina virtus invenire posse ac discernere non putabitur uniuscujusque carnis proprium sensum, etiamsi videatur dispersus?* 2. *Statuaria.* Epiphanius tom. 1. lib. 2. haeres. ult. ex Methodio col. 458: *Videtur igitur, velut si quis summus opifex statuam pulchram ex auro aut alia materia a se constructam et per omnia membra congruenter ad pulchritudinem exornatam rursus conflet, mutilatam repente conspicatus a pessimo quodam homine, qui prae invidia non tulit decoram esse statuam eamque laesit inanem voluptatis fructum capiens. Quod si voluerit opifex ille non esse mutilam et vituperabilem, eam, quae cum tanto studio et cura ab ipso elaborata est, rursus impelletur, ut conflet ipsam ac talem faciat, qualis prius erat etc. Quapropter si voluerit, opus ipsum pulchrum esse ac irreprehensibile, confringi ac rursus conflari oportet, quo turpitudines et alterationes omnes, et quae ex insidiis ac invidia in ipso sunt, per reparationem ac conflationem pereant, ipsa vero statua in speciem suam integra et inadulterata simillima sibi ipsi fabricetur, statuae enim perire non contingit per artificem ipsius, etiamsi rursus in materiam resolvatur, restitui enim potest etc. Idem sane videtur mihi etiam Deus disposuisse. Hominem enim decentissimum suum opificium insidiis et invidia male afflictum conspicatus non sustinuit relinquere talem, cum benignus erga homines sit, ut in aeternum esset vituperatum immortale in se habens vituperium, sed dissolvit rursus in materium, quo per reformationem colliquescant ac dissipentur omnia in ipso vituperabilia. Nam illic conflari statuam est hic mori ac dissolvi corpus, illic vero reformari materiam ac suo nitori restitui est hic post mortem resurgere.* 3. *Figulina.* Hilarius in comm. Psalm.
XVIII 361. 2. p. 357: *Ut figulo promptum est, amissum vas ad eandem, vel quam volet speciem reformare; ita Deo facile est, post vitiorum casus volentes se erigi per doctrinae suae institutionem ad pietatem ex impietate reparare. Sed et illa tanquam vasis figuli non ignoranda confractio est, tum cum his corporibus dissolutis et casu mortis confractis, pro voluntate artificis restauratio auferetur.* Gregorius Nyssenus in orat. catech. magna cap. 8: *Detur quispiam vas ex luto confecisse, id autem dolo et insidiis repletam fuisse plumbo liquefacto, effusum autem plumbum concrevisse et ita manere, ut effundi non possit, Dominum autem vas sibi vendicare, cum autem figuli teneat scientiam, cum plumbo testam confregisse et deinde rursus in priorem figuram ad suum usum vas refinxisse exinanitum materia, quae fuerat immixta. Ita nostri vasis figulus sensibili parti immixto vitio, dissoluta materia, quae vitium acceperat, vas rursus refictum contrario non mistum per resurrectionem ad eam, quae fuerat ab initio, reformabit pulchritudinem.* Hieronymus epist. 41: *Concedamus Deo, quod tantum possit, quantum figulus, et quid hic faciat, consideremus. Rude atque informe lutum acceptum ad formam vasis redigit idque radiis solis expositum siccat et durat etc, sed si quis temere inciderit et subverterit, collapsum confringitur et rudis atque informis terra fit suamque speciem amittit. At artifex, si voluerit, celeriter corrigit et reficit, id quod casu corruptum, ac rursus lutum fingens nihilo priore deterius vas efficit. Atqui hic figulus parva potentiae Dei creatura est, et Deo non creditur pollicenti se mortuos renovaturum?* Ceterum de hisce typis ac similibus duo sunt notanda, 1. quod non omni ex parte congruant rei, cui praefigurandae adhibentur. Plus enim est in antitypo quam typo, ac omne simile est etiam dissimile, alias non foret simile, sed idem. Damascenus libr. 3. de orthod. fid. cap. 26: *ἀνάγκη ἐν τοῖς παραδείγμασι καὶ τὸ ὅμοιον θεωρεῖσθαι καὶ παρηλλαγμένον, ἐπεὶ παράδειγμα τὸ ἐν πᾶσιν ὅμοιον ταὐτὸ ἂν εἴη οὐ παράδειγμα.* 2. Quod quaedam ex hisce similitudinibus *magis*, quaedam vero *minus* congruant. Optimae ac reliquis praeferendae sunt illae, ad quas ipse Spiritus sanctus in Scripturis nos remittit.

36. Antithesis. Articulus de resurrectione cum pertineat ad fidei mysteria sola revelatione nota et sit sapientia solius ecclesiae propria, inde semper fuit *σημεῖον ἀντιλεγόμενον* non solum *gentilibus extra ecclesiam*, sed etiam *Epicureis et haereticis in ecclesia.* 1. *Extra ecclesiam* resurrectio corporum gentilibus visa fuit *ληρώδης λόγος* Actor. 17, v. 32. cum Athenienses Paulum de resurrectione mortuorum concionantem audirent, irridebant eum. Plinius lib. 2. natur. histor. cap. 7. et lib. 7. cap. 55. mortuorum resuscitationem vocat puerilia deliramenta et addit: Quae, malum, ista dementia iterari vitam mortemque? Philosophus inquit: *ἀπὸ μὲν τῆς ἕξεως ἐπὶ τὴν στέρησιν γίνεται μεταβολή, ἀπὸ δὲ τῆς στερήσεως ἐπὶ τὴν ἕξιν ἀδύνατον.* Aeschylus in Eumenid. v. 648:

**Antithesis eorum, qui negant resurrectionem 1. extra ecclesiam.**

*ἅπαξ θανόντος οὔτις ἔστ' ἀνάστασις.*

**Theocritus**: *Non est spes ulla sepultis.* Catullus ad Lesb.:

*Soles occidere et redire possunt;*
*Nobis, cum semel occidit brevis lux,*
*Nox est perpetua una dormienda,*

cui consonat illud:

*Sperandum est vivis, non est spes ulla sepultis.*

Lucretius lib. 3:

*Nec quisquam expergitus exstat,*
*Frigida quem semel est vitai pausa secuta.*

Caecilius apud Minucium Felicem in Octav. p. 335: *Christiani aniles fabulas adstruunt, renasci se fe-*
362. *runt post mortem et cineres et favillas, et nescio, qua fiducia mendaciis suis invicem credunt.* Idem apud Arnob. lib. 8. irridet Christianos, *quod sese renasci post mortem et favillas et cineres asserant.* Epiphanius in ancorato *Graecos prorsus negare mortuorum resurrectionem asserit.* Theophilus Antiochenus lib. 1. ad Autolycum p. 248: σὺ ἀρνῇ νεκροὺς ἐγείρεσθαι, φῂς γὰρ δεῖξόν μοι κἂν ἕνα ἐγερθέντα ἐκ νεκρῶν, ἵνα ἰδὼν πιστεύσω, *tu negas mortuorum resurrectionem, ais enim, ostende mihi vel unum ex mortuis revocatum, quem ubi videro, verbis tuis fidem habebo.* Tertullianus libr. de praescript. c. 8: *Ut carnis restitutio negetur, de una omnium philosophorum schola sumitur.* De *Synesio* philosopho Platonico commemorat Nicephorus lib. 14. histor. eccles. cap. 55. in princip. *quod ad alia, quae Christiani profitentur, promtum se et facilem praebuerit, sed resurrectionis doctrinam primum minime receperit, nefandam eam et detestandam esse judicans.* Et quid multis? Apostolus 1. Thess. 4, v. 13. gentiles in genere sic describit, quod sint μὴ ἔχοντες ἐλπίδα, scil. ἀναστάσεως.

ec- s. 37. In *externo visibilis ecclesiae consortio* tum V. tum N. T. tempore Epicurei et haeretici resurrectionem carnis negarunt longe plurimi, de quibus late agit Matthaeus Sladus in append. discept. 1. cum Vorstio p. 72. Henochum in prima et Eliam in secunda mundi aetate ideo Deus in coelum transtulit, ut publicum atque evidens exstaret testimonium de resurrectione mortuorum et vita post hanc praesentem aeterna, quorum utrumque ab Epicureis verbi divini contemtoribus negabatur. Esa. 22, v. 13. voces Epicureorum sic describuntur: *Comedamus et bibamus, cras enim moriemur* (nunquam in lucem iterum prodituri). Sap. 2, v. 1. dicunt impii: *Exigua et cum taedio est vita nostra, et non est remedium in fine hominis et non est agnitus reversus ex inferno,* v. 2. αὐτοσχεδίως *nati sumus et post hoc erimus quasi non fuerimus etc.* v. 5. *Umbrae transitus tempus nostrum,* καὶ οὐδεὶς ἀναστρέφει. Utque in specie quorundam mentionem faciamus, 1. *Sadducaei* dicebant, *non esse resurrectionem* sperandam Matth. 22, v. 23. Marc. 12, v. 18. Luc. 20, v. 27. Actor. 23, v. 6. Confer Josephum libr. 18. antiq. cap. 2. Irenaeum lib. 4, cap. 11. Tertullianum de praescript. cap. 45. Epiphanium haeres. 14. Hieronymum in dial. advers. Luciferian. p. 146. etc. Dicitur Sadducaeorum secta etiamnum *Constantinopoli* durare. Gilb. Genebrardus lib. 2. chronograph. p. 248. 2. *Hymenaeus et Philetus* docuerunt, *jam factam esse resurrectionem* 2. Timoth. 2, v. 18. hoc est, negarunt corporum resurrectionem in die novissimo exspectandam, ideoque dicta, quae de resurrectione loquuntur, de spirituali resurrectione animae ex morte peccatorum exposuerunt. Theophilus existimat, illos docuisse, *jam factam resurrectionem per quendam continuum rerum circulum.* Epiphanius haeres. 40. Ambrosius et Theodoretus in 2. Timoth. 2. explicant, eos dixisse, resurrectionem factam per *filiorum procreationem.* 3. In ecclesia Corinthiaca *quidam dicebant, quod non sit futura mortuorum resurrectio,* 1. Cor. 15, v. 12. Tertullianus de praescript. cap. 33: *Paulus in prima ad Corinthios epistola notat negatores et dubitatores resurrectionis.* In primitiva ecclesia eandem negarunt 4. *Simoniani* a Simone Mago sic dicti. Irenaeus lib. 1. adv. haeres. cap. 19. p. 75. Epiphanius tom. 2. lib. 1. haeres. 1. p. 31. Philastrius haeres. 38. Augustinus ad Quodvultdeum haeres. 1. Damascenus lib. de haeres. etc. 5. Progenies Simonis *Saturninus* qui et Saturnilus, Tertullianus de praescript. cap. 46. Philastrius de haeres. in Saturn. 6. *Basilides.* Irenaeus lib. 1. advers. haeres. cap. 23. Tertullianus de praescript. cap. 46. de resurr. carn. cap. 2. Theodoretus lib. de haeret. fab.
7. *Carpocrates*, Tertullianus de praescript. cap. 48. XVIII. 363.
Epiphanius haeres. 27. Philastrius haeres. 57. Augustinus haeres. 7. Damascenus lib. de haeres. 8. *Gnostici,* Carpocratis sectatores, Irenaeus lib. 1. cap. 24. Epiphanius haeres. 27. Augustinus haeres. 7. ***Floriani* docebant, *resurrectionem non esse aliam quam filiorum procreationem, in hac enim pater quasi resurgit et perdurat in filio, quorum auctor fuit Florinus sub Commodo imperatore et Sotere pontifice sub annum Christi* 182. teste Eusebio lib. 5. histor. cap. 15.** 9. *Valentinianus,* Tertullianus de praescr. cap. 33. advers. Valentin. cap. 32. Cyprianus in symbol. p. 385. Epiphanius haeres. 31. p. 79. Philastrius de haeres. in Valent. Augustinus haeres. 11. 10. *Secundus, Epiphanes, Isidorus* inter haeresiarchas ab Epiphanio numerati haeres. 32. Damascen. de haeres. 11. *Marcus Magus,* Tertullianus de praescript. cap. 50. Epiphanius haeres. 34. Augustinus haeres. 34. Damascenus de haeres. 12. *Ophitae,* Tertullianus de praescript. cap. 47. 13. *Cajani,* Epiphanius haeres. 38. Augustinus haeres. 18. Damascenus de haeres. 14. *Sethiani,* Danaeus in comm. August. de haeresib. haeres. 19. ** *Symmachiani* sub annum Domini 273. negabant futurum judicium et carnis resurrectionem.** 15. *Archontici,* Epiphanius haeres. 40. Augustinus haeres. 20. Damascenus de haeres. 16. *Cerdoniani* Tertullianus de praescript. cap. 51. Epiphanius haeres. 41. Augustinus haeres. 21. 17. *Marcionitae,* Irenaeus lib. 1. cap. 29. p. 83. Tertullianus de praescript. cap. 33. Epiphanius haeres. 42. p. 135. 18.

*Lucianus*, Epiphanius haeres. 43. Theodoretus lib. 1. haeret. fabul. 19. *Apelles*, Tertullianus de praescript. cap. 51. de resurrect. carn. cap. 2. Epiphanius haeres. 44. p. 167. Philastrius de haeres. in Apelle. Augustinus haeres. 23. 20. *Severus*, Epiphanius haeres. 45. Augustinus haeres. 24. Damascenus de haeres. Isidorius lib. 8. origin. cap. 5. Platina in vita pontificis Pii I. 21. *Origeniani*, Epiphanius haeres 63. Augustinus de haeres. cap. 24. 22. *Seleuciani* vel *Hermiani*, Philastrius haeres. 55. Augustinus de haeres. cap. 59. 23. *Manichaei*, Epiphanius in haeres. Manich. p. 301. Philastrius in Manich. haeres. 61. Augustinus de haeres. haer. 46. de fid. contr. Manich. cap. 39. lib. 4. contr. Faust. cap. 16. circa fin. lib. 5. contr. eund. cap. 10. Nicetas Choniat. lib. 4. orth. fid. cap. 11. Theodoretus de haeret. fab. 24. *Hieracitae*, Epiphanius haeres. 67. p. 303. in ancor. p. 504. Augustinus haeres. 47. Nicetas d. l. cap. 34. Damascenus de haeres. 25. *Adversarius legis et propheterum*, contra quem scripsit Augustinus lib. 2 cap. 6. 26. *Priscillianistae* apud Leonem epist. 93. cap. 8. et 12. 27. Tempore Theodosii in ecclesia Constantinopolitana de mortuorum resurrectione ingens disputatio incidit, et populo maxima incessit concertatio. Quidam *enim una cum Sadducaeis resurrectionem prorsus non esse opinati sunt, quidam autem aegre quidem, sed crediderunt tamen, defunctos excitatum iri apertis et irrefragabilibus sacrarum literarum testimoniis adducti, alio tamen prorsus et mutato corpore* etc. Nicephorus lib. 14. histor. eccl. cap. 45. in princ. 28. De *Johanne XXIII.* pontifice Romano referunt acta concilii Constantiensis, quod *diabolo suadente pertinaciter crediderit, animam hominis cum corpore humano mori et exstingui ad instar animalium brutorum, ac mortuum*
XVIII. 304. *semel etiam in novissimo die minime resurrecturum.* Panormitanus scribit, *multos pontifices ejusmodi vitam agere, ut verisimile non sit, illos vel resurrectionem mortuorum vel vitam aeternam credere.* Lutherus in explic. 1. Cor. 15. cap. quae exstat tom. 6. Jen. Germ. pag. 224. b: Papst, Cardinäle und dergleichen große Leute, sonderlich in Welschland sind auch feine, weise, vernünftige, gelehrte Leute, aber sind drei darunter, die diesen Artikel ernstlich glauben, so ist es viel. *29. Libertini* resurrectionem irrident et dicta Scripturae, quae de ea tractant, tantum ad animos referunt, teste Petro Martyre class. 3. loc. comm. cap. 15. num. 4. Interrogati enim *quomodo resurrectionem intelligant*, nempe inquiunt, *ut homo sciat, animam suam spiritum immortalem esse et perpetuo viventem in coelis, ac Christum morte sua opinationem abolevisse eaque ratione restituisse nobis vitam, quae in eo est, ut nos minime mori cognoscamus.* Calvinus in lib. de instruct. adv. Libert. cap. 22. Bullingerus contr. Anabapt. lib. 2. cap. 14.

Argumenta contra resur-

38. *Argumenta*, quae contra resurrectionem proferuntur, quaedam petuntur ex *Scripturae dictis*, quaedam ex *ratiocinationibus*. 1. Job. 14, v. 12: *Homo cum dormierit, non resurget.* v. 14. *Putasne, mortuus homo rursum vivet?* Respondemus: ad hunc locum respondimus superius cap. 1. §. 2. 2. Psalm. 1, v. 5: *Non resurgunt impii in judicio neque peccatores in coetu justorum.* Respondemus: 1. Si ad resurrectionem corporalem hic locus accommodaretur, non in genere et universaliter omnium hominum, sed in specie ac particulariter impiorum resurrectionem negaret, qua de re dicetur inferius. 2. Psaltes non loquitur de resurrectione ad judicium, sed de causae bonitate in judicio. In Hebraeo enim est verb. קוּם, quod non solum significat *surgere*, sed etiam *stare*, *consistere*, *confirmari*, praesertim si de consiliis et consultationibus vel de promissionibus ac votis, item de judicio Dei usurpatur. Num. 30, v. 5. Deut. 19, v. 15. Esa. 7, v. 7. cap. 14, v. 24. cap. 46, v. 10. etc. Sensus igitur est, quod impii in judicio Dei non consistant, sed causa cadant, quod habeant cum piis communem ἀνάστασιν, non autem στάσιν, quia non poterunt *stare coram Filio hominis* Luc. 21, v. 36. Si vocat illos Deus *in judicium castigationis*, murmurant adversus Deum et in desperationem ruunt; si in agone veniunt in *judicium migrationis*, ubi vita cum morte luctatur, pavoribus conscientiae opprimuntur; si in novissimo die veniunt in *judicium remunerationis*, aeterno supplicio afficiuntur, ut Gesnerus in comm. Ps. 1. loquitur. 3. Hanc interpretationem probant verba immediate sequentia *peccatores non stabunt* vel consistent *in coetu justorum*, id enim sequitur ex priore. Cum nequeant stare in judicio, ideo in consilio et congregatione justorum non manebunt. In hac quidem vita externa visibilis ecclesiae consortio sese conjungunt, sed non sunt ejus vera et viva membra, in die autem novissimo a coetu sanctorum prorsus separabuntur. 4. Eandem probant etiam antecedentia, quibus per particulam illativam conjunguntur. Quia *impii sunt tanquam paleae, quas projicit ventus a facie terrae, ideo non consistent in judicio*, sed instar quisquiliarum dispergentur. Hieronymus et Augustinus in comm. exponunt, *impii non resurgunt in judicio, i. e. ad judicium sive ut judicentur. Resurgent quidem, sed non ut judicentur, quia jam poenis certissimis destinati sunt.* Theophylactus in cap. 3. Joh. sic distinguit, *non resurgent ἐν κρίσει*, sed *ἐν κατακρίσει*. Alii hoc modo respondent: *Non resurgent, i. e. non exsurgent, nec elevabuntur super terram in aëra.* Sed prior expositio est simplicior et XVIII.
textui convenientior. 3. Psalm. 78, v. 39: *Recordatus est, quia caro sunt, spiritus vadens et non rediens. Si spiritus hominis non revertitur, ergo nec corpori in resurrectione unietur.* Respondemus: 1. intelligendum hoc de reditu ad hanc vitam. Ordinarie spiritus sive anima hominis ex corporis habitaculo semel egressa non redit, ut inhabitet illud in hac vita, ac vitae stamine semel abrupto non ordimur novam hujus corporalis vitae telam; extraordinarie tamen quorundam spiritus reversus est ad hanc vitam 1. Reg. 17, v. 22. Act. 20, v. 10. ac

recti… nem. 1. Jo… 14, v. 2. Ps… 1. v. …

3. Ps… 78, v.

omnium hominum animae divina virtute ad corpora ex mortuis suscitata in die novissimo revertentur. 2. Nomen *spiritus* haud incommode potest accipi de halitu sive spiritu vitali, qui non est ipsa anima, sed animae in corpore viventis actus Gen. 6, v. 17. Job. 6, v. 4. Psalm. 119, v. 131. etc. Hic ergo spiritus vitalis sive halitus in morte semel emissus non redit, sed in tenues auras dissolvitur. 3. In Midras Tehillim sive Rabinorum in Psalt. comm. talis traditur explicatio: *Opinati sunt quidam dicentes, quod mortui non erunt viventes, eo quod scriptum sit, spiritus vadens et non reversurus, sed hic est* יצר הרע, *figmentum malum sive fomes peccati, qui cum homine vadit in hora mortis et non revertetur cum eo in hora, qua mortui resurgunt*, cum qua expositione congruit illa Petri Martyris class. 3. locor. cap. 15. num. 70: *Israëlitae erant caro, id est ingenio depravato, et ob id saepe in eadem peccata relabebantur. Spiritus etiam illorum, id est impetus precandi et invocandi Deum, non erat in eis stabilis, sed quodammodo per illos transibat nec revertebatur, cum denuo ad idololatriam post adeptam liberationem reciderent.* Huic interpretationi suffragatur, quod nomen *carnis* pro naturae vitiositate et corruptione saepius accipitur. 4. Augustinus in ennarr. hujus loci de *reditu ad poenitentiam* exponit, quod peccator non possit suis viribus ad Deum sese convertere. 5. Scharpius in cursu theolog. loc. 20. col. 1168. intelligit *de homine in se et ex se considerato, non autem qualis est ex Deo in Christo.* Sed praestat de fragilitate et brevitate hujus vitae totum hoc intelligere. Basilius in comm.: *ἤδη γὰρ αὐτῶν τῆς φύσεως τὴν ἀσθένειαν καὶ ὅτι οὐκ εἰς μακρὰν δέξονται τοῦ βίου τὸ πέρας.* Sumus ventus vadens et non rediens propter vitae hujus brevitatem et transitus velocitatem. Confer Psalm. 103, v. 15: *Recordatus est, quoniam pulvis*
4. Psalm. 88, v. 6. *sumus, homo sicut foenum dies ejus* etc. 4. Psalm. 88, v. 6: *Mortuorum non es memor amplius et ipsi de manu tua separati sunt.* Respondemus: Quidam accipiunt de illis, qui *morte secunda* sive aeterna interierunt, qui a facie Dei penitus sunt abjecti. Potest etiam intelligi ut dictum *κατ' ἄνθρωπον* et respectu ad sensum habito. Videor mihi abjectus inter mortuos, qui cum magno numero in proelio trucidati sunt, sine honorifica sepultura in foveam projiciuntur ibique computrescunt, ac si nihil tibi negotii cum illis esset, ita enim coram oculis homi-
5. Psalm. 115, v. 16. num externis apparet. 5. Psalm. 115, v. 16: *Coeli coelorum Domino, terram autem dedit filiis hominum. Ergo in terra hominibus manendum.* Respondemus: Terram dedit Deus hominibus ad domicilium temporale, non aeternum, ut scil. eam inhabitent et in hac vita Deum agnoscant, invocent, colant; tempore autem divinitus constituto coelum ac terra peribit, ac Salvator noster in coelestem gloriam resuscitatos pios recipiet. Johan. 14, v. 3. 1. Thess. 4, v. 17. nec Deus a terris, nec homines
6. Esa. 26, v. 14. a coelis simpliciter excluduntur. 6. Esaiae 26, v. 14:
XVIII. 366. *Morientes non vivent, gigantes non resurgent.* Respondemus: 1. in eodem capite v. 19. exstat perspicuum de resurrectione testimonium. *Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent, expergiscimini et jubilate, qui habitatis in pulvere, quia ros herbarum virentium ros tuus.* Ergo hoc dictum non debet opponi resurrectioni mortuorum. 2. Quidam igitur de *resurrectione vitae*, id est ad vitam aeternam, quae *κατ' ἐξοχὴν* resurrectio vocatur, dictum propheticum exponunt, ut sit sensus, tyranni ac persecutores ecclesiae non resurgent ad vitam aeternam, excitabuntur quidem in die novissimo, sed ad aeternos et nunquam finiendos cruciatus, sicut martyr Maccabaeus dicit ad Antiochum 2. Macc. 7, v. 14: *Tibi resurrectio ad vitam non erit.* 3. Simplicissima expositio haec est, ut nomine מֵתִים ipsos gigantes intelligamus, quo modo etiam redditur Proverb. 9, v. 18. cap. 21, v. 16. ut sit ejusdem sententiae iteratio in Scripturis usitata, qui dicuntur *mortui*, vel quod hi qui gigantes videbant, prae metu ac stupore moriebantur, quam rationem tradit Rab. Abraham in cap. 14. Genes. unde רְפָאִים quidam deducunt a רָפָה *dissolvere*, quia gigantes adspectu suo vasto atque horribili hominum vires ac nervos dissolvebant, vel quod in diluvio plerique omnes perierint ac proinde longo ante Esaiam tempore in terris esse desierint. *Gigantum* autem nomine hoc loco per quandam *μετάληψιν* oppressores populi Israëlitici et persecutores ecclesiae intelliguntur, quia gigantes tempore antediluviano ecclesiam opprimebant, illos igitur vel optat, vel praedicit non surrecturos nec victuros, id est non adspiraturos ad priorem potentiam, qua tyrannice dominati sunt populo, nec a ruina, quam subierunt, eluctaturos sive surrecturos, unde statim subjungitur, *propterea visitasti eos et dissipasti eos et perdidisti omnem memoriam eorum.* Ideo autem ejusmodi ruinam et adversos casus persecutoribus ecclesiae propheta optat, ut a peccatis suis resipiscant et ad Deum convertantur. 4. Hieronymus in comm. adducit versionem Symmachi *mortui non vivificabunt, gigantes non suscitabunt*, et addit: *Mortui non vivificabunt, quia peccato mortui alios vivificare non possunt, et gigantes* רְפָאִים *non suscitabunt alios, quia ipsi juxta Geneseos librum appellantur cadentes*, נפלים, *visitatque eos Dominus, ut et mortuorum et gigantum omnis deleatur memoria, solus enim est, qui suscitat mortuos, de quo dicitur. Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius vivificat, quos vult. Possumus mortuos simulacra appellare hominum mortuorum et gigantes daemones, qui simulacris eorum assident.* LXX interpretum versionem, *mortui vitam non videbunt*, sic exponit: *Tamdiu non vident vitam, quamdiu sunt mortui, quomodo si dicamus, coecus non videt lumen, quamdiu coecus est, sin autem receperit sanitatem, lumen adspiciet; sic et qui iniquitate mortuus est atque peccatis, antequam vivificetur justitia atque virtutibus per eum, qui dicit, ego sum vita, vivere non poterit.* 7. Esa. 43, 7. Esa. 43, v. 17.
v. 17: *Dominus eduxit quadrigam et equum, agmen*

*et robustum, simul obdormierunt, nec resurgent, contriti sunt quasi linum et exstincti sunt.* Respondemus: Agitur de submersione Aegyptiorum in mari rubro, quos omnes ac singulos Deus ita delevit, ut nullus eorum evadere, ita submersit, ut nullus eorum enatare, ita prostravit, ut nullus eorum surgere potuerit. Exod. 14, v. 13. dicit Moyses ad populum: *Quos vidistis Aegyptios hodie, non addetis ad videndum eos usque in seculum.* v. 28. *Aquae operuerunt currus et equites, et non remansit ex eis vel unus.* cap. 15, v. 10: *Mare eos operuit, absorpti sunt tanquam plumbum in aquis vehementibus.*

XVIII. 367. Quodsi de resurrectione quis locum accipere velit, necessario addenda est limitatio ex Joh. 14, v. 12. *non resurgent,* scil. ante diem novissimum.

8. Jer. 51, v. 39. 8. Jer. 51, v. 39: *Inebriabo eos, ut sopiantur et dormiant somnum sempiternum et non consurgant, dicit Dominus.* Respondemus: Idem hujus loci sensus est, qui praecedentis, quod videl. Babylonii non sint ad pristinam potentiam in hac vita adspiraturi, neque regnum suum ad priorem magnificentiam restituturi, haec enim explicatio additur v. 64: *Submergetur Babylon et non consurget a facie afflictionis, quam ego adduco super eam et dissolvetur.*

9. Sap. 16, v. 14. 9. Sap. 16, v. 14: *Si ex homine exierit spiritus, non revocabit homo animam, quae recepta est.* Respondemus: Homo quidem non potest animam e corpore egressam revocare ad hanc vitam, Deus autem, ad quem hominis anima redit, Eccl. 12, v. 7. promisit, se *aperturum sepulcra nostra* seque de tumulis nos educturum et Spiritum suum nobis daturum, ut ad coelestem vitam excitemur. Ezech. 37, v. 13.

10. Matth. 22, v. 24. 10. Matth. 22, v. 24. Marc. 12, v. 19. Luc. 20, v. 27. Sadducaei ad resurrectionis articulum impugnandum proferunt constitutionem divinam Deut. 25, v. 5. ac formant *casum mulieris septemvirae*, ex quo impossibilitatem et absurditatem resurrectionis inferre conantur, quia stante hypothesi de resurrectione necessario una res habebit centum aut plures dominos, nec tot hominibus locus ac victus in mundo sufficiet, id quod more Hebraeorum unico duntaxat exemplo septem fratrum, qui unicam uxorem habuerant, declarant. Sed Christus illos revocat ad Scripturas, in quibus Dei voluntas patefacta, et ad divinam potentiam, quae cum sit infinita, humanae rationis angustiis minime est includenda, disserit etiam de statu futurae post resurrectionem vitae, quod ab hujus vitae statu diversus sit futurus.

Rationes contra resurrectionem. 39. Eodem modo respondendum ad reliquas humanae rationis argutias, quibus resurrectionis fidem labefactare nituntur, utpote *quod corpora quorundam concrementur et in tenuissimum pulverem redigantur, quod a volatilibus, piscibus ac bestiis devorentur et in ipsorum carnes transmutentur, aut ergo etiam brutorum animantium statuenda resurrectio, aut hominum deneganda etc. quod ἀνθρωποφάγοι humanis carnibus vescantur, aut ergo absumtorum aut absumentium caro non restituetur.* At hisce et similibus ratiocinationibus opponimus 1. *Dei potentiam*, quae non potest nec debet humani intellectus utpote finiti modio ac modulo aestimari. Cogita dicentem et habebis facientem; 2. *Dei sapientiam*, quae infinitos novit modos, per quos promissa sua implere possit; 3. *Dei voluntatem*, quae non est inefficax et egena, sed σύνδρομον ἔχει δύναμιν. Psalm. 115, v. 3. Psalm. 135, v. 6: *Omnia quaecunque voluit Dominus, fecit in coelo et in terra, in mari et in omnibus abyssis.* Posito hoc immoto fundamento postea non inutiliter adduntur quaedam ratiocinationes oppositae ac similitudines ad fidei infirmitatem sublevandam. Quodsi enim diligens ac solers paterfamilias probe novit, ubi quidque in aedibus suis licet amplissimis sit reconditum, adeo *ut possit de thesauro suo proferre vetera et nova* Matth. 13, v. 52. *ac familiae in tempore dare suum demensum* Luc. 12, v. 42. quanto magis Deus, cujus sapientia investigari ac potentia comprehendi nequit, praeclare noverit, ubi corporum nostrorum materia lateat, cum ipsi longe minor sit XVIII. 368.
universus orbis, quam cuivis homini angusta quaedam capsula, cumque nullum sit latibulum, quod ipsius vel lateat notitiam, vel effugiat potentiam. Tertullianus lib. de resurrectione carnis cap. 63: *Non sola anima seponitur, habet et caro suos sinus interim, in aquis, in ignibus, in alitibus, in bestiis, cum in haec dissolvi videtur, velut in vasa transfunditur. Si etiam ipsa vasa defecerint, cum de illis quoque effluxerit, in suam matricem terram quasi per ambages resorbetur, ut rursus ex illa repraesentetur.* Minucius Felix in Octavio pag. 395: *Tu perire Deo credis, si quid oculis nostris hebetibus subtrahitur? corpus omne sive arescit in pulverem, sive in humorem solvitur, vel in cinerem comprimitur, vel in nidorem tenuatur, subducitur nobis, sed Deo elementorum custodi reservatur.* Gregorius Nyssen. de opific. homin. cap. 26. pag. 479: *Fateamur sane resolvi corpus hominis in illas partes, quibus ex partibus constet, neque terram modo, quemadmodum sermo divinus loquitur, ad terram reduci sed et aëra et humorem ad ea, quae generis ejusdem sunt, sese conferre omnibus in nobis partibus ad res sibi cognatas tendentibus, sive adeo corpus humanum a carnivoris avibus, sive immanibus beluis, sive piscibus devoretur, sive denique rogo impositum in fumos ac cineres redigatur. Quocunque autem loco esse hominis corpus statuamus, id quidem constabit opinor, hoc in mundo illud haud dubie contineri, mundum porro Dei positum esse in manu, literae divinitus traditae docent. Quodsi tu ea non ignoras, quae manu tua continentur, cur Deum minus esse perspicacem, quam tu sis, existimas, quasi non accurate omnia, quae palma sua complectitur, nota perspectaque habeat?* Psalm. 95, v. 4: *In manu ejus sunt abscondita terrae.* Esa. 40, v. 12: *Quis mensus est pugillo aquas et coelos palmo mensus est? quis appendit tribus digitis molem terrae et libravit in pondere montes et colles in statera?* v. 15. *Ecce gentes, quasi stilla situlae et quasi pulvisculus staterae reputatae sunt, ecce insulae quasi pulvis exiguus.*

Idem orat. 3. de Christi resurrect. pag. 163: *Novit Deus, quomodo suum opus dissolutum rursus concinnet et ad pristinum statum reducat. Si sapientia opus est, fons sapientiae est apud illum, si potentia et viribus opus, non indiget socio atque adjutore* etc. *Ei qui omnia potest, nihil est perplexum, nihil quod explicari aut expediri perficive non possit.* Et postea: *Posito, quod Deus sit, qui faciat, nihil dixeris esse, quod fieri non possit, neque tua cogitatione percipi posse putes illius, qui comprehendi non potest, sapientiam. Neque enim illi quidquam infinitum, at tibi ea, quae pertinent ad infiniti quaestionem, inscrutabilia sunt.* Cyrillus Hierosolymitan. catech. 18: *Cogita, diversa semina germinum misceri et haec diversa semina tuo pugillo contineri. Estne tibi homini res magna, an facilis, pugillum tuum aperire et unumquodque germen secundum ipsius naturam colligere et ad germen restaurare? Et tu quidem id in tuo pugillo poteris, num et Deus, quae illius pugillo continentur, discernere, congregare et restaurare non poterit?* Augustinus in enarrat. Psalm. 62: *Omnia quae discerpuntur et in favillas quasdam putrescunt, integra Deo sunt, in illa enim elementa mundi eunt, unde primo venerunt.* Idem libr. 22. de civit. Dei cap. 20: *Absit, ut sinus ullus secretumque naturae ita recipiat aliquid subtractum sensibus nostris, ut omnium creatoris aut lateat cognitionem, aut effugiat potestatem. Quomodo aliquid vel latet omnia sentientem, vel irrevocabiliter fugit omnia moventem?* Theodoretus citatus in catena Graeca Genes. 9: *Si in manu Dei sunt omnes fines terrae, nullo negotio nostrum undequaque corpus recuperabit.* Quod de anthropophagis affertur, ad illud respondet Augustinus loco proxime citato, posse Deum et primogeniam
XVIII. 309. illam anthropophagi carnem, quae fame exhausta in tenues auras exhalavit, revocare et eam, quae ad sarciendum ac supplendum famelici illius defectum in cibum assumta et absumta fuit, ab eodem tanquam aes alienum repetere eique, unde quasi mutuo sumta fuit, refundere ac redhibere, quamvis etsi omnibus periisset modis, nec ulla ejus materies in ullis naturae latebris remansisset, unde vellet, eam reparare posset omnipotens. Sed praestat incomprehensibilem Dei sapientiam ac potentiam in hoc opere mirari, quam ejus modum ac rationem scrupulose rimari. Hunnius in art. de Trin. tom. 1. col. 88: *Ne angeli quidem coelorum conciliare possunt, quo pacto sine contradictione fieri queat, ut si quod haud raro usu venit, corpus alicujus hominis laceretur a bestiis et in illarum carnem et sanguinem convertatur, ac nihilominus haec bestiarum caro non resurgat, resurgat tamen nihilominus corpus illius hominis, quod in bestiarum carnem sanguinemque naturali conversione erat mutatum.*

Quaeritur. An resurrectio mortuorum lumine naturae investigari ac Philosophicis rationibus demonstrari possit.

40. Ex his, quae hactenus dicta sunt, facile apparet, quid respondendum sit ad quaestionem, *an resurrectio mortuorum lumine naturae investigari ac philosophicis rationibus demonstrari possit?* Quidam, inter quos Julius Pacius a Beriga jurisconsultus, id affirmare non verentur, tum propter rationes a mente humana concinne excogitatas, tum propter dicta quorundam philosophorum. Rationes potiores hae sunt: *1. ab hominis et totius universi creatione.* Si ratio humana investigare potest hominis creationem, quod scil. anima et corpus a Deo sint producta, utique etiam investigare potest hominis resuscitationem, quod scil. anima et corpus jam producta et invicem separata a Deo iterum possint uniri, quia hoc posterius includitur in priore tanquam minus in majore. Si potuit Deus ab initio innumerabiles species herbarum, arborum et animalium itemque hominis corpus ex una eademque terra formare, utique poterit ex eadem terra et ex eisdem pulveribus, ex quibus compositum erat quodlibet corpus hominis, reparare et reformare. *2. Ab animae appetitione.* Anima, quae aliquando fuit corpori unita et potentiam agendi in corpore etiam separata retinet, essentialem quandam σχέσιν et inclinationem habet ad corpus. Cum ergo illa ὁρμὴ καὶ στοργή, inclinatio et desiderium, quo anima utpote determinata forma appetit suum corpus ut determinatam materiam, sit naturale, verisimile non est, Deum nolle illud desiderium impleri et perpetuam hanc malle imperfectionem in nobilissima sua creatura, in anima scilicet separata, quod omnino fieret, si anima a suo corpore perpetuo abjuncta maneret. Tilenus part. 2. disp. thes. 17. *3. A providentiae, justitiae et potentiae divinae agnitione.* Ratio humana ex nativo lumine et principiis nobiscum natis, quin et ex creaturarum intuitu agnoscit esse Deum, eundem gerere curam rerum humanarum, esse eum justissimum ac scelerum vindicem, bonorum vero operum remuneratorem, eundem esse omnipotentem etc. Jam vero providentia divina requirit, ut bonis tandem bene, malis vero male sit; ordo divinae justitiae postulat, ut corpus animae in bonis ac malis operibus instrumentum praemiorum ac poenarum etiam particeps sit; necesse igitur est, corpus ex mortuis suscitari, id quod divinae potentiae utpote infinitae factu est facillimum. *4. Ex universi compositione.*
In universo sunt tres naturae, corporalis tantum, XVIII. 310.
spiritualis tantum et composita ex naturis utrisque. Hae ergo omnes ad universi complementum requiruntur. Quare cum natura corporalis tantum et natura spiritualis tantum maneant in aeternum, convenit et necesse est, ut natura composita ab utrisque etiam maneat in aeternum. Et quia in humana natura sit quaedam separatio istarum duarum naturarum per mortem, sequitur, quod in universali et finali retributione, in qua omnia et singula complebuntur, tota humana natura redintegrabitur tam in corpore quam in anima. Raymundus de Sabunde in theol. natur. cap. 324. *5. Ab animae humanae conditione.* Forma post destructionem compositi superstes naturaliter requirit materiam, quia scilicet non est ens absolutum et completum, sed principium. Anima humana est forma post mortem superstes. Ergo post destructionem

compositi, videlicet post mortem hominis, requirit materiam, quae est proprium ipsius corpus. Confer Jacob. Martinum lib. 2. exerc. metaph. 2. pag. 533. Ex eodem principio formatur etiam hoc argumentum, quod ib. pag. 536. subjungitur: *Quidquid est in statu imperfecto et violento, illud non est diuturnum, quia nullum violentum et imperfectum est diuturnum. Sed anima extra corpus constituta est in statu imperfecto et violento, quia est extra suum principiatum, potentiam, quam in se habet, agendi per organa corporea, informandi corpus, constituendi hominem in sua specie etc. in actum producere nequit, nec obtinet finem, propter quem est creata, neque enim condita est, ut constitueret speciem perfectam entis, sed ut una cum corpore certum constitueret compositum, videlicet hominem.* Ergo. Huc referri potest, quod docet Thomas part. 1. q. 76. art. 1. resp. ad. 6. et q. 75. art. 7. resp. ad 3. et in opusc. 3. cap. 145. *animam habere naturalem aptitudinem et inclinationem ad corporis sui unionem, quin imo animam corpori unitam esse perfectiorem quam ab eo separatam,* ut idem disputat pag. 1. q. 89. art. 1. et q. 90. art. 4. et 4. sent. dist. 43. q. 1. art. 1. *6. Ex fine creationis.* Homo a Deo ad sempiternam beatitudinem conditus est, ut patet ex eo, quod intelligit ac meditatur coelestia, mentis acie transcendit sublunaria, contemplatur aeterna etc. Quodsi ergo homines hujus finis, ad quem conditi sunt, debent fieri participes, necesse est, ut animae cum corporibus resuscitatis iterum uniantur. Non enim solus animus est homo aut solum corpus, sed quod ex ambobus conficitur. *Alioqui nihil attinebat corporatos condidisse homines, spiritus suffecissent nudi, ut in angelis, si corpora semel in morte occumbentia nunquam essent resurrectura.* Ludovicus Vives de verit. fidei Christianae lib. 2. cap. 21. pag. 170. ubi etiam adducit dictum Athenagorae philosophi Christiani in orat. de resurrect.: *Appetitus aeternitatis quoniam toti homini est insitus, fit, ut totus homo immortalis sit, reddetur ergo corpus luci ac vitae, et hominem totum non in alienum usum Deus retulit, sed ad actum procreavit naturae suae intimum et congruentissimum, ut Deum amet, imitetur, fruatur etc. adde quod leges in commune sunt corpori et animo impositae, jam vero uniuscujusque rei certus est finis, hominis nullus quidem certe est nisi felicitas, homo ergo totus ejus est capax et ea fruetur.* Huc referri etiam possunt similitudines ex naturae libro petitae, quas enumeravimus superius Rationibus addunt *dicta philosophorum.* Zoroastres universalem mortuorum resurrectionem docebat, similiter et Theopompus Aristotelis discipulus, quibus, ut Aeneas Gazaeus de immortalitate inquit, nemo antiquorum contradixit. Camerarius lib. 1. succisiv. oper. cap. 97. Mornerus de verit. relig. cap. 34. pag. 564. Ludovicus Vives d. l. huc ac-
XVIII. 371. commodat Platonis *μετεμψύχωσιν* ex schola Pythagorica ortam, quae est genus quoddam resurrectionis. Quidam huc referunt ejusdem Platonis dictum in Phaedro: *Ex mortuis reviviscentes homines fiunt, mortuorum supersunt animae, atque bonis melius est, malis vero pejus.* ἀλλ' ἔστι τῷ ὄντι καὶ τὸ ἀναβιώσκεσθαι καὶ ἐκ τῶν τεθνεώτων τοὺς ζῶντας γίγνεσθαι καὶ τὰς τῶν τεθνεώτων ψυχὰς εἶναι, καὶ μὲν ἀγαθοῖς ἄμεινον εἶναι, τοῖς δὲ κακοῖς κάκιον. Justinus libr. 1. cohort. ad Graecos pag. 20. *et Platonem et Homerum illi, quae de resurrectione est, institutioni fidem habuisse* asserit. Nyssenus in disputat. de anim. et resurr. cum Macrina f. 205: *Qui a nostra philosophia alieni sunt, in diversis opinionibus alius aliter ex parte de resurrectione doctrinam attigerunt, nec plane cum nostris sentientes nec penitus ab hujusmodi aberrantes.* Epiphanius in ancor. commemorat, *gentes quasdam consuevisse ad sepulcra defunctorum afferre cibum et potum et ad edendum ac bibendum invitasse hac voce,* ἀνάστα ὁ δεῖνα, φάγε καὶ πῖθι καὶ εὐφράνθητι! *heus tu surge, ede et bibe et laetare, ut indicarent, existimare se aliquando mortuos revicturos et resurrecturos.* Athenagoras in apolog. pro Christ. sub. fin.: *Resurrecturos quidem mortuos non nostra tantum aut nova persuasio est, sed philosophis etiam multis approbata.* Seneca epist. 36: *Desinunt ista, non pereunt, etiam mors, quam pertimescimus, intermittit vitam, non eripit. Veniet iterum, qui nos in luce reponet, dies; aequo animo debet rediturus exire. Observa orbem rerum in se remeantium. Aestas abiit, sed alter illam annus adducit; hiems occidit, referent illam sui menses; solem nox obruit, sed ipsam statim dies abiget.* Conjungunt *exempla* resuscitatorum ab ipsis ethnicis celebrata et credita, quamvis pleraque sint fabulosa. Callistonis filium in vitam a Jove esse reductum autumant, tum etiam Pelopem, Alcestem ab Hercule, ab Aesculapio multos, velut Hippolytum, qui dictus est Virbius, Glaucum Minois filium et Pollucem Tyndaridem. Plato Herum quendam Pamphylium revixisse ait in extremo de republica; Plinius ipse, qui resurrectionem mortuorum ridet, in lucem rediisse tradit plurimos, inter quos numerandus Gabienus Caesaris classiarius fortissimus. Is bello Siculo a Sext. Pompejo captus, jussu ejus incisa cervice et vix cohaerente jacuit in littore tota die. Deinde cum advesperavisset, cum gemitu precibusque congregata multitudine petiit, uti Pompejus ad se veniret, aut aliquem ex caris mitteret, se enim ab inferis remissum habereque, quod nuntiaret. Misit plures Pompejus ex amicis, quibus Gabienus dixit: *Inferis diis placere Pompeji causas et partes pias, proinde eventum futurum, quem optaret; hoc se nuntiare jussum. Argumentum fore veritatis, quod peractis mandatis protinus expiraturus esset,* idque ita evenit. Philostratus lib. 3. de vita, studiis, peregrinationibus et moribus Apollonii Tyanei scribit de illo Apollonio, qui tempore Neronis Romae vixit, *quod puellam defunctam vitae restituerit,* quod Hierocli philosopho occasionem praebuit, ut Apollonium Christo aequipararet, quem peculiari scripto propterea confutavit Eusebius Cae-

sariensis. Quodsi vel maxime haec sint ficta et falsa, sufficit tamen, quod ab ethnicis pro veris fuerint credita.

41. Sed haec omnia nondum a nobis impetrare possunt, ut statuamus, resurrectionem mortuorum esse vel natura notam, vel philosophicis rationibus apodictice demonstrari posse. Dicimus igitur 1. *ἀμυδρὰν καὶ συγκεχυμένην*, *confusam aliquam*, *implicitam* et *generalem*, non autem *distinctam*, *explicitam* et *specialem* hujus dogmatis notitiam ex
I. 372. lumine naturae et ex adductis rationibus hauriri posse. 2. Allata argumenta esse *probabilia*, non autem *necessaria; topica*, non *apodictica; verisimilia*, non *cogentia*, quippe quae multis labefactari possunt instantiis contrariis. 3. Rationes has pondus quoddam obtinere apud illos, quibus jam ante ex verbo revelato mortuorum resurrectio cognita est ac credita; exigui vero vel etiam nullius plane momenti censeri ab illis, qui verbi lumine destituti solum rationis lumen vel potius tenebras in hisce mysteriis sequuntur. 4. Quae apud gentiles de resurrectione occurrunt, similia duntaxat esse cum nostris, non eadem, vel si eadem sunt, ex conversatione cum populo Dei vel ex Bibliorum Graecorum V. T. lectione desumta, qualia *κλέμματα* Clemens Alexandrinus in libris strom. complura ex ethnicis adducit. 5. Incertam quandam de resurrectione opinionem, non autem stabilem, immotam *καὶ ἀμετάπτωτον γνῶσιν*, multo minus salvificam fidem ex ejusmodi ratiocinationibus oriri posse. 6. Ea, quae in verbo revelato de hoc articulo traduntur, esse omnibus philosophicis demonstrationibus certiora, nituntur enim Dei, qui est prima veritas, asserentis auctoritate. Proinde eum, qui ob solam verbi divini assertionem resurrectionem credit, longe certius et perfectius illam credere, quam qui philosophicis argumentis circa eam innititur. 7. Illustrationem aliquam hujus articuli ex lumine naturae et similitudinibus peti posse exemplo Christi Joh. 12, v. 24. et Pauli 1. Cor. 15, v. 36. nequaquam vero firmam et immotam probationem.

42. Hanc sententiam nostram, quod scilic. mortuorum resurrectio non cognoscatur ex lumine naturae, nec per philosophica argumenta demonstretur, probamus sequentibus fundamentis. 1. *A dogmatis hujus conditione.* Doctrina de resurrectione mortuorum est sublimis fidei articulus ac mysterium humanae rationis captum transcendens. Fide igitur amplectenda est, non autem philosophicis demonstrationibus hic innitendum. *ἡ γὰρ πίστις* est *ἐλπιζομένων ὑπόστασις, πραγμάτων οὐ βλεπομένων ἔλεγχος* Hebr. 11, v. 1. Ezechiel a Deo interrogatus, an existimet, *arida ista ossa sibi monstrata esse revictura*, submisse et humiliter respondit: *Domine Deus tu nosti*, Ezech. 37, v. 3. agnoscit igitur, articulum resurrectionis adeo sublimem esse, ut humani ingenii captum penitus transcendat. Non est quod obvertas, *esse etiam fidei articulum, quod sit Deus, quod sit justus et bonus, quod scelerum vindex etc. idem tamen non solum ex lumine gratiae et ex verbo revelato, sed etiam ex lumine naturae et creaturarum intuitu constare.* Est enim dispar ratio. Quidam fidei articuli *natura quodammodo noti sunt* et ex rationibus naturalibus demonstrari possunt (quamvis eatenus, quatenus naturaliter sciuntur ac demonstrantur, non sint proprie *πιστοί*, sed *γνωστοί*, non articuli fidei, sed conclusiones rationis); quidam *vero sunt purae fidei* ac *merae revelationis.* Ad priorem classem pertinent enumerata illa doctrinae de Deo capita, ad posteriorem vero articulus de resurrectione mortuorum. Nam quod sit Deus, quod idem sit justus ac bonus, illud ex intuitu opificii ab ipso producti quadantenus cognosci potest, sed resurrectionis causa et modus humanae rationi penitus est incognitus ac omnem vim naturae transcendit. Resuscitatio mortuorum est tale opus Dei, cujus principia primo ac per se non sunt nota in rerum natura. *Respectu formae*, quae est conjunctio animae cum corpore suscitato, potest resurrectio quodam modo naturalis dici, quia est secundum naturam hominis, ut anima cum corpore conjun- XVIII. 373.
gatur, sed si *causa efficiens et modus* considerentur, ea prorsus sunt supra naturam. 2. *Ex articuli hujus oppugnatione.* Athenis erant philosophi acutissimi, sed cum resurrectionem mortuorum ab apostolo praedicari audirent, *deridebant eum* Act. 17, v. 32. Festo praesidi eadem videbatur *insania* Act. 26, v. 24. Justinus in orat. ad gentil. et Epiphanius in ancor. tradunt, *Graecos omnes et inprimis acutissimos resurrectionis articulo contradixisse.* Nec solum extra ecclesiam, sed etiam in ipso visibilis ecclesiae consortio externo tam in V. quam N. T. semper fuerunt, quibus haec doctrina absurda et falsa fuit visa, ut ex superiori *διηγήσει* constare potest. Atqui si tam belle cum rationis dictamine et judicio congrueret, unde foret contradictio et oppugnatio? certe nulla alia de causa articulum in Scripturis fundatissimum oppugnarunt, quam quod cum ratione videretur pugnare, semel mortuum in vitam iterum revocari. 3. *Ex discipulorum Christi dubitatione.* Christi corpus non erat in cinerem ac pulverem redactum, nihilo tamen minus discipuli aegre adduci ac persuaderi potuere, ut Christum ex mortuis vere resurrexisse crederent. Mulierum de Christi resurrectione testificantium sermo visus ipsis fuit *λῆρος* Luc. 24, v. 11. ac Thomas in haec prorumpit verba, *nisi videro vestigium clavorum etc. non credam* Joh. 20, v. 25. quin imo cum Christum jam praesentem coram intueretur, adhuc tamen quidam *eorum dubitabant* Matth. 28, v. 17. Quodsi ergo illi, qui in Christi schola instituti erant, resurrectionem illius, quem Filium Dei esse professi fuerant, ductum rationis secuti non crediderunt, quid illis eveniet, qui in articulo de nostrorum corporum resurrectione eandem velut lucem ac ducem sequuntur? 4. *Ex argumentorum contrariorum enumeratione.* Si remota verbi luce ex solo atque unico rationis humanae judicio de mortuorum resurrectione disceptetur, majorem speciem et efficaciam apud philosophum gentilem obtinebunt argu-

menta, quae resurrectionem impugnant, quam quae eandem confirmant. *Quod semel interiit, idem numero nunquam redire*, naturae est decretum, ὅσων δ' οὐσία φθαρτή, ἀνάγκη τῷ εἴδει, ἀριθμῷ δὲ μὴ ἀνακάμπτειν, ait magnus ille in philosophia dictator Aristoteles lib. 2. de gener. et corrupt. t. 70. *quorum corruptibilis est substantia, necesse est specie, numero autem non reverti.* Ratio est manifesta, *quod enim semel interiit, formam amisit, cum compositi destructio sit formae prioris expulsio.* At quando corpora nostra putrescunt et in cinerem rediguntur, pristina eorum forma perit. Ergo non potest idem numero corpus in resurrectione restitui. Quod enim idem numero esse debet, illius formam nunquam oportet esse annihilatam, quia si denuo forma producatur de novo, tum non est numero eadem, sed tantum specie, annihilatum enim esse et tamen post novam productionem numero idem esse, ἀντιφατικῶς sibi opponuntur. Praeterea identitas effectus numerica dependet ex iisdem numero, causis et circumstantiis, quae si varientur, ipsa quoque effectus identitas tollitur. Idem enim numero non est, quod ab alio agente, ex alia materia, alio tempore et loco producitur. Jam vero in corporum resuscitatione talis causarum et circumstantiarum variatio continget; revocabuntur enim corpora in vitam immediate a Deo, cum prius mediante parentum generatione sint producta; formabuntur ex terrae pulvere, cum prius formata fuerint ex semine; resuscitabuntur in fine seculi, cum prius nata fuerint in hac vita; formabuntur in cavernis terrae, cum formata prius fuerint in utero
XVIII. 874. materno. Vide uberiorem horum philosophicorum argumentorum ex naturae principiis ἐξήγησιν ap. Meisnerum pag. 1. sobr. phil. sect. 4. cap. 9. q. 5. et Helv. in episagm. disp. Urgent denique *multa absurda*, quae ex articulo resurrectionis consequuntur, si rationi judicium de eo committere velimus. Ea vero praestat silentio involvere, cum cuivis extra verbi regulam hoc dogma consideranti promte occurrant, quam speciose eadem proponere atque urgere. 5. *Ex rationum productarum consideratione.* Qui revelato verbo destituitur, vel eidem fidem habere recusat, non poterit rationibus illis philosophicis, quae pro adstruenda mortuorum resurrectione in medium adductae sunt, ad persuadendum cogi et convinci. Ad primam respondebit, creationem ex nihilo non esse ex lumine naturae notam, sed vel mundum esse Deo coaeternum, vel ex materia Deo coaeterna productum, ac si vel maxime concedatur, in tempore ex nihilo productum esse, nondum tamen ex creatione inferri posse corporum humanorum resuscitationem, cum creatio sit omnibus omnino creaturis communis, resuscitatio autem corpora duntaxat hominum respiciat, cum creationem factam esse jamdum constet, resuscitationem autem futuram nullo efficaci argumento demonstretur. Ad secundam respondebit, ut aliquid fiat naturaliter non sufficere, ut illud sit in appetitu, nisi etiam sit in potestate, resurrectionem autem non subdi potentiae naturali. Si ad divinam potentiam recurrere velimus, respondebit, contradictionem involvere, quod idem numero corpus post antegressam distructionem in resurrectione sit rediturum, jam vero, quae contradictionem includunt, ea non esse divinae potentiae objecta. Sane quidam existimant, ad identitatem partium essentialium in resuscitatis adstruendam et contradictionem apparentem removendam sufficere, quod *materia* secundum Philosophum *non sit quid neque quale neque quantum*, id est quod nulla prorsus actualitas ad intrinsecam ejus naturam pertineat, ex quo effici putant, non nisi a forma illius vel diversitatem vel identitatem pendere, ac proinde, quemadmodum in nutritione post conversionem alimenti idem numero est animal, quod erat ante, quia scilicet in nutritione materia non accipit novam formam, sicut fit in generatione, sed alimentum assumtum est sub ea forma, quae prius exstitit; ita quoque in resurrectione, etiamsi alia assumatur materia, non tamen alium ab eo, qui prius exstitit, hominem resurgere, quippe eadem manente forma materiam illam informante et actuante. Sed regeret Philosophus, *ad numericam compositi identitatem et formam et materiam numero eandem ac determinatam requiri, nec posse dici idem numero totum seu compositum, nisi partes essentiales sint numero eaedem, cum quae materia differant etiam numero differant.* Itemque *inter nutritionem et resuscitationem esse rationem longe disparem, cum in illa novum materiae incrementum accedat, in hac vero non minus quam in prima generatione ipsa materiae οὐσία de novo exsistat, ac proinde terminus nutritionis sit nova materiae quantitas, terminus resuscitationis materiae substantia.* Ad tertiam respondebit, ad divinam providentiam et justitiam defendendam sufficere, quod pii testimonio conscientiae in adversis fruuntur, impii vero internis furiis torquentur, ac si vel maxime post mortem quidpiam superstes manere statuatur, animae praemia et poenas distribui; animam esse hominem, non autem corpus; animae in composito actiones virtutum et vitiorum competere, corpus esse duntaxat ejus instrumentum, quippe quod per se et in se sensu ac motu destitutum. Sic instrumentis architecti pro exstructione domus nullum re- XVIII. 1
penditur praemium. Ad quartam respondebit, universi complementum continua generationis novorum individuorum successione constare, vel etiam una cum toto universo etiam corpora humana in nihilum esse redigenda. Ad quintam et sextam respondebit, dubium adhuc et incertum esse, an anima sit immortalis, et an homo ad immortalitatem fuerit conditus. Ostendimus enim superius, ne quidem animae immortalitatem extra verbi lucem scientifice demonstrari posse. Quidam rationem quintam sic diluunt. Quod est contra naturam, perpetuum non est, scilicet quando principia restitutionis ejus in rerum natura supersunt. At si funditus ablata fuerint, restitutionem exspectandam non esse. Sic caesa arbor instauratur, si radices fuerint superstites; sed

si illae penitus fuerint exstirpatae, perpetua erit excisio. Quia ergo (inquiunt) anima a corpore separata scit, principia copulationis non exstare in natura, ideo ejus desiderio non afficitur, cum electio voluntatis ad impossibilia minime feratur. Testimoniis gentilium opponet alia sexcenta, quae resurrectionem penitus evertunt. Constat enim ex patribus, plerosque gentiles resurrectionem non solum negasse, sed *etiam profanitatis suae testimonia in sepulcrorum inscriptionibus exstare voluisse*, cujus rei exempla adducit Camerarius part. 1. succis. oper. cap. 97. *Ut carnis restitutio negetur, de una omnium philosophorum schola sumitur*, ait Tertullianus de praescript. cap. 7. *6. Ex patrum testificatione.* Athanasius in libro de incarnat. Verbi ejusque corporali ad nos adventu inquit, *Graecis nulla ratione in mentem venire potuise, quod corpus post mortem denuo exsistat.* Lactantius lib. 7. div. instit. cap. 23: *Nemo quaerat a nobis, quemadmodum fieri possit* (resurrectio), *neque enim divinorum operum potest reddi ratio, sed si a principio Deus hominem nescio quo inenarrabili modo instituit, credamus, ab eodem restitui veterem posse, qui novum fecit.* Augustinus in enarr. Psalm. 88: *In nulla re sic contradicitur fidei Christianae quam in resurrectione carnis.* Gregorius homil. 20. in Ezech. postquam de resurrectione multa dixisset, tandem sic concludit: *Divinae virtutis mysteria, quae comprehendi non possunt, non intellectu discutienda sunt, sed fide veneranda, quia quidquid ratione hominis comprehendi potest, mirum jam esse non potest, sed sola est in miraculis ratio potentia facientis.* Theophylactus in capite 3. epistol. ad. Philipp. resurrectionem *ex sola fide probari* agnoscit. Confer ea, quae in principio hujus tractatus §. 1. sunt allata. Atque haec de τῷ ὅτι, quod scilicet certo futura sit universalis omnium hominum resurrectio et quibus argumentis ea demonstrari possit, dicta sufficiant, restat, ut ad causas ejusdem explicandas descendamus.

---

XIX. 1.

## CAPUT III.

## DE CAUSA EFFICIENTE RESURRECTIONIS.

Causa efficiens principalis resurrectionis.

43. *Causa efficiens principalis* resurrectionis est unus ac solus verus Deus, *Pater, Filius et Spiritus sanctus*, quod probatur *1. ex dictis Scripturae*, tum *generalibus*, quae toti Trinitati resuscitationis opus tribuunt; tum *specialibus*, quae distinctam *Patris*, *Filii* ac *Spiritus sancti* mentionem faciunt. Dicta generalia haec sunt. Exod. 3, v. 6: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob*, i. e. ego qui sum unus ac solus verus Deus, Pater, Filius et Spiritus sanctus, qui cum majoribus vestris foedus gratiae inii, etiamnum post mortem sanctorum patriarcharum sum ipsorum Deus, quos etiam constituto tempore in vitam revocabo et ad coelestem gloriam eorum corpora animabus adhuc viventibus unita transferam (hanc enim esse divini illius oraculi sententiam docet Christus Matth. 22, v. 32. Marc. 12, v. 26. Luc. 20, v. 38.) Psalm. 34, v. 21: *Custodit Dominus omnia ossa piorum, unum ex illis non peribit.* Psalm. 68, v. 21: *Deus est nobis Deus ad salutes et Domino Deo sunt exitus mortis.* Esa. 25, v. 8: *Absorbebit Deus mortem in sempiternum.* Ezech. 37, v. 12: *Ego aperiam tumulos vestros, inquit Dominus.* Ose. 6, v. 2: *Dominus vivificabit nos post duos dies et in tertia vivemus coram illo.* cap. 13, v. 14: *Ego Dominus a morte redimam eos.* 2. Macc. 7, v. 9: *Rex mundi in aeternam resurrectionem vitae nos suscitabit.* v. 14. *A Deo resuscitandi sumus.* v. 23. *Deus spiritum et vitam vobis reddet.* Rom. 4, v. 17: *Deus vivificat mortuos.* 2. Cor. 1, v. 9: *Deus* XIX. 2.
*suscitat mortuos.* Repetimus igitur h. l. regulam ab Augustino tract. 110. in Joh. et aliis veteribus traditam: *Opera Trinitatis ad extra sunt indivisa*, i. e. omnibus tribus deitatis personis communia. Jam vero resuscitatio mortuorum est opus ad extra. Ergo. Dicta specialia in tres referri possunt classes, quaedam enim loquuntur de *Patre*, quaedam de *Filio*, quaedam de *Spiritu sancto*. De Patre in 1. Pater.
praecedentibus dictis generalibus sermonem esse, nemo unquam dubitavit, in specie huc referri possunt sequentia dicta. Rom. 8, v. 11: *Qui suscitavit Jesum a mortuis, vivificabit etiam mortalia corpora vestra.* 1. Cor. 6, v. 14: *Deus et Dominum suscitavit, et nos suscitabit per virtutem suam*, id est sicut Pater coelestis Jesum Filium suum ex mortuis suscitavit, sic et nos aliquando ex morte revocabit. 2. Cor. 4, v. 14: *Qui suscitavit Jesum, idem et nos per Jesum suscitabit.* Eph. 2, v. 6: *Conresuscitavit nos Deus in et cum Christo.* 1. Thess. 4, v. 14: *Deus eos, qui dormierunt, per Jesum adducet cum eo.* 1. Tim. 6, v. 13: *Praecipio tibi in conspectu Dei, qui vivificat omnia.* Quidam huc referunt dictum Christi Johan. 5, v. 21: *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat; sic et Filius quos vult, vivificat.* Sed proprie et principaliter ibi agitur non de resuscitatione corporis ad vitam naturalem, sed de resuscitatione animae ad vitam spiritualem, ut ex serie contextus est manifestum, consequenter tamen ad resurrectionem illud applicari posse non negamus, idem enim qui in hac vita credentes suscitat ad vitam spiritualem, eosdem in die novissimo ex terrae pulvere suscitabit ad vitam aeternam.

44. De *Filio* secunda Trinitatis persona haec lo- 2. Filius.
quuntur dicta. Job. 19, v. 25: *Scio*, quod גֹּאֵל, *redemtor, meus vivit et in novissimo super pulverem me statuet*, ita enim verbum יָקוּם in significatione transitiva Lutherus vertit. Christus autem est noster ille goël, qui carnis propinquitate et consanguinitate nobis conjunctus pretio interposito nos redemit, qualem redemtorem hoc nomine proprie denotari monuimus superius. Joh. 5, v. 21: *Filius, quos vult, vivificat.* v. 28. *Venit hora, in qua omnes,*

*qui in monumentis sunt, audient vocem Filii hominis*, v. 29. *et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae, qui autem mala egerunt, in resurrectionem judicii.* Joh. 6, v. 39. 40. 44. 54: *Ego resuscitabo eum in die novissimo.* Joh. 11, v. 25: *Ego sum resurrectio et vita.* Act. 3, v. 15. Christus vocatur ἀρχηγὸς τῆς ζωῆς, et cap. 17, v. 31. dicitur, quod *Pater constituerit per ipsum judicare universam terram.* At qui constitutus est judex mortuorum, is etiam ex terrae pulvere mortuos suscitabit. Phil. 3, v. 21: *Christus transfigurabit corpus nostrum humile, ut conforme illud reddat corpori suo glorioso.* Apoc. 1, v. 18. dicit Christus: *Ego habeo claves mortis.* Notandum autem, 1. Christum in hoc opere non tantum secundum divinam, sed etiam secundum humanam naturam agere, 1. quia carnem in personae suae unitatem assumsit, ut ergo non exsistit δίχα σαρκός, ita quoque non agit absque carne. 2. Resuscitatio mortuorum pertinet ad officium Christi regium, quos enim in hac vita ad consortium regni sui vocavit, eos divina virtute sua ex mortuis in vitam revocabit, ut in coelesti gloria cum ipso vivant. Jam vero ea, quae ad officium pertinent, in illis agit utraque natura cum communicatione alterius, quod cujusque proprium. 3. Scriptura notanter mentionem facit naturae humanae in hoc resuscitationis opere, Joh. 5, v. 27: *Pater dedit potestatem faciendi judicium Filio,*
XIX. 3. *quia Filius hominis est.* v. 28. *Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem ejus.* Quemadmodum potestas faciendi judicium data est Christo, quatenus est Filius hominis; ita quoque potestas resuscitandi mortuos ipsi data est, quatenus est Filius hominis, i. e. secundum humanam naturam, unde etiam ipsius vox est vivifica, quam defuncti in monumentis audient et vivent. 1. Cor. 15, v. 21: *Per hominem mors et per hominem resurrectio mortuorum;* v. 22. *sicut in Adamo omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur.* Quodsi in dicto apostolico ab appellatione ἀνθρώπου excludas Christi humanitatem, non recto talo stabit oppositio apostoli, quia *hominem homini, primum Adamum secundo ἀντιφατικῶς* opponit. Quidam huc referunt dictum apostoli 1. Thess. 4, v. 16. ἐν φωνῇ ἀρχαγγέλου, ubi per *archangelum* intelligunt ipsum Christum voce sua mortuos excitaturum, qua de re infra plenius. 4. Secundum humanam naturam Christo data est *potestas omnis carnis* Joh. 17, v. 2. *omnis potestas in coelo et in terra* Matth. 28, v. 18. *vis vivificandi* Joh. 6, v. 51. *ἐνέργεια, qua potest sibi subjicere omnia* Phil. 3, v. 21. constitutus est *Dominus vivorum ac mortuorum* Rom. 14, v. 9. *auctor vitae* Act. 3, v. 15. utique ergo in humana natura et per humanam naturam utpote divinis ἐξοχαῖς ditatam resuscitationis opus perficiet. 5. In praeludiis universalis resurrectionis, h. e. in particularibus resuscitatorum exemplis Christus et vocis et tactus organo usus est, ut assumtam naturam humanam ab hoc opere minime sequestrandam esse doceret. Matth. 9, v. 25. apprehendit manum filiae Jaïri et dicit: *Puella surge.* Luc. 7, v. 14. tangit loculum et ait: *Adolescens tibi dico, surge.* Joh. 11, v. 43. voce magna clamat: *Lazare veni foras.* Theophylactus in cap. 7. Luc.: *Non verbo tantum miracula operatur, sed et loculum attingit, ut discamus, quod corpus ejus est vitae corpus. Quia enim caro propria Verbi facta est omnia vivificantis, ideo et ipsa est vivifica et mortem corruptionemque tollit.* Similia occurrunt apud Cyrillum l. 4. in Joh. cap 23. Ex quibus omnibus manifestum, quod Christo etiam ut homini opus resuscitationis ac vivificationis mortuorum tribuendum sit, quod contra Danaeum in lib. adv. Chemn. pag. 118. Bezam in coll. Mompelg. pag. 335. Polanum l. 6. syntagm. cap. 66. pag. 515. et alios Calvinianos non sine Christi contumelia id negantes ex enumeratis fundamentis firmiter probatur. Tribuitur autem Christo homini mortuorum resuscitatio 1. *propter hypostaseos communicationem* assumtae naturae humanae factam; 2. *propter potentiam resuscitandi* secundum carnem ipsi in tempore datam; 3. *propter exaltationem et gloriam*, ad quam assumtam carnem ex Scriptura novimus evectam; 4. *propter victoriam* ex morte reportatam; 5. *propter virtutem resurgendi* ipsius morte et resurrectione nobis partam; 6. *propter vocem ipsius vivificam*, ut sic et *meriti* et *efficaciae* ratione ipsi ut homini resuscitatio tribui debeat. Non autem cum Bucano in loc. 37. pag. 418. statuendum vel loquendum, quod Christus sit συνεργὸς resuscitationis, quia id, quod in resuscitatione agit, est una tribus personis communis deitas, trium igitur personarum ut una est essentia, una potentia, ita quoque una et aequalis operatio. Notandum et illud 2. Christum non solum esse causam *efficientem*, sed etiam *meritoriam et exemplarem* nostrae resurrectionis. De causa *meritoria* paulo post disseremus plenius, de causa *exemplari* h. l. notandum, quod a quibusdam duplex statuatur. Una, in qua res cognoscitur et ordinatur; altera, in qua res inchoatur,
ita ut ad ejus exemplum et ὑπόγραμμον respiciatur. XIX. 4
Priorem modum Christo secundum divinam naturam, posteriorem secundum humanam competere statuunt, ipsius enim resurrectio est non solum exemplum, sed etiam initium nostrae resurrectionis in ipso tanquam capite nostro inchoatae. Eph. 2, v. 6.

45. De *Spiritu sancto* haec loquuntur dicta. 3. Spiritus sanctus.
Ezech. 37, v. 14: *Dabo vobis Spiritum meum in vobis et vivetis.* Non intelligitur duntaxat spiritus creatus, ventus scilicet ut v. 9. vel anima, ut v. 10. qui mediante venti afflatu corporibus animae sunt redditae, sed Spiritus increatus, tertia scilicet Trinitatis persona, resuscitationis opifex una cum Patre et Filio in hoc opere efficaciter agens, ut constat ex loco apostolico Rom. 8, v. 11: *Si Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis, is qui suscitavit Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis*, quae est consequentia omnium dul-

cissima. Deus excitavit Christum a mortuis. Spiritus Dei vivificans in vobis habitat. Ergo et vestra corpora per Spiritum vivificantem a mortuis excitabuntur. Quidam addunt locum Psalm. 104, v. 30: *Emittes Spiritum tuum et creabuntur, et renovabis faciem terrae.* Sed proprie ibi agitur de annua terrae renovatione. In symbolo Nicaeno dicitur: *Credo in Spiritum sanctum Dominum et vivificantem.*

46. 2. *Ex rationibus* 1. a. *Christi resurrectione.* Qui Christum ex mortuis suscitavit, idem etiam nos ex terrae pulvere aliquando suscitabit. Ratio pendet ex arctissima connexione inter resurrectionem Christi et nostram. At Deus Christum ex mortuis suscitavit Act. 2, v. 24. et 32. cap. 3, v. 15. cap. 4, v. 10. cap. 5, v. 30. cap. 10, v. 40. cap. 13, v. 30. 34. et 37. Rom. 4, v. 24. cap. 6, v. 4. cap. 8, v. 11. 1. Cor. 6, v. 14. 2. Cor. 4, v. 14. Eph. 1, v. 20. cap. 2, v. 6. Hebr. 13, v. 20. ubi ne quis nomine Dei solum Patrem primam personam, cujus in quibusdam dictis fit expressa mentio, excluso Filio et Spiritu sancto intelligat, conjungenda sunt illa Scripturae dicta, in quibus Christus sibi ipsi tribuit corporis sui resuscitationem Joh. 2, v. 19: *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.* v. 21. *Loquebatur autem de templo corporis sui.* Joh. 10, v. 17: *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam.* v. 18. *Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso, potestatem habeo ponendi eam et potestatem habeo iterum sumendi eam.* Ac urgendum est dictum Christi Joh. 5, v. 19: *Quaecunque Pater facit, ταῦτα καὶ ὁμοίως, eadem etiam similiter facit Filius.* v. 23. *Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Ergo etiam Deus, i. e. verus et unus ille Deus, qui est Pater, Filius et Spiritus sanctus ex terrae pulvere aliquando nos suscitabit. 2. *Ex operis hujus conditione.* Resuscitatio mortuorum est opus infinitae virtutis ac potentiae, ergo etiam solius veri Dei proprium. Antecedens patet ex illis Scripturae dictis, quae in opere resurrectionis divinae virtutis expressam mentionem faciunt, eo ipso namque innuitur ad illud divinam, i. e. infinitam virtutem requiri. Ezech. 37, v. 6: *Ego dabo vobis Spiritum, et vivetis et scietis, quia ego Dominus*, i. e. ex opere resuscitationis divina mea virtus, potestas ac majestas agnoscetur. Rom. 6, v. 4: *Christus a mortuis resurrexit per gloriam Patris*, i. e. per gloriosam Patris potentiam. 1. Cor. 6, v. 14: *Deus et Dominum suscitavit et nos suscitabit διὰ τῆς δυνάμεως αὐτοῦ.* Eph. 1, v. 19. mira ac divina verborum maxime emphaticorum copia docet apostolus, quod Deus in Christi
XIX. 5. resurrectione *τὸ ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς δυνάμεως αὐτοῦ καὶ τὴν ἐνέργειαν τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ ἐνήργησεν.* Phil. 3, v. 21: *Christus reformabit corpus nostrum humile, ut conforme fiat corpori ipsius glorioso, κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ δύνασθαι αὐτὸν καὶ ὑποτάξαι ἑαυτῷ τὰ πάντα.* Hanc virtutis divinae in resuscitatione efficaciter agentis ignorantiam exprobrat Christus Sadducaeis Matth. 22, v. 29. Marc. 12, v. 24. 3. *Ex resuscitationis cum primaeva creatione collatione.* Qui in prima creatione omnia ex nihilo condidit et ex limo terrae corpus hominis formavit, idem etiam defunctorum corpora ex terrae pulvere reformabit. Sed solus ac unus verus Deus omnia ex nihilo condidit et ex limo terrae corpus primi hominis formavit. Ergo. Major probatur ex illis Scripturae dictis, in quibus haec opera Dei conjunguntur, ut ab eadem virtute divina scilic. et infinita eadem proficisci significetur. 2. Macc. 7, v. 23: *Mundi conditor, qui formavit hominis nativitatem et omnium invenit generationem, spiritum et vitam aeternam iterum dat cum misericordia.* Rom. 4, v. 17: *Deus vivificat mortuos et vocat ea, quae non sunt, tanquam ea, quae sunt.* Variae quidem loci illius apostolici proferuntur explicationes, sed simplicissima est ea, qua statuitur, articulum creationis et resuscitationis conjungi. Assumtum constat ex omnibus Scripturae dictis, quae de creatione loquuntur, ea enim nuspiam alteri quam soli vero Deo tribuitur. Qui ergo in prima creatione *dixit et omnia facta sunt* Gen. 1, v. 3. et seqq. Judith. 16, v. 17. Psalm. 33, v. 9. idem etiam in resuscitatione dicet, et omnes homines resurgent. Psalm. 50, v. 4. Joh. 5, v. 28. unde apostolus resurrectionis articulum tractans ad primaevam primi hominis creationem nos revocat. 1. Cor. 15, v. 46. Augustinus tract. 49. in Joh.: *Plus est creare quam resuscitare homines, et Christus facit utrumque.* Confer ea, quae de collatione primaevae creationis et secuturae universalis resuscitationis ex patribus adduximus superius §. 22. 4. *Ex operis hujus cum vita et morte hominis comparatione.* Qui unicuique homini dat animam et corpus, qui est vitae et mortis dominus, qui cujuslibet nostrum corpus in utero format, idem etiam corpus ex terrae pulvere suscitabit, praedam ex faucibus mortis eripiet et animas cum corporibus resuscitatis iterum uniet, cum utrumque ejusdem sit virtutis, operis et artificii. Sed prius non nisi soli vero Deo competit. Job. 10, v. 8: *Manus tuae plasmaverunt me et fecerunt me totum in circuitu.* v. 9. *Memento, quod sicut lutum feceris me et in pulverem reduces me* etc. Psalm. 90, v. 3: *Convertis hominem in contritionem et dicis, revertimini filii hominum.* Sir. 17, v. 2: *Deus convertit hominem in terram.* Esa. 64, v. 8: *Tu Domine Pater noster es, nos vero lutum, et fictor noster tu et opera manuum tuarum omnes nos.* 2. Macc. 7, v. 22. *nescio*, inquit mater Maccabaeorum fratrum ad filios, *qualiter in utero meo apparuistis, neque enim ego spiritum et animam donavi vobis et vitam et singulorum membra non ego ipsa compegi,* v. 23. *sed mundi creator vobis spiritum cum misericordia reddet.* Act. 17, v. 28: *In ipso vivimus, movemur et sumus.* Ergo etiam posterius, videlicet mortuorum resuscitatio est solius veri Dei proprium opus, ut sic ejusdem sit ἀνάκτισις καὶ ἀνάπλασις, cujus est κτίσις καὶ πλάσις, ut pii veteres loquuntur. 5. *Ex creaturarum conservatione.* Qui creaturas omnes conservat, species propagat, dat unicui-

que enti corporeo proprium suum corpus, is etiam corpora mortuorum hominum in vitam revocabit et omnia individua ad speciem humanam pertinentia
XIX. 6. ex terrae pulvere suscitabit. Sed solus Deus creaturas omnes conservat, species propagat, dat unicuique enti corporeo proprium suum corpus, Joh. 5, v. 17. 1. Cor. 8, v. 6. cap. 15, v. 39. Col. 1, v. 16. Hebr. 1, v. 3. etc. Ergo etiam solus Deus corpora mortuorum hominum in vitam revocabit et individua omnia ad speciem humanam pertinentia ex terrae pulvere suscitabit. Eo deducit nos apostolus, quando resurrectionis articulum pertractans 1. Cor. 15, v. 37. et 38. dicit: *Quod seminas, non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum, puta tritici aut alicujus ceterorum, Deus autem dat illi corpus, sicut voluit et unicuique seminum proprium corpus*, id est qui potest unicuique semini proprium dare corpus, idem etiam in novissimo die corpora nostra ex terrae pulvere producere poterit. Hebraei dicunt, *quatuor rerum apertiones sive claves esse in manu Dei, pluviae, sepulcrorum, uteri et victus.*

Porisma. Nullum posse se ipsum propria virtute resuscitare.

47. Porisma hujus assertionis de causa efficiente principali resurrectionis est illud, quod *nullus hominum propria virtute ac propriis viribus se ipsum suscitare queat.* Quod enim Spiritus sanctus soli vero Deo tanquam proprium assignat, quod est opus infinitae virtutis, quod ejusdem cum primaeva creatione est dignitatis, quod diserte hominibus denegatur, illud non potest homini vel ulli creaturae tribui. Resuscitationem ex mortuis Spiritus sanctus soli vero Deo tanquam proprium opus assignat, eadem est opus infinitae virtutis et ejusdem cum primaeva creatione dignitatis, ut ex dictis constat, ac diserte hominibus ejus *ἐνέργεια* denegatur. Psalm. 49, v. 8: *Fratrem non redimendo redimet quisquam* (a morte). Ergo resuscitatio ex mortuis non potest homini vel ulli creaturae tribui. Cave tamen, cum Photinianis hoc eo referas, quod *nec Christus se ipsum a morte suscitare potuerit*, disp. de unig. Filii exist. adv. Socin. in Erasmum Johannes pag. 117. catech. Racov. cap. 11. pag. 312. Enyedinus in detorsione dicti Joh. 2, v. 19. Ostorodus libr. 2. contr. Tradel. cap. 10. pag. 176. Schmaltzius de divin. Christi cap. 13. etc. Est enim hic ratio longe dispar inter Christum et homines

An Christus se ipsum suscitaverit.

reliquos. 1. Christus non est *ψιλὸς ἄνθρωπος*, sicut omnes reliqui homines, sed unus verus cum Patre et Spiritu sancto Deus, ut suo loco evidentibus argumentis demonstratur. 2. Humana Christi natura in ipsam hypostasin *Λόγου* est evecta ac proinde a corporis sui resuscitatione Christus ut homo excludi nequit. Consideratur enim natura Christi humana vel secundum divinitatis personaliter sibi unitae et cum tota plenitudine in assumto corpore habitantis virtutem, et sic Christus ut homo se ipsum suscitavit; vel secundum rationem naturae creatae, et sic non potuit efficere, ut corpus et anima ad se invicem redirent. 3. Christus sibi ipsi disertis verbis tribuit, quod *potestatem habeat ponendi animam suam a se ipso et iterum eam sumendi* Joh. 10, v. 17. quod excitare *possit corporis sui templum* Joh. 2, v. 19. ubi per *τὸ ἐγείρειν efficacem operationem* et *actionem* intelligendam esse patet ex connexione. Christus enim quaesitus, quo miraculo probaret, se habere potestatem reformandi templum, respondit, se templum corporis sui ex morte excitare et reparare posse, ex uno igitur potestatis divinae effecto alterum concludit. Quae contra haec dicta Photiniani excipiunt, ad illa responsum fuit tract. de Deo Patre et Filio §. 95. et seqq. 4. Christus propria potestate alios mortuos suscitavit. Joh. 5, v. 21. *suscitavit quos vult*, cur XIX. 7.
ergo non potuisset etiam se ipsum suscitare? 5. Christo *Pater dedit vitam habere in se ipso* Joh. 5, v. 26. unde etiam est ipsa *resurrectio* et *vita* Joh. 11, v. 25. *auctor vitae* Act. 3, v. 15. eccur igitur non potuisset se ipsum suscitare? 6. *Quae Pater agit, ταῦτα καὶ ὁμοίως, eadem similiter, facit et Filius* Joh. 5, v. 19. Quare cum Pater divina virtute Christum suscitaverit, utique eadem virtute Christus suscitavit se ipsum. 7. De Christo dicitur, quod ut *mortificatus fuit carne, ita quoque ζωοποιηθεὶς, vivificatus fuerit Spiritu* 1. Petr. 3, v. 18. ut ergo per carnem intelligitur propria ipsius caro, in qua passus et mortuus; ita per Spiritum vi oppositionis intelligendus proprius ejus Spiritus, i. e. divina ejus natura, unde etiam in resurrectione sua et per *resurrectionem suam demonstratus fuit Filius Dei in virtute* Rom. 1, v. 4.

48. Quae in contrarium a Photinianis proferuntur, ex hactenus dictis facile explicari possunt. 1. *Ex Patri attributa resuscitatione Scriptura passim illud Deo Patri tribuit, quod Filium suum ex mortuis excitaverit* Act. 5, v. 30. 31. Rom. 4, v. 24. cap. 8, v. 11. *unde id ipsum tanquam proprium Patri tribuitur, qui omisso etiam Dei nomine quandoque sic describitur, quod sit is, qui Jesum a mortuis excitavit.* Respondemus: 1. Ex subordinatis non sunt facienda pugnantia, nec quae in articulis fidei conjunguntur, sibi invicem opponi debent, qui paralogismus ut haereticis aliis, ita quoque Photinianis perquam familiaris est. Utrumque Scriptura asserit, utrumque nobis pie credendum proponit, quod Pater Filium suum ex mortuis excitaverit et quod Filius propria virtute resurrexerit. 2. Quemadmodum igitur utrumque optima ratione simul consistit, quod *Pater tradiderit Filium pro nobis in mortem* Rom. 8, v. 32. et quod Filius *se ipsum tradiderit* Galat. 2, v. 20. quod *Pater in Filio manens fecerit miracula* Joh. 14, v. 10. et quod *Filius miracula fecerit* Act. 10, v. 38. quod *Pater unxerit Christum Spiritu et virtute* ibid. et quod *Filius se ipsum unxerit ac Spiritus sanctus super ipsum descenderit ac manserit* Matth. 3, v. 16. Marc. 1, v. 10. quod Pater ipsum *collocaverit ad dextram suam* Ephes. 1, v. 21. et quod ipse Filius *consederit ad Dei dextram* Marc. 16, v. 19. quod Pater *subjecerit hostes pedibus* Christi Psalm. 110, v. 1. et quod *Filius ipse sibi ipsi eos subjecerit* 1. Cor. 15, v. 25. ita quoque optima ra-

tione haec duo simul consistunt, quod Pater Christum excitaverit et quod ipse propria virtute resurrexerit. 3. Est enim Patris et Filii una essentia, una potentia, aequalis majestas, ac *id, quod in divinis agit, est una tribus communis deitas*, Nazianz. orat. 2. de theol. 4. Ideo autem ad Deum Patrem Scriptura peculiariter haec referre solet, quia Pater ut est *fons deitatis*, a quo per aeternam generationem Filius omnia accepit, ita quoque est fons nostrae redemtionis ac salutis. 5. Ut ipsa missio Filii et officii ejus confirmatio divina voce coelitus facta ac miracula Deo Patri assignari solent, ac tota obedientia Christi Deo Patri praestita dicitur; ita quoque ipsius ex mortuis resuscitatio ad officium Mediatoris et opus redemtionis pertinens, Patri peculiariter tribuitur absque ulla Filii et Spiritus sancti exclusione. 6. Peculiaris consolatio in eo nobis proponitur, quod resuscitatio Filii Patri tribuitur, ex eo enim intelligimus, satisfactionem per Christi passionem et mortem Deo Patri praestitam esse ratam et sufficientem. Nisi enim pro peccatorum nostrorum debito plena et perfecta solutio fuisset praestita, Deus hunc vadem et sponsorem nostrum ex carcere mortis et sepulcri nequaquam
K. 8. tanta cum gloria reduxisset. Sic ergo et *principii* et *consilii* et *solatii* ratione Patri peculiariter tribuitur, quod ipsi cum Filio commune.

49. 2. *Ex mortis et resurrectionis connexione. Si Christus se ipsum ex morte resuscitavit, non est verus et aeternus Deus, quia qui ex morte resuscitatur, eum oportet prius fuisse mortuum. Atqui Deus aeternus mori non potuit. Ergo etiam Deus aeternus ex morte suscitari non potuit.* Respondemus: 1. Deus aeternus non potest mori, scilic. in sua deitate, potest autem mori in assumta carne. 2. In Christo est *ἄλλο καὶ ἄλλο.* Juxta aliud, videlicet juxta humanam naturam, est mortuus; juxta aliud, videlicet juxta divinam naturam humanae personaliter unitam, se ipsum ex mortuis excitavit. Theodoretus dial. 2. *ἔστιν ὁ αὐτὸς παθητὸς καὶ ἀπαθής, παθητὸς κατὰ τὴν. ἀνθρωπότητα, ἀπαθὴς κατὰ τὴν θεότητα.* 3. In Christo non est *ἄλλος καὶ ἄλλος*, inde idem, qui est mortuus, se ipsum etiam ex mortuis suscitavit. 4. Hinc notanter dicit Scriptura, quod *Deus proprio suo sanguine ecclesiam redemerit* Act. 20, v. 28. utique ergo Deus sanguinem suum in ara crucis effudit et per consequens Deus in cruce mortuus est; quod *Dominum gloriae crucifixerint* 1. Cor. 2, v. 8. quod *auctorem vitae interfecerint* Act. 3, v. 15. utique ergo *Dominus gloriae* et *auctor vitae*, i. e. verus Deus in cruce fuit mortuus; quod *sanguis Jesu Christi Filii Dei emundet nos ab omni peccato* 1. Joh. 1, v. 7. utique ergo ipse Dei Filius sanguinem suum effudit et mortuus est non in *proprietate naturae divinae, sed in unitate personae*, i. e. in natura humana in personae unitatem assumta, ut loquitur Vigilius lib. 2. contra Eutych. Excipit Socinus d. l.: *Qui hominum animos immortales statuunt, illis nulla ratione dicere licebit, animum alicujus esse mortuum, eam scilic. ob causam, quod corpus, cum quo animus conjunctus erat, fuerat mortuum; sic Filius Dei non potest dici mortuus, quia corpus ejus fuit mortuum.* Responsio: 1. propter essentialem animae et corporis in homine unionem recte et absque omni tropo dico, homo est mortuus, ut in tract. de morte ostendimus; sic propter personalem divinae et humanae naturae in Christo unionem recte dico, Deus est mortuus. 2. Sicut non dicimus, animam esse mortuam, quia mors tribuitur homini ratione corporis; sic non dicimus, deitatem esse mortuam, quia ratione carnis Christo ea tribuitur.

50. 3. *Ex absurdi consecutione. Quidquid Patri competit, id Christo tanquam Filio tribui non potest, alias sequeretur confusio Sabelliana. Atqui Deo Patri tribuitur, quod Christum a mortuis suscitaverit.* Respondemus: 1. ostendimus jam ante similibus exemplis, haec non esse sibi invicem opposita. 2. Majori addenda haec limitatio, quidquid *tantum* competit Patri, id Christo tanquam Filio tribui nequit. Sed tunc minor est falsa, quod tantum Patri competat Christi ex mortuis resuscitatio. 3. *Omnia quae Pater habet, mea sunt*, inquit Christus Joh. 16, v. 15. *Quaecunque Pater facit, eadem similiter et Filius facit, ego et Pater unum sumus* Joh. 10, v. 30. ait idem Joh. 5, v. 19. *Pater in me manens ipse facit opera* Joh. 14, v. 10. *Pater meus operatur et ego operor* Joh. 5, v. 17. In hisce igitur operibus non est Pater a Filio sequestrandus. 4. Distinguendum inter *opera ad intra* et *opera ad extra.* In operibus ad intra, videl. in generatione et spiratione, quidquid uni personae Trinitatis peculiariter competit, alteri personae tribui non debet, ne Sabelliana personarum confusio oriatur; sed in operibus ad extra, quale est Christi ex mortuis resuscitatio, omnes tres personae simul agunt, servato scilic. ordine et discrimine perso- XIX. 9.
narum. Sic ergo limitamus majorem. Quidquid Patri tribuitur *personaliter*, id si Filio tribuatur, sequitur Sabellianismus, sed quod Patri *essentialiter* competit, illud si Filio tribuatur, nequaquam Sabelliana confusio, sed *ὁμοουσίας* assertio sequitur. 5. Ubi tamen notandum, quod resuscitatio Christi dicatur *opus ad extra* ratione *actus*, qui ex divina virtute tribus personis communi procedit, interim est *opus ad intra ratione termini*, quia humana natura ex mortuis suscitata est Filii Dei propria, quippe quam ipse solus, non Pater nec Spiritus sanctus in personae unitatem assumsit. 6. Majorem non esse simpliciter admittendam, ipsimet Photiniani agnoscere coguntur, quia Christo tribuunt, *quod perfectam habeat potestatem regendi populum Dei eumque salvum faciendi, quod dominetur non solum hominibus sed etiam angelis, imo morti et inferno*, Catech. Racov. pag. 320. *quod sit religiosae adorationis cultu honorandus*, Ostorodus cont. Tradel. pag. 2. cap. 8. pag. 154. Atqui hoc ipsum omnibus in universum creaturis Scriptura adimit ac soli Deo unice assignat.

51. 4. *Ex indigentiae significatione. Si Christus hanc potentiam se ipsum suscitandi in se plene et perfecte habuit, quid opus fuit, ut alius, videlicet Pater, hanc suscitationem perficeret? Si ab alio suscitari opus habuit, utique se ipsum suscitare non potuit.* Respondemus: 1. Conclusio directe adversatur assertioni Christi, Joh. 10, v. 17: *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam.* v. 18. *Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam ἀπ' ἐμαυτοῦ, potestatem habeo ponendi eam et potestatem habeo iterum sumendi eam.* Ex quo dicto nascitur nobis tale argumentum. Qui potestatem habet ponendi animam suam et iterum eam sumendi, ille non ex quadam impotentia opus habet ab alio suscitari. Sed Filius potestatem habet ponendi animam suam et iterum eam sumendi. Ergo. 2. Ut Christus *a se ipso*, i. e. sponte et nullo cogente, posuit animam in morte, ita quoque *a se ipso*, i. e. libere et propria virtute, eam resumsit in resurrectione. 3. Ergo non ex quadam indigentia vel impotentia factum arbitremur, quod Christus non resuscitavit se ipsum *solus*, excluso scilic. Patre, sed ex ὁμοουσίᾳ et divinae potentiae Patri ac Filio communis aequalitate, ob quam nec Pater sine Filio, nec Filius sine Patre, nec Pater extra Filium, nec Filius extra Patrem operatur. Joh. 5, v. 17. et 19. 4. Christum ab alio suscitari opus habuisse ambigue dicitur. Vel enim intelligitur hoc modo, quod natura ipsius humana in extremo exinanitionis statu constituta non potuerit se ipsam ex naturalibus et propriis viribus suscitare, vel quod eadem ne quidem ut Λόγῳ personaliter unita ac Verbi omnia vivificare volentis proprium templum facta virtute divina se ipsam suscitare potuerit. Priorem sensum concedimus, posteriorem negamus.

52. 5. *Ex Christi precatione. Si Christus se ipsum suscitare potuit, quorsum opus fuit precibus ad eum, qui servare eum posset a morte?* Hebr. 5, v. 7. Respondemus: 1. Potuit Christus Lazarum suscitare et tamen potentiam excitandi per preces Patri acceptam ipse retulit Joh. 11, v. 42. 2. Christus preces illas pro liberatione a morte fudit tanquam mediator nostro loco constitutus et ut verus homo in extremo exinanitionis gradu, interim qua Deus eandem cum Patre potentiam habuit, qua se ipsum ex mortuis excitavit. 3. Ut in reliquis officii sui operibus Christus omnia ad Patrem refert, ita
XIX. 10. quoque resuscitationem sui ab ipso petit. 4. Nihilo tamen minus ἀδύνατον erat, ipsum κρατεῖσθαι a morte Act. 2, v. 24. non solum propter carnis assumtae sanctitatem, propter divinorum vaticiniorum veritatem, propter Patris, qua Filium complectitur, caritatem, propter officii demandati sublimitatem, propter redemtionis nostrae universim complendae qualitatem; sed etiam ac cumprimis propter personae singularitatem, quippe quae non solum homo sed et Deus, in qua duae naturae personaliter et indissolubiliter unitae, ac cui secundum humanam naturam vis vivificandi per et propter unionem personalem erat communicata.

53. 6. *Ex typi praefiguratione. Non ipse Jonas se ipsum e ventre ceti eduxit, sed cetus eum Deo sic volente et operante in littus evomuit; sic etiam non ipse Christus se ipsum ex terrae corde sive inferno exemit atque eduxit, sed infernus eum Deo sic jubente atque efficiente evomuit et quodammodo viventibus restituit.* Socinus d. l. Respondemus: 1. Comparatio non est extendenda ultra tertium, propter quod adhibetur; 2. nec contra fidei analogiam urgenda, sed juxta eam explicanda. 3. Christus comparationem statuit in mora tridui et in liberatione, non autem in ipso liberationis modo Matth. 12, v. 40. 4. Si ultra praescriptos comparationis limites progredi velimus, multa possent texi absurda et ἀσύστατα. Jonas fuit in corde balaenae, Christus in sepulcro; Jonae anima mansit corpori unita, Christi anima a corpore fuit localiter separata; Jonas propter delicta propria hanc cladem sensit, Christus propter aliena etc. 5. Constat, in antitypo saepe plus haberi quam in ipso typo.

54. A causa resurrectionis *efficiente principali* transitum faciamus ad causam *meritoriam*. Antequam vero eam exponamus, notandum quod respectu *objecti et finis* duplex sit resurrectio, una *piorum et vere credentium* ad vitam, altera *impiorum et incredulorum* ad judicium, Joh. 5, v. 29. de qua distinctione inferius agetur pluribus. Si de resurrectione piorum ad vitam quaeratur, ejus causam meritoriam statuimus Christum Mediatorem, 1. quia piorum a morte liberatio et vitae reparatio ipsius merito unice asscribitur. Os. 6, v. 2: *Vivificabit nos post duos dies, tertia die suscitabit nos, et vivemus in conspectu ejus.* Quia Christus tertia die a mortuis suscitatus nobis promeruit, ut ipsi quoque ex morte eluctari possimus, ideo propheta in plurali loquitur, ut sic caput et membra complectatur. Os. 13, v. 14: *A morte redimam eos, ero mors tua o mors.* 1. Cor. 15, v. 25: *Oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus;* v. 26. *novissimus autem hostis destruetur mors.* Eph. 2, v. 6: *Conresuscitavit nos in Christo* tanquam capite et mediatore nostro. 2. Tim. 1, v. 10: *Christus mortem quidem destruxit, illuminavit autem vitam et incorruptelam per evangelium.* Apoc. 1, v. 18: *Fui mortuus, et ecce sum vivus in secula seculorum et habeo claves mortis et inferni*, i. e. sum dominus mortis et inferorum, solent enim victori tradi claves portarum urbis. 2. Quia liberatio a malis cognatis, quae vel efficientis vel effecti vel adjuncti locum respectu mortis obtinent ac bonorum contrariorum restitutio ipsi tribuitur. Liberatio a potestate Satanae ac destructio regni ipsius pertinet ad beneficia merito Christi parta. Gen. 3, v. 15: *Semen mulieris conteret caput serpentis.* 1. Joh. 3, v. 8: *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.* Hebr. 2, v. 14: *Participavit carni et sanguini, ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium*, i. e. diabolum, v. 15. *et* XII. 11.
*liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti.* Jam vero ideo eramus

Causa resurrectionis meritoria.

morti obnoxii, quia in potestatem et regnum Satanae eramus redacti. Ergo Christus liberando nos a potestate Satanae, liberavit nos a morte. Christus pro peccatis nostris in ara crucis satisfecit, 1. Petr. 2, v. 24. Atqui mors est *peccati stipendium* Rom. 6, v. 23. et *stimulus mortis* est peccatum 1. Cor. 15, v. 56. Ergo Christus pro peccatis satisfaciendo a morte nos liberavit. Christus liberavit nos *a maledictione legis* Gal. 3, v. 13. Atqui ob maledictionem legis morti temporali et aeternae eramus obnoxii. Ergo Christus liberando nos a maledictione legis a morte nos liberavit. Christus liberavit nos ab *ira Dei* Rom. 5, v. 10. 2. Cor. 5, v. 19. Atqui mors poenae loco a Deo irato judice generi humano fuit inflicta Psalm. 90, v. 3. Ergo Christus liberando nos ab ira Dei liberavit nos a morte. Per Christum nobis iterum parta benedictio, quae omnis generis bona spiritualia ac coelestia complectitur Gen. 12, v. 3. Act. 3, v. 25. Gal. 3, v. 8. ergo etiam salus, resurrectio ac vita morti ex adverso opposita. 3. Quia ob resurgendi virtutem nobis partam Christus vocatur ipsa *resurrectio ac vita* Joh. 11, v. 25. ἀρχηγός ac *dux vitae* Act. 3, v. 15. *primitiae dormientium* 1. Cor. 15, v. 20. *primogenitus ex mortuis* Col. 1, v. 18. Apoc. 1, v. 5. fons nostrae resurrectionis, clavis sepulcrorum nostrorum. Confer ea, quae de connexione inter resurrectionem Christi ac nostram diximus superius §. 18. 4. Quia Adamus et Christus sibi invicem opponuntur ratione ea, ut Adamus fons peccati et mortis in totum genus humanum redundans, Christus autem fons justitiae et vitae credentibus ab ipso communicatae statuatur. Rom. 5, v. 12. et seqq. 1. Cor. 15, v. 21. et 22.

**An resurrectio Christi sit causa meritoria resurrectionis impiorum.**

55. Si de resurrectione impiorum et incredulorum ad judicium quaeratur, an illius etiam causa meritoria Christo sit assignanda, variantes audire datur responsiones. Calvinus l. 3. inst. cap. 25. sect. 9. videtur affirmare, sic enim scribit: *Nos totius mundi hereditate scimus in Adam fuisse privatos, nec minus aequa ratione ab alimentis communibus nos arceri quam ab esu arboris vitae. Unde igitur fit, ut Deus non solum oriri faciat solem suum super bonos et malos, sed quoad praesentis vitae usus inaestimabilis ejus liberalitas larga copia assidue profluat? Hinc certe cognoscimus, quae propria sunt Christi et membrorum ejus ad impios quoque exundare, non ut legitima sit possessio, sed quo magis reddantur inexcusabiles etc. Si quis excipiat, caducis et terrenis beneficiis resurrectionem non apte conferri, hic quoque respondeo, ubi primum alienati sunt a Deo vitae fonte, diaboli interitum fuisse promeritos, quo prorsus abolerentur, admirabili tamen Dei consilio repertum fuisse medium statum, ut extra vitam in morte viverent. Nihilo absurdius videri debet, si accidentalis est impiis resurrectio, quae invitos trahat ad tribunal Christi, quem nunc audire magistrum et doctorem recusant.* Calvino assurgit Fr. Junius in comm. Dan. cap. 12. tom. 1. operum pag. 931: *Resurrectionem Christus efficit in omnibus ut caput omnium communiter, vitam vero efficit in piis ut caput et mediator redemtorque ipsorum particulariter.* Et ex recentioribus Scharpius Scotobritannus in curs. theol. loc. 20. col. 1173: *Beneficia Christi sunt duplicia. Fidelibus propria, ut sunt fides, sanctificatio et glorificatio; fidelibus et infidelibus communia, ut sunt vocatio externa, verbi auditio, quibus impii inexcusabiles redduntur. Tale esto beneficium resurrectionis.* Haec Calvini opinio duplicem meretur observationem. Prior opponenda est hypothesi *de negata universalitate meriti Christi.* Si damnati atque impii resurgunt virtute meriti Christi, utique etiam Christus pro ipsis in ara crucis mortuus. Sed verum prius ex assertione Calvini. Ergo etiam posterius, et per consequens falsum est, Christum non esse pro omnibus omnino hominibus in ara crucis mortuum. Connexio probatur, quia applicatio praesupponit acquisitionem et effectus praesupponit suam causam. Quodsi igitur impiis beneficium aliquod ex merito Christi descendens applicatur, utique etiam acquisitio meriti Christi propter ipsos facta. Si effectus causae meritoriae, videl. resuscitatio ex mortuis, tam late patet, ut ipsos quoque impios complectatur, utique etiam causa, videl. meritum Christi, tam late patebit, ut ad ipsos quoque impios et sic ad omnes homines pertineat. Posterior opponenda est temerariae quorundam assertioni, quod *Calvinianus error sit statuere resurrectionem impiorum non provenire ex merito Christi, sed ex solo decreto et justitia Dei.* Quomodo enim Calvinianum dogma statui potest, cujus contrarium Calvinus asserit? Neque hic quisquam nobis objiciat, ex hypothesi illa, quod resurrectio impiorum proveniat ex merito Christi, oppugnari posse dogma Calvinianum de negata universalitate meriti Christi. Ergo a contrario sensu negata illa hypothesi, quod resurrectio impiorum proveniat ex merito Christi, asserendum esse Calvinianum dogma de negata universalitate meriti Christi. Est enim dispar ratio. Ex applicatione meriti recte infero acquisitionem, sed ex negatione applicationis non possum inferre negationem acquisitionis, cum acquisitio latius pateat quam applicatio.

XIX. 12.

**Negans probatur. I. Ex causae assignatione.**

56. Negantem quaestionis partem plerique ex nostris theologis amplectuntur, quorum sententiae accedunt ex ipsis Calvinianis Zach. Ursinus in explic. catech. part. 2. q. 57. pag. 437. Bucanus in loc. 37. pag. 419. Martyr class. 3. loc. cap. 17. n. 7. pag. 734. Polanus in symph. cathol. cap. 30. th. 3. pag. 976. et in syntag. theol. l. 6. cap. 66. pag. 516. Argumenta confirmantia potiora haec sunt. 1. *A causae assignatione.* Cujus causam Scriptura sacra non tribuit resurrectioni Christi, sed decreto et justitiae divinae, illud non potest dici provenire ex virtute et efficacia resurrectionis Christi. Causam resuscitationis impiorum Scriptura nuspiam tribuit resurrectioni Christi, sed decreto et justitiae divinae. Ergo resuscitatio impiorum non potest dici provenire ex virtute et efficacia resurrectionis Christi. Prior pars assumtionis ἄρσιν continens pro-

batur ex Scripturae silentio, quae enim ex 1. Cor. 15, v. 21. et 22. in contrarium proferuntur, suam inferius habebunt explicationem. Posterior pars assumtionis θέσιν exprimens probatur ex divino oraculo Gen. 2, v. 17: *Quacunque die ex fructu illius arboris comedes, morte morieris.* Hujus decreti efficacia ac virtute impii in novissimo die resurgere cogentur, quod sic ostendimus. Decretum Dei complectitur utramque mortem, temporalem et aeternam, ut alibi probatur. Quodsi igitur impii non solum temporali, sed etiam aeternae morti vi hujus decreti sunt obnoxii, utique ex morte naturali ipsis resurgendum ad majorem scil. condemnationem, ut in corporibus suis resuscitatis et animabus iterum unitis aeternas luant poenas, cum enim per peccata Deum, qui est infinitum bonum, offenderint nec peccatorum suorum remissionem in Christo ac pro-
XIX. 13. pter Christum impetraverint, ideo cogentur infinitam, i. e. aeternam, poenam sustinere. Cum in corporibus suis ac per corpora sua mala egerint, 2. Cor. 5, v. 10. ideo divina requirit justitia, ut in corporibus suis poenas sustineant, utique ergo vi decreti divini et justitiae divinae a morte ipsis resurgendum ad aeternas scil. poenas in corporibus suis sustinendas. Quod ex Christi merito descendit, illud remoto Christi merito locum non habet, quia effectus non potest poni remota causa propria et adaequata. Jam vero impiorum resurrectio locum habet etiam remoto Christi merito. Ergo. Huc referri potest dictum apostolicum Hebr. 9, v. 27: *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium.* Ut statutum est aeterno Dei decreto πρόγνωσιν lapsus Adamici secuto omnibus hominibus semel mori, morte scilic. naturali et corporali; ita quoque statutum est aeterno Dei decreto πρόγνωσιν finalis impoenitentiae ac incredulitatis secuto impiis aeterna morte mori ac proinde etiam resurgere ad judicium, in quo promeriti supplicii poenae ipsis adjudicentur. Statutum inquam est, ut poenas luant impii in illis ipsis corporibus, per quae et in quibus peccaverunt, proinde vi illius statuti ac decreti divini necessarium est, eadem corpora ex terrae pulvere prodire rediviva, quae sub monumentis delituerunt mortua. Observari et illud convenit, quod Scriptura sacra quoties in genere de resurrectione tam impiorum quam piorum loquitur, ejus causam non tribuat merito Christi, sed potius voci ac virtuti Christi Joh. 5, v. 28: *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem ejus,* v. 29. *et procedent, qui bona fecerunt in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt in resurrectionem judicii.* Virtus autem illa, qua Christus impios excitabit, proprie loquendo non pertinet ad meritum Christi, sed ad divinam illius potentiam per unionem personalem et exaltationem ad Dei dextram humanae ipsius naturae communicatam, quae potentia latius et ad plura objecta se extendit quam meritum Christi, quia per hanc potentiam Christus etiam ut homo omnia in coelo ac terra sustentat, regit ac gubernat in regno generali, quod vocatur *regnum potentiae*, per eandem ecclesiam adversus hostes defendit in regno speciali, quod vocatur *regnum gratiae*, ecquis vero dixerit, meritum Christi aeque late patere et ad omnes creaturas sese extendere? Resuscitatio igitur impiorum potius ad partes Christi *judicis*, *quam Redemtoris*, *Mediatoris* ac *Salvatoris* pertinet, ut colligitur ex resuscitationis fine, ideo enim excitabuntur impii non ut beneficiis coelestibus merito passionis et mortis Christi partis perfruantur, sed ut contemtus horum beneficiorum in verbo evangelii ipsis antea oblatorum puniatur; excitabuntur inquam impii, non ut cum Christo Redemtore, Mediatore ac Salvatore in coelesti gloria vivant, sed ut ab ipso tanquam justo judice condemnati a facie ejus in aeternas poenas discedere jubeantur.

57. 2. *Ex resurrectionis Christi conditione.* Resurrectio Christi in Scriptura sacra ubique sic describitur, quod effectus ejus sit salutaris et salvificus, non autem punitorius ac damnatorius. Sic Rom. 4, v. 25. dicitur Christus *resurrexisse* propter credentium *justificationem*, non autem propter incredulorum damnationem. 1. Petr. 1, v. 3. dicimur *regeniti in spem vivam per resurrectionem Christi ex mortuis.* Atqui si resuscitatio impiorum esset XIX. 14
fructus resurrectionis Christi, utique etiam effectus resurrectionis Dominicae non solum esset salutaris ac salvificus, sed etiam punitorius ac damnatorius, quia impii resurgunt ad ignominiam ac poenam. Si dicas, *Christum etiam ideo resurrexisse, ut mortuis ac viventibus dominetur*, Rom. 14, v. 9. *ac proinde etiam impiorum resurrectionem videri fructum Dominicae resurrectionis*, respondeo describi in verbis apostolicis non tam fructum et effectum resurrectionis Dominicae *respectu nostri*, quam consequens ejus *respectu ipsius Christi*, quod scilic. per passionem, mortem et resurrectionem ingressus sit in gloriam Luc. 24, v. 26. quod obedientiam servilem usque ad mortem crucis secuta fuerit ὑπερύψωσις, per quam et in qua *donatum ipsi fuerit nomen*, *quod est super omne nomen* Phil. 2, v. 9. quod Pater coelestis ipsum *suscitaverit ac Dominum fecerit* Act. 3, v. 32. et 36. ac si vel maxime ad fructum resurrectionis nobis partum verba apostoli referre velimus, constat tamen ex antecedentibus et serie contextus, non in genere de omnibus hominibus, sed in specie de piis et credentibus apostolum loqui. *Nemo nostrum*, inquit, *sibi vivit et nemo sibi moritur* v. 7. *sive enim vivimus*, *Domino vivimus; sive morimur*, *Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur*, *Domini sumus* v. 8. At haec non possunt applicari ad impios et incredulos, qui non Domino, sed sibi, sed carni, mundo ac Satanae vivunt, qui sunt ἀπηλλοτριωμένοι τῆς ζωῆς τοῦ θεοῦ Eph. 4, v. 18. qui non vivunt Christo pro ipsis mortuo et resuscitato, sed sibi, i. e. suis cupiditatibus 2. Cor. 5, v. 15. ergo etiam illud quod v. 9. apostolus addit: *In hoc Christus mortuus est et resurrexit et revixit*, *ut mortuis ac viventibus dominetur*, proprie ad pios et

2. Ex resurrectionis Christi conditione.

credentes pertinet, quod illi in vita et morte sint Christi Domini sui, quod illos *nec vita, nec mors a Christo separare possit* Rom. 8, v. 38. Ceterum quod de resurrectione Christi diximus, eam in Scriptura perpetuo sic describi, quod effectus ejus sit salutaris ac salvificus, idem de toto Christi merito et omnibus, quae ad meritum Christi pertinent, actionibus et passionibus statuendum, quod scilic. effectus ejus ubique describatur ut salutaris, vera fide apprehendendus et animae salutem conferens. At restitutio vitae naturalis, quae in die novissimo impiis continget, non est eis salutaris, nec fide ab ipsis apprehenditur, nec animabus eorum salutem confert. Ergo restitutio illa vitae naturalis, quae impiis in die novissimo continget, non est fructus meriti Christi. Expendantur omnia Scripturae dicta, quae de obedientia ac satisfactione Christi, de ipsius passione, morte ac resurrectione, de fructibus obedientiae et satisfactionis loquuntur, et liquido apparebit, tales enumerari effectus et fructus, qui animam hominis concernunt, qui salutem afferunt, qui vera fide hominibus applicantur, nuspiam vero naturalis vitae restitutionem. Si obvertas, *Deum peccatis primorum parentum offensum solius meriti et satisfactionis a Christo praestandae intuitu primos parentes et in eis omnes posteros non statim in nihilum redegisse, sed propter promissam satisfactionem beneficia non solum spiritualia et coelestia, sed etiam corporalia ac terrena ipsis concessisse ac in vita eos conservasse, atque adhuc hodie impios ex gratia in vita conservare ac per verbum ad poenitentiam vocare;* respondeo, distinguendum inter tempus *gratiae* in hac vita et tempus *judicii* post hanc vitam. Si vel maxime beneficia corporalia, quae impiis in hac vita obtingunt, eo respectu ad meritum referantur, quod Pater coelestis merito ac satisfactione Christi placatus non
XIX. 15. statim in nihilum redigat impios propter peccatum, sed concedat eis tempus poenitentiae, vocet eos per verbum, cumulet omnis generis bonis, ut ad poenitentiam eos invitet Rom. 2, v. 4. (quod Chemnicium in postil. facere video), tamen restitutio vitae naturalis, quae impiis in novissimo die obtinget, non potest ad classem beneficiorum ex merito Christi descendentium referri, tum quia restitutio illa non fit in hac vita, quae tempus gratiae in se concludit, sed post hanc vitam, in die scilic. novissimo tum quia finis restitutionis illius potissimum hic attendendus, quod non ad gloriam et vitam coelestem, sed ad ignominiam et mortem sempiternam impii sint resuscitandi, ergo resuscitatio illa non est opus gratiae et misericordiae merito Christi impetratae, sed actus justitiae et judicii. Adde quod beneficia corporalia, quae impiis in hac vita obtingunt, ad dilectionem Dei *generalem*, quae omnes creaturas complectitur, non autem ad dilectionem *specialem* morte Christi partam proprie loquendo pertineant.

3. Ex resurrectionis

58. 3. *Ex resurrectionis merito Christi partae descriptione.* Resurrectio, quae vi meriti et resurrectionis Christi hominibus obtingit, in sacris literis sic describitur, quod *ratione objecti* pertineat tantum ad membra Christi, ad eos scilic. qui per fidem corpori mystico, cujus caput est Christus, inseruntur, qui mortis et resurrectionis Christi fiunt participes, qui in Christo tanquam capite suo et una cum ipso vivificantur, 1. Cor. 15, v. 23. et quod *finis ac consequentis ratione* fiat ad vitam et salutem, ut constat ex serie integri illius capitis. Jam vero impii non sunt membra corporis illius mystici, cujus caput est Christus, ac resurrectio impiorum non fit ad vitam et salutem sed ad ignominiam et mortem. Ergo eorum resurrectio non ex vi meriti et resurrectionis Christi descendit. Excipiunt, *impios esse membra Christi naturalia, non spiritualia, ratione unionis naturalis, non autem spiritualis.* Respondemus: 1. Quod dicimur membra corporis Christi, *os ex ossibus ejus et caro de carne ejus* Eph. 5, v. 30. non potest tantum ad ὁμοουσίαν naturae nostrae cum Christo referri, quia ipsa appellatio membrorum nos eo deducit, quod requiratur spiritualis quaedam conjunctio ac compages, per quam Christo tanquam capiti conjungamur, ea vero non est omnibus hominibus piis et impiis communis, sed piorum duntaxat propria. 2. Συσσωμασίαν illam nostram cum Christo apostolus sic describit Eph. 4, v. 15 et 16: *Christus est caput, ex quo totum corpus compactum et coagmentatum per omnem juncturam subministratione secundum operationem in mensura unius cujusque membri augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate;* atqui partes illius descriptionis non competunt impiis. 3. *Qui non habet Spiritum Christi, non est ejus* Rom. 8, v. 9. qui non animatur ac regitur Spiritu Christi, non potest dici membrum corporis ejus mystici. Sicut vita naturalis requiritur, ut aliquod sit membrum corporis humani, sic vita spiritualis requiritur, ut aliquis sit membrum corporis mystici. 4. Quo respectu Christus dicitur *caput* nostrum, eodem respectu nos vocamur ipsius *membra*, ut colligitur ex natura mutuae relationis. Sed Christus dicitur caput nostrum non *naturaliter*, seu ob ὁμοουσίαν naturae humanae, sed *spiritualiter* seu ob spiritualem nostram cum ipso unionem per fidem, Gal. 2, v. 20. Eph. 3, v. 17. Ergo etiam vocamur membra Christi, non respectu consanguinitatis naturalis, sed ratione unionis spiritualis. 5. Membra meretricis non sunt XIX. 16.
membra Christi, ut docet oppositio apostolica 1. Cor. 6, v. 15. sicut filii diaboli non possunt esse filii Dei; sic membra Satanae non possunt esse membra Christi, Joh. 8, v. 44. Qui habent spiritum mundi, non habent spiritum, qui ex Deo est, 1. Cor. 2, v. 11. 6. Conformitas Christi et membrorum ejus non in natura, sed in qualitatibus naturae quaerenda. Dicimur enim ipsi σύμμορφοι Rom. 8, v. 29. Phil. 3, v. 10. at quando de naturae ὁμοουσίᾳ agitur, tum de *consubstantialitate*, non autem *conformitate* quaeritur, ac illius ὁμοουσίας respectu ipse dicitur κοινωνὸς, *particeps factus carnis et sanguinis nostri* Hebr. 2, v. 14. 7. Si

Christi merito partae descriptione.

impii essent membra Christi, consequens foret, membra quaedam Christi infernalibus flammis olim torquenda, et sic pars corporis Christi glorificanda in coelo, pars autem torquenda in inferno, quod absurdum.

4. Ex absurdorum consecutione.

59. 4. *Ex absurdorum consecutione.* 1. Si impiorum resurrectio esset fructus meriti et resurrectionis Christi, consequens foret, eam per Christi resurrectionem esse consecratam et sanctificatam, inde enim atque ideo Christus ex mortuis suscitatus vocatur ἀπαρχὴ, *primitiae dormientium* 1. Cor. 15, v. 20. quia resurrectio ejus sanctificat et consecrat reliquorum hominum resurrectionem ab ea tanquam causa meritoria dependentem, sicut per sanctificationem et oblationem primitiarum in V. T. sanctificati censebantur fructus reliqui Lev. 23, v. 10. Deut. 26, 2. Atqui absurdum est statuere, quod per Christi resurrectionem sanctificata sit impiorum resurrectio, cum ratione formae ac finis plurimum invicem differant. 2. Si Christus merito suo resurrectionem ad judicium et damnationem impiis impetrasset, uni eidemque causae duo contrarii effectus per se attribuerentur. Ratio connexionis est, quia Christus merito suo resurrectionem ad vitam et salutem piis impetravit. 3. Si resuscitatio impiorum esset fructus meriti Christi, sequeretur, homines non potuisse a morte resurgere, nisi Christus fuisset mortuus et resuscitatus. At consequens est absurdum, quia homo propter peccatum temporali et aeternae morti factus erat obnoxius. 4. Si resuscitatio impiorum est fructus meriti Christi, utique etiam conservatio impiorum in inferno erit fructus meriti Christi, quia ut resuscitatio ipsa praecise et formaliter sine respectu ad subjectum et finem sive consequens considerata est Dei beneficium, ita conservatio existentiae praecise et formaliter sine respectu ad subjectum et adjunctas poenas considerata est Dei beneficium. Quodsi ergo omnia Dei beneficia ex merito Christi descendunt, utique etiam illa conservatio et prohibitio ἀνυπαρξίας ex merito Christi descendet. 5. Si resuscitatio impiorum aeterno exitio adjudicandorum est fructus meriti Christi, consequens est, impios aeterno exitio adjudicandos revera esse participes meriti Christi. At consequens est absurdum, qui enim in die judicii revera particeps erit fructus meriti Christi, is non adjudicabitur aeterno exitio, sed potius vitam aeternam Christi merito partam obtinebit. 6. Si resuscitatio impiorum est fructus meriti Christi, consequens est, applicationem meriti Christi absque fide locum habere. Consequens repugnat universae Scripturae, quippe quae testatur, acquisitionem quidem meriti esse universalem, sed applicationem propter hominum incredulitatem fieri particularem. Videatur scriptum Balduini theologi eximii, amici nostri singularis de hac quaestione D. H. B. oppositum, quod comment. in 1. Cor. pag. 818. postmodum inseruit.

60. Idem nobiscum statuunt pii veteres, Chrysostomus in 1. Cor. hom. 39: *Quid vero dic rogo, omnes vivificabuntur in Christo? et ubi sunt, qui abducuntur in gehennam?* Et postea: *Ne cum audieris communem vivificationem, etiam peccatores existimares esse salvos*, subjungit, *unus quisque autem in suo ordine. Primitiae Christus, deinde ii, qui sunt Christi, h. e. fideles et qui sunt probati et bonae existimationis.* Ambrosius in comm. 1. Cor. 15: *Quia peccato hominis mors inventa est, Christi justitia meruit resurrectionem mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur. Hoc dicit, quia sicut Adam peccans mortem invenit et omnes ex ejus origine tenuit ut dissolvantur, ita et Christus non peccans et per hoc vincens mortem (quia qui non peccat, vincit mortem, quia mors ex peccato) omnibus, qui sunt ex ejus corpore, acquisivit vitam, id est resurrectionem. Quamvis ergo generalem tribuerit resurrectionem, ut sicut in Adamo omnes sive justi sive injusti moriuntur, ita et in Christo omnes tam credentes quam diffidentes resurgant, licet ad poenam, increduli tamen vivificari videntur, quia corpora sua recipient jam non morituri, sed passuri in eis poenam sine fine, quod credere noluerunt.* Augustinus in exposit. inchoata epist. Rom. tom. 4. pag. 835: *Ex ipsorum* (piorum) *etiam resurrectione praedestinatus est Christus, ut ipsis princeps fieret, ceterorum autem in sua conditione resurgentium, non princeps, sed judex est. Non itaque ex illorum mortuorum resurrectione praedestinatus est, quos est damnaturus. Praedestinatum enim esse ex resurrectione mortuorum, ut praecederet resurrectionem mortuorum, vult intelligi apostolus; hos autem praecessit, qui ad ipsum coeleste regnum, quo eos praecessit, secuturi sunt* etc.

Argumenta pro affirmante quaestionis parte. 1. Ex oppositione apostolica 1. Cor. 15, v. 22. et 23.

61. Qui contrarium statuunt, hisce potissimum utuntur argumentis, 1. *ex oppositione apostolica* 1. Cor. 15, v. 22: *Sicut per hominem mors, sic per hominem resurrectio mortuorum*, v. 23. *et sicut in Adamo omnes moriuntur, sic in Christo omnes vivificabuntur. Atqui ab Adamo in omnes omnino homines pios et impios mors descendit, ergo etiam a Christo in omnes homines pios et impios resurrectio promanat.* Respondemus: Apostolus in hoc cap. 15. non de *resurrectione universali*, piis et impiis communi, in genere, sed de *resurrectione piorum* determinate et in specie loquitur, ut Chrysostomus hom. 39. in 1. Cor. Luth. in comm. hujus loci tom. 6. Jen. f. 231. Hunnius, Rungius, Balduinus et alii recte statuunt. Id enim colligitur *ex antecedentium et consequentium consideratione.* Loquitur apostolus de iis, *quibus evangelium praedicaverat, quod etiam acceperant, in quo etiam stabant* v. 1. *qui Christum ex mortuis resuscitatum* et a testibus fide dignis visum *fuisse crediderant* v. 3. et seqq. loquitur de resurrectione eorum, *qui obdormierunt in Christo* v. 18. *atqui in Domino mori* piorum duntaxat proprium est Apoc. 14, v. 13. loquitur de resurrectione eorum, qui *miserrimi essent omnium hominum, si non esset resurrectio*, qui in *Christum sperarunt sive crediderunt in hac vita* v. 19. quorum ἀπαρχὴ sive *primitiae Christus in resurrectione* sua

**factus** v. 20. qui sunt *τοῦ Χριστοῦ* v. 23. (atqui *si quis non habet Spiritum Christi, is non est ejus* Rom. 8, v. 9. *qui non crucifigunt carnem suam cum concupiscentiis, non sunt Christi* Gal. 5, v. 24.); loquitur de eorum resurrectione, qui *baptizabantur super mortuis* v. 29. qui propter Christum *pericula quotidie subire non recusabant* v. 30. qui ab Epicurea securitate abhorrebant v. 32. loquitur de illa resurrectione, quam consequetur *corporum glorificatio* v. 43. et seqq. *regni divini possessio* v. 50. *beata ἀφθαρσία et incorruptio* v. 52. *plena de morte victoria et triumphatio* v. 55. Atqui haec non possunt ad impiorum resuscitationem applicari, ut constat, necessario igitur verba apostoli intermedia de resurrectione piorum accipienda, ut sit sensus *per hominem*, videl. Adamum, *mors et per hominem*, videl. per Christum, *resurrectio mortuorum*, illorum scilic. qui in Christo obdormierunt, quorum *ἀπαρχὴ* est Christus, qui Christi sunt etc. ut ex immediate praecedentibus et subsequentibus intelligitur. *De illa resurrectionis specie hic agitur, quam Christus perficiet abolendo peccatum, eam vero in impiis ponere non possumus, cum illi in suis peccatis adhuc maneant, ideo etiam non poterunt illius resurrectionis participes fieri, sed resurrectio eorum pertinet ad severitatem judicii, non ad misericordiae beneficentiam. Si enim vere pronuntiavit Dominus de Juda, quod melius ei fuisset, si natus non esset, idem etiam affirmare de his possumus, longe melius eis fore, si minime resurgerent,* scribit Petrus Martyr d. l. id ipsum ex subjuncta *ἐξηγήσει ἀντιθετικῇ* manifestius conspicitur. *Sicut in Adamo omnes moriuntur, ita etiam in Christo omnes vivificabuntur*, ubi nota, apostolum pro *ἀναστάσει* ponere *ζωοποίησιν*, quae peculiariter tribuitur piis Rom. 8, v. 11. (sicut *ἔγερσις* in genere omnibus hominibus) ac nihil aliud est quam *ἀνάστασις ζωῆς* sive *εἰς ζωήν* Joh. 5, v. 29. quam verbi emphasin jam olim expendit Augustinus epist. 89. ad Hilar. col. 401. ubi in haec verba apostoli sic commentatur: *Omnes in Christo vivificabuntur, utique resurrectionem justorum dicit, ubi est vita aeterna, non resurrectionem iniquorum, ubi mors erit aeterna, ideo ait, vivificabuntur, quia illi damnabuntur.* Neque absolute et simpliciter necessarium est, partes oppositionis semper aequalis esse latitudinis, multo minus necessarium est, quando Adamus et Christus ut fons peccati et justitiae, mortis et vitae sibi invicem opponuntur, quod Rom. 5, v. 12. et h. l. fieri constat, ut in omnibus ac singulis partibus etiam ultra comparationis scopum sive tertium, quod apostolus intendit, collatio instituatur, quia alias inferri posset, justificationem esse universalem omnium hominum, sicut damnatio est universalis; justitiam esse qualitatem inhaerentem, sicut peccatum intime nobis inhaeret; justitiam Christi per naturalem generationem in nos propagari, sicut peccatum ab Adamo in nos propagatur; ad justitiae applicationem non requiri fidem, sicut ad peccati communicationem ea non requiritur etc. Sufficit igitur ad antithesin apostolicam explicandam Adamum et Christum opponi tanquam duos fontes, ex quorum uno peccatum et mors, ab altero justitia et vita in nos descendit, quamvis nec modus, nec objecta communicationis utrobique sint eadem. Augustinus lib. 2. de pecc. merit. et remiss. cap. 30: *Omnium corporis mortem factam per unum hominem dixit et omnium corporis resurrectionem in vitam aeternam per unum Christum futuram esse promisit,* id quod epist. 57. ad Dard. sic declarat, *omnes et omnes ideo dixit, quia in mortem nemo nisi per illum* (Adamum), *in vitam nemo nisi per istum* (Christum). Denique si vel maxime aequalis latitudo oppositionis respectu objectorum evicta esset, quod non minus
a Christo in omnes homines resurrectio, quam in XIX. 19.
omnes homines mors ab Adamo descendat, tamen id efficaciae et potentiae, non autem meriti ratione a Christo proficisci statuendum esset.

62. Atqui, inquis, *apostolus disputat contra eos, qui negabant resurrectionem mortuorum in genere. Non enim dicit, quomodo ajunt quidam, non esse resurrectionem piorum, sed mortuorum. Ergo etiam apostoli argumenta debent esse generalia, ut probent omnium omnino hominum resurrectionem.* Respondemus: 1. Si vel maxime concederemus, apostolum ex Christi resurrectione universalem omnium hominum resurrectionem directe inferre, nondum tamen evictum foret, resurrectionem impiorum ex Christi resurrectione tanquam ex causa meritoria dependere, sed hoc tantum inferri posse, quod resurrectio universalis sit necessarium consequens resurrectionis Christi, utpote qui per suam resurrectionem *factus est dominus viventium ac mortuorum* Rom. 14, v. 9. *ac judex omnium a Deo ordinatus est* Actor. 17, v. 31. Quodsi ergo omnes, etiam mortuos, etiam impios judicare debet, utique necesse est, ut impii ex morte resurgant, qua ratione indirecte ex Christi resurrectione etiam impiorum resurrectio inferri potest. 2. Quia vero circumstantiae textus ostendunt, apostolum piorum duntaxat resurrectionem ex Christi resurrectione h. l. deducere, ideo respondemus, apostolum resurrectionis abnegatores refellentem propterea in piorum resurrectione probanda hic unice esse occupatum, primo quia illa proprie est *resurrectio vitae* sive ad vitam beatam et sempiternam, Joh. 5, v. 29. impiorum vero resurrectio potius est casus et lapsus ad mortem, quia resurgent non ad vitam, sed ad mortem aeternam. Secundo, quia est necessaria connexio inter resurrectionem piorum et impiorum. Neque enim in die judicii tantum resurgent pii, sed omnes simul homines, cum quidam ad *judicium*, quidam ad *vitam* sint resurrecturi, Dan. 12, v. 2. Joh. 5, v. 29. probata igitur resurrectione piorum, omnium hominum resurrectio est probata propter necessariam connexionem a divino decreto dependentem. Tertio, quia resurrectionis adversariis potissimum de piorum resurrectione sermo erat. Illos enim non esse resurrecturos probare cupiebant ex eo, quod jam ante per regenerationem surrexissent, Roman. 6, v. 4.

Col. 3, v. 1. Apoc. 20, v. 6. spiritualiter scilic. apostolus igitur demonstrat, praeter illam spiritualem piorum resurrectionem adhuc superesse aliam, videlicet resurrectionem corporalem sive carnis in fine seculi secuturam. Quarto, Corinthiorum illi Sadducaei, contra quos disputat apostolus, videntur hoc modo in suis ratiocinationibus progressi. Si esset resurrectio, tum vel maxime pii ejusdem forent participes, vel si pii non resurgent, nulli omnino homines resurgent. Sed pii non resurgent, quia promissio de resurrectione jam ante in ipsis per spiritualem resurrectionem est completa. Ergo nulli plane resurgent. Hic ergo apostolus aggreditur conclusionis oppositae probationem et contrario modo procedit. Si pii resurgent, falsum est, non futuram resurrectionem. Sed pii resurgent. Ergo. 3. Afferimus huc illustrationis causa disputationem Christi contra Sadducaeos Matth. 22. Luc. 20. Sadducaei in genere negabant resurrectionem, non tantum piorum, sed etiam impiorum. Christus eos ex Moyse refutaturus affert tale argumentum, quo piorum duntaxat resurrectio probatur. Neque enim
XIX. 20. de impiis dici potest, quod Deus eorum sese Deum esse (eo quidem sensu ac respectu, quo Abrahami, Isaaci et Jacobi Deus dicitur) uspiam appellet. Quidquid hic pro defensione disputationis Christi adferri potest, idem etiam pro defensione Paulinae disputationis afferri poterit. 4. Propositioni universali neganti non solum opponitur universalis affirmans, sed etiam particularis affirmans, prior quidem contrarie, posterior contradictorie. Universali igitur neganti ab adversariis probare, *nulli mortui resurgent,* apostolus opponit particularem affirmantem, qua stabilita itidem evertitur universalis negans. Si obvertas, *hanc apostolicam conclusionem directe non adversari antithesi adversariorum*, repetendae erunt causae superius expositae. 5. Res ipsa nos cogit, ut statuamus, apostolo non esse h. l. propositum, universalem omnium hominum resurrectionem directe et immediate probare, sed duntaxat piorum, ex qua indirecte et mediate impiorum etiam resurrectio postea deducitur. Praeterquam enim quod apostolus indefinite, quomodo *quidam inter vos dicunt, mortuos non resurgere* (sine signo universali addito), loquitur, negari nulla veritatis specie potest, quaedam saltem argumenta apostoli esse particularia, quae piorum duntaxat resurrectionem probant. Illa ergo aut a quaestione probanda erunt aliena, aut ad eandem accommodata. Prius dici nequit, ut constat. Manet ergo posterius, ex quo porro elucescit, quaestionem probandam esse, quod pii sint resurrecturi, neque enim duas distinctas quaestiones sibi demonstrandas sumit apostolus, quarum una agat de resurrectione omnium hominum in genere, altera de resurrectione piorum in specie, sed unam duntaxat in v. 12. propositam. 6. Neque cogitari potest, apostolum, ubicunque de resurrectione agit, semper in genere de universali resurrectione agere. Contrarium enim manifeste patet ex 1. Thess. 4. et ex hoc ipso cap. 15. prioris Cor.

63. 2. *Ex enumeratione beneficiorum Christi. Christus destruxit opera diaboli* 1. Joh. 3, v. 8. *abstulit peccata totius mundi* Joh. 1, v. 29. *reparavit omnia, quae per lapsum Adae amissa, destruxit mortem* 2. Tim. 1, v. 10. *At in impiis mors destruitur, dum vita ipsis restituitur*. Respondemus: 1. resurrectio impiorum potius poenae quam beneficii loco habenda, cum impii non resurgant ad vitam, sed ad judicium, non ad gloriam, sed ad ignominiam, Dan. 12, v. 2. Joh. 5, v. 29. unde etiam resurrectio, salutaris scilic. et vivifica esse negatur. Quo a quibusdam refertur Esa. 26, v. 14. 2. Restitutio vitae, quae impiis in die novissimo continget, non tam mortis destructio quam ejusdem instauratio aestimanda, resurgent enim non ad vitam, sed ad mortem aeternam. 3. Distinguendum inter *acquisitionem* et *applicationem* meriti. Ratione acquisitionis Christus pro omnibus totius mundi peccatis satisfecit, regnum Satanae pro omnibus destruxit, mortem pro omnibus vicit; sed applicatio horum beneficiorum tantum ad credentes pertinet. 4. Christus impios ex morte in vitam revocabit, non ut amicus Mediator, non ut fraternus Salvator, sed ut iratus judex, sicut magistratus maleficum ex carcere educit non ad beneficii participationem vel regni possessionem, sed ad supplicii irrogationem. Excipiunt, *resurrectionem impiorum hic considerari non ratione consequentis, quatenus eam sequitur ignominia et poena, sed ratione formae, praecise ac formaliter, quatenus per illam vita homini restituitur. Ut ergo mors temporalis est poena peccati, ita mortis ablatio et vitae restitutio erit beneficium Christi.* Respondemus: 1. eodem modo inferre possem, quod conservatio damnatorum in inferno et prohibitio ἀνυπαρξίας sit beneficium ex merito Christi descendens, quod nemo dixerit, nam ut Paulinus de damnatis canit:

*Vita erit his sine fine mori et mors vivere poenis.*

2. Vitae restitutio non potest nec debet hic formaliter spectari, sed subjective et consequenter, hoc est *ratione subjecti*, quatenus est vita impiorum supplicio aeterno adjudicandorum, et *ratione consequentis*, quatenus resuscitantur non ad vitam et felicitatem aeternam, sed ad ignominiam et poenam sempiternam. 3. Nec potest resuscitatio impiorum a termino ad quem resuscitationis, videl. a subsequente damnatione divelli, quia *actio denominationem et qualitatem suam recipit a termino ad quem.* 4. Christi beneficia, quibus homines actu fruuntur, eos exhilarant et reficiunt, atque eadem homines anxie desiderant; sed resuscitatio impiorum eos non exhilarat, sed terret, nec desiderant suam resuscitationem, sed potius quaerunt mortem et optant, se nunquam ad judicium vocari, Apoc. 9, v. 6. 5. Reparatio vitae per Christum facta non est definienda per naturalis vitae restitutionem, vel animae et corporis iteratam conjunctionem, alias etiam vita, quam a parentibus accepimus, esset beneficium ex merito Christi descendens, sed restitutione vitae

spiritualis ac coelestis per lapsum protoplastorum amissae.

3. A majori ad minus. 64. 3. *A majori ad minus. Si Christus vi meriti sui peperit impiis quod majus est, videl. remissionem peccatorum, reconciliationem cum Deo et vitam aeternam, multo magis peperit id quod minus est, videl. resurrectionem corporum.* Respondemus: 1. confunditur *applicatio cum acquisitione.* Christus vi meriti sui acquisivit impiis resuscitationem ad vitam aeternam, sed illi beneficium fide sibi non applicant. 2. Possem ex eodem medio inferre, Christum honores ac divitias hujus mundi suo merito nobis acquisivisse. 3. Fructus ex merito Christi descendentes sunt illa beneficia, quae animabus hominum potissimum ad salutem conferunt, inter quae resuscitatio ad judicium et ignominiam referri nequit. 4. Remissio peccatorum et reconciliatio cum Deo pertinent ad opera gratiae et sunt salutaria beneficia, sed resuscitatio impiorum ad poenam et mortem est opus irae et judicii.

Causa instrumentalis resurrectionis. 65. *Causa instrumentalis* resurrectionis a plerisque statuitur *ministerium angelorum*, quod Filio Dei exhibebunt, 1. *tuba clangendo.* Matth. 24, v. 31: *Filius hominis mittet angelos suos cum tuba vocis magnae.* 1. Cor. 15, v. 51: *Non omnes quidem obdormiemus, omnes tamen immutabimur*, v. 52. *in momento, in ictu oculi, in novissima tuba; canet enim, et mortui surgent incorruptibiles, et nos immutabimur.* 1. Thess. 4, v. 16: *Ipse Dominus cum jubilatione, in voce archangeli et in tuba Dei descendet de coelo et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi* etc. 2. *Homines ex mortuis suscitatos colligendo.* Matth. 24, v. 31. cap. 25, v. 31. Marc. 13, v. 27: *Mittet Filius hominis angelos suos et congregabunt electos ejus a quatuor ventis a summis coelorum usque ad terminos eorum.* Huc
XIX. 22. referri potest oraculum Davidicum Psalm. 50, v. 5: *Congregate mihi sanctos meos.* 3. *Collectos in duas classes distribuendo* ac bonos ad Christi judicis dextram, malos ad ejus sinistram statuendo. Matth. 13, v. 49: *In consummatione seculi exibunt angeli et separabunt malos de medio justorum.* cap. 25, v. 31: *Cum venerit Filius hominis in majestate sua et omnes angeli cum eo*, v. 32. *congregabuntur ante eum omnes gentes et separabit eos* (ministerio scilicet angelorum) *ab invicem, sicut pastor segregat oves ab haedis et statuit oves quidem a dextris suis, haedos autem a sinistris.* 4. *Malos a bonis separatos post latam judicis sententiam in infernum mittendo.* Matth. 13, v. 41: *Mittet Filius hominis angelos suos et colligent de regno ejus omnia scandala et eos, qui faciunt iniquitatem*, v. 42. *et mittent eos in caminum ignis*, quod repetitur v. 50. Notandum autem h. l. 1. quod resurrectio dupliciter accipiatur. Primo *stricte, praecise ac formaliter* pro corporum ex terrae pulvere formatione atque eorundem cum animabus unitione sive naturalis vitae restitutione, ac corporum vivificatorum ex sepulcro productione; secundo *late, generaliter ac materialiter* pro actionibus resurrectionem proxime antecedentibus ac consequentibus, adeoque pro toto complexu eorum omnium, quae ante et post resurrectionem praecise acceptam contingent. Priori sensu angeli non possunt dici causa instrumentalis resurrectionis, quia resuscitatio est opus mere divinum, ad quod nullum angelorum vel hominum ministerium concurrit, sed quemadmodum corpus primi hominis Deus ipse ex terrae pulvere immediate formavit Gen. 2, v. 7. et ex costa ejus mulierem aedificavit v. 22. ita quoque Deus ipse corpora defunctorum ex terrae pulvere reformabit et cum iisdem proprias animas conjunget. Ezech. 37, v. 12: *Haec dicit Dominus, ecce ego aperiam tumulos vestros et educam vos de sepulcris vestris et dabo Spiritum meum in vobis.* Posteriori sensu angeli possunt dici causae instrumentales resurrectionis, quia Christo Domino suo ministrabunt tuba ante resurrectionem clangendo et post resurrectionem homines a quatuor ventis, i. e. ex omnibus mundi plagis, colligendo etc. Inde quidam dicunt, angeli erunt ὑπηρέται sive *ministri* resurrectionis, *causae* autem nullo modo esse possunt. Oecumenius in comm. 1. Thess. 4: *Ut quos accepit, terra reddat in immortalitatem commutatos, id Christi praeceptum efficit; ut autem qui ad postrema mundi loca dispersi sunt in unum congregentur, angeli perficiunt jubente hoc archangelo.* 2. Quod resurrectionis praecise et formaliter acceptae causa instrumentalis haud immerito statui possit *vox Christi* resuscitantis et judicantis. Quod enim hoc opus divinum immediate ab ipso Deo profectum iri diximus, id respectu creaturarum, angelorum scilic. et hominum, accipiendum, quod Deus in hoc opere non sit adhibiturus angelorum vel hominum ministerium, interim causae instrumentalis vicem obtinebit vox Christi, cujus natura humana cum in ipsam Λόγου ὑπόστασιν sit assumta, ideo vox ejus divinam habebit efficaciam mortuos ex sepulcris evocandi. Hanc Christi vocem non de nudo duntaxat *jussu interno* et voluntate efficaci, sed etiam de *sono externo* et audibili intelligendam probabiliter statuimus. Primo, quia ipsa litera nos eo deducit. Dicitur Christus *voce sua* excitaturus mortuos, jam vero constat, quod vox sit sonus externus et audibilis. Secundo, quia mortui dicuntur vocem illam *audituri*. Joh. 5, v. 28: *Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei.* Atqui XIX. 23.
si vox illa debet ex parte hominum audiri, utique etiam ex parte Filii Dei sonabit, ut mutuae relationis vis ostendit. Tertio, quia Deus dicitur *vocare ea, quae non sunt, tanquam sint, τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα* Rom. 4, v. 17. quod quamvis directe et proprie ad articulum creationis pertineat, tamen consequenter et secundario etiam ad articulum resuscitationis, quae est iterata ac nova creatio, accommodari potest, quod Filius Dei defunctos nondum exsistentes divina sua voce ita alloquatur, quemadmodum nos homines vivos et exsistentes compellamus. Quarto, quia in praeludiis universalis resurrectionis, in particularibus scilic. resuscitatorum exemplis, Christus

Quid per vocem Christi intelligatur.

externa et audibili voce usus est. Filiae Jaïri dicit: *Puella surge!* Luc. 8, v. 54. viduae in Nain filium sic alloquitur: *Adolescens, tibi dico, surge!* Luc. 7, v. 14. Lazarum excitaturus clamat voce magna: *Lazare, veni foras!* Joh. 11, v. 43. Verisimile igitur est, in resurrectione universali ipsum eodem modo acturum, ac notant pii veteres, Christum propterea notanter dixisse, adolescens *tibi dico*, surge, ne si in genere et universaliter dixisset, *dico vobis* mortuis surgite, eo ipso statim momento omnes surrexissent. Probare igitur non possumus, quod quidam nudum imperium absque voce externa hic statuant, quidam contra vocem illam vivificatricem mediate per angelum sonituram, et quia Christi nomine proferenda, divinam vim et efficaciam habituram autumant.

Quid per vocem archangeli et tubam Dei intelligendum.

66. 3. *De voce archangeli et tuba Dei* ante resurrectionem sonituram diversae exstant interpretum sententiae. Quidam enim per eam intelligunt *vocem ipsius Filii Dei*, qua mortui in novissimo die excitabuntur. In hac sententia ex veteribus est Gregorius, ex recentioribus Flacius in Clavi in verb. Tuba: *Tuba extrema vocatur illud imperium aut mandatum Christi, quo evocabit mortuos ad resurrectionem et judicium.* Patrocinium huic sententiae quaeri potest 1. *ex collatione locorum Scripturae.* Joh. 5, v. 28: *Qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei et prodibunt.* 1. Cor. 15, v. 52: *Canet tuba et mortui resurgent incorruptibiles.* 1. Thess. 4, v. 16: *Dominus in voce archangeli et in tuba Dei descendet de coelo, et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi.* Sicut in priori dicto ad auditum vocis Filii Dei, sic in posterioribus ad auditum tubae mortui dicuntur resurrecturi. 2. *Ex Christi explicatione.* Ne quis enim de tuba materiali ac proprie accepta hic cogitaret, ideo Christus Matth. 24, v. 31. vocat *tubam vocis magnae*, ut ostendat, tubam illam fore vocem magnam, ipsius scilic. Filii Dei (quaedam tamen exemplaria legunt *σάλπιγγος καὶ φωνῆς μεγάλης*). 3. *Ex apostoli descriptione.* Paulus 1. Thess. 4, v. 16. vocat *vocem archangeli*, jam vero Christus proprie est summus archangelus, angelorum omnium dominus; *Michael* coelestis militiae signifer Apoc. 12, v. 7. vocat *tubam Dei*, non angelorum, ut innuat ipsius Filii Dei vocem hoc nomine accipiendam. 4. *Ex efficaci operatione.* Ad clangorem et sonum illius tubae mortui resurgent, erit ergo infinitae virtutis, inerit illi potestas creatrix et reformatrix corporum defunctorum. Jam vero ostendimus superius, angelis non posse tribui causam resurrectionis proprie et stricte acceptae. Huic argumento respondent per distinctionem inter *instrumentum morale et naturale*
XIX. 24. *sive physicum. Tuba illa*, inquiunt, *erit instrumentum duntaxat morale resurrectionis, per quod Christus operabitur, non autem vim physicam habebit.* Quidam vero per tubam intelligunt *clangorem ab angelis formatum*, adventus Christi et resuscitationis praenuntium similem clangori illi, qui in monte Sinai circa legis promulgationem audiebatur Exod. 19, v. 16. Cui sententiae adstipulantur ex veteribus Chrysostomus, Anselmus et alii, unde in ecclesia canitur:

*Tuba mirum spargens sonum*
*Per sepulcra regionum*
*Coget omnes ante thronum.*

Probabilitas huic sententiae conciliari potest ex sequentibus fundamentis, 1. quia Christus hanc tubam angelis tribuit, Matth. 24, v. 30: *Filius hominis mittet angelos suos cum tuba vocis magnae.* 2. Quia voci archangeli et tubae Dei conjungit apostolus *κέλευσμα*, quod non est simplex jussio, sed vox illa, qua nautae seu milites se mutuo excitant ad rem strenue gerendam, h. e. conclamatio illa *nautarum* se exhortantium, ut uno velut concentu et conatu remos attollant et remigare incipiant; ac *militum*, ut conjunctis animis et viribus hostem adoriantur, 1. Thess. 4, v. 16. Quia enim adventus Christi ad judicium in Scripturis sacris describi solet, quasi adventus regis in proelium descendentis ad debellandos suos hostes 2. Thess. 2, v. 8. et liberandos ex captivitate suos subditos Luc. 21, v. 28. ideo conjungit apostolus *τὸ κέλευσμα*, hortamen classicum sive clamorem militarem, et archangelum velut ducem coelestis militiae et tubam belli denuntiatricem. Chrysostomus homil. 77. in Matth.: *Erit tubarum sonus ad exsuscitationem, ad gaudium, ad exprimendum rerum stuporem, ad dolorem eorum, qui relinquuntur.* 3. Quia notanter dicit apostolus, quod *ipse Dominus ἐν κελεύσματι* (i. e. *μετὰ κελεύσματος*) *ἐν φωνῇ ἀρχαγγέλου καὶ ἐν σάλπιγγι θεοῦ de coelo descendet*, ergo vox illa archangeli et tuba Dei non erit ipsius Domini vox, sed aliquid ab ea distinctum. 4. Quia in N. T. non est usitatum, Christum vocari archangelum, unde per archangelum quidam intelligunt *Gabrielem.* Ut enim Gabriel primum Christi adventum praenuntiavit beatissimae Virgini, sic conveniens est, ab eodem secundum Christi adventum mundo praenuntiari. 5. Praeter vocem ipsius Filii mortuorum vivificatricem externum aliquod vehemens et horribile tonitru angelorum ministerio formatum, vel clamor aliquis excitatorius in novissimo die videtur soniturus. Matth. 25, v. 6: *Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit.* 1. Thess. 4, v. 16: *Dominus descendet ἐν κελεύσματι.* 6. Scriptura quando Deum publice locutum fuisse affirmat, tonitrua et fulmina adhibita fuisse commemorat Exod. 19, v. 16. Job. 28, v. 1. Joh. 12, v. 19. ideo etiam tonitrua, quae in novissimo die futura sunt, satis magna et horribilia *clangor buccinae coelestis, vox archangeli et tuba Dei* appellari videntur. Sicut in promulgatione legis audiebantur tonitrua, micabant fulgura et clangor buccinae vehementius perstrepebat Exod. 19, v. 16. in quorum formatione angelorum ministerium intercessisse colligitur ex Act. 7, v. 53. Gal. 3, v. 19. ita quoque in exsecutione contra transgressores legis in die judicii instituenda audietur clangor tubae ac tonitrua, quae קֹלוֹת יְהוָֹה

*voces Dei* dicuntur Psalm. 18, v. 14. angelorum ministerio formata. Theophylactus in 1. Thess. 4: *Ut Pater in monte Sinai tubas habebat et angelos ministrantes, ita Filius veluti rex aut imperator eadem habiturus est.* Theodoretus in comm. 1. Thess. 4: *Si in monte Sina, cum editus esset sonus, iis, qui aderant, commoderatus, non tulit*
XIX. 25. *populus ingentem terrorem, sed dixit magno Moysi: Loquere tu nobis et non loquatur Deus nobiscum, ut non moriamur, quis feret vocem, quae tunc resonabit?* Clangore tubae indicabatur, adesse *jubilaeum*, Lev. 25, v. 9. sic ultimae tabae clangor denuntiabit festum aeternum, quod pii in coelo celebrabunt. 7. Israëlitae in proelium adversus hostes progressuri buccinis clangebant Num. 10, v. 2. in expugnatione urbis Jericho sacerdotes tubis clangebant Jos. 6, v. 4. exercitus Gideonis contra Midianitas pugnans buccinis personabat Jud. 7, v. 22. angeli judicia Dei mundo denuntiantes tubis canunt Apoc. 8. 9. et 11. haec omnia ad tubam in novissimo die angelorum ministerio sonituram accommodari possunt. 8. Angeli Christum in coelos adscendentem *cum jubilo* deduxerunt; sic eundem in reditu ad resuscitationem mortuorum et judicium comitabuntur. Adscendit Dominus *in voce tubae* Psalm. 47, v. 6. sic *in tuba Dei* de coelo descendet 1. Thess. 4, v. 16. 9. Lev. 23, v. 24. instituitur festum tubarum. *In mense septimo in primo* (die) *mensis erit vobis sabbathum memoria clangoris, convocatio sancta;* in hoc festo tubarum Hebraeis זִכְרוֹן תְּרוּעָה, *memoria clangoris*, dicto ab ortu solis usque ad noctem tuba canebatur, cujus festi rationem Hebraei referente Schindlero in lexic. in voce שפר inter reliquas hancce proferunt *ut recordemur diei, quo in vitam redibunt mortui. Hi enim resurgent cum clangore tubae et congregabuntur non aliter, ac cum audit populus vocem tubae, sicut dicitur: Omnes incolae orbis et habitatores terrae, cum elevabitur vexillum montium, videbitis et cum clanget tuba, audietis.* Confer Drusium in annot. N. T. part. 2. in cap. 24. Matth. super verba *Mittet angelos cum tuba.* Sed qualis ille clangor tubae sit futurus, hominem exacte scire arbitramur neminem, ideoque in medio relinquimus, an per eum *vox ipsius Christi*, an vero *clamor ab angelis formatus* intelligi debeat. Apostolus 1. Cor. 15, v. 52. indefinite dicit σαλπίσει nec addit, an de angelis, an Christo hoc acceptum velit. 1. Thess. 4, v. 16. vocat *tubam Dei*, sed potest hoc accipi de tuba Dei jussu ac mandato ab angelo ad clangorem animanda. Didymus apud Hieron. in epist. ad Minerium et Alexandrum quae est 152: *Quod in novissima tuba mortui dicuntur resurrecturi, duplicem habet significationem, ut clangor tubae aut vocis indicet magnitudinem, juxta illud quod scriptum est, exalta vocem tuam sicut tuba; aut apertam omnium resurrectionem, juxta illud, quando facis eleemosynam, noli canere tuba ante te, id est abscondite et in secreto fac misericordiam* etc. *In Apocalypsi septem describuntur angeli cum tubis, novissimo autem, id est septimo, claro tubae strepitu personante mortui suscitantur.* Oecumenius in comm. illius loci: *In jussu, simul ut ipse jusserit et archangelus vocem emiserit ac tubae sonuerint, descendet. Jubet quippe Dominus et voce edit archangelus jussum Dominicum, sonumque emittunt ceteri ordines coelestes, quos figurative tubas appellat, quemadmodum etiam edere dicit. Sed Dominus quidem jubet, archangelus vero Dominicum jussum nuntiat sibi subditis, porro hi administrant ipsum et usque ad mundi terminos intonant et mortui quotquot sunt ex universo orbe resurgunt ac congregantur.* Et postea: *Tubas vocat angelicas potestates, quod quemadmodum tuba nihil quod suum est, intonat, sed quodcunque artifex insufflaverit, ita et Dei tubae nihil proprium sonare praesumunt, sed quidquid communis dominus ac conditor per archangelum eis praeceperit.* Suarez otiose disputat, an ex argento vel *aere*, quod ipsi magis probatur, haec tuba sit futura, an ex nube et meteoris etc.

---

## CAPUT IV. XIX. 26.

## DE MATERIA RESURRECTIONIS.

Materia resurrectionis.

67. *Materia* resurrectionis (quibusdam *subjectum quo* dicta) sunt corpora hominum *numero et substantia eadem*, quae mortua alias tamen qualitates divinam operationem sortita. Probamus hoc 1. *ex disertis et perspicuis Scripturae dictis.* Job. 19, v. 25: *In novissimo die de terra surrecturus sum* v. 26. *et rursum circumdabor pelle mea et in carne mea videbo Dominum*, v. 27. *quem visurus sum ego mihi et oculi mei conspecturi sunt et non alienus.* Si Jobus in carne sua et oculis suis visurus est Dominum et non alius, utique ejusdem numero corporis resurrectio sequetur. Ruffinus in exposit. symb. p. 378: *Quod in symbolo adjungitur, credo hujus carnis resurrectionem, vide quam consonum sit Scripturae dictis. Quid enim aliud indicatur in verbis Jobi, cum dicit, quia suscitabit pellem meam, quae haec nunc haurit, i. e. quae ista tormenta perpetitur. Nonne aperte hujus carnis dicit resurrectionem futuram? hujus inquam, quae tribulationum et tentationum cruciamenta nunc sustinet.* Confer Hieronymum in comm. Jobi. Quae nostrae interpretationi obvertuntur, exposuimus superius. Ps. 34, v. 21: *Custodit Dominus omnia ossa piorum et unum ex illis non peribit.* Esa. 26, v. 19: *Vivent mortui tui, cadavere meo resurgent.* Ita enim Hebr. נְבֵלָתִי reddi potest, ut verba ista referantur ad ipsum prophetam, hoc sensu, sicut ego Esaias meo corpore resurgam, sic pariter reliqui mortui ad unum omnes resurgent suo quisque corpore. Lutherus reddidit δεικτικῶς, mit dem Leichnam. Esa. 66, v. 14: *Ossa vestra quasi herba germinabunt.* Ezech. 37, v. 4: *Ossa arida audite ver-*

*bum Domini.* v. 5. *Haec dicit Dominus: Ego intromittam in vos Spiritum, et vivetis* v. 6. *et dabo super vos nervos et succrescere faciam super vos carnes et superextendam in vobis cutem et dabo vobis Spiritum, et vivetis.* Sirac. 46, v. 14: *Ossa eorum pullulent in loco suo.* Matth. 10, v. 30: *Vestri et capilli capitis numerati sunt.* Luc. 21, v. 18: *Non peribit pilus capitis vestri.* Rom. 8, v. 11: *Si Spiritus ejus, qui excitavit Christum a mortuis, habitat in vobis, is qui suscitavit Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis.* Ergo illud ipsum corpus, quod in hac vita Spiritus sancti habitaculum, ad vitam aliquando resurget. 1. Cor. 15, v. 53. oportet *τὸ φϑαρτὸν τοῦτο, hoc ipsum corruptibile, induere ἀφϑαρσίαν et τὸ ϑνητὸν τοῦτο, hoc mortale, induere ἀϑανασίαν.* (Ubi observa, 1. apostolum distinguere inter *φϑοράν in abstracto*, quae abolebitur v. 43. et *τὸ φϑαρτόν in concreto*, quod substantiae ratione erit idem; 2. loqui eum *δεικτικῶς* digitis quasi in corpus suum intentis, Theodoretus in comm.: *ὁρᾷς τὴν ἀκρίβειαν, τὸ ϑνητὸν τοῦτο ἔδειξε δεικτικῶς, ἵνα μὴ ἄλλης νομίσῃς σαρκὸς ἀνάστασιν.* 3. quatuor distinctis vocibus repetere *δεικτικὸν τοῦτο* v. 53. et 54.) Phil. 3, v. 21: *Christus transfigurabit τὸ σῶμα τῆς ταπεινώσεως, hoc ipsum corpus humile, ut conforme illud reddat corpori suo glorioso.* Erit igitur in resurrectione idem *σῶμα*, idem subjectum, sed *ταπεινώσει* succedet *δόξα*, per quam glorificato Christo corpori conformabitur.

XIX. 27. 68. 2. *Ex rationum momentis. 1. A resurrectionis definitione. Ἀνάστασίς ἐστι δευτέρα τοῦ πεπτωκότος στάσις.* Illud quod cecidit proprie dicitur resurgere, quando rursus erigitur. Quodsi ergo non suscitaretur, idem numero et substantia corpus non esset proprie loquendo *ἀνάστασις* ac resurrectio. Tertullianus l. 5. adv. Marc. c. 9: *Si resurrectio mortui est, mortuum autem non aliud est quam corpus, corporis erit resurrectio. Sic et resurrectionis vocabulum non aliam rem vendicat, quam quae cecidit.* Epiphanius l. 2. t. 2. haer. 67. contra Hieracitas p. 594: *Ipsum nomen locutionis vim ostendit, non enim ejus, quod non cecidit, resurrectionem vocat. Quale autem est quod cecidit, quale quod sepultum est, quale quod dissolutum est? certe corpus* etc. Hieronymus adv. error. Johannis Hierosolymitani tom. 2. pag. 176: *Ipsum resurrectionis vocabulum significat, non aliud ruere, aliud suscitari. Haec est resurrectio*, inquit Ambrosius in serm. de fid. resurr. cap. 19. *sicut ipsius verbi sono exprimitur, ut quod cecidit, resurgat; quod mortuum fuerit, reviviscat.* Quotquot igitur Scripturae dicta resurrectionis veritatem confirmant, totidem quoque testimonia exstant, quod defuncti in et cum propriis suis corporibus sint resurrecturi. 2. *A resurrectionis termino a quo.* Resuscitandi dicuntur *dormire in pulvere terrae* Dan. 12, v. 2. *esse in monumentis* Joh. 5, v. 28. *quiescere in cubilibus suis* Esa. 57, v. 2. *habitare in pulvere* Esa. 26, v. 19. utique ergo eadem corpora, quae in pulverem ac cinerem fuere redacta, e sepulcris excitabuntur. Apoc. 20, v. 13. non solum *terra*, sed et *mare dedit mortuos suos.* Ephremus Syrus serm. de resurrect.: *Restituat terra corpus illud hominis, quod suscipit, sive id a fera decerptum, sive ab ave comestum, sive a quovis animante devoratum fuerit, et ne unus quidem capillus hominis in conspectu judicis deerit.* 3. *A resurrectionis subjecto.* Corpus hominis resurget Matth. 27, v. 52. 1. Cor. 15, v. 43. etc. utique ergo definitio corporis competere debet resuscitatis corporibus. At corpus non habens substantiam carnis, sanguinis, ossium, non est corpus, sed spiritus. 4. *A resurrectionis fine*, ideo ex mortuis suscitati coram tribunali Christi homines sistentur, *ut recipiat unusquisque διὰ σώματος, in corpore, quae per corpus gessit, sive bona sive mala* 2. Cor. 5, v. 10. utique ergo in eodem corpore, per quod bona vel mala unusquisque egit, resurget. 1. Cor. 4, v. 10. inquit apostolus: *Semper mortificationem Domini nostri circumferimus, ut etiam vita Jesu in corpore nostro manifestetur.* 5. *A resurrectionis exemplis.* Qui a Christo vel sanctis Dei hominibus, prophetis et apostolis resuscitati, illi non in aliis, sed in propriis corporibus resurrexerunt. 6. *A Christi resurrectione*, quae nostrae resurrectionis est causa efficiens et exemplaris. Christus in resurrectione idem recepit corpus, quod antea habuerat, et eadem carne resurrexit, in qua mortuus fuerat. Psalm. 16, v. 10. Joh. 2, v. 19. Actor. 2, v. 31. etc. unde notanter dicit Luc. 24, v. 39: *Ego ipse sum.* Ergo et nos utpote membra Christi capitis nostri idem recipiemus corpus. Christi corpus glorificatum non fuit spiritus, sed habuit *carnem et ossa* Luc. 24, v. 39. Corpora nostra *conformia reddentur corpori Christi glorioso* Philip. 3, v. 21. Ergo etiam corpora nostra non erunt spiritus, sed carnem et ossa habebunt, quamvis spiritualia sint futura 1. Cor. 15, v. 45. 7. *A justitiae divinae regula.* Justitia divina requirit, ut illud ipsum corpus, in quo et cum quo pii contra Satanam et ipsius membra pugnaverunt, coronetur, nec permittit, ut corpus illud, quod Christi stigmata gestavit, praemio defraudetur. XIX. 28.
Eadem justitia requirit, ut illud ipsum corpus, quod peccavit, poenis afficiatur, nec permittit, ut aliud corpus, quod non peccavit, aeternis tormentis subjiciatur, 2. Cor. 5, v. 10. Gal. 6, v. 17. Ephes. 6, v. 8. 2. Thess. 1, v. 5. Si corpora nostra post resurrectionem diversae futura essent substantiae, aliud certasset et aliud coronaretur. Ambrosius serm. de fid. resurr. cap. 19: *Haec est series et causa justitiae, ut quoniam corporis animique communis est actus, quae animus cogitavit, corpus effecit, utrumque in judicium veniat, utrumque aut poenae dedatur, aut gloriae reservetur.* 8. *A piorum conditione.* Corpora piorum per fidem fuerunt membra Christi in corpore ipsius mystico facta, sunt corpore et sanguine Christi ad vitam aeternam cibata et sanctificata, fuerunt Spiritus sanctus imo totius sanctissimae Trinitatis templa et habitacula

1. Cor. 3, v. 16. c. 6. v. 15. et 19. ergo illa ipsa corpora in vitam divinitus revocabuntur. Contra vero ipsa impiorum corpora gehennae sunt obnoxia, ergo numero eadem e sepulcris excitabuntur, Matth. 10, v. 28. 9. *A fine creationis.* Totus homo ad immortalitatem primo fuit conditus et ad eandem per Christum redemtus et per Spiritum s. sanctificatus. Ergo non solum anima, sed etiam idem corpus, ex quibus inter se junctis et copulatis homo constat, vitae aeternae particeps reddetur. Finis hominis est beatitudo animae et corporis, eam vero in hac mortali vita miseriarum plena homo assequi nequit, necessarium igitur est, eadem corpora olim revictura, ut totus homo finis sui seu beatitudinis consors fieri queat. 10. *A variis absurdis.* Si non eadem corpora excitabuntur, falsa erunt Scripturae oracula superius enumerata; resurrectio, quam speramus, non erit proprie dicta resuscitatio, sed potius nova creatio; Spiritus sancti domicilia ita destruentur, ut nunquam reparari posse statuantur; injustus erit Deus, qui aliud corpus coronat, quam quod certaverat, qui poenis subjiciet ea corpora, quae nunquam fuerunt injustitiae arma. Quae omnia et similia cum sint absurda, ideo absurdum quoque illud, ex quo talia consequuntur. 11. *A resurrectionis analogo.* Corpora illorum, quos dies novissimus deprehendet vivos, non redigentur in pulverem et cinerem, sed morti ac resurrectioni analogam immutationem experientur, 1. Cor. 15, v. 51. de illis igitur dici nequit, quod substantiae ratione alia corpora sint sortituri. Atqui si de vivis id dici nequit, utique etiam de mortuis id sentiendum non est. 12. *A nomenclatura mortis.* Mors vocatur in Scripturis *dormitio et somnus*, resurrectio vero *evigilatio.* Jam vero corpus dormiens et evigilans est idem numero corpus. Ergo corpus mortuum et resuscitatum est idem numero corpus. Confer ea, quae de fundamentis resurrectionis diximus superius, omnia enim probant, eorundem corporum resurrectionem fore.

69. *3. Ex perpetuo ecclesiae consensu*, qui proponitur 1. *in publicis ejus confessionibus ac symbolis.* In symbolo *apostolico* dicimus: *Credo remissionem peccatorum* (propter Christum), *resurrectionem carnis* (in Christo) *et vitam aeternam* (cum Christo), qui confessionis ac fidei articulus in ecclesiis Africanis δειχτιχῶς fuit pronuntiatus: *Credo resurrectionem hujus carnis.* Cyprianus vel potius Ruffinus in expos. symboli p. 386: *Satis cauta et provida adjectione fidem symboli ecclesia nostra docet, quae in eo, quod a ceteris traditur, carnis*
9. *resurrectionem uno addito pronomine tradit, hujus carnis resurrectionem. Hujus sine dubio, quam is, qui profitetur, signaculo crucis fronti imposito contingit, quo sciat unusquisque fidelium, carnem suam, si mundam servaverit a peccato, futuram esse vas honoris, utile Domino.* Symbolum Athanasianum: *Omnes homines resurgent cum corporibus suis.* 2. *In veteris ecclesiae doctorum dictis.* Justinus apol. 2. pro Christ. p. 50: *ἡμεῖς Χριστιανοὶ τὰ νεχρούμενα χαὶ εἰς γῆν βαλλόμενα πάλιν ἀναλήψεσθαι ἑαυτῶν σώματα προσδοχῶμεν.* Irenaeus lib. 5. adv. haer. c. 13. p. 331: *Dicant nobis hi, qui contraria dicunt, i. e. qui contradicunt suae saluti, summi sacerdotis mortua filia et viduae filius, qui circa portam mortis efferebatur, et Lazarus, qui in monumento quartam habebat diem, in quibus resurrexerint corporibus? In iisdem ipsis scilicet, in quibus et mortui fuerant. Si enim non iisdem ipsis, videlicet nec iidem ipsi, qui mortui erant, resurrexerunt* etc. *Sicut igitur qui curati sunt, in his, quae ante passa fuerunt membra, curati sunt et mortui iisdem surrexerunt corporibus, membris et corporibus ipsorum percipientibus curationem et eam vitam, quae dabatur a Domino per temporalia praeformante aeterna et ostendente, quoniam ipse est, qui curationem plasmati suo et vitam praestare potest, uti ei de resurrectione quoque credatur sermo, sic et in fine in novissima tuba clamante Domino resurrecturi sunt mortui* etc. Tertullianus lib. de resurrect. carn. cap. 51. ad verba apostoli *oportet corruptibile hoc induere incorruptionem* sic annotat: *Quantitativam et eandem numero essentiam digito demonstrat, magis enim expresse loqui non poterat, nisi cutem suam manibus teneret.* cap. 63. p. 347: *Resurget caro, et quidem omnis, et quidem ipsa, et quidem integra.* Hilarius in Psalm. 51: *Non aliud corpus, quamvis in aliud resurget; fit demutatio, sed non affertur abolitio.* In Psalm 55: *Resurrecturis omnibus non ab exteriore materia corpus acquiritur, neque peregrinae originis externarumque causarum natura recipitur, sed id ipsum in profectum aeternae claritatis emergit fitque in eo demutatione potius quam creatione, quod novus sit.* Ephraem serm. de resurrect.: *Restituet terra corpus hominis illud, quod suscepit, sive id a fera discerptum, sive ab ave comestum, sive a quovis animante devoratum fuerit, et ne unus quidem capillus hominis in conspectu judicis deerit.* libr. 1. de compunct. cord. cap. 7: *Pulvis, qui putruerat, id est humana caro, audiens vocem tubae vivificabitur. Unumquodque ossium innumerabilium curret propriam juncturam inquirens, surgentes quoque clamabunt omnes et dicent, gloria ei, qui nos congregavit et propter suam clementiam resurgere fecit.* Athanasius in vita Antonii refert, Antonium jamjam moriturum dixisse: *Confido in Domino, quia necessario resurrectionis tempore hoc corpusculum resurget incorruptum.* Hieronymus epist. 61: *Fidem ecclesiae apertissime confitebor. Resurrectionis veritas catholica sine carne et ossibus, sine sanguine et membris intelligi non potest.* lib. 1. adv. Jovin.: *In resurrectione eadem erit corporum substantia, qua nunc utimur, licet auctior gloria.* Idem adv. error. Joh. Hierosol.: *Non in aliis quibusdam peregrinis corporibus, sed in iisdem, quibus nunc circumdamur et in quibus nunc sepelimur, speramus nos resurrecturos.* Confer ejusdem in cap. 59. Esa. Ruffinus in expos. symb. p. 386: *Unicuique animae non confusum aut extraneum*

*corpus, sed suum, quod habuerat, reparabitur, ut consequenter possit pro agonibus praesentis vitae cum anima sua caro vel pudica coronari vel impudica puniri.* pag. 387: *Numquid corpus suum contingentis et digito palpantis vox est, quando*
XIX. 30. *apostolus dicit, oportet hoc corruptibile induere incorruptionem?* Macarius homil. 15: *Sicut acus in ignem projecta mutato colore vertitur in ignem, non tamen plane deleta est natura ferri, sed subsistit; ita in resurrectione resurgent omnia membra ac lumine et igne tinguntur, mutantur quidem, at non resolvuntur, aut in ignem evadunt, ut ultra non subsistit natura.* Prudentius in apotheos. hymn. ult.:

*Nosco meum in Christo corpus consurgere, quid me*
*Desperare jubes? veniam, quibus ille revenit,*
*Calcata de morte viis, quod credimus hoc est,*
*Et totus veniam, nec enim minor, aut alius quam*
*Nunc sum, restituar. Vultus, vigor et calor idem,*
*Qui modo vivit, erit, nec me vel dente, vel ungue*
*Fraudatum revomet patefacti fossa sepulcri.*

Augustinus in enchir. c. 84: *Resurrecturam carnem omnium, quicunque nati sunt hominum atque nascentur, et mortui sunt atque morientur, nullo modo dubitare debet Christianus.* Gregorius libr. 14. moral. c. 29: *Dubietatem de reparatione vera corporis abstulit, qui ait: et rursum circumdabor pelle mea; qui adhuc ad auferendas ambages cogitationis nostrae subdit: et in carne mea videbo Deum. Ecce resurrectionem, ecce carnem, ecce pellem apertis fatetur vocibus. Quid ergo remanet, unde possit mens nostra dubitare?* etc. *Si post resurrectionem corpus palpabile non erit, profecto alius surgit, quam moritur, quod dictu nefas est credere, quia ego morior, et alius resurgat?* cap. 30: *Si enim sicut quidam errorum sequaces arbitrantur, post resurrectionem corpus palpabile non erit, sed invisibilis corporis subtilitas caro vocatur, quamvis substantia carnis non sit, profecto alius est, qui moritur, et alius, qui resurgit. Sed beatus Job hanc eis sententiam veridica voce destruit, qui ait, quem visurus sum ego ipse et oculi mei conspecturi sunt et non alius. Nos autem beati Job fidem sequentes et redemtoris nostri post resurrectionem corpus palpabile veraciter credentes, fatemur carnem nostram post resurrectionem futuram et eandem et diversam; eandem per naturam, diversam per gloriam; eandem per veritatem, diversam per potentiam. Erit itaque spiritualis, quia et incorruptibilis; erit palpabilis, quia non amittet essentiam veracis naturae.* Similia occurrunt apud Epiphanium in ancor. p. 505. et adv. Hierac. p. 305. Chrysostomum hom. 41. in 1. Cor. Theophylactum in c. 12. Marc. etc. Gerson. in expos. XI. artic. fid.: *Credendum est, in resurrectione idem corpus, quod per mortem cecidit, ad eundem spiritum, i. e. ad eandem animam, rediturum.* Lutherus in com. c. 2. Gen. tom. 1. p. 37: *Sicut Adam admirabundus dicit, hoc est os ex ossibus meis, et tamen sic vi somni oppressus fuit, ut non sentiret, id eximi; sic in illa die dicemus, ecce hoc corpus a vermibus corrosum in quantam subito gloriam surgit.*

70. Antithesis. 1. de *Origine* referunt Epiphanius haeres. 64. Hieronymus in epist. ad Pamm. et in apol. contr. Ruffin. Damascenus de haeres. etc. *quod eorundem numero corporum, quibus in hoc seculo vestimur, resurrectionem negaverit, quod concesserit quidem homines resurrecturos in corporibus, sed aëreis vel aëre subtilioribus, non autem constantibus carne et membris.* Quidam tamen statuunt, Origenem (qui propter assiduum et indefessum scriptionis laborem *Adamantius* dictus fuit) ab hoc errore fuisse alienum, quia Pamphilus sive martyr sive alius quis in apologia, quam pro illo scripsit p. 888. oper. Origen. et tom. 4. oper. Hieron. p. 187. ex scriptis ejus evincere conatur, ipsum de resurrectione mortuorum catholice sensisse, ut verisimile sit, ea quae ab Epiphanio ipsi tribuuntur, ab haereticis vel invidis hominibus dolo malo scriptis illius Graecis, ut in Latina versione factum esse constat, fuisse inserta, quamvis alii diversum statuant. Confer Augustinum haeres. 43. Ruffinum in com. de adulter. libror. Origenis. Erasmum in censur. in libr. Orig. Johan. Picum Mirandulam in apol. p. 199. Alphonsum a Castro adv. haer. in verb. Resurrectio error. 1. Sixtum Senensem libr. 5. biblioth. annot. 148. Negari nequit, Origenem in aliquot locis ipsorummet corporum resurrectionem asserere ac graviter conqueri, quod habuerit aucupes sermonum semper deditos ad criminandum, ut venenatas in eum linguas vibrarent. Forte igitur *carnis* nomine, quam a resuscitatis corporibus removet, qualitates vitiosas, non autem corpoream substantiam intellexit, quod postea in alienum sensum ipsius malevoli detorserunt. 2. *Euthymius* Origenis vestigiis insistens locum apostoli 1. Cor. 15, v. 50. *caro et sanguis non possidebunt regnum Dei*, sic explicat, *quod beati in coelo non sint habituri corpus carneum, sed aëreum.* 3. Nicephorus lib. 14. hist. eccl. c. 45. refert, *tempore Theodosii imperatoris de mortuorum resurrectione ingentem disputationem Constantinopoli ortam. Quidam enim resurrectionem prorsus non esse opinati sunt, quidam autem aegre quidem, sed crediderunt tamen, defunctos excitatum iri, apertis et irrefragibilibus Scripturarum sacrarum testimoniis adducti alio prorsus et mutato corpore. Ut primum enim corpus illud, quod variis modis solutum abolitumque sit, resuscitetur, fieri non posse, sed praeter id aliud nulla praecedente materia, divina, quae omnia perficit, voluntate denuo restitutum una cum anima resurrecturum esse existimarunt.* 4. *Eutychius* Constantinopolitanae urbis episcopus teste Gregorio libr. 14. moral. c. 29. scripsit, *corpus nostrum in illa resurrectionis gloria fore impalpabile ventis aëreque subtilius*, cui Gregorius sic respondet: *In illa resurrectionis gloria erit corpus nostrum subtile quidem per effectum*

credentes pertinet, quod illi in vita et morte sint Christi Domini sui, quod illos *nec vita, nec mors a Christo separare possit* Rom. 8, v. 38. Ceterum quod de resurrectione Christi diximus, eam in Scriptura perpetuo sic describi, quod effectus ejus sit salutaris ac salvificus, idem de toto Christi merito et omnibus, quae ad meritum Christi pertinent, actionibus et passionibus statuendum, quod scilic. effectus ejus ubique describatur ut salutaris, vera fide apprehendendus et animae salutem conferens. At restitutio vitae naturalis, quae in die novissimo impiis continget, non est eis salutaris, nec fide ab ipsis apprehenditur, nec animabus eorum salutem confert. Ergo restitutio illa vitae naturalis, quae impiis in die novissimo continget, non est fructus meriti Christi. Expendantur omnia Scripturae dicta, quae de obedientia ac satisfactione Christi, de ipsius passione, morte ac resurrectione, de fructibus obedientiae et satisfactionis loquuntur, et liquido apparebit, tales enumerari effectus et fructus, qui animam hominis concernunt, qui salutem afferunt, qui vera fide hominibus applicantur, nuspiam vero naturalis vitae restitutionem. Si obvertas, *Deum peccatis primorum parentum offensum solius meriti et satisfactionis a Christo praestandae intuitu primos parentes et in eis omnes posteros non statim in nihilum redegisse, sed propter promissam satisfactionem beneficia non solum spiritualia et coelestia, sed etiam corporalia ac terrena ipsis concessisse ac in vita eos conservasse, atque adhuc hodie impios ex gratia in vita conservare ac per verbum ad poenitentiam vocare;* respondeo, distinguendum inter tempus *gratiae* in hac vita et tempus *judicii* post hanc vitam. Si vel maxime beneficia corporalia, quae impiis in hac vita obtingunt, eo respectu ad meritum referantur, quod Pater coelestis merito ac satisfactione Christi placatus non
XIX. 15. statim in nihilum redigat impios propter peccatum, sed concedat eis tempus poenitentiae, vocet eos per verbum, cumulet omnis generis bonis, ut ad poenitentiam eos invitet Rom. 2, v. 4. (quod Chemnicium in postil. facere video), tamen restitutio vitae naturalis, quae impiis in novissimo die obtinget, non potest ad classem beneficiorum ex merito Christi descendentium referri, tum quia restitutio illa non fit in hac vita, quae tempus gratiae in se concludit, sed post hanc vitam, in die scilic. novissimo tum quia finis restitutionis illius potissimum hic attendendus, quod non ad gloriam et vitam coelestem, sed ad ignominiam et mortem sempiternam impii sint resuscitandi, ergo resuscitatio illa non est opus gratiae et misericordiae merito Christi impetratae, sed actus justitiae et judicii. Adde quod beneficia corporalia, quae impiis in hac vita obtingunt, ad dilectionem Dei *generalem*, quae omnes creaturas complectitur, non autem ad dilectionem *specialem* morte Christi partam proprie loquendo pertineant.

3. Ex resurrectionis

58. 3. *Ex resurrectionis merito Christi partae descriptione.* Resurrectio, quae vi meriti et resurrectionis Christi hominibus obtingit, in sacris literis sic describitur, quod *ratione objecti* pertineat tantum ad membra Christi, ad eos scilic. qui per fidem corpori mystico, cujus caput est Christus, inseruntur, qui mortis et resurrectionis Christi fiunt participes, qui in Christo tanquam capite suo et una cum ipso vivificantur, 1. Cor. 15, v. 23. et quod *finis ac consequentis ratione* fiat ad vitam et salutem, ut constat ex serie integri illius capitis. Jam vero impii non sunt membra corporis illius mystici, cujus caput est Christus, ac resurrectio impiorum non fit ad vitam et salutem sed ad ignominiam et mortem. Ergo eorum resurrectio non ex vi meriti et resurrectionis Christi descendit. Excipiunt, *impios esse membra Christi naturalia, non spiritualia, ratione unionis naturalis, non autem spiritualis.* Respondemus: 1. Quod dicimur membra corporis Christi, *os ex ossibus ejus et caro de carne ejus* Eph. 5, v. 30. non potest tantum ad ὁμοουσίαν naturae nostrae cum Christo referri, quia ipsa appellatio membrorum nos eo deducit, quod requiratur spiritualis quaedam conjunctio ac compages, per quam Christo tanquam capiti conjungamur, ea vero non est omnibus hominibus piis et impiis communis, sed piorum duntaxat propria. 2. Συσσωμασίαν illam nostram cum Christo apostolus sic describit Eph. 4, v. 15 et 16: *Christus est caput, ex quo totum corpus compactum et coagmentatum per omnem juncturam subministratione secundum operationem in mensura unius cujusque membri augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate;* atqui partes illius descriptionis non competunt impiis. 3. *Qui non habet Spiritum Christi, non est ejus* Rom. 8, v. 9. qui non animatur ac regitur Spiritu Christi, non potest dici membrum corporis ejus mystici. Sicut vita naturalis requiritur, ut aliquod sit membrum corporis humani, sic vita spiritualis requiritur, ut aliquis sit membrum corporis mystici. 4. Quo respectu Christus dicitur *caput* nostrum, eodem respectu nos vocamur ipsius *membra*, ut colligitur ex natura mutuae relationis. Sed Christus dicitur caput nostrum non *naturaliter*, seu ob ὁμοουσίαν naturae humanae, sed *spiritualiter* seu ob spiritualem nostram cum ipso unionem per fidem, Gal. 2, v. 20. Eph. 3, v. 17. Ergo etiam vocamur membra Christi, non respectu consanguinitatis naturalis, sed ratione unionis spiritualis. 5. Membra meretricis non sunt XIX. 16.
membra Christi, ut docet oppositio apostolica 1. Cor. 6, v. 15. sicut filii diaboli non possunt esse filii Dei; sic membra Satanae non possunt esse membra Christi, Joh. 8, v. 44. Qui habent spiritum mundi, non habent spiritum, qui ex Deo est, 1. Cor. 2, v. 11. 6. Conformitas Christi et membrorum ejus non in natura, sed in qualitatibus naturae quaerenda. Dicimur enim ipsi σύμμορφοι Rom. 8, v. 29. Phil. 3, v. 10. at quando de naturae ὁμοουσίᾳ agitur, tum de *consubstantialitate*, non autem *conformitate* quaeritur, ac illius ὁμοουσίας respectu ipse dicitur κοινωνὸς, *particeps factus carnis et sanguinis nostri* Hebr. 2, v. 14. 7. Si

Christi merito partae descriptione.

ἀθανασίαν v. 53. asserit. 3. Duo connectit apostolus in corporis spiritualis denominatione, substantiam et qualitatem, substantia erit eadem, videl. *corpus*, qualitas autem mutabitur, quia seminatur corpus *animale*, resurget corpus *spirituale*. Sed haec mutatio qualitatum non infert ipsius substantiae abolitionem, tam vere enim est et vocatur corpus, quando est spirituale, quam vere est et vocatur corpus, quando est animale. Augustinus in ench. cap. 91: *Sicut nunc corpus animale dicitur, quod tamen corpus non anima est; ita tunc spirituale erit corpus, tamen non spiritus.* Sicut homo aegrotus, quando iterum convalescit, non exuit pristinam naturam seu substantiam, sed novas in ea qualitates, vigorem scilic. et εὐκρασίαν, acquirit; sic in resurrectione non mutabitur corporis substantia, sed novis qualitatibus exornabitur. 4. Corpus non habens substantiam carnis et ossium, est corpus non corpus, σῶμα ἀσώματον, est spiritus. Jam vero spiritus et corpus sunt duae species ἀντιδιῃρημένως sibi invicem oppositae, ac proinde corpora resuscitatorum non erunt spiritus, sed erunt, uti etiam ab apostolo vocantur, *corpora spiritualia*, i. e. ornata qualitatibus et donis spiritualibus, interim non amittent corpoream substantiam, nec mutabuntur in spiritualem essentiam, alias corpora esse desinerent, ac proinde corpora spiritualia vocari non possent. Anselmus in prosol. cap. 25: *Erit corpus spirituale, non quidditate, sed potestate.* Augustinus 22. de civ. Dei cap. 21: *Erit spiritui subdita caro spiritualis, sed tamen caro, non spiritus, sicut carni subditus fuit spiritus ipse carnalis, sed tamen spiritus non caro.* libr. 13. de civ. D. cap. 22. circa fin.: *Spiritualia erunt justorum corpora post resurrectionem, non quia corpora esse desistent, sed quia spiritu vivificante subsistent.* 5. Corpora carnalia dicuntur vel ratione *substantiae carneae*, vel ratione *qualitatum animalium*, ac respectu *adhaerentis corruptionis*. Priori sensu corpora resuscitatorum erunt carnalia, posteriore vero minime. 6. Christus post resurrectionem et adscensionem in coelum habet corpus glorificatum, spirituale, incorruptibile, interim tamen verum humanum corpus carne et sanguine constans Luc. 24, v. 39. sic et nostra corpora erunt glorificato Christi corpori conformia, interim tamen ratione substantiae erunt vera corpora habentia carnem et sanguinem. 7. Verba Symboli apostolici, *credo resurrectionem carnis*, exactissime cum Scriptura consentiunt, ut ex fundamentis nostrae sententiae liquido constat, proinde etiam Scripturae
XIX. 34. opponi minime debent. 8. Symbolum apostolicum ab ipsis apostolis compositum esse magno consensu docent pii veteres. Cyprianus vel Ruffinus in expos. symboli, Ambrosius epist. 81. ad Siricium et serm. 38. Hieronymus in epist. ad Pammach. Augustinus serm. 115. et serm. 181. de tempor. Leo epist. 13. ad Pulcheriam ac serm. 11. de passione, Cassianus de incarn. libr. 6. Isidorus Hispalensis lib. 2. de offic. cap. 23. Maximus in serm. de symb. Qui dubitant, an ab ipsis apostolis in universum orbem ad praedicandum evangelium discessuris collectum sit, diserte tamen adstruunt, ab ipsis apostolis esse visum et approbatum. Pacianus in epist. 1. ad Sempronium. Antiquissimi scriptores ecclesiastici, Irenaeus et Tertullianus, nomine traditionis apostolicae totidem vere verbis symbolum illud recitant, ille quidem libr. 2. adv. haer. cap. 41. pag. 172. ac. libr. 1. adv. haer. cap. 2. pag. 34. hic vero in libr. de praescript. adv. haeres. pag. 110. ac de veland. virginib. pag. 566. 9. Quod Symbolo apostolico ea, quae de fide in Spiritum sanct. usque ad finem habentur, posterioribus demum seculis addita sint, figmentum est Ostorodi sine ulla probabili conjectura excogitatum. Confundit haereticus symbolum apostolicum cum Niceno. Symbolum Nicenum terminatur in illa clausula, *et in Spiritum sanctum*, ac reliqua quae sequuntur, *Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per prophetas*, propter Macedonianos in Constantinopolitana synodo fuere addita. Sed tam in Apostolico, quam in Niceno et reliquis ecclesiae symbolis semper adjectus fuit articulus de resurrectione carnis. 10. Detorsio illa, *quod non sit resurrectura caro, sed duntaxat illud, quod olim fuit caro*, adversatur textui apostolico et perspicuis Scripturae dictis superius enumeratis. 11. Qui carnis *hujus* resurrectionem negat, is revera etiam mortuorum resurrectionem negat, si non ex toto, tamen ex parte. Aut enim animae, aut corporis respectu homo dicitur resurgere. Non animae respectu, quia illa persistit immortalis, nec unquam in mortem naturalem cadit; sed nec corporis respectu, ex Photinianorum hypothesi, quia non resurget illud ipsum, quod cecidit. Ergo nulla erit resurrectio, sed novi corporis non corporis creatio. Quod jam ante existit, resurgere nequit. Anima jam ante exsistit, est enim immortalis et restat post mortem, resurrectio igitur proprie sic dicta animae adscribi nequit. Num vero corpus resurget? at negant Photiniani, illa ipsa corpora, quae circumferimus, esse resurrectura; quid ergo resurget, quae pars hominis? nulla.

72. Ostorodo concinit Schmalzius in libr. de divin. Christi cap. 13. pag. 79. in refut. eorum, quae Smiglecius in examinatione centum errorum proposuerat pag. 36. ubi sic scribit: *Corpora haec, quae nunc circumferimus, resurrectura non credimus, sed alia nobis danda esse ab apostolo edocti sumus.* ibid. p. 57: *Verba symboli, credo resurrectionem carnis, ita intelligi possunt, credo id iterum futurum, quod olim caro fuit. Nam sic legimus, quod Deus resuscitaturus sit corpora nostra mortalia* Rom. 8, v. 11. *pro eo, quod nos, qui nunc sumus mortales, resuscitaturus sit. Resurgent enim ii, qui antea mortui sunt, non mortales, sed incorruptibiles.* Ibidem locum apostolicum 1. Cor. 15, v. 53. sic depravat: *Paulus per vocem induendi non intelligit retentionem corruptibilis et adeptionem praeterea incorruptibilis, sed loco corruptibilis substi-* XIX. 35.

*tutionem incorruptibilis*, *nam hanc induitionem postea per absorptionem explicat*, *imo probat; absorptio autem est abolitio prioris et substitutio alterius*, *quemadmodum veteri veste abjecta nova induitur*. Idem in exam. 121. error. pag. 33: *Non potest Smiglecius excutere veternum illum*, *quo somniat*, *immortalia corpora in illo beato seculo futura talia*, *quae ex carne*, *sanguine et ossibus constant*, *quo vix aliquid absurdius et Christi religione indignius cogitari potest*. In exam. 157. error. err. 103. p. 29: *Post resurrectionem futuri erimus similes Deo in natura etiam quoad corpora.* err. 115. *corpora immortalia stomachos non habitura* asserit. Contra disp. 7. post D. Frantz. p. 415: *Stante eo*, *quod corpora nostra futura sint gloriosa*, *impossibile est*, *corpora talia olim exstitura*, *quae carnem et sanguinem habeant*, *toto enim genere differunt caro et sanguis et spiritus.* Respondemus: 1. non quaeritur, quomodo verba symboli, *credo resurrectionem carnis*, intelligi vel potius detorqueri *possint*, sed quomodo juxta fidei analogiam in perspicuis Scripturae locis propositam intelligi *debeant*. 2. Si illud ipsum iterum futurum, quod olim caro fuit, utique substantiae ratione idem numero corpus resurget. Aut enim ratione substantiae, aut ratione qualitatum id iterum futurum, quod olim caro fuit. Non ratione qualitatum, ut constat. Ergo ratione substantiae. 3. Confundit haereticus distinctas quaestiones. Alia enim quaestio est, an substantiae ratione eadem sint futura corpora resuscitata, et vicissim alia quaestio est, an qualitatum ratione eadem sint futura. Ad priorem affirmate, ad posteriorem negate respondemus. 4. Proinde quando apostolus dicit, *Deum resuscitaturum mortalia nostra corpora*, non ratione qualitatis, videlicet mortalitatis, sed ratione substantiae eadem corpora resuscitanda docet, ut sit sensus, eadem illa corpora, quae in hac vita sunt mortalia et corruptibilia, resuscitanda esse in die novissimo, sed immortalia et incorruptibilia. Nequaquam igitur mutandum est *quod* in *quatenus*, nec confundenda *οὐσία* corporum et ejusdem *ποιότητες*. Resuscitabit Deus corpora nostra mortalia, non autem quatenus mortalia sive sub iisdem qualitatibus. 5. Nequaquam vero quod de accidente, videlicet mortalitate, diximus ad substantiam, videlicet ad carnem, applicari debet, quasi verba symboli, *credo resurrectionem carnis*, eodem modo exponi debeant, credo resuscitationem ejus, quod in hac vita fuit caro, quia *τὸ* mortale esse pertinet ad *ποιότητας*, quae mutabuntur, *τὸ* carnem habere ad *οὐσίαν*, quae eadem erit. 6. Si *τὸ φθαρτὸν τοῦτο* induiturum est *ἀφθαρσίαν*, si *τὸ θνητὸν τοῦτο* induiturum est *ἀθανασίαν*, ut disertis verbis apostolus asserit, utique etiam illud ipsum corpus, quod in hac vita est corruptibile et mortale, resurget incorruptibile et immortale. Ruffinus in expos. symb. pag. 387: *Hoc quod nunc corruptibile corpus est*, *resurrectionis gratia incorruptibile erit et quod nunc mortale est*, *immortalitatis virtutibus induetur etc. non natura carnis abjecta*, *sed conditione ejus et qualitate mutata.* Quemadmodum idem homo manet, quando exuta veste detrita novam induit; sic idem corpus manebit, quod exuta *φθορᾷ* induet *ἀφθαρσίαν*. Non ipsum *τὸ φθαρτόν*, sed *τὴν φθοράν* exuendam et illius loco *ἀφθαρσίαν* induendam esse apostolus docet. 7. Quod Schmaltzius dicit, *apostolum per vocem iuduendi non intelligere retentionem corruptibilis et adeptionem praeterea incorruptibilis*, *sed loco corruptibilis substitutionem incorruptibilis*, ambigue dicitur, vel enim de substantia corporis XIX. 36.
loquitur, vel de ejusdem qualitatibus. Priori sensu negamus, quod a Schmaltzio affirmatur, videlicet substantiae corporis corruptibilis abolitae substituendam fore aliam substantiam corporis incorruptibilis: posteriori autem sensu concedimus, qua ratione stylus sic fuisset informandus, apostolum per vocem *induendi* non intelligere retentionem *τῆς φθορᾶς* corruptionis et *corruptibilitatis* ac adeptionem praeterea *ἀφθαρσίας* et incorruptibilitatis, sed loco *φθορᾶς* et corruptibilitatis substitutionem *ἀφθαρσίας* et incorruptibilitatis, quod *ταῖν ἀμφοῖν* amplectimur. 8. *Absorptionem* non refert apostolus ad ipsam corporis corruptibilis substantiam, sed ad ejusdem qualitatem, ad *φθοράν* scilicet *καὶ θάνατον*, ad corruptibilitatem et mortalitatem, *tunc*, inquit, *fiet sermo*, *qui scriptus est*, *absorpta est mors in victoria*, *id est victoriose ac gloriose*, ut in sempiternum devicta et prostrata jaceat nec amplius in beatos dominari possit.

73. *12. Vorstius* photinianizans in tract. de Deo p. 200: *In futuro seculo non amplius caro et sanguis erimus*, *sed ἰσάγγελοι et spirituales*, in diatrib. epist. p. 169: *Ingens mutatio olim futura est. Non enim tales erimus in resurrectione*, *quales hîc sumus*, *ut de carne et ossibus*, *cujusmodi quidem nunc habemus*, *intempestiva quaestio sit.* Vid. Sladum in append. 1. discept. contra Vorstium p. 64. *13. Weigelius* Suencfeldianus et enthusiasta in tract. de loco mundi cap. 22. p. 74. sic disserit: Der Leib aus Adam ist nicht der Mensch, er ist aus dem limo terrae tödtlich, sterblich; der innere Leib aus dem Munde Gottes ist der Mensch, der muß durch die neue Geburt vom Heiligen Geist incarniret, ein neu Fleisch gen Himmel bringen, denn so unsere Leiber im Himmel sollen grobe äußerliche Adamische Knochen und Gliedmaßen haben aus dem limo terrae, so wäre es wider den Glauben und wider die heilige Schrift. Et paulo post: Das Fleisch Adams wird erwecket zum Gericht in guten und bösen Menschen. Wir müssen Alle im tödtlichen Adamischen Fleisch vor Gericht mit guter Vernunft und Sinnen, aber nach gehaltenem Gericht fällt dieser Adamische Leib ab, und allein de neue himmlische Leib kommt mit Christo in sein Reich, an den Verdammten bleibet auch der Adamische Leib nicht, er fällt ab, vergehet mit den Elementen und mit ihren ewigen Leibern werden sie geworfen in den feurigen Pfuhl ꝛc. *14. Methistae*, Ezechielis Methi asseclae, Anabaptistarum, Suencfeldianorum et enthusiastarum soboles itidem negant, idem numero et substantia corpus ex mortuis resurrecturum.

*15.* *Schegkius* in Antisimonio sect. 9. p. 420: *Si proprietates corporis gloriosi aliae sunt, etiam subjectum, nempe substantia corporis gloriosi alia erit.* Et postea distinguit inter *substantiam hominis resurgentis* et inter *substantiam corporis, hominemque eundem non autem idem corpus fore* concludit, cum quo consentit illud Alberi in orat. de resurrect. ubi disputat, *ex quatuor elementis tanquam ex nova materia conflatos homines resurrecturos, ut sic identitas non in humani corporis materia, sed tantum in ejus forma, id est anima, sit exstitura atque ideo idem numero homo propter formam, id est animam, resurrecturus dicatur.* (Atqui 1. Si *idem homo* resurget, utique etiam *idem corpus*, quia partes essentiales hominis sunt anima et corpus. 2. Si identitas animae requiritur ad identitatem hominis, utique etiam identitas corporis, quia sola anima non est homo, sed anima corpori unita. 3. Si eadem numero corpora resurgent, utique aliam
XIX 37. essentiam non habebunt, quia unitas numeralis praesupponit unitatem essentialem. 4. Ex mutatione proprietatum non potest inferri mutatio ipsius subjecti, quia aliud est substantiae alteratio, aliud vero abolitio, ac potest una eademque substantia sine sui abolitione ac essentiali mutatione diversa recipere accidentia. Sicut ratione substantiae non fuit aliud corpus in Adamo, quod ante lapsum erat immortale, post lapsum mortale, sic non erit aliud corpus nostrum, quod in hac vita est mortale, post resurrectionem immortale.) Idem Schegkius d. l. *corpora gloriosa materiae expertia fore* statuit, *cum futura sint immutabilia.* (Atqui 1. veritas corporis requirit etiam veritatem materiae, cum *corpus sine materia facere sit insomnium sine somno statuere.* Scaliger exerc. 359. sect. 11. 2. Si corpora resuscitata futura essent ἄϋλα, nec beatorum corpora coelestem gloriam, nec damnatorum ignis infernalis poenam perciperent. 3. Corpora materiata et materiae expertia οὐσίᾳ ac specie differunt, jam vero Scriptura docet, eadem numero et substantia corpora esse resurrectura. 4. Sicut in corpore primi hominis fuit materia absque proclivitate ad corruptionem ac sicut in Christi corpore post resurrectionem fuit materia absque δυνάμει ἀντιφάσεως; ita quoque beatorum corpora in futuro seculo erunt materiata, omnis tamen corruptionis et proclivitatis ad corruptionem expertia, quia δύναμις ἀντιφάσεως non est ipsa materiae essentia, quae manebit, sed qualitas, quae abolebitur. Confer Meisnerum part. 1. sobr. phil. sect. 3. cap. 2. qu. 1. et 2.) *16. Goclenius* philosophus Marpurgensis in colleg. philosoph. theol. disp. 25. f. 222. contendit, *quod in corpore mortuo adhuc vitalis quaedam vis remaneat, ex qua in ἀναβιώσει Deus novum et spirituale corpus sit producturus*, quam opinionem peculiari scripto refellit Weberus amicus noster honorandus. Conformis est haec opinio Origenis somnio, quod in lib. περὶ ἀρχῶν proponit. *In seminibus rerum* (inquit) *insita est ratio quaedam et vis a Deo, ut ad se trahat omnem futuram materiam et corpulentam substantiam rerum, quae inde proveniunt, nec tamen in semine arboris videntur fructus, flores, folia, rami, cortex, truncus, cum alioquin in illo ratio et vis horum omnium exsistat; sic se rem habere dicit in cineribus et residua corporum nostrorum materia, ac vim illam vocat σπινθηρισμὸν καὶ ἀντέριον* vel ut Erasmus in scholiis ad Hieronymum emendavit, σωτήριον, quod est *conservatorium vel seminarium mortuorum*, id autem *tradit judicii extremi tempore germinaturum et pullulaturum humana corpora, sed non carnes, ossa et sanguinem, ne in coelis opus habeamus cibo, potu, nuptiis, tonsoribus* etc.

74. Argumenta adversariorum potiora haec sunt, *1. ex oraculo Salvatoris*, Matth. 20, v. 30. Luc. 20, v. 36: *Filii resurrectionis erunt ἰσάγγελοι καὶ ὡς ἄγγελοι. Ergo in angelicam naturam convertentur.* Respondemus: 1. similitudo non est identitas, ὁμοιότης καὶ ἰσότης non est statim ταὐτότης. 2. Invertimus igitur argumentum. Beati erunt *similes* vel aequales angelis. Ergo non erunt angeli. Quod in alterius substantiam commutatur, desinit illi esse *simile*, ac fit *idem*, similitudo enim ad minimum est inter duo. Sic aquam in vinum conversam nemo potest dicere vino similem, quia desiit esse aqua. 3. Beati erunt ἰσάγγελοι non per *essentiam naturae, sed per convenientiam qualitatum et gloriae*, unde non dicuntur ἄγγελοι, sed futuri ὡς ἄγγελοι. 4. Idem colligitur ex scopo. XIX. 38. Disputat Christus contra Sadducaeos corporum resurrectionem ex mulieris septemvirae exemplo absurditatem rationis involvente oppugnantes, ac negat, corpora resuscitatorum per generationem multiplicanda et propaganda, cum beati futuri sint ἰσάγγελοι immortales, incorruptibiles et ingenerabiles. 5. Huc referenda dicta veterum. Tertullianus lib. de resurrect. carnis p. 347: *Erunt tanquam angeli. Si non nubendo, quia nec moriendo, utique nec ulli simili necessitati succidendo corporalis conditionis. Quia et angeli aliquando tanquam homines fuerunt edendo et bibendo et pedes lavacro purgando. Humanam enim induerant superficiem, salva intus substantia propria. Igitur si angeli facti tanquam homines in eadem substantia spiritus, carnalem tractationem susceperunt, cur non et homines facti tanquam angeli in eadem substantia carnis spiritualem subeant dispositionem, non magis solennibus carnis obnoxii sub angelico indumento quam angeli tunc solennibus spirituum sub humano? Nec ideo non permansuri in carne, quia non et in solennibus carnis, cum nec angeli ideo non in spiritu permanserint, quia non et in solennibus spiritus. Denique non dixit, erunt angeli, ut homines negaret, sed tanquam angeli, ut homines conservaret. Non abstulit substantiam, cui similitudinem attribuit.* Methodius apud Epiphanium lib. 2. tom. 1. adv. haer. p. 183: *Christus non dixit, erunt angeli, sed sicut angeli, nempe gloria quidem et honore, velut scriptum est, coronati, verum paululum ab angelis evariantes et propemodum ut angeli. Quemadmodum si quis*

Argumenta advers. 1. ex Matth. 22, v. 30.

*dixisset, ubi bona aëris constitutio est et tranquillitas noctis et omnia aetherea lunae luce ornata, luna lucet velut sol, non omnino sole carentem lunam esse, ipsum testari diceremus, sed sicut solem. Quemadmodum et quod non est aurum, prope autem est ut sit aurum, sicut aurum dicitur et non aurum. Si vero esset aurum, non diceretur velut aurum, sed aurum. Quando vero non est aurum, sed propemodum est aurum et imaginetur quis aurum, velut aurum dicitur. Ita etiam velut angelos fore in resurrectione, non hoc ipsum proferre audimus ipsum, sanctos videlicet fore angelos, sed prope ut sint angeli* etc.

2. Ex 1.Cor. 15, v. 50. 75. 2. *Ex loco apostolico* 1. Cor. 15, v. 50: *Caro et sanguis non possidebunt regnum Dei. Ergo corpora resuscitata et glorificata non habebunt carnem et sanguinem.* Respondemus: 1. Apostolus in eodem capite ejusdem numero et substantia corporis resuscitationem perspicue asserit, ut superius ostendimus. 2. Non ergo de ipsa corporis substantia ἁπλῶς in se considerata, sed de adhaerente carnis corruptione et ejusdem in hac vita conditione apostolus loquitur, quod scilicet corpus, quatenus et quamdiu est animale, mortale, peccato corruptum, vitiosis inclinationibus obnoxium etc. non possit regnum Dei hereditare, sed necessarium sit, ut qualitatum, non autem substantiae ratione mutetur. 3. Hanc interpretationem probat connexio textus; apostolus v. 49. inquit: *Sicut portavimus imaginem terreni* (Adami scilicet in hac vita), *sic portabimus imaginem coelestis* (Christi scilicet in futura vita), v. 50. subjungit: ὅτι, *quia, caro et sanguis non possidebunt regnum Dei*, i. e. ideo dico, nos gestaturos imaginem coelestis, quia caro et sanguis sive corpus animale et mortale, quatenus adhuc tale non potest regnum Dei possidere; probat ἐπεξήγησις
XIX. 39. immediate subjecta, *neque corruptio*, inquit, *hereditabit incorruptelam*, id est caro et sanguis corruptibilis, quatenus scilicet talis et corpus corruptibile, quatenus tale, non possidebit regnum coelorum; probat illatio v. 53. subjuncta, *quia caro et sanguis* corruptibilis, quatenus et quamdiu est talis, *non potest regnum Dei possidere*, ideo *oportet corruptibile hoc induere incorruptionem et mortale hoc induere immortalitatem*, ubi vides, notanter distinguere apostolum inter φθορὰν καὶ φθαρτόν, inter *corruptionem et corruptibilitatem* tanquam abstractum et concretum, adjunctum et subjectum, caro sublata corruptione possidebit regnum Dei; corruptio autem exsulabit, manente carnis substantia, omnis mortalitatis et corruptibilitatis conditio cessabit abolita; probat oppositio praemissa v. 42: *Caro et sanguis sive corpus seminatur in corruptione, resurget in incorruptione* v. 43. *seminatur in ignobilitate, surget in gloria, seminatur in infirmitate, surget in virtute,* v. 44. *seminatur corpus animale, surget spirituale,* utique ergo idem corpus, quod in hac vita est corruptibile, ignobile, infirmum, animale, in resurrectione erit incorruptibile, gloriosum, virtute praeditum et spirituale; probat denique fidei analogia. Ut enim corrupta nostra natura non potest regnum coelorum consequi, nisi regeneretur ac renovetur per Spiritum s. Joh. 3, v. 5. sic corpora nostra non possunt regni coelestis fieri participia, nisi prius φθοράν et corruptibilitatem exuerint, ac proinde non *substantiae*, sed *culpae* nomine caro et sanguis a regno Dei arcentur. 4. Qua de re sic loquuntur pii veteres in dicti hujus apostolici explicatione, Irenaeus lib. 5. c. 12. p. 326: *Quotquot id quod salvat et format in vitam non habent, hi consequenter erunt et vocabuntur caro et sanguis, quippe qui non habent Spiritum Dei in se* etc. p. 327: *Caro sine Spiritu Dei mortua est non habens vitam, regnum Dei possidere non potest sanguis irrationalis velut aqua effusa in terram, et propter hoc ait, qualis terrenus, tales et terreni. Ubi autem Spiritus Patris, ibi homo vivens, sanguis rationalis ad ultionem a Deo custoditus, caro a Spiritu obsessa oblita quidem sui, qualitatem autem Spiritus assumens conformis facta est verbo Dei* etc. *sicut sponsa assumere sponsum non potest, assumi autem a sponso potest, cum venerit et acceperit eam sponsus, sic et caro haec secundum se ipsam, id est sola, regnum Dei hereditate possidere non potest, hereditate autem possideri in regno Dei a Spiritu potest.* p. 328: *Nolite errare, quoniam nisi verbum Dei inhabitaverit et Spiritus Patris fuerit in vobis, vane autem et prout evenit, conversati fueritis, quasi tantum caro et sanguis exsistentes regnum Dei possidere non poteritis* etc. Tertullianus lib. de resurr.: *Caro et sanguis nomine culpae non substantiae arcentur a regno Dei.* Ambrosius in com. 1. Cor. 15: *Frequenter Scriptura carnem pro operibus nominat carnis, ut ibi, vos autem in carne non estis, sed in Spiritu. Aliter caro sicut est regnum Dei non possidebit nisi immortalitate vestita.* Augustinus cont. adv. legis et proph. libr. 2. cap. 6: *Paulus aut carnis et sanguinis nomine corruptionem carnis significavit, quae in resurrectione non erit; aut carnem et sanguinem ad omnes illecebras secularium voluptatum carni et sanguini deditas retulit, quibus regnum Dei non possidetur.* In ench. cap. 91: *Quantum attinet ad corruptionem et ad vitia, quibus caro adversus animam concupiscit, tunc non erit caro; quantum ad substantiam, etiam tunc erit caro.* Gregorius libr. 14. mor. c. 29: *In sacro eloquio aliter caro dicitur juxta naturam atque aliter juxta culpam vel corruptionem. Caro quippe juxta naturam, sicut scriptum est, hoc nunc os ex ossibus meis et* XIX. 40.
*caro de carne mea Gen. 2. Verbum caro factum est Joh. 1. Caro vero juxta culpam, sicut scriptum est, non permanebit Spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt Gen. 6. Vos in carne non estis, sed in Spiritu Gal. 4. Neque enim in carne non erant, quibus epistolas transmittebat, sed quia passiones carnalium desideriorum vicerant, jam liberi per virtutem Spiritus in carne non erant. Quod ergo Paulus apostolus dicit, quia caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt, carnem vult*

*secundum culpam intelligi*, *non carnem secundum naturam, unde et mox, quia carnem secundum culpam diceret*, *ostendit subdens*, *neque corruptio incorruptelam possidebit. In illa ergo coelestis regni gloria caro secundum naturam erit*, *sed secundum passionum desideria non erit*, *quia devicto mortis aculeo in aeterna incorruptione regnabit.* Bonaventura 4. sent. dist. 42: *Loquitur apostolus de carne et sanguine non quantum ad substantiam, quia secundum substantiam caro et sanguis justorum hominum perpetuo in regno manebunt post resurrectionem; sed loquitur quantum ad concupiscentiae corruptionem*, *ut intelligitur*, *quod qui carnaliter vel secundum concupiscentiam carnis et sanguinis vivunt*, *regnum Dei possidere non poterunt.* 5. Frustra Ostorodus excipit, *scopum apostoli nequaquam esse*, *quod demonstrare velit*, *qui et quales homines salvandi sint, sed qualia corpora Christiani sint habituri*; *tum illi*, *qui ex mortuis resurrecturi sunt*, *tum illi qui immutabuntur*, utrumque enim in hoc capite tractat apostolus tum τὸ ὅτι, quod scilicet vere et certo pii sint resurrecturi, tum τὸ πῶς, in qualibus corporibus resurrecturi et in coelestem gloriam recipiendi sint, videlicet in corporibus non animalibus, sed spiritualibus, non peccato et corruptioni obnoxiis, sed glorificatis et immortalibus, ut series totius cap. sole clarius demonstrat. Ostorodi exceptio proprie opposita est Irenaei, Ambrosii et Theophylacti interpretationi, qua per carnem intelligunt *opera carnis*, *quae facientes regnum Dei non possidebunt* Gal. 5, v. 21. non autem nostrae, qua per carnem et sanguinem intelligitur corpus animale, mortale et corruptibile, quale fuit Adami post lapsum et quale gestamus in hac vita, tale enim corpus non habebimus in vita altera, sed spirituale, immortale et incorruptibile. 6. Regeris, *apostolum sibi invicem opponere imaginem terreni*, *quam gestamus in hac vita*, *et imaginem coelestis*, *quam gestaturi simus in vita altera*, *ex quo consequatur*, *corpora nostra in vita aeterna non fore terrenae substantiae.* Respondemus: sicut Christus dicitur *coelestis* non ratione *substantiae*, quasi e coelo coeleste corpus attulerit ac per b. virginem instar aquae per canalem transierit, sed tum ratione *originis*, quia supra naturae ordinem coelesti virtute Spiritus sancti ex virgine natus et conceptus est, ut Hilarius lib. 1. de Trinit. et Augustinus ad Oros. q. 4. explicant; tum praecipue ratione *qualitatum*, quia est gloriosus et incorruptibilis, ut sunt corpora coelestia, et quia coelestem vitam duxit semperque fuit impeccabilis, ut Tertullianus de car. Christi cap. 8. et Beda in com. exponunt; sic Adam dicitur *terrenus* non proprie ratione *substantiae*, sed tum ratione *originis*, quia ex terra factus est, tum ratione *qualitatum*, quia ex peccato mortalitatem et alias qualitates corporis terreni, animalis, mortalis et corruptibilis contraxit, Augustinus lib. 13. de civit. Dei c. 23. agit enim apostolus de qualitatibus corporum ad vitam aeternam resuscitatorum, ut series textus ostendit, ac Christi corpus gloriosum ut exemplar istarum qualitatum proponit, quo sensu ac respectu Christum vocat coelestem. XIX. 33 (sic).

76. *3. Ex similitudine apostolica.* 1. Cor. 15, v. 36: *Quod seminas*, *non vivificatur*, *nisi prius moriatur*, v. 37. *et quod seminas*, *non corpus quod futurum est seminas*, *sed nudum granum*, *puta tritici aut alicujus ceterorum*, v. 38. *Deus autem dat illi corpus sicut voluit et unicuique seminum proprium corpus. Ergo alia corpora resurgent*, *quam quae fuerunt instar seminis cujusdam terrae mandata.* Respondemus: 1. similitudines quaecunque non sunt extendendae ultra tertium, cujus respectu instituitur collatio. Christus ad judicium se venturum dicit *instar furis* Matth. 24, v. 43. Luc. 12, v. 39. Apoc. 16, v. 15. quo simili etiam apostolus utitur, 1. Thessal. 5, v. 2. Sed hoc non est extendendum ultra comparationis tertium, quod est repentinus et improvisus adventus. 2. Idem judicium esto de hac apostolica similitudine, quae in hisce potissimum consistit membris. Sicut semina in terram projecta prius computrescunt, antequam progerminent; sic corpora nostra in terrae pulvere prius computrescere et in cinerem redigi oportet, antequam ad vitam resuscitentur. Joh. 12, v. 24: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit*, *ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit*, *multum fructum affert.* Sicut semina in terram projecta divina virtute efficaciter operante e terra iterum progerminant; sic corpora nostra ex terrae pulvere divina virtute sunt resuscitanda. Sicut semen surgit mutata qualitate, ariditate scilicet in viriditatem amoenissimam; sic corpora nostra deposita mortalitate et corruptibilitate resurgent immortalia ac incorruptibilia, quippe glorioso Christi corpori conformia. *Quemadmodum nudum granum seritur sine folliculi veste, sine fundamento spicae, sine munimento aristae*, *sine superbia culmi*, *exsurgit autem copia foeneratum*, *compagine aedificatum*, *ordine structum*, *cultu munitum et usque quaque vestitum*, *atque istud est corpus*, *quod illi Deus dat longe quidem praestantius quam satum fuit; sic etiam mortuis et putrefactis hominibus multo ornatiora corpora Deus daturus est*, *eadem scilicet substantia*, *sed qualitate et conditione longe diversa et praestantiora.* 3. Si absolute ac simpliciter hanc similitudinem accipere eamque ultra comparationis tertium extendere velimus, multa absurda ex ea possemus colligere, quia collatio ostendit, ut in aliis similitudinibus, ita quoque in hac ipsa multa occurrere dissimilia. Seminis vivificatio est opus naturae, id est ordinariae Dei potentiae, sed mortuorum resuscitatio est supernaturale et extraordinarium divinae potentiae opus. Seminum vivificatio quotannis contingit, sed mortuorum resuscitatio semel tantum in die novissimo sequetur. Seminum vivificatio fit per causas mediatas, requirit calorem solis et pluvias tempestivas, sed mortuorum resuscitatio est immediatum et proprium divinae potentiae opus. Semina post sectio-

3. Ex 1. Cor. 15. v. 36.

nem aut ustionem non germinant, sed omni ex parte intereunt, at resurgent etiam illi martyres, qui frustatim dissecti aut combusti, ut ex Justino in quaest. et respons. ad orth. q. 111. p. 360. superius monuimus. Semen non idem numero, sed specie surgit, at corpora nostra eadem numero suscitabuntur. Unum semen sive unum granum multa producit, sed ex uno corpore non resurgent multa, sed illud ipsum corpus, quod cecidit, resurget. Grana ex semine pronata sunt cor-
XIX. 34. (sic). ruptibilia, sed corpora resurgent incorruptibilia. 4. Confert Christus suum corpus cum grano tritici, quod in terram conjicitur et putrefit, antequam surgit Joh. 12, v. 24. nec tamen corpus Christi putrefactum est, nec aliud sed illud ipsum e mortuis est resuscitatum. Ex similitudine ergo seminis nequaquam substantiae diversitas, sed duntaxat diversa corporum qualitas inferri potest. 5. Ex verbis igitur apostolicis, *non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum*, non debet inferri: Ergo non idem numero corpus, quod seminatur, resurget, sed hoc tantum sequitur: Ergo non tale corpus, quale seminatur, resurgit. Duobus enim modis potest accipi *ταὐτό*, idem, vel *ratione essentiae*, vel *ratione qualitatum*. Granum et culmus, qui ex grano nascitur, sunt specie idem, qua ex materia et forma ut substantialibus grani partibus, quae manent, culmus nascitur, nec grano fabae tritici corpus adstruitur, sed eadem natura et forma sementi retinetur et substantia in eadem natura servatur. Non autem idem sunt granum et culmus ratione accidentium, quae alia sunt in culmo quam in grano. Chrysostomus hom. 41. in priorem ad Corinthios: *Spica eadem est et non eadem. Eadem jam haec, quia substantia eadem, non eadem, quia melior.* Gregorius libr. 14. moral. cap. 29: *Grano seminis non deest, quod erat; sed adest, quod non erat.* Confer Cramerum de spirit. corporis glorificati mysterio cap. pag. 33.

4. Ex 1. Cor. 15 v. 51. 77. 4. Ex 1. Cor. 15, v. 51: *Non omnes quidem obdormiemus, omnes autem ἀλλαγησόμεθα, immutabimur. Jam vero quod immutatur, substantiam amittit et transit in alienam, ut cum ex aqua fit vinum, aqua dicitur mutari in vinum. Ergo etiam substantiae, non autem qualitatis duntaxat mutatio fiet in corporibus resuscitatis.* Respondemus: 1. mutatio duplex est, essentialis et accidentalis, a genere igitur indeterminato ad speciem determinatam non potest argumentum formari affirmativum. 2. Qualem *ἀλλαγήν* apostolus intelligat, ibidem diserte exponit per vocabulum *induitionis* v. 53. ac Phil. 3, v. 21. per verbum *μετασχηματίζειν*, quo *σχῆμα* duntaxat, non autem *οὐσίαν* abolendum innuit. Tertullianus lib. de resurrect. cap. 55: *Discernenda est demutatio ab omni argumento perditionis. Aliud enim demutatio, aliud perditio est. Perisse enim est in totum non esse, quod fuerit; mutatum esse aliter esse est. Porro dum aliter est, id ipsum potest esse. Habet enim esse, quod non perit, mutationem enim passum est, non perditionem.* 3. Verbum illud, quo apostolus hoc loco utitur, quidam deducunt ab *ἄλλος* et *ἄγειν*, ut mutatio secundum locum proprie significetur. Lutherus in comment. h. l.: *Graecum verbum ἀλλαγησόμεθα, quo Paulus hoc loco utitur, peculiariter ita mutari dicitur, ut cum rem de loco in alium transponimus. Exempli gratia cum aliquid ex aqua in continentem transferimus, aut e terra in aërem; ita quoque in illo die in momento oculi alio in loco et alia forma inveniemur, qui illa ipsa hora ante aut domi aut in campo fuimus, ac subito aut a mensa aut e lecto aut e labore, sicuti ibimus, stabimus aut sedebimus aut jacebimus, hinc auferemur. Itaque in momento oculi mortui juxta ac vivi et in totum immutati erimus et supra in nubibus volaturi. Ejusmodi mutationem hic Paulus innuit, quamquam haec quoque alteram mutationem qualitatis comprehendit, de qua supra egit, qua corpus illustratur.*

78. 5. *Ex ratiocinatione. Diversarum operationum, cujusmodi sunt generatio ac reparatio, diversi sunt termini secundum substantiam, ac proinde aliud corpus est, quod primo generatur, aliud, quod in resurrectione postmodum reparatur. Cum signum in cera imprimitur et rursus confunditur, non manet eadem forma ac proinde non potest dici idem numero sigillum, si rursus in eadem cera imprimatur.* XIX. 35. (sic). 5. Ex ratiocinatione.
Respondemus: 1. ratiocinationes philosophicae non possunt nec debent opponi articulis fidei ex clara Scripturae litera demonstratis. 2. Operatio agentis infiniti et omnipotentis perperam exigitur ad normam agentium finitorum naturaliter et secundum communem ordinem operantium. 3. Diversitas causarum non infert diversitatem ipsius producti. 4. In resuscitatione nec nova anima, nec corpus novum formantur, sed anima pristina sine corruptione immortalis permanens corpori pristino ex terrae pulvere reformato iterum unitur. 5. Quamvis interrumpatur *τὸ εἶναι* compositi respectu mutationis, quae alia est in corpore primum generato et postmodum in resurrectione reparato, non tamen interrumpitur secundum se vel respectu principiorum essentialium, quae eadem permanent, ex distinctione ergo mutationum non potest inferri distinctio terminorum secundum substantiam. 6. Cum alia acquiritur forma, est quidem mutatio alia; non autem vice versa, ubi alia est mutatio, ibi necesse est esse aliam formam, cum eadem forma diversis mutationibus acquiri possit, sicut idem *ποῦ* diversis motibus localibus recto et circulari acquiri potest. 7. Si vestimentum aliquod prius dissutum iterum consuatur, fit idem numero vestimentum, non aliud, aut si horologii rotulae dissolvantur ac eaedem purgatis sordibus rursus compingantur, non est aliud, sed idem numero horologium; sic eadem numero erit humani corporis essentia, quod dissolutum a Deo iterum componetur ac remotis infirmitatibus e pulvere suscitabitur. 8. Dispar est ratio signi cerae impressi, quod est *forma accidentalis*, et animae humanae, quae est *forma hominis essentialis*. Signum cerae impressum, cum sit forma accidentalis extra

suum subjectum non subsistens; ideo si confundatur, prorsus interit, ac proinde quando in eadem cera imprimitur, non est idem numero signum; sed anima rationalis est forma essentialis per se etiam extra corporis domicilium subsistens, proinde quando corpori e terra resuscitato divina virtute iterum conjungitur, idem numero compositum efficit. 9. Etsi non potest dici idem numero sigillum, si rursus in eadem cera imprimatur, manet tamen eadem cera; sic etsi confunditur figura substantialis corporis humani in sepulcro, quia tamen eadem materia cum proprietatibus individuantibus divina virtute restituetur, idem numero corpus resuscitatum iri recte statuitur.

79. 6. Eodem fere modo respondendum ad similem ratiocinationem. *Quaecunque differunt specie, non conveniunt numero. Corpus mortuum et corpus vivum differunt specie, quia vivum et mortuum specie differunt. Ergo non conveniunt numero*, et *per consequens corpora resuscitata non sunt eadem numero, quae defuncta.* Quidam respondent per distinctionem, *corpus hominis duobus modis considerari posse. Primo quatenus corpus est, deinde quatenus est corpus humanum. Quatenus corpus est, consideratur in ordine ad elementorum naturam et est cadaver, et sic dici posse specie differre, sicut cadaver et corpus vivum, a quo proxime factum est, differunt. Deinde considerari corpus in respectu ad animam suam tanquam formatum ad propriam suam formam, et hunc respectum inter animam et corpus esse cum mutuo quodam appetitu et inclinatione*, ut docet Bonaventura part. 7. breviloqu. cap. 5. *In hoc respectu animam intueri, appetere et desiderare suum et non aliud corpus tanquam competens suum habitaculum et vicissim corpori tanquam formato inesse vi creationis et inspirationis divinae, cujus semel particeps factum est, affectionem, per quam alienatur ab omnibus aliis animabus ac retinere suum εἶναι humanitatis in ipsa animae essentia residuum et quasi positum in sequestro.* Quodsi alicui dubium videatur, an corpori mortuo talis affectio et velut appetitus proprii corporis competat, simplicius respondere poterit, identitatem numericam inter corpus vivum et resuscitatum aestimandam esse non respectu termini a quo propioris, qui est corpus mortuum, sed remotioris, qui est corpus in hac vita adhuc vivum.

XIX. 36. (sic)

80. 7. Quidam etiam urgent dictum 1. Cor. 6, v. 13: *Deus et ventrem et escas destruet. Ergo in resurrectione ut cessabunt escae, ita quoque venter, et per consequens corpora resuscitata nec stomachos nec ventres nec carnes habebunt.* Respondemus: Apostolus de ventre non ratione *substantiae*, sed ratione *usus* proprie agit, quod scilicet in morte venter ita destruatur, ut non amplius escis pascatur et quanquam in resuscitatione corporis homini reddendus sit, non tamen amplius escis indigebit. *Καταργήσεται* igitur *ἡ κοιλία* tum in hac vita per mortem, tum in altera vita ratione usus cibi ac potus. 8. Epiphanius contra Manichaeos refert, quod Manes resurrectionem corporis impugnarit ex dicto apostolico 1. Cor. 5, v. 5. *Scio* (dicebat) *spiritum salvari absque corpore. Hoc enim apostolus dicit, tradatur talis Satanae in interitum carnis, ut spiritus salvetur in die Domini, hinc inferebat, non fore resurrectionem corporum aut carnis.* Respondemus: non potest hic locus opponi clarissimis Scripturae dictis, quae corporum resurrectionem adstruunt. Quidam igitur interitum carnis exponunt de corporis emaciatione exhausti scilicet per tristitiam vitali succo, spiritus nomine intelligunt ipsam animam, cui *κατ' ἐξοχὴν* salus tribuatur 1. Petr. 1, v. 9. Quidam per carnis interitum afflictionem corporis a Satana illatam intelligunt. Ambrosius lib. 1. de poenitent. cap. 12. tom. 1. p. 160: *Sicut Dominus in animam sancti Job potestatem non dedit, sed in carnem ejus permisit licentiam; ita et hic traditur Satanae in interitum carnis, ut serpens terram ejus lingeret, non noceret;* vide locum integrum ac seq. cap. 13. Simplicius et phrasi Scripturae convenientius est per *carnem* accipere hominem veterem, per *spiritum* vero novum, ut sit sensus, incestuosum ideo fuisse excommunicatum, ut ex hujusmodi poena, pudore, dolore, tristitia et poenitudine exorta vetus homo ac caro, quae ad peccatum eum solicitaverat et induxerat, dometur, crucifigatur ac interimatur, ut novus ac interior homo reviviscat et ad vitam aeternam conservetur. 9. Hieronymus in epist. ad Avitum refert, Origenem hoc argumento resurrectionem carnis impugnasse: *E duobus alterum suscipere cogimur, ut aut desperemus similitudinem Dei, si eadem semper sumus corpora habituri, aut si beatitudo ejusdem cum Deo vitae promittimur, eadem, qua vivit Deus, nobis conditione utendum est.* Respondemus: 1. primus homo ad Dei imaginem et similitudinem erat conditus ac nihilominus verum habebat corpus. Ergo XIX. 37. (sic).
corporis veritas et Dei similitudo sibi invicem non adversantur. 2. Similitudo Dei, ad quam homo conditus et ad quam in vita aeterna reformabimur, non in substantia, sed in qualitatibus quaerenda. 3. *Christus corpus nostrum humile transfigurabit, ut reddatur conforme corpori suo glorioso* Phil. 3, v. 21. Ergo similitudo Dei et Christi, ad quam in vita aeterna transfigurabimur, praesupponit veritatem corporis, tantum abest, ut eam evertat. 4. Similitudinem illam nostram cum Deo Johannes collocat in Dei visione, non autem in corporis abolitione et in spiritualem substantiam conversione, 1. Joh. 3, v. 2: *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicut est.*

Argumentum pro diversitate materiae in corporibus resuscitatis.

81. Qui diversitatem materiae in corporibus resuscitatis agnoscunt, hoc utuntur argumento: *Materiae identitas ad numericam et essentialem unitatem nequaquam requiritur, sed sufficit, si eadem forma permaneat. Sic in augmentatione et accretione nova materia apponitur, ac nihilominus idem numero subjectum manere censetur. Quamvis igitur statuatur, futuram aliam corporis resuscitati materiam, tamen propter unam eandemque animam*

*idem homo resurrecturus nihilominus creditur ac statuitur.* Respondemus: 1. Scriptura docet, non tantum eundem hominem, sed etiam idem numero corpus resurrecturum esse, ut superius ostendimus. 2. Huic veritati in Scripturis patefactae non debent opponi probabiles dissertationes philosophicae. 3. Alia est ratio resurrectionis, alia accretionis. In accretione materiae novae assumtio fit successive, nec materia prior tota absumitur, sed eidem nova per varias alterationes mutata adjungitur, unde numerica compositi unitas per accretionem minime evertitur. Vide colleg. Conimbr. in comm. libr. 1. de generat. et corrupt. cap. 4. qu. 1. Sed qui diversitatem materiae in corporibus resuscitatis asserunt, omnem veteris materiae substantiam interire ac plane novam in momento eidem substitui asserunt, quo pacto numerica identitas persistere nequit. 4. Distinguendum igitur inter mutationem materiae essentialem et quantitativam. In accretione et alteratione physica materia mutatur tantum quoad *quantitatem*, non autem quoad *essentiam*. At qui diversitatem materiae in resuscitatorum corporibus asserunt, essentialem materiae mutationem introducunt et per consequens identitatem numericam ejusdem labefactant. 5. Ad idem numero compositum requiritur non solum formae, sed etiam materiae identitas, cum non unum duntaxat, sed duo distincta sint compositi principia essentialia, forma scilicet ac materia. Quare si hypothesin de numerica identitate hominis resuscitandi tueri velimus, materiae sive corporis essentialem diversitatem asserere nequaquam possumus.

t cor- ta- 82. Quamvis vero, uti demonstratum hactenus, *substantiae* ratione eadem corpora, quae in hac vita gessimus, in resurrectione simus recepturi, *qualitates* tamen eorum aliae ac diversae erunt, id quod apostolus 1. Cor. 15, v. 36. multis confirmat. Veteres dicunt, eadem fore corpora *substantia numerali*, diversa vero *qualitate dotali*. Martialis in epist. ad Burdegal. cap. 8: *Non quidem evacuabitur veritas corporis, sed non erit pondus et fragilitas cor-*
38. *ruptionis.* Augustinus libr. 13. de civ. Dei cap. 23: *Tunc non terrenus, sed coelestis erit homo, non quia corpus, quod de terra factum est, non ipsum erit, sed quia dono coelesti jam tale erit, ut etiam coelo incolendo non amissa natura, sed mutata qualitate conveniat.* Sed illae ipsae corporum resuscitatorum qualitates, quarum ratione a corporibus animalibus in hac vita distinguuntur, accurate sunt distinguendae. Quaedam enim *communes* sunt omnibus resuscitatis tam impiis quam piis, tam incredulis quam credentibus. Tales sunt ἀφθαρσία καὶ ἀθανασία, incorruptibilitas et immortalitas, quia enim impiorum animae et corpora perdenda sunt (non interimendo, sed cruciando) in gehenna Matth. 10, v. 28. quia vermis eos rodens *non morietur* et ignis eos urens *non exstinguetur* Esa. 66, v. 24. Marc. 9, v. 44. 46. et 48. ideo corpora eorum itidem resurgent incorruptibilia et immortalia, ab animabus nunquam separanda, sed ad aeternos et nunquam desituros cruciatus reservanda. Ex quo etiam intelligitur, ἀφθαρσίαν καὶ ἀθανασίαν in corporibus impiorum longe diversam esse ab ἀφθαρσίᾳ καὶ ἀθανασίᾳ impiorum tum *ratione adjunctarum reliquarum qualitatum*, tum *ratione finis*. Ruffinus in expos. symb. p. 387: *Corpus, quod resurget a mortuis, erit incorruptibile et immortale non solum justorum, sed etiam peccatorum. Justorum quidem, ut semper possint permanere cum Christo, peccatorum vero, ut absque internecione sui debitas luant poenas.* p. 388: *Dabitur et peccatoribus incorruptionis et immortalitatis de resurrectione conditio, ut sicut justis ministrat ad perpetuitatem gloriae, ita peccatoribus ad prolixitatem confusionis et poenae.* Quaedam vero qualitates *propriae* sunt solis piis ad vitam aeternam resuscitatis, quas apostolus 1. Cor. 15. hoc recenset ordine: *Seminatur in corruptione, resurget* ἐν ἀφθαρσίᾳ v. 43. *seminatur in ignominia, resurget in gloria, seminatur in infirmitate, resurget in potentia* v. 44. *seminatur corpus animale, resurget corpus spirituale* v. 45. *sicut portavimus imaginem terreni, ita portabimus etiam imaginem coelestis* v. 49. ac Phil. 3, v. 21. dicit, quod *Christus corpus nostrum humile conforme sit redditurus corpori suo glorioso secundum efficaciam, qua potest sibi subjicere omnia.* Ex quibus colligitur, corpora piorum ad vitam aeternam resuscitatorum fore non solum incorruptibilia et immortalia, sed etiam *1. glorificata ac gloriosa*, quia inenarrabili decore, splendore et gloria adeoque divino lumine, claritate et fulgore velut pallio vestientur, *fulgebunt sicut sol* Matth. 13, v. 43. *sicut stellae firmamenti* Dan. 12, v. 3. cujus tamen fulgoris et claritatis certi ac distincti erunt gradus 1. Cor. 15, v. 41. Ruffinus in expos. symb. p. 386: *Quid difficile videbitur, eos fulgorem solis habituros et siderum ac firmamenti hujus splendore decorandos, quibus vel vita et conversatio angelorum Dei paratur in coelis vel conformandi dicuntur ad gloriam corporis Christi? 2. Potentia*, quia a θνηταῖς δυσχερείαις et prioribus infirmitatibus, doloribus ac morbis, quibus in hac vita fuere subjecta, penitus erunt libera ac proinde firma, valida, impassibilia, agilia, subtilia, quibus nec pondus, nec gravitas obsistere poterunt, quo minus in occursum Domini in aëra rapiantur 1. Thess. 4, v. 17. Ruffinus d. l.: *Sacrosancta sanctorum corpora in tantam gloriam resurrectionis mutabuntur, ut in occursum Domini suspensa nubibus et aëre vectata rapiantur, cum ipse apostolus exponens, quantum conferat Deus his, qui diligunt eum, dicat. Qui transformabit corpus humilitatis nostrae conforme corporis Filii claritatis suae. Nihil ergo absurdum est, si sanctorum corpora dicantur nubibus in aëre sustolli,* XIX. 30. (sic).
*cum ad formam corporis Christi, quod in dextra Dei sedet, dicantur esse reformanda.* Augustinus lib. 22. de civ. Dei cap. 6: *Aberit a corporibus nostris omnis deformitas, omnis tarditas, omnis infirmitas, omnis corruptio. 3. Spiritualia*, non quidem ratione essentiae, erunt enim non πνεύματα,

sed *σώματα πνευματικά*, *ἰσάγγελοι* erimus, non angeli, aequales non iidem Matth. 22, v. 30. sed ratione spiritualium qualitatum, non erunt amplius animalia corpora, cibi, potus, somni et aliorum subsidiorum indiga, sed spiritualia, in quibus nulla carnis et spiritus lucta, sed quae imperio spiritus perfecte subdita, quae plene a Spiritu s. reguntur, quae nullis cibis vel adminiculis aliis ad sui sustentationem indigent. Ruffinus in expos. symb. p. 385: *Resurrectionis virtus angelicum hominibus confert statum, ut qui de terra surrexerunt, non iterum in terra cum pecubus, sed in coelo cum angelis vivant, quos tamen ad hoc ratio prioris vitae admiserit.* Augustinus de fid. et symb. cap. 6: *Corpus spirituale spiritui promtum praestabit obsequium omni fragilitate ac labe terrena in coelestem puritatem et stabilitatem mutata et conversa. 4. Coelestia*, itidem non substantiae, sed qualitatum ratione, quia coelesti luce et gloria fulgebunt, non erunt amplius terrenis infirmitatibus obnoxia, sed coelesti claritate conspicua, non erunt amplius deformia, sordida, manca, mutila, adspectu turpia, sed formosissima, adspectu decora, perfecta, honestissima, membris integra etc. quarum qualitatum exemplar in Christi ex mortuis resuscitati et ad dextram Dei collocati corpore, cui nostrum futurum est *σύμμορφον*, nobis proponitur. Impiorum vero ac damnatorum corpora licet futura sint incorruptibilia et immortalia, tamen non erunt *impassibilia*, sed aeternis cruciatibus obnoxia, nullo decore, nulla gloria, nulla potentia, nulla spirituali excellentia ornata, sed perpetua foeditate et ignominia notata, opprobrio sempiterno destinata et infernalibus tenebris oppressa. Sunt enim *vasa apparata ad ignominiam et contumeliam* Rom. 9, v. 21. 2 .Tim. 2, v. 20. Sed de his corporum glorificatorum dotibus in tractatu de vita aeterna uberius disseremus.

83. *Incorruptibilitatem et immortalitatem* esse corporum ad vitam aeternam resuscitatorum qualitates ex Christi ex mortuis resuscitati exemplo nostrates probant, quibus opponunt sese Photiniani negantes, *Christi corpus a resurrectione fuisse immortale*, id quod probant ex *cicatricibus*, quas corpori immortali tribuere absurdum ipsis videtur, proinde hac in re discrimen ponunt inter *resurrectionem Christi*, quoad ejus *modum* et nostram. Ostorodus in inst. cap. 41. p. 398 Schmaltzius in exam. 157. errorum p. 21. Respondemus: 1. Absurdum potius, eum qui ex mortuis ita resuscitatus, ut jam *non amplius moriatur ac mors illi ultra non dominetur* Rom. 6, v. 9. qui *peccato*, id est ad satisfaciendum pro peccato, *semel mortuus*, libere scilicet ac voluntarie v. 10. qui *per mortem destruxit eum, qui habebat mortis imperium* Hebr. 2, v. 14. qui de *morte triumphavit in se ipso* Col. 2, v. 15. qui resurrexit ut auctor ac *dux vitae* Actor. 3, v. 15. imo ut ipsa *resurrectio ac vita* Joh. 11, v. 25. qui est *vivens in secula seculorum et habet claves mortis et inferni* Apoc. 1, v. 18. absurdum, inquam, est negare, eum in corpore immortali resurrexisse. Regerit quidem Ostorodus d. l. *aliud esse non posse mori, aliud non esse moriturum*, quod probat exemplo eorum, quos dies novissimus vivos deprehendet, *qui mori quidem poterunt, non tamen morituri sunt*, at Christi respectu distinctio illa nullius ponderis, si enim est ipsa resurrectio et vita, si mors non amplius ei dominabitur, si de morte gloriose triumphavit, utique etiam non solum non moriturus resurrexit, sed etiam non amplius mori potuit. 2. In quo Christi et nostra resurrectio invicem conferuntur, in eo non debet quaeri dissimilitudo. Sed in eo ipso, quod Christus resurrexit, in corpore immortali et glorioso, nostra et Christi resurrectio invicem conferuntur, 1. Cor. 15, v. 23: *Primitiae Christus, deinde ii, qui sunt Christi in adventu ejus.* v. 49: *Sicut portavimus imaginem terreni, sic portabimus imaginem coelestis.* Col. 1, v. 18: *Ipse est primogenitus ex mortuis*, quod Apoc. 1, v. 5. repetitur. Ergo in eo non debet quaeri dissimilitudo inter Christi et nostram resurrectionem. 3. Christus glorificati et immortalis corporis speciem in eo exhibuit, quod clauso adhuc sepulcro resurrexit, quod per januas clausas ad discipulos ingressus est, quod coram discipulis suis in Emmaus *ἄφαντος* factus, quod in adscensione sua coelos penetravit, ut in harmonia evang. de resurrect. late ostensum. 4. Si Christus post resurrectionem non habuit corpus immortale et glorificatum, adhuc erit mortalis, quia *οὕτως*, sic, veniet, *ὃν τρόπον*, quemadmodum, viderunt eum discipuli proficiscentem in coelum Act. 1, v. 11. sic redibit, ut in nubibus videri possit Matth. 26, v. 64. Apoc. 1, v. 7. 5. Christus edit ac bibit post resurrectionem ac discipulis cicatrices ostendit *κατ' οἰκονομίαν* non ob quandam naturae indigentiam vel necessitatem, sed ob discipulorum utilitatem, ut resurrectionis veritatem ipsis tanquam praeelectis testibus demonstraret. *Ad dubitantium corda sananda vulnerum sunt servata vestigia*, qua de re in harm. late fuit disputatum.

XIX. 40 (sic).

Quaest. de materia resurrectionis. 1. An corpora, quae in hac vita fuere manca ac mutila, resurrectura sint perfecta.

84. Quaeritur circa materiam resurrectionis, *1. an corpora, quae in hac vita fuerunt manca ac mutila, resurrectura sint perfecta atque integra.* Respondemus: quidam disputant, integritatem, perfectionem et *ὁλοκληρίαν* hominis in quatuor potissimum spectari, *1. in illis, sine quibus non potest exsistere natura humana*, qualia sunt forma et materia, anima scilicet et corpus, ex quorum utpote principiorum essentialium unione compositum exsistit; *2. in iis, quae pertinent quidem ad naturam humanam, sed non tanta necessitate, quin absque illis ea esse possit*, ut pes, manus, digitus et similia membra, quae praeter essentiam hominis denotant certam quantitatem et figuram; *3. in iis, quae ad naturam humanam pertinent extrinsece*, eo quod secundum consuetum naturae cursum non permaneret absque talibus natura, qualia sunt humores; *4. in iis, quae pertinent ad ornatum, ut capilli et alia accidentaria.* Quod ad primum attinet, du-

bium nullum, quin omnes homines tam impii quam pii ea, sine quibus natura humana exsistere nequit, in resurrectione sint recepturi, id quod definitio resurrectionis probat. Quod secundum attinet, distinguendum videtur inter *beatos et damnatos.* Illi recipient omnia membra organica, etiam ea, quibus hic caruerunt, 1. quia ut in Adamo ante lapsum fuit perfecta atque integra corporis compages, ita quoque talem integritatem in resurrectione restitutam iri sperandum, omnia ergo erunt *εὔρυθμα καὶ εὐάρμοστα;* 2. quia si ejusmodi integritas abesset, beatitudinis perfectioni ac desiderii naturalis adimpletioni aliquid decedere videretur; 3. quia corpora
XIX. 11. beatorum erunt Christi corpori conformia, Phil. 3, v. 21. at illud est omnibus membris ac partibus integrum; 4. quia gloria perficit naturam non solum quoad animam, sed etiam quoad corpus, quod seminatur in infirmitate, resurget in virtute, 1. Cor. 15, v. 43; 5. quia quaedam membra ad gloriae argumentum necessario requiruntur, ut oculus ad beatificam Christi et sanctorum visionem; 6. quia *ἀποκατάστασις πάντων*, *restitutio omnium*, speranda promittitur Act. 3, v. 20. quod ergo fuit in *πρωτοκτισίᾳ*, illud restituetur in *παλιγγενεσίᾳ*, unde Cyrillus lib. 12. in Johannem cap. 58. statuit, ***nullas corruptionis reliquias***, ***nullum signum defectus post resurrectionem in hominibus futurum.*** Prudentius in apotheosi hymno ultimo:

*Quod casus rapuit, quod morbus, quod dolor hausit,*
*Quod truncavit edax senium populante veterno,*
*Omne revertenti reparata in membra redibit.*
*Debet enim mors victa fidem, quae fraude sepulcri*
*Reddat curtum aliquid, quamvis jam curta vorarit.*

Hi vero, damnati scilicet, non videntur recepturi illa membra, quibus in hac vita caruerunt, 1. quia nihil tribuendum reprobis, quod eorum ignominiam minuat; 2. quia perfectionis est omnia membra habere integra; 3. quia non accipient plus boni in futura vita, quam obtinuerunt in hac vita. Si cui tamen probabilius videtur, quod et damnati omnia membra recepturi sunt, distinguat oportet inter membra, quibus a prima inde nativitate caruerunt et quibus ex casu superveniente postmodum fuere privati, si vel maxime haec posteriora, non tamen priora recepturi videntur, nec recipient ea ad gloriam, sed potius ad doloris augmentum, quia dolor in pluribus membris extensive major erit futurus. Richardus 4. sent. dist. 44. art. 1. quaest. 6: ***In damnatorum corporibus non erit deformitas per diminutionem***, ***nam si in hoc mundo non habuerit quis brachia vel tibias***, ***tunc illa deformitas reparabitur ad augmentum poenae***, ***ut puniatur in omnibus membris***, ***quia in hoc mundo bene valuissent brachia ad faciendum mala.*** Quod tertium concernit, probabile videtur, in omnibus corporibus resuscitatis ea futura, absque quibus natura humana permanere nequit, ubi tamen humores supervacanei quantitate vel qualitate peccantes, itemque excrementitii, etiam illi, quos utiles medici vocant, qui vel ad generationem vel ad nutritionem infantis destinati sunt, ut semen et lac, excludendi videntur; quod ipsum etiam de capillis superfluis et aliis accidentariis non improbabiliter statuitur. Praestat tamen in his ac similibus *ἐπέχειν*, ne nimis curiose quaerentibus, quali corpore resurrecturi sint mortui, *ἀφροσύνη* ab apostolo tribuatur 1. Cor. 15, v. 36. et 37.

85. Quaeritur 2: *An corpora resuscitata habitura sint partes organicas?* Origenes hoc negavit, unde corpora resuscitata carne et ossibus caritura ac tota homogenea futura statuit. *Nunc* (inquit) ***videmus oculis***, ***audimus auribus***, ***incedimus pedibus***, ***verum tunc toto illo corpore videbimus***, ***audiemus et ambulabimus***, 1. quia teste apostolo, ***qui in carne sunt***, ***Deo placere non possunt*** Rom. 8, v. 8; 2. quia partium organicarum nullus futurus est usus, ***in resurrectione non nubent nec nuptui dabuntur*** Matth. 22, v. 30. Marc. 12, v. 25. Luc. 20, v. 35. nec bibent vel comedent, sed ***erunt sicut angeli Dei***, stomachus non concoquet cibos, nec hepar conficiet sanguinem etc. Contra vero statuendum, corpora resuscitata omnino habitura partes organicas, 1. quia illae pertinent ad integritatem corporis; 2. ingrediuntur illius definitionem; 3. absque illis non est corpus hominis; 4. Scriptura resuscitatis corporibus tribuit ossa, carnem, cutem, oculos Job 19. Ezech. 37; 5. Christus post resurrectionem corpus organicum retinuit, neque enim pedibus locutus est, sed ore; 6. aequum est, ut illae partes, quibus recte sumus usi, praemiis, quibus male, poenis afficiantur. Ad prius Origenis argumentum respondemus, eum non minori audacia dicto apostolico abuti ad carnis resurrectionem oppugnandam, quam Siricius pontifex eo postmodum abusus est ad matrimonii honestatem deformandam. Constat enim ex serie contextus, *τὸ in carne esse* de carnalibus concupiscentiis spiritui dominantibus et ipso opere externo adimpletis ab apostolo accipi, illos enim in carne esse dicit, ***qui secundum carnem ambulant*** v. 4. ***quae carnis sunt sapiunt*** v. 5. ***secundum carnem vivunt*** v. 13. ***ac desideria carnis perficiunt*** Gal. 5, v. 16. quibus opponit eos, ***qui sunt in spiritu*** v. 9. hoc est in quibus ***Spiritus Christi habitat*** v. 9. ***qui vivunt secundum Spiritum*** v. 4. ***qui sapiunt***, ***qui sunt Spiritus*** v. 5. ***qui Spiritu actiones carnis mortificant*** v. 13. Irenaeus lib. 5. cap. 12. pag. 328: ***Non substantiam carnis rejicit, sed infusionem Spiritus attrahit sive necessariam statuit.*** Ad posterius respondemus, membrorum organicorum duplicem esse *σχέσιν* ac respectum; prior est *materiae ad formam*, posterior *organi ad principium activum.* Priore respectu finis membri non est ejus operatio, sed ipsius corporis perfectio, quae post resurrectionem est necessaria. Definitur enim a Philosopho anima, quod sit *ἐντελέχεια σώματος φυσικοῦ ὀργανικοῦ δυνάμει ζωὴν*

Quaer. 2. An corpora resuscitata habitura sint partes organicas?

XIX 42.

ἔχοντος Aristot. libr. 2. de anim. tom. 6. *est actus primus substantialis corporis organici, potentia vitam habentis.* Posteriore respectu finis quidem membri est operatio, at ubi ea deficit, non statim propterea organum est supervacaneum, quia actus secundi cessatio non tollit actum primum, ac agens instructum est organis non solum ad exsequendam operationem, sed etiam ad potentiae ostensionem et totius compositi perfectionem. Elias et Moyses per 40 dies ventriculum non habuerunt frustra, licet eo non uterentur. Anus effoeta, quae per naturam non potest amplius parere ac lactare, non tamen privatur uberibus vel partibus procreationi ac gestationi sobolis dicatis. Facultas augmentativa homine ad ἀκμήν perveniente non aboletur. Quidam hoc declarant similitudine *ducis victoris*, qui cum rebus in bello praeclare gestis obierit, circa sepulcrum arma habet affixa, quibus olim usus est; *ac navium militarium*, quae post reportatam victoriam ex mari in terram pertrahuntur et ad rerum gestarum memoriam integrae asservantur.

86. Tertullianus libr. de resurrect. carn. cap. 60. p. 346. eandem objectionem verbis emphaticis amplificatam recitat. *Ecce*, inquit, *ut adhuc controversiam exaggerent carni maxime eidem, de officiis quoque membrorum argumentantur, aut et ipsa dicentes permanere debere in suis operibus et fructibus, ut eidem corpulentia adscripta, aut quia constet, discessura esse officia membrorum, corpulen-*
XIX. 43. *tiam quoque eradant, cujus scilicet perseverantia credenda non sit, utique sine membris, quia nec membra credenda sint sine officiis. Quo enim jam, inquiunt, spelunca haec oris et dentium statio et gulae lapsus et compitum stomachi et alvi gurges et intestinorum perplexa proceritas, cum esui et potui locus non erit? quo hujusmodi membra admittunt, subigunt, devolvunt, dividunt, digerunt, egerunt? quo manus ipsae et pedes et operarii quique artus, cum victus etiam cura cessabit? quo renes conscii seminum et reliqua genitalium utriusque sexus et conceptuum stabulae et uberum fontes, decessuro concubitu et foetu et educatu? postremo quo totum corpus totum scilicet vacaturum?* Respondet autem hoc modo: *Ad haec praestruximus, non oportere committi futurorum atque praesentium dispositiones intercessura tunc demutatione et nunc superstruimus, officia ista membrorum necessitatibus vitae hujus eo usque consistere, donec et ipsa vita transferatur a temporalitate in aeternitatem, sicut animale corpus in spirituale, dum mortale illud induet immortalitatem, et ipsa autem liberata tunc vita a necessitatibus, liberabuntur et membra ab officiis, nec ideo non erunt necessaria. Licet enim officiis liberentur, sed judiciis retinentur, ut referat quis per corpus, prout gessit. Salvum enim hominem tribunal Dei exigit, salvum vero sine membris non licet esse, ex quorum non officiis, sed substantiis constat, nisi forte et navem sine carina, sine prora, sine puppi, sine compaginis totius incolumitate salvam adseverabis, et tamen navem procella dissipatam vel carie dissolutam, redactis et recuratis omnibus membris eandem saepe conspeximus etiam titulo restitutionis gloriantem de Dei artificio et arbitrio et jure torquemur. Porro si dives dominus et liberalis adfectui aut gloriae suae praestans solam navis restitutionem, hactenus eam voluerit operari, idcirco tu negabis necessariam illi compaginem pristinam, ut exinde jam vacaturam, cum soli saluti navis sine operatione conveniat? Igitur hoc tantum diserte sufficit, an Dominus hominem saluti destinando carnem destinarit, an eandem velit denuo esse, quam non debebis ex futura membrorum vocatione praescribere denuo esse non posse? Licet enim esse quid denuo et nihilominus vacare, non potest autem dici vacare, si non sit. At enim si sit, poterit et non vacare, nihil enim apud Deum vacabit.* cap. 61. p. 347: *Sed accepisti homo os ad vorandum atque potandum, cur non potius ad eloquendum, ut a ceteris animalibus distes? cur non potius ad praedicandum Deum, ut etiam hominibus antistes? Denique Adam ante nomina animalibus enuntiavit, quam de arbore decerpsit, ante etiam prophetavit, quam voravit. Sed accepisti dentes ad macellum coronandum, cur non potius ad omnem hiatum et rictum tuum coronandum? cur non potius ad pulsus linguae temperandos, ad vocis articulos offensione signandos? denique et edentulos audi et vide, ut honori oris et organum dentium quaeras* etc. *Ceterum et hodie vacare intestinis et pudendis licebit? Quadraginta diebus Moyses et Elias jejunio functi solo Deo alebantur, jam tunc enim dedicabatur, non in pane vivit homo, sed in Dei verbo. Ecce virtutis futurae lineamenta. Nos quoque, ut possumus, a cibo excusamus, etiam sexum a congressione subducimus. Quot spadones voluntarii? quot virgines Christo maritatae? quot steriles utriusque naturae infructuosis genitalibus structi? Si et hic jam vacare est et officia et emolumenta membrorum temporali vacatione, ut in temporali dispositione, nec homo tamen minus salvus est, proinde homine salvo et quidem magis tunc ut in aeterna dispositione, magis non desiderabimus, quae jam hic non desiderare consuevimus.* cap. 62: *Si angeli facti tanquam homines in eadem substantia spiritus carnalem tractationem susceperunt, cur non et homines facti tanquam angeli in eadem* XIX. 44.
*substantia carnis spiritualem subeant dispositionem non magis solennibus carnis obnoxii sub angelico indumento quam angeli tunc solennibus spiritus sub humano?* etc.

87. Quaeritur 3. *Corpora resuscitata cujus futurae sint staturae?* Schmaltzius cont. disp. 7. poster. Frantz. p. 415. *quaestionis illius theologiae studiosos pudere debere* scribit. Sed hoc procedit ex falsa hypothesi, quod non eadem corpora sint resuscitanda. 1. Lombardus 4. sent. distinct. 44. lit. a. refert, *quod nonnulli existimaverint, omnes fideles resurrecturos secundum mensuram staturae Christi*, ad quod probandum accommodarint dictum

Quaer. 1 Cujus staturae futura sint resuscitata corpora!

apostolicum Ephes. 4, v. 13: *Donec occurramus in virum perfectum in mensuram aetatis plenitudinis Christi.* Augustinus lib. 22. de civit. Dei cap. 13. memorat, *quosdam ad idem probandum attulisse locum* Rom. 8, v. 29: *Quos praescivit, eos etiam praedestinavit conformes fieri imagini Filii Dei* (cui conjungere potuissent locum Philipp. 3, v. 21: *Christus reformabit corpus nostrum humile, ut conforme fiat corpori suo glorioso)*, quem hoc sensu acceperunt, ut statura et modus Christi corporis omnium, qui in regno ejus erunt, humanorum corporum statuatur futurus. 2. Augustinus ipse de habitudine corporis, in qua resurrecturi sunt infantes, suam hisce verbis exponit sententiam lib. ejusd. cap. 14: *Quid de infantibus dicturi sumus, nisi quia non in ea resurrecturi sunt corporis exiguitate, qua mortui, sed quod eis tardius accessurum erat tempore, hoc sunt illo Dei opere miro atque celerrimo recepturi. In sententia quippe Domini, ubi ait, capillus capitis vestri non peribit, dictum est, non defuturum esse, quod fuit, non autem negatum est, affuturum esse, quod defuit. Defuit autem infanti mortuo perfecta quantitas sui corporis, perfecto quippe infanti deest utique perfectio magnitudinis corporalis, quae cum accesserit, jam statura longior esse non possit. Hunc perfectionis modum sic habent omnes, ut cum illo concipiantur atque nascantur, sed habent in ratione, non in mole, sicut ipsa jam membra omnia latenter sunt in semine, cum etiam natis nonnulla adhuc desint, sicut dentes ac si quid ejusmodi, in qua ratione uniuscujusque materiae indita corporali jam quodammodo, ut ita dicam, innatum* (quaedam exemplaria habent *lineatum*, quaedam *liciatum*, metaphora a texentibus ducta, quasi jam illa ceu tela texta est in puero, sed nondum explicata) *esse videtur, quod nondum est, imo quod latet, sed accessu temporis erit vel potius apparebit. In hoc ergo infans jam brevis aut longus est, qui brevis longusve futurus est. Secundum hanc rationem profecto in resurrectione corporis detrimenta corporis non timemus, quia etsi aequalitas futura esset omnium, ita ut omnes usque ad giganteas magnitudines pervenirent, nec illi qui maximi fuerunt, minus haberent aliquid in statura, quod eis contra Christi sententiam periret, qui dixit, nec capillum capitis esse periturum, creatori utique, qui creavit cuncta ex nihilo, quomodo deesse posset, unde adderet, quod addendum esse mirus artifex nosset?* cap. 15: *Restat, ut suam quisque recipiat mensuram, quam vel habuit in juventute, etiamsi senex est mortuus, vel fuerat habiturus, si ante est defunctus, atque illud quod commemoravit apostolus de mensura aetatis plenitudinis Christi, aut propter aliud intelligamus esse dictum, id est ut illi capiti in populis Christianis accedente omnium perfectione membrorum aetatis ejus mensura compleatur, aut si hoc de resurrectione corporum dictum est, sic*
XIX. 45. *accipiamus dictum, ut nec ultra, nec infra juvenilem formam resurgant corpora mortuorum, sed in ea aetate et robore, usque ad quam hic pervenisse Christum cognovimus, circa triginta quippe annos* (quaedam exemplaria habent *triginta tres annos*) *definierunt esse etiam seculi hujus doctissimi homines juventutem, quae cum fuerit spatio proprio terminata, inde jam hominem in detrimenta vergere gravioris ac senilis aetatis, et ideo non esse dictum in mensuram corporis vel in mensuram staturae, sed in mensuram aetatis plenitudinis Christi.* c. 16: *Illud etiam, quod ait, praedestinatos fieri conformes imaginis Filii Dei, potest et secundum interiorem hominem intelligi sensu eo, quo jubemur alibi reformari in novitate mentis; potest et sic accipi, ut quemadmodum ille nobis mortalitate, ita nos illi efficiamur immortalitate conformes, quod quidem et ad ipsam resurrectionem corporum pertinet. Si autem etiam in his verbis, qua forma resurrectura sunt corpora, sumus admoniti, sicut illa mensura, ita et ista conformatio non qualitatis intelligenda est, sed aetatis. Resurgent itaque omnes tam magni corpore, quam vel erant, vel futuri erant in juvenili aetate.* ** Huc pertinet quoque locus Augustini Sermon. 147. de temp.: *Disputant et quaerunt a nobis, parvuli, qui moriuntur, an parvuli resurrecturi sint, an vero plena aetas futura sit reviviscentium, quae parva fuit morientium? Hoc quidem in Scripturis definitum non invenimus. Credibilius accipitur et probabilius et rationabilius, plenas aetates resurrecturas, ut reddatur munere, quod accessurum erat tempore* etc. *Postremo corruptionem tolle et quodvis adde.* ** Augustini igitur sententia haec est, quod non de mensura corporis vel staturae, sed aetatis accipiendum sit, quod de conformitate corporum resuscitandorum cum corpore Christi apostolus asserit, cum unusquisque recepturus sit mensuram corporis eam, quam vel habuit in ea aetate, in qua Christus mortuus est et resurrexit, vel fuerat habiturus, si ante est defunctus. Idem ex Augustino repetit Lombardus dict. l.: *His verbis*, inquit, *apostolicis non eadem resurgentibus assignatur statura, sed aetas, omnes enim in eadem aetate resurgent, in qua Christus mortuus est et resurrexit, cujuscunque aetatis mortui fuerint, non tamen omnes eandem staturam obtinebunt.* Hanc Augustini et Lombardi sententiam sic explicat Bonaventura 4. sent. distinct. 44: *Aetas attenditur vel ratione durationis, vel ratione dispositionis et valetudinis in corpore. Illo modo hic non consideratur, qui enim centum annos vixit, is in altera vita non potest dici triginta tres annos natus, quae Christi aetas fuit, quia factum infectum fieri nequit. Sola igitur dispositio et valetudo corporis per aetatem juvenilem intelligitur, ut sit sensus, omnes et tanti, et tales resurgent in corpore, quales et quanti fuerunt vel esse potuerunt in aetate juvenili, in qua etiam resurrexit Christus.* Eadem habet Thomas 4. sent. distinct. 44. 3. Augustini sententiae affinis est ea, qua quidam statuunt, omnes ex aequo resurrecturos ea statura, ad quam natura, ubi non aberrat, ἐν ἀκμῇ corpora in hac vita solet perducere. Differt

tamen haec sententia a priore, quia normam staturae non aetatem Christi, sed ἀκμὴν naturalem in quovis homine statuit. *Nullus* (inquiunt) *in resurrectione erat defectus, aetas autem deficit, sive quia nondum ad perfectionem pervenit, ut in infantibus, sive quia jam a perfectione recessit, ut in senibus; ergo nec pueri, nec senes erunt in resurrectione.* Scharpius in cursu theologico loc. 20. col. 1172: *Verisimile est, infantum corpora resurrectura ea forma, quam assecuturi erant, si virilem aetatem attigissent, cum perfectione et pulchritudine gloriosa.* 4. Quidam existimant, *omnes resurrecturos in ea statura et corporis proceritate, in qua creati fuere primi parentes*, ut hac etiam in parte
XIX. 46. τῇ πρωτοκτισίᾳ ἀναλογικῶς respondet ἡ παλιγγενεσία, καὶ τῇ πλάσει ἡ ἀνάπλασις. Sed probabilior videtur eorum sententia, qui statuunt 5. *resurrecturum esse quemlibet in illa aetate ac statura, in qua fuit mortuus,* 1. quia Johannes videt *mortuos magnos et pusillos stantes coram Deo* Apoc. 11, v. 18. c. 19, v. 5. c. 20, v. 12. atqui si coram tribunali stabunt non solum magni, sed et pusilli, utique etiam resurgent pusilli. 2. Illud resurget, quod cecidit; atqui mortuo infante non cecidit vir aliquis procerae longitudinis, sed pusillus infans. 3. Scriptura aequalitatem quantitatis in corporibus resuscitatis nuspiam asserit, quae enim pro ea stabilienda adducuntur, in alienum sensum detorquentur, ut postea apparebit. 4. Justinus in quaest. et resp. ad orthodox. qu. 60. p. 331. aliquot causas adducit, propter quas oporteat resurgentes ἐν τῇ οἰκείᾳ μορφῇ, *in propria forma, resurgere.* Primum quidem *ad ingentem et divinam cognitionem commonstrandam, qui in tanta multitudine numerum omnem excellente suam cuique possit reservare faciem. Deinde vero, ne existimetur novos creare homines et non resuscitare defunctos, resurgentium quisque suam obtinebit faciem, indiscreta namque et ejus, qui injuriam intulerit, et ejus, qui illam tulerit, forma judicii aequitatem subvertit. Praeterea si usu et indigentia sublata, cujus gratia formarum discrimen necessarium fuit, discrimen ipsum supervacaneum et inutile reperitur, supervacanea quoque et inutilis fuerit nominum discretio. Quomodo ergo Abraamum dives et Lazarum de nomine compellat, cum ex nominum discrimine vultus non dignoscatur?* Haec Justinus. Erunt ergo corpora resuscitatorum χαρακτηριζόμενα, certis ac determinatis suis formis accidentalibus signata et quasi characterisata. Atqui ad formam cujusque propriam et characteristicam etiam corporis statura pertinet, quae aetatis progressu eandem plurimi variat. 5. Staturae brevitas vel proceritas nullam resuscitatis ac glorificatis corporibus deformitatem conciliabit, unde ipse Augustinus libr. 22. de civ. Dei cap. 16. circa fin. subjungit: *Nihil oberit, etiamsi erit infantilis vel senilis corporis forma, ubi nec mentis, nec ipsius corporis ulla remanebit infirmitas, unde etiamsi quis in eo corporis modo, in quo defunctus est, resurrecturum unumquemque contendit, non est cum illo laboriosa contradictione pugnandum.* libr. ejusd. cap. 20: *Si contenditur, in ea quemque corporis statura resurrecturum, in qua defunctus est, non pugnaciter resistendum est, tantum absit omnis deformitas, omnis infirmitas, omnis tarditas omnisque corruptio et si quid aliud non decet regnum, in quo resurrectionis et promissionis filii aequales erunt angelis Dei, si non corpore, non aetate, certe felicitate.* 6. Varietas illa staturae perfectioni sapientiae et plenitudini laetitiae in electis nihil quidquam derogans potius pulchritudinem quandam mirificam triumphantis ecclesiae coetui conciliabit. Deus tenellis istis plantulis coelestem paradisum cupit exornatum, sicut peritus hortulanus cujusvis magnitudinis floribus ac arboribus hortum suum condecorat. 7. *Stella differt a stella in claritate, sic et resurrectio mortuorum*, inquit apostolus 1. Cor. 15, v. 41. et 42. Atqui stella differt a stella non solum in *qualitate*, sed etiam in *quantitate*, videlicet in magnitudine, quae differentia stellarum in claritate et magnitudine summam coelesti corpori pulchritudinem conciliat. Eodem modo in resurrectione et vita aeterna sese rem habituram non improbabiliter statuitur. In eandem sententiam inclinant quidam ex veteribus. Tertullianus lib. de anim. c. 55. p. 294. disputans enim contra opinionem eorum, qui
statuebant, *animas immatura morte praeventorum* XIX. 47
*eo usque in terris vagari, donec reliquatio compleatur aetatis, qua cum pervixissent, si non intempestive obiissent*, inter cetera sic scribit: *Nostri illud quoque recogitent, corpora eadem recepturas in resurrectione animas, in quibus decesserunt. Ibidem ergo sperabuntur et corporum moduli et eaedem aetates, quae corporum modos faciunt. Quo ergo pacto potest infantis anima hic transigere praecepta tempora, ut octogenaria resurgat in corpore mensis unius?* Justinus in quaest. et resp. ad orthod. qu. 13. pag. 312: *Qui credit, verum esse illud, seminatur in infirmitate, resurgit in potentia, eum quoque possibile est et decet infantium credere resurrectionem. Nam qui eis incorruptibilitatem tribuit, potentiam quoque, qua praesentia sentiant bona, conferre potest. Atque horum si resurrectio non sit, reperietur eos Deus frustra finxisse. At si Deus nihil facit frustra, necesse profecto est, per resurrectionem infantes quoque ad esse produci* etc. Anselmus in comm. 1. Cor. 15. itidem disputat, *omnes in illa aetate et statura corporis resurrecturos, qua contingit illos ex hac vita migrare.* Idem in elucidario sic disserit: *Cum sit delectabile pueros senibus mixtos, viris mulieres, longis breves junctos cernere, credibile est, multo delectabilius esse ibi singulis aetatibus singulis mensuris utrumque sexum virorum et mulierum conspicere, sicut hic delectabile est diversas voces in organis vel fidibus audire, unde magis credendum est, omnes in illa aetate et in illa mensura consurgere et ibi apparere, in qua contingit eos hinc migrare.* Dicta apostolica, quae in contrarium proferuntur, ad resurgentium staturam non satis commode applican-

tur. Ephes. 4, v. 13. loquitur apostolus non de perfectione *quantitatis*, aetatis scilicet ac staturae, sed *qualitatis*, agnitionis scilicet ac notitiae mysteriorum divinorum, quae in hac vita quotidie in piis debet crescere, in futura autem consummabitur plenissime. Hanc interpretationem probat integer contextus, ait enim apostolus de fine instituti a Christo ministerii, quem statuit *consummationem sanctorum et aedificationem corporis Christi*, scilicet mystici v. 12. per quam vere pii in fide et agnitione Christi ita crescunt, ut ad plenam et perfectam aetatem spiritualem in Christo quotidie adspirent, hoc est ad perfectam cognitionem et dilectionem Dei, sicque *evadant in virum perfectum* v. 13 cui opponuntur *parvuli*, hoc est fluctuantes in fide ac instabiles v. 14. Confer 1. Cor. 13, v. 11. et c 14, v. 20. Augustinum lib. 22. de civit. Dei c. 18. et lib. de vera relig. c. 26. Rom. 8, v. 21. Phil. 3, v. 21. non de conformitate secundum quantitatem, sed secundum qualitatem agitur, ut oppositio *ταπεινώσεως καὶ δόξης* manifestum facit.

aer. 4. ı in re- scitatis rpori- s fu- rum sit scri- en zus ?

88. Quaeritur 4. *An in resuscitatis corporibus futurum sit discrimen sexus?* Quidam existimarunt, post resurrectionem nullum amplius mansurum discrimen sexus, sed feminas in sexu virili resurrecturas. Haec videtur esse sententia Basilii in Psalm. 114. dicentis: *οὐκ ἔνι ἄῤῥην καὶ θῆλυ ἐν τῇ ἀναστάσει, non est mas, non femina in resurrectione.* Hilarii in c. 22. Matth. Athanasii serm. 3. contra Arianos sub finem et aliorum, ad quod probandum adducunt tum verba Christi, *in resurrectione non nubent nec nuptui dabuntur;* tum dictum apostolicum, *donec occurramus omnes in virum perfectum.* Inter Scholasticos Scotus 2. sent. dist. 20. expresse docet, *omnes feminas excepta sola b. Virgine in sexu virili resurrecturas, 1. quia*
IX. 48. *sexus femineus est accidens et imperfectio hominis, jam vero in resurrectione omnis imperfectio abolebitur; 2. quia femina est mas occasionatus teste Philosopho, unde in femina producenda videtur errasse natura, ut cum vellet producere hominem perfectum, marem scilicet, deficiente virtute generativa seminis pro mare produxerit feminam.* Sed contra hanc opinionem recte insurgit Augustinus libr. 22. de civit. Dei c. 17: *Mihi* (inquit) *melius sapere videntur, qui utrumque sexum resurrecturum esse non dubitant. Non enim libido ibi erit, quae confusionis est causa, nam priusquam peccassent, nudi erant et non confundebantur vir et femina, corporibus ergo illis vitia detrahentur. Natura servabitur, non est autem vitium sexus femineus, sed natura, quae tunc quidem et a concubitu, et a partu immunis erit, erunt tamen membra feminea non accomodata usui veteri, sed decori novo, quo non alliciatur adspicientis concupiscentia, quae nulla erit, sed Dei laudetur sapientia atque clementia, qui et quod non erat, fecit et liberavit a corruptione, quod fecit* etc. *Creatura est Dei femina sicut vir, qui ergo utrumque sexum instituit, utrumque restituet. Denique et ipse Jesus interrogatus a Sadducaeis, qui negabant resurrectionem, cujus septem fratrum erit uxor, quam singuli habuerunt, dum quisque eorum vellet defuncti semen, sicut lex praeceperat, excitare? erratis, inquit, nescientes Scripturas neque virtutem Dei. Et cum aptus esset locus, ut diceret, de qua enim me interrogatis, vir erit ipsa, non mulier, non hoc dixit, sed dixit: In resurrectione enim neque nubent, neque uxores ducent, sed sunt sicut angeli Dei in coelo, aequales utique angelis immortalitate ac felicitate, non carne; sicut nec resurrectione, qua non indiguerunt angeli, quoniam nec mori poterunt. Nuptias ergo Dominus futuras esse negavit in resurrectione, non feminas, et ibi negavit, ubi talis quaestio vertebatur, ut eam negato sexu muliebri celeriore facilitate dissolveret, si eum ibi praenosceret non futurum, imo etiam futurum esse firmavit dicendo, non nubent, quod ad feminas pertinet, neque uxores ducent, quod ad viros. Erunt ergo, quae vel nubere hic solent, vel ducere uxores, sed ibi hoc non facient.* cap. 18. ad locum apostolicum Ephes. 4, v. 12. resp. *et de spiritualis ac mystici corporis incremento* in eo agi, postea subjicit: *Si hoc ad resurrectionis formam, in qua erit unusquisque, referendum esset, quid nos impediret nominato viro intelligere et feminam, ut virum pro homine positum acciperemus, sicut in eo, quod dictum est beatus vir, qui timet Dominum, utique ibi sunt et feminae, qui timent Dominum?* Idem cum Augustino statuunt ac feminas in suo sexu femineo resurrecturas asserunt Tertullianus libr. de resurr. carn. c. 60. Hieronymus epist. 61. ad Pammach. contra errores Johannis Hierosolymitani, auctor libri de ecclesiast. dogmatibus qui habetur inter opera Augustini c. 77. et praeter Scotum communiter Scholastici, cujus sententiae praecipua ratio ea est, quod *idem numero corpus* resuscitatum iri Scriptura doceat, ut superius ostendimus, ergo etiam in eodem sexu resurget. Si enim idem numero resurget, habebit etiam easdem conditiones individuantes, inter quas una ex praecipuis est sexus determinatus. Adde, quod in resurrectione non ipsa natura individui nec perfectio aut integritas specierum, sed vitia duntaxat naturae sint abolenda. Ad loca Scripturae in contrarium producta ex illis, quae jam ante dicta sunt, facile responderi potest. Nuptias in coelo Christus futuras negat, non feminas; angelis nos aequales futuros esse asserit, non quoad naturam vel sexus privationem, sed quoad sanctitatem, immortalitatem, spiritualitatem, felici- XIX. 49.
tatem, exclusam cibi potusve necessitatem etc. Tertullianus de resur. carn. cap. 62: *Non dixit, erunt angeli, ne homines negaret, sed tanquam angeli, ut homines conservaret. Non abstulit substantiam, cui similitudinem attribuit.* Nomine viri apostolus non sexum, sed perfectionem, robur et constantiam virilem intelligit. Dicta veterum sic accipienda sunt, quod negent, in coelo fore sexuum diversitatem *quoad usum*, non autem *quoad substantiam.* Scoti rationes nituntur falsa hypothesi. Sexus femineus

in suo genere tam perfectus est quam virilis, si enim vitium et imperfectio esset femineus sexus, nec in statu innocentiae locum habuisset, nec Christus ex femina carnem assumsisset. Deus per se intendit creare tam feminam quam masculum, cum uterque sexus necessarius sit ad sobolis generationem et consequenter ad speciei humanae conservationem, falsum igitur est, feminam esse marem occasionatum.

Quaer. 5. An a resuscitatis corporibus omnis deformitas aberit?

89. Quaeritur 5. *An a resuscitatis corporibus omnis deformitas aberit?* Deformitas corporis humani tribus modis contingere potest, 1. *ex defectu* vel *membri convenientis*, qualis est in mancis ac mutilis, manu, brachio, pede, oculo destitutis; vel *congruae quantitatis*, qualis est in nanis ac pumilionibus. De hoc deformitatis genere, quid statuendum sit, ex praecedentibus patere potest, nisi quis de nanis et pumilionibus aliud quam de infantibus statuendum arbitretur, cum corporis brevitas in eis sit quandoque monstrosa et ignominiosa. 2. *Ex accessione membri disconvenientis*, qualis est in sedigitis, strumosis etc. 3. *Ex inconcinno membrorum situ ac improportione,* qualis est in strabis, simis, varis, valgis etc. De posterioribus hisce deformitatis generibus quidam statuunt, ea ab omnibus omnino resuscitatis tam impiis et damnandis, quam piis et salvandis abfutura, 1. quia effectus tum demum deficit a debita perfectione et integritate, quando vel virtus agentis deficit, vel materia quantitate peccat, quorum neutrum locum habet in resurrectione, quae est opus divinae virtutis ἀνεμποδίστως agentis et omnia impedimenta et incommoda potenter avertentis; 2. quia primi homines absque ulla deformitate et membrorum ἀσυμμετρίᾳ divinitus fuere conditi, jam vero resuscitatio analogice respondet primogeniae creationi. Has rationes respectu piorum et salvandorum efficaciter illud, ad quod afferuntur, probare concedimus, ab illorum enim corporibus divina virtute omnis deformitas ignominiam et imperfectionem secum trahens removebitur, sed in corporibus impiorum ac damnatorum ignominiosae deformitatis stigmata ac probra relicta iri verisimilius est. Augustinus libr. 22. de civitate Dei c. 19: *Si statuam potest artifex homo, quam propter aliquam causam deformem fecerat, conflare et pulcherrimam reddere, ita ut nihil inde substantiae, sed sola deformitas pereat, ac si quid in illa figura priore indecenter exstabat, nec parilitati partium congruebat, non de toto, unde fecerat, amputare atque separare, sed ita conspergere universo atque miscere, ut nec foeditatem faciat, nec minuat quantitatem; quid de omnipotenti artifice sentiendum est? Ergone non poterit quasque deformitates humanorum corporum non modo usitatas, verum etiam raras atque monstrosas, quae huic miserae vitae congruunt, abhorrent autem ab illa futura felicitate sanctorum, sic auferre atque*
XIX. 50. *perdere, ut quascunque earum faciunt etsi naturalia, tamen indecora excrementa substantiae corporalis nulla ejus diminutione tollantur? ac per hoc non est macris pinguibusque metuendum, ne etiam ibi tales sint, quales, si possent, nec hic esse voluissent. Omnis enim corporis pulchritudo est partium congruentia cum quadam coloris suavitate. Ubi autem non est partium congruentia, aut ideo quid offendit, quia parvum est, aut ideo quia nimium. Proinde nulla erit deformitas, quam facit incongruentia partium, ubi et quae prava sunt corrigentur, et quod minus est, quam decet, unde creator novit, inde supplebitur et quod plus est, quam decet, materiae servata integritate detrahetur.* cap. 20: *Nescio quo modo sic afficimur amore martyrum beatorum, ut velimus in illo regno in eorum corporibus videre vulnerum cicatrices, quae pro Christi nomine pertulerunt, et fortasse videbimus, non enim deformitas in eis sed dignitas erit, et quaedam quamvis in corpore, non corporis sed virtutis pulchritudo fulgebit, nec ideo tamen si aliqua martyribus amputata et ablata sunt membra, sine ipsis membris erunt in resurrectione mortuorum, quibus dictum est, capillus capitis vestri non peribit. Sed si hoc decebit in illo novo seculo, ut indicia gloriosorum vulnerum in illa immortali carne cernantur, ubi membra, ut praeciderentur, percussa vel secta sunt, ibi cicatrices, sed tamen eisdem membris redditis, non perditis apparebunt. Quamvis itaque omnia, quae acciderunt corpori vitia, tunc non erunt, non sunt tamen deputanda vel appellanda vitia, virtutis indicia.* (Confer ea, quae de vestigiis vulnerum in glorificato Christi corpore diximus in harmonia evangelica de resurrectione cap. 9. pag. 317. In cicatricibus martyrum sole fulgidioribus exstabit martyrii gloriosum monumentum, non autem ullum corporis glorificati dehonestamentum.) De impiorum vero corporibus in enchir. cap. 92. dicit: *Non debet nos fatigare incerta habitudo eorum, quorum certa et sempiterna erit damnatio.* Richardus 4. sentent. distinct. 44. art. 1. qu. 6.: *In damnatis nulla erit pulchritudo, quodsi ergo habuerunt turpitudinem in hoc mundo, in eis remanebit, et si habuerunt pulchritudinem in hoc mundo, auferetur ab eis et erunt turpissimi et vilissimi et pleni omni foeditate et infectione.*

Quaest. ... An om... capilli sunt r... suscita...

90. Quaeritur 6. *Si non periturus est capillus de capite, quomodo corpora resuscitata ob capillorum prolixitatem non erunt deformia ac monstrosa?* Respondet Augustinus libr. 22. de civit. Dei c. 19. *ita nihil periturum esse de corpore, ut tamen nihil deforme sit in corpore; ea igitur, quae formae* (al. deformem) *factura fuerant enormitatem massae ipsi accedent, non locis, in quibus membrorum forma turpetur, velut si de limo vas fieret, quod rursus in eundem limum redactum totum de toto iterum fieret, non esset necesse, ut pars illa limi, quae in ansa fuerat, ad ansam rediret, aut quae fundum fecerat, ipsa rursus faceret fundum, dum tamen totum reverteretur in totum, hoc est totus ille limus in totum vas nulla sui parte perdita remearet. Quapropter si capilli toties tonsi unguesve desecti ad loca sua deformiter redeunt, non redibunt, nec*

*tamen cuique resurgenti peribunt, quia in eandem carnem, ut quemcunque ibi locum corporis teneant, servata partium congruentia, materiae mutabilitate vertentur, quamvis quod ait Dominus: Capillus capitis vestri non peribit, non de longitudine, sed de numero capillorum dictum multo aptius possit intelligi, unde et alibi dicit: Capilli capitis vestri numerati sunt omnes.* Confer ea, quae de vero horum verborum Christi sensu adduximus superius §. 15.
XIX. 51. ubi monuimus, pios veteres verba illa ad resurrectionis articulum applicare eo quidem sensu, quod ne minima quidem corporis particula sit peritura; interim ex eo inferri nequit, quod humores superflui et excrementitii, capillorum item et unguium superfluitates, quae sunt potius rejectamenta et excrementa quam membra corporis et ornamenta quaeque magis gravant et onerant quam ornant, in resurrectione sint homini restituenda.

---

## CAPUT V.

## DE FORMA RESURRECTIONIS.

Forma resurrectionis. 1. Interna.

91. *Forma* resurrectionis est vel *interna*, vel *externa.* Interna consideratur vel respectu *mortuorum*, vel respectu *vivorum*, quos scilicet dies novissimus deprehendet vivos. Forma resurrectionis interna *respectu mortuorum* consistit *1. in corporum e terrae pulvere ἀναπλάσει* sive *reformatione; 2. in eorundem animatione* sive animarum cum corporibus resuscitatis redunitione. Utrumque verbis perquam emphaticis describitur Ezech. 37, v. 5: *Haec dicit Dominus ossibus aridis: Ecce ego intromittam in vos spiritum et vivetis*, v. 6. *et dabo super vos nervos et succrescere faciam super vos carnes et superextendam in vobis cutem et dabo vobis spiritum, et vivetis* etc. Confer Job. 19, v. 25: *In novissimo die de terra surrecturus sum*, v. 26. *et rursum circumdabor pelle mea.* Chaldaeus reddidit *postquam inflata fuerit pellis mea*, hoc est quando Deus spiraculum vitae mihi denuo inspirabit, *erit hoc, de carne mea iterum videbo Deum.* Mulieres, scilicet Sareptana et Sunamitis, dicuntur *mortuos suos recepisse de resurrectione* Hebr. 11, v. 35. cum prophetae precibus reditum animae ad corpora mortuorum impetrassent 1. Reg. 17, v. 21. 2. Reg. 4, v. 36. inde Gabriel. serm. 2. in fest. pasch.: *Resurgere nihil aliud est quam, quod mortuum fuerat, iterum vivificari vel animam vivificantem iterum corpori, quod deseruit, uniri.* Utriusque antecedens seu praevium opus erit *cinerum ac pulverum dissipatorum collectio*, consequens ac subsequens *compositi restitutio ejusdemque secundum utramque partem aeterna duratio.* Quemadmodum enim in morte hominis triplex casus animadvertitur, *1. casus compositi* per separationem animae a corpore; *2. casus corporis*, quod dissolvitur in elementa; *3. casus materiae*, in quam postremo resolvitur corpus in elementa dispersum; sic in resurrectione casui opposita, ordine tamen retrogrado et inverso tria observari possunt, *1. pulverum ac cinerum dissipatorum collectio*, quae est quaedam ad corporum reformationem praeparatio; *2. corporis ex illis pulveribus ac cineribus formatio*, quae est ad animarum susceptionem dispositio; *3. ejusdem formati animatio* sive animae ad illud corpus reformatum velut in pristinum domicilium reductio et redintegrata cum corpore unio, quae est partim naturalis, partim personalis; per illam constituitur una natura humana, per hanc unum suppositum et unus homo; at quia non ad temporalem, sed ad perpetuo duraturam vitam anima corpori iterum unitur adeoque vinculo indissolubili cum eo conjungitur, ideo iteratam illam animarum cum corporibus e terrae pulvere suscitatis unionem sequitur totius compositi secundum utramque naturam aeterna duratio. Pri- XIX. 52.
mum opus, pulverum scilicet ac cinerum dissipatorum collectionem, angelorum ministerio peragendum disputant, illudque per *congregationem electorum a quatuor ventis* Matth. 24, v. 31. intelligendum arbitrantur Scotus 4. sent. distinct. 43. quaest. 5. Thomas de Argentin. ibid. unde non sine temporis tractu nec sine locali motu id ipsum absolutum iri censent, reliqua autem duo, videlicet corporis ex pulveribus et cineribus formationem ejusdemque formati animationem, immediata divinae virtutis operatione in momento perficienda statuunt. Richardus 4. sent. distinct. 43. art. 5. quaest. 2. et ex eo Cornelius a Lapide in comm. 1. Cor. 15. p. 346: *Natura spatii et motus non videtur pati, ut partes corporis resuscitandi a variis locis in unum colligantur in momento, quia res non potest moveri ab extremo in aliud extremum, quin prius transeat spatium medium*, sed meminerimus, *μὴ ὑπερφρονεῖν παρ᾽ ὃ δεῖ φρονεῖν, ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν* Rom. 12, v. 3. nec curiosius scrutemur momenta, quae Pater coelestis posuit *ἐν τῇ ἰδίᾳ ἐξουσίᾳ* Act. 1, v. 7. Suarez part. 3. qu. 53. disput. 44. sect. 4. non dubitavit asserere, et quidem rectissime, *corporis resuscitandi partes Dei virtute* (utpote infinita) *ab extremo ad extremum sine medio transire posse ac proinde in unum locum momento temporis simul coire.* Forma resurrectionis interna *respectu vivorum* consistit in momentanea ac subitanea eorum immutatione, qua non ipsa corporum substantia in illis abolebitur, sed qualitas mutabitur, ac quod corruptioni ac morti est obnoxium, naturam induet incorruptam et immortalem, quae 1. Cor. 15, v. 51. et 52. 1. Thessal. 4, v. 15. et 17. quae *ἀλλαγή* sive mutatio tum mortis, tum resurrectionis loco ipsis erit, de qua in sequentibus plenius dicemus.

92. Forma resurrectionis *externa* consistit in modo atque ordine, quem Christus vivorum ac mortuorum judex observabit, qui colligitur ex his Scripturae dictis. Matth. 13, v. 41: *In consummatione seculi mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala et eos, qui faciunt ini-* 2. Externa.

*quitatem*, v. 42. *et mittent eos in caminum ignis.* cap. 24, v. 30: *Videbunt Filium hominis venientem in nubibus coeli cum virtute et gloria multa*, v. 31. *et mittet angelos suos cum tuba vocis magnae, et congregabunt electos ejus a quatuor ventis a summis coelorum usque ad terminos eorum.* cap. 25, v. 31: *Cum venerit Filius hominis in majestate sua et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suae*, v. 32. *et congregabuntur ante eum* (ministerio angelorum) *omnes gentes* (ex mortuis suscitatae), *et separabit eos, sicut pastor segregat oves ab hoedis.* Joh. 5, v. 28: *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii hominis*, v. 29. *et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.* 1. Cor. 15, v. 51: *Non omnes quidem obdormiemus, omnes autem immutabimur*, v. 52. *in momento, in ictu oculi, in novissima tuba (canet enim), et mortui resurgent incorrupti et nos immutabimur.* 1. Thess. 4, v. 15: *Nos qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini, non praeveniemus eos, qui dormierunt*, v. 16. *quoniam ipse Dominus in jussu, in voce archangeli et in tuba Dei descendet de coelo, et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi*, v. 17. *deinde nos, qui vivimus, qui relicti sumus superstites, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Domino.*

XIX. 53. Talis igitur videtur futurus resurrectionis ordo et modus. In die novissimo 1. Christus vivorum ac mortuorum judex subito et ex improviso in forma illa visibili, qua in coelum adscendit, in nubibus apparebit et super thronum majestatis suae in gloria magna sedebit; 2. angeli, qui tanquam apparitores, praecones ac ministri aderunt, tuba canent; 3. sonabit omnipotens et efficacissima Christi vox: *Surgite mortui!* 4. ad vocem illam excitabuntur, qui in pulvere terrae dormiunt et resumtis corporibus propriis tribunali Christi sistentur; 5. qui in Christi adventu adhuc vivi seu superstites invenientur, *in momento, in ictu oculi* immutabuntur, qua immutatione omnis corruptio et mortalitas in illis abolebitur inque ejus locum ἀφθαρσία καὶ ἀθανασία succedet; 6. utrique, tum resuscitati ex pulvere, tum immutati, in duas distribuentur classes, separatis bonis a malis ac illis quidem ad Christi dextram, his vero ad ejus sinistram collocatis, quae ipsa collocatio sententiae judiciariae utriusque exspectandae praeludium quoddam erit. Ephremus in libr. 1. de poenit.: *Ubi vox tubae de coelo insonuerit, omnia ex tumulis humanae conditionis ossa exsilient atque discurrent, artus suos juncturasque cum festinatione requirentia* etc. *coelestis nempe regis jussu terra suos mortuos reddet, mare itidem suos, quidquid item humanorum corporum vel bestia rapuit, vel voravit piscis, avisve discerpsit, in priorem statum remeabit, omnesque in ictu oculi resurgent et ante tribunal adstabunt, ita ut ne unus quidem capillus capitis desit.* Quamvis vero de hac *externa* resurrectionis forma non absurde cogitetur, successionem quandam temporis in ea futuram, tamen de *interna* resurrectionis forma, quae in corporum e terrae pulvere formatione et animarum cum iisdem redunitione consistit, indubitanter affirmare possumus, eam *in momento et in ictu oculi* peragendam, id quod disertis verbis docet apostolus 1. Cor. 15, v. 52. ἐν ἀτόμῳ (scilicet τοῦ χρόνου, quod alias vocatur τὸ νῦν), ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ *(in jactu oculi*, ἀπὸ τοῦ ῥίπτειν, quod est projicere), *et mortui resurgent incorrupti et nos immutabimur.* (Elegit apostolus motum, qui alios omnes celeritate superat ad resurrectionis et immutationis maximam celeritatem insinuandam, oculi enim agitatione nihil velocius aut agilius. Hieronymus in comment.: *Atomus est punctum temporis, quod secari et dividi non potest.* Idem in epist. 152. ad Miner. notat, *quosdam legere* ἐν ῥοπῇ, *quod significat motum, propensionem ac devergentiam lancis, quae celerrime ad pondus attollitur vel deprimitur*, unde *momentum staterae* vocatur Sap. 11, v. 23. sensus utrobique eodem recidit.) Dei enim operatio, utpote ab infinita virtute proficiscens, non requirit temporum successionem, sed in momento absolvi potest. Gregorius Nyssen. orat. 3. de resurrect. Christi p. 161: *In momento oculi perficietur resurrectio. Ictus autem seu momentum oculi clausio palpebrarum est, atque hac velocitate nulla res alia celerior esse potest. Neque humano more pro captu tuo reputans descripseris in animo tuo, quot sint temporum intervalla, primum ut ossa putrefacta et in terram redacta in pristinam duritiem et levitatem compingantur, unita vero ex ipsa fractione rursus in aptam et convenientem compagem et naturalem coëant juncturam et commissuram, neque vero deinde animadverteris carnium obductionem et nervorum productas conjunctiones,* ἀποτεταμένας συνθέσεις, *venarum arteriarumque tenues et exiles ductus et quasi alveos sub cute explicatos, animarum inenarrabilium et in-*
*numerabilium multitudinem ex arcanis quibusdam* XIX. 54.
*habitationibus evolantem earumque unamquamque suum corpus tanquam vestem peculiarem agnoscentem, et in hoc rursus celeriter inhabitantem certoque discrimine utentem in tanta multitudine spirituum generis ejusdem. Cogita enim, ab Adam animas et ab illo usque corpora tot numero domibus solutis ac desertis patribusque familias ex longa quasi peregrinatione revertentibus, eaque omnia perfici admirabiliter et extra communem captum. Neque enim vel domus tarde renovatur et instauratur, vel incola aberrat ac quasi sub dio manet, dum propria ac peculiaria quaerit, sed protinus ad eam tendit tanquam columba ad suam turrim, etiamsi multae atque frequentes circa eundem locum fuerint iisdem notis insignes* etc. Elucet autem ex hac momentanea mortuorum resuscitatione et vivorum immutatione *infinita Dei potentia.* Magnum est mortuos resuscitare; majus in propriis corporibus in cinerem et pulverem redactis eos resuscitare et immortalitatis vestibus induere; maximum in momento vel puncto temporis id ipsum perficere. Confer Hieronymum in epist. ad Mine-

rium, Augustinum epist. 49. et lib. 20. de civ. Dei cap. 20. Theodoretum, Oecumenium et Anselmum in comm. 1. Cor. 15. qui omnes *momentaneam* fore resurrectionem disputant. De modo resurrectionis generaliter observetur illud Augustini lib. 20. de civ. Dei cap. 20: *Resurrectionem mortuorum futuram esse oportet, si Christiani esse volumus, ut credamus, sed non ideo inanis est fides nostra, si quemadmodum futura sit, comprehendere non valeamus.*

---

## CAPUT VI.

## DE FINE RESURRECTIONIS.

Finis resurrectionis. 1. respectu Dei. 93. *Finis* resurrectionis est duplex, respectu *Dei resuscitantis et hominum resuscitandorum.* Dei resuscitantis respectu finis *principalis*, *mediatus ac summus* est Dei gloria. Ut enim *omnia operatur Deus propter se ipsum* et propter gloriam suam Prov. 16, v. 4. ita quoque resuscitationis opus ad hunc finem principaliter et, ut Scholastici loquuntur, *ultimate* spectat. Sicut Deus in principio omnia condidit ad nominis sui gloriam, ut scilicet ipsius bonitas, sapientia ac potentia ex opere creationis, *κτίσεως καὶ πλάσεως* a creaturis rationalibus agnosceretur; sic corpora hominum in cinerem et pulverem redacta in die novissimo iterum eriget et in vitam revocabit, ut similiter in hoc opere divina ejus bonitas ac majestas agnoscatur ac depraedicetur, videlicet ut in glorificatione piorum ipsius *misericordia*, in damnatione impiorum ipsius *justitia*, in utroque vero opere ipsius *veritas et potentia* conspiciatur. Esa. 26, v. 19: *Vivent mortui tui, expergiscimini et jubilate, qui habitatis in pulvere,* hoc est dormientes in pulvere terrae voce Christi expergefacti Deo jubilabunt. Ad hunc finem etiam pertinet, quod peculiariter *Christi Mediatoris gloria* in resurrectionis opere sit conspicienda. In hac vita mors piis Christi membris adhuc videtur dominari, cum ipsi non minus quam impii a corpore Christi mystico penitus exclusi morti adhuc sint obnoxii, sed in resurrectione mortuorum victoria, quam Christus ex morte reportavit, plenissime et perfectissime conspicietur. Psalm. 90, v. 16: *Ostende servis*
XIX. 55. *tuis opus tuum et gloriam tuam filiis eorum.* Peccatum et mors sunt opera diaboli, haec ergo Moyses petit in nobis Dei servis destrui per spiritualem regenerationem in hac vita et per finalem liberationem in mortuorum resurrectione a Messia exspectanda. Esa. 66, v. 14: *Ossa vestra quasi herba germinabunt* (in die scilicet resurrectionis), *et cognoscetur manus Domini* (hoc est gloriosa ejus potentia et majestas) *in servis ejus.* 1. Cor. 15, v. 25: *Oportet eum regnare, donec ponet omnes inimicos sub pedibus ejus,* v. 26. *ultimus autem inimicus destruetur mors.* v. 54: *Cum autem corruptibile hoc induerit incorruptibilitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est, absorpta est mors in victoria.* v. 57: *Deo autem gratiae, qui dedit nobis victoriam per Christum.* Col. 3, v. 4: *Cum Christus apparuerit, vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria.*

2. Respectu hominum. 94. *Hominum resuscitandorum respectu* finis duplex est, *1. communis* omnibus resuscitandis; est *στάσις* coram tribunali Christi ad judicis sententiam audiendam, unde resurrectio ac judicium immediato nexu invicem conjunguntur, Hebr. 6, v. 2: *Jacientes fundamentum resurrectionis et judicii aeterni,* hoc est in quo unicuique aeterna mansio assignabitur. Hebr. 9, v. 27: *Statutum est hominibus semel mori, et post mortem judicium,* hoc est postquam ex mortuis fuerint resuscitati, ad judicium sistentur. Apoc. 20, v. 12: *Vidi mortuos magnos et pusillos stantes coram Deo, et aperti sunt libri, et alius liber apertus est, qui est vitae, et judicati sunt mortui ex his, quae scripta erant in libris secundum opera ipsorum.* Unde superius inter cetera resurrectionis fundamenta retulimus etiam *Dei justitiam, quae requirit, ut omnes sistantur coram tribunali Christi et reportet unusquisque, quae in corpore fecit congruenter ad id, quod fecerit sive bonum, sive malum* 2. Cor. 5, v. 10. *2. Proprius* finis alius est *respectu vere credentium* et piorum, videlicet aeterna gloria praemii loco ex gratuita Dei misericordia ipsis collata; alius *respectu incredulorum* et impiorum, videlicet aeterna ignominia supplicii loco ex rigore justitiae divinae ipsis illata, Dan. 12, v. 2: *Multi de his, qui dormiunt in terrae pulvere, evigilabunt, alii in vitam aeternam et alii in opprobrium aeternum;* v. 3. *qui autem docti fuerint, fulgebunt sicut stellae.* Joh. 5, v. 28: *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii hominis,* v. 29. *et prodibunt, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii,* illius scilicet judicii, de quo Judae v. 15: *Venit Dominus in sanctis millibus suis facere judicium contra omnes et arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, et de omnibus duris, quae locuti sunt contra eum peccatores impii.* 2. Thess 1, v. 6: *Justum est apud Deum retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant,* v. 7. *et vobis, qui tribulationem sustinetis, requiem nobiscum in revelatione Domini Jesu de coelo cum angelis virtutis ejus.* Finis ergo resurrectionis est, ut hominibus omnibus ad judicium Christi cum corporibus et animabus suis adductis pro diversitate eorum, quae in hac vita egerunt, praemia vel supplicia adjudicentur, ac proinde ut pii, qui vera fide Christo in hac vita fuere inserti et ex fide bona egerunt, in corpore et anima perpetua felicitate cum Christo capite suo in coelesti gloria perfruantur juxta gratuitas Christi promissiones, Joh. 12, v. 26: *Ubi ego sum, illic et minister meus erit.* Joh. 14, v. 3: *Ubi ego sum, ibi et vos eritis.* Joh. 17, v. 24: *Volo ut ubi ego sum, illi etiam mecum sint, ut* XIX. 56.
*videant gloriam meam.* 1. Thess. 4, v. 17: *Semper*

*cum Domino erimus.* Contra vero impii cum Satana capite et patre suo aeternis inferni suppliciis torqueantur, adeoque ut sponsa Christi, vera scilicet ecclesia, cum Christo sponso suo in aeternum regnet ac triumphet, hostes vero illius pedibus ejus penitus subjiciantur in aeternum prostrati ac devicti.

---

## CAPUT VII.

## DE EFFECTIS ET CONSEQUENTIBUS RESURRECTIONIS.

Effectus et consequentia resurrectionis.

95. *Effectus ac consequentia* resurrectionis cum fine fere coincidunt. Resuscitandis omnibus communis erit ἀφθαρσία καὶ ἀθανασία, unientur enim animae cum corporibus ex terrae pulvere suscitatis non ad temporariam ac solubilem aliquam conjunctionem, sed ad aeternum et indissolubile utriusque vinculum; dies novissimus temporis successioni ac decursui finem imponet ac mera et nuda aeternitas successionis ac finis expers sequetur. (Augustinus de fid. ad Petr. c. 3. negat *corruptionem a corporibus impiorum auferendam*, sed intelligit beatam illam ἀφθαρσίαν, quae cum spiritualitate, virtute et gloria est conjuncta. *A corporibus*, inquit, *impiorum non auferetur corruptio et ignobilitas et infirmitas, in quibus seminantur, quae ob hoc morte non exstinguentur, ut illud juge tormentum corpori atque animae sit mortis aeternae supplicium.* In enchirid. ad Laurent. cap. 92: *Nec moveat nos, quomodo in damnatis erit corpus incorruptibile, si dolere poterit, aut quomodo corruptibile, si mori non poterit. Non est enim vera vita, nisi ubi feliciter vivitur, nec vera incorruptio, nisi ubi salus nullo dolore corrumpitur. Ubi autem infelix mori non finitur, ut ita dicam, mors ipsa non moritur, et ubi dolor perpetuus non interimit, sed affligit, ipsa corruptio non finitur.*) *Piorum* ex mortuis resuscitatorum propria erit animae et corporis glorificatio, 1. Cor. 15, v. 43: *Resurget in gloria.* Sap. 5, v. 1: *Stabunt justi in magna constantia.* v. 17: *Accipient regnum decoris et diadema speciei sive speciosum de manu Domini;* beata cum Deo, cum angelis et omnibus sanctis conversatio, faciei divinae jucundissima visio et aeternae laetitiae perfruitio, Psalm. 17, v. 15: *In justitia videbo faciem tuam.* Psalm. 116, v. 9: *Ambulabo coram Domino in regione viventium.* Hos. 6, v. 2: *Suscitabit nos in die tertio, et vivemus in conspectu ejus.* 1. Cor. 13, v. 12: *Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem a facie ad faciem.* 1. Joh. 3, v. 2: *Cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicut est. Impiorum* vero ex mortuis suscitatorum propria erit confusio et ignominia, Esa. 66, v. 24: *Erunt abominatio omni carni.* Dan. 12, v. 2: *Resurgent ad opprobrium;* ac praeter ignominiam supplicium et poena sempiterna, Esa. 66, v. 24: *Vermis eorum non morietur et ignis eorum non exstinguetur.* Matth. 3, v. 12: *Paleas comburet igni inexstinguibili.* Sed de hac piorum gloria et impiorum ignominia in tract. 5. et 6. inferius plura dicentur. Ad resurrectionis consequentiam etiam referri potest *1. abrogatio ministerii verbi et usus sacramentorum*, Jer. 31, v. 34. Hebr. 8, v. 11: *Non docebit ultra vir proximum suum.* 1. Cor. 11, v. 26: *Mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* 1. Cor. 13, v. 8: *Caritas nunquam* XIX. 57.
*excidit, sive prophetiae evacuabuntur, sive linguae cessabunt, sive scientia destruetur.* Item politiarum et oeconomiarum, Dan. 2, v. 44: *Regnum coeli comminuet et consumet universa regna terrena.* cap. 7, v. 26: *Judicium sedebit, ut auferatur potentia ejus.* 1. Cor. 15, v. 24: *Cum evacuaverit omnem principatum et potestatem et virtutem.* Matth. 22, v. 30: *In resurrectione non nubent neque nuptui dabuntur, sed sunt sicut angeli Dei in coelo. 2. Cessatio omnium actionum naturalium in corporibus humanis*, 1. Cor. 6, v. 13: *Deus et ventrem et escas destruet.* Apoc. 7, v. 16: *Non esurient nec sitient amplius. 3. Liberatio creaturae a vanitate et servitute corruptionis*, Rom. 8, v. 21. adeoque totius *mundi* συντέλεια sive *consummatio*, Job. 14, v. 12: *Vir dormivit et non resurget, donec non erunt coeli.* cap. 19, v. 25: *Post excitari meum*, hoc est me ex mortuis excitato, *excindentur haec*, quae scilicet in mundo videntur, qua de re in tract. 4. plenius agendum erit, ubi etiam de millenario Christi in terris regno, quod resurrectionem secuturum et finem mundi antecessurum esse Chiliastae somniant, disseremus.

---

## CAPUT VIII.

## DE SUBJECTO RESURRECTIONIS.

96. *Subjectum* resurrectionis sunt *omnes homines* cujuscunque sexus, conditionis et status tam impii, quam pii, tam increduli et impoenitentes, quam vere credentes. (Quidam id vocant *subjectum quod*, ut distingui possit *a subjecto quo*, quod in resurrectione est idem numero corpus. Quidam vocant *objectum*, quidam *materiam*, sed res eodem recidit.) Demonstramus hoc 1. ex Scripturae dictis, et quidem 1. ex dictis *universalibus ac generalibus*, quae omnes omnino homines resurrecturos esse asserunt, Esa. 25, v. 7: *Auferet Deus velum, quo velatae sunt omnes gentes*, v. 8. *absorbebit mortem in sempiternum.* Joh. 5, v. 29: *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii hominis et procedent* etc. Quidam huc referunt dictum apostolicum 1. Cor. 15, v. 22: *In Christo omnes vivificabuntur*, sed ostendimus superius, proprie et in specie de credentibus in Christum illud accipien-

Subjectum resurrectionis.

dum esse. Rectius igitur ad hanc classem referuntur tum illa Scripturae dicta, in quibus *indefinite* mortuorum resurrectio futura praedicitur (indefinitam enim illam aequipollere universali ex manifesto dicto Christi modo citato colligitur), Ezech. 37, v. 4: *Ossa arida audite verbum Domini*, v. 5. *haec dicit Dominus, ego mittam in vos Spiritum.* Dan. 12, v. 1: *Multi de his, qui dormiunt in pulvere terrae, evigilabunt.* Act. 23, v. 6: *De spe et resurrectione mortuorum ego judicor.* 1. Cor. 15, v. 21: *Per hominem mors et per hominem resurrectio mortuorum.* 2. Tim. 4, v. 1: *Christus judicaturus est vivos et mortuos.* 1. Petr. 4, v. 5: *Impii rationem reddent ei, qui paratus est judicare vivos et mortuos.* Apoc. 20, v. 13: *Dedit mare mortuos, qui in eo erant, et mors et infernus dederunt mortuos suos.* Tum illa, in quibus omnes judicio Dei sistendi dicuntur. Si enim omnes homines, pii et impii, judicio Dei sistentur, utique etiam omnes resurgent. Esa. 45, v. 23: *Per me ipsum juravi, mihi curvabitur omne genu.* Matth. 25, v. 32: *Congregabuntur ante Christum*
XIX. 58. *judicem omnes gentes, et separabit eos ab invicem,*
*sicut pastor segregat oves ab hoedis.* Actor. 17, v. 31: *Judicabit Deus orbem*, scilicet universum, hoc est omnes homines, *in aequitate.* Rom. 14, v. 10: *Omnes stabimur ante tribunal Christi.* 2. Cor. 5, v. 10: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque, quae in corpore fecit* etc. Apoc. 20, v. 13: *Et dedit mare mortuos, qui in eo erant, et mors et infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant, et judicatum est de singulis* etc. (Augustinus libr. 20. de civ. Dei c. 15: *Convenienter quidam hoc loco mare pro isto seculo positum accipiunt* etc. *Hoc ergo mortuos exhibuit mare, qui in eo erant, hoc est exhibuit homines hoc seculum, quicunque in eo erant, qui nondum obierant* etc. *Mare exhibuit, quia sicut inventi sunt, affuerunt. Mors vero et infernus reddiderunt, quoniam vitae, de qua jam exierant, revocaverunt. Nec frustra fortasse, non satis fuit, ut diceret, mors aut infernus, sed utrumque dictum est, mors propter bonos, qui tantummodo mortem perpeti potuerunt, non et infernum; infernus autem propter malos, qui etiam poenas apud inferos pendunt.* Simplicius est, quod quidam existimant, tres classes describi mortuorum: una est eorum, qui in mari submersi sunt; altera eorum, qui extra mare mortui, sed non sepulti, verum a bestiis devorati vel in cineres redacti; tertia eorum, quos infernus vivos absorpserat. Piscator per ᾅδην intelligit sepulcrum, ut sic intelligantur, qui in sepulcris reconditi.) *2. Ex dictis specialibus*, quae disertam et perspicuam mentionem impiorum faciunt. Dan. 12, v. 2: *Quidam evigilabunt ad ignominiam sempiternam*, id vero de piis intelligi nequit, quippe qui omnes ad aeternam laetitiam et gloriam resurgent. (Porphyrii detorsionem, qui hoc dictum propheticum de statu ecclesiae Israëliticae post redditam victoriam et caesos Antiochi duces exposuit, refellimus superius §. 13.) Matth. 10, v. 28: *Timete eum, qui potest animam et corpus perdere in gehenna*, hoc est qui corpus ex mortuis suscitatum ac animae iterato unitum gehennae cruciatibus objicere potest, id vero de piorum corporibus intelligi nequit, quippe quae ad coelestem gloriam prodibunt, Joh. 5, v. 29: *Procedent alii ad resurrectionem vitae, alii ad resurrectionem judicii*, ubi ipsa distributio et diversitas status resurrectionem secuturi ostendit, etiam impios, qui mala egerunt, resuscitatum iri. Non est quod excipias, *de spirituali resurrectione Christi sermonem esse*, de ea enim jam ante v. 25. locutus fuerat, cui subjungit vaticinium de resurrectione universali omnium hominum in die novissimo secutura, ut ex uno θεουργήματι καὶ θαυματουργήματι probet alterum. *Nolite*, inquit, *mirari*, quod scilicet dixerim, me habere potestatem spiritualiter vivificandi animas et judicium exercendi, quia etiam corpora mortuorum ex terrae pulvere suscitaturus sum. Quod autem in v. 28. de corporali resurrectione agatur, probamus *1. ex connexione*, quia v. 17. mentio fit judicii, quod resurrectioni in die novissimo erit conjunctum. *2. Ex temporis determinatione.* Quando Christus de spirituali sive prima resurrectione loquitur v. 25. dicit, *venit hora*, ac προςδιοριστικῶς addit *et nunc est;* sed quando de resurrectione corporali sive secunda loquitur, simpliciter dicit, *venit hora*, scilicet in novissimo die, nec addit, eam jam tum adesse, quae est observatio Augustini lib. 20. de civit. Dei c. 6. *3. Ex subjecti descriptione. Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii hominis.* Jam vero spiritualiter
mortui nunquam in Scripturis dicuntur esse in mo- XIX. 59.
numentis, sed corporaliter mortui sic describuntur, *quod habitent in pulvere terrae* Esa. 26, v. 19. *quod quiescant in cubilibus suis* Esa. 57, v. 2. *quod dormiant in pulvere terrae* Dan. 12, v. 2. etc. Si in monumentis esse est spiritualiter mortuum esse, utique etiam audire vocem Filii hominis et procedere erit spiritualiter vivere. At quomodo inter eos, qui spiritualiter vivunt, quidam possunt dici *ad resurrectionem judicii* procedere, cum de iis, qui in Christum credunt ac spiritualiter vivunt, dicatur, *quod non judicentur* Joh. 3, v. 18. *quodque non sint venturi in judicium* Joh. 5, v. 24? Si regeras, *hoc accipiendum respectu Dei offerentis*, respondeo ex textu, de illis, qui vocem Filii Dei audient, expresse dicitur, quod *processuri sint*, scilicet ex monumentis; atqui procedere non est Dei offerentis, sed hominum recipientium, non Dei vocantis, sed hominis audientis. *4. Ex denominatione causae instrumentalis.* Qui in monumentis sunt, dicuntur audituri vocem Filii hominis, per illam vocem non potest intelligi praedicatio evangelii, ut in v. 25. quia agitur de illis, *qui sunt in monumentis*, hoc est de corporaliter mortuis, at illi non possunt audire evangelii praedicationem; praeterea quidam, qui hanc vocem audient, procedent ad *resurrectionem judicii*, at qui evangelii praedicationem audiunt, hoc est auribus cordis recipiunt, *obedienter audiunt*, ut ex Hebr. 4, v. 2. recte exponit Augusti-

nus lib. 20. de civ. Dei c. 6. illi omnes vivunt, hoc est a morte peccatorum excitantur, spirituali vita donantur, vivificam Spiritus sancti consolationem in corde sentiunt et de vitae aeternae possessione confirmantur. Per vocem ergo Filii Dei in v. 28. non potest intelligi praedicatio evangelii, sed intelligitur φωνὴ illa μεγάλη, de qua Matth. 24, v. 31. 1. Thess. 4, v. 16. quam etiam quidam per σάλπιγγα sive *tubam* accipiunt, ut superius monuimus, per quam omnes mortui in sepulcris velut in cubilibus dormientes excitabuntur. *5. Ex resurrectionis consequente.* Qui in monumentis sunt, audient vocem Filii hominis, *et procedent qui bona fecerunt*, *in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.* Christus non ut in praecedenti v. 25. de spirituali resuscitatione per quandam restrictionem dixerat, *mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint*, *vivent*, etiam hoc loco dicit, omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii hominis, et qui audierint, procedent; sed absolute et simpliciter dicit, *audient et procedent*, ut ostendat, omnes illam vocem efficacissimam et potentissimam esse audituros, etiam eos, qui mallent in monumentis suis aeternum quiescere. Prodibunt autem ex monumentis et resurgent omnes, sed sorte perquam dissimili, *qui bona fecerunt*, *procedent in resurrectionem vitae*, *qui vero mala egerunt*, *in resurrectionem judicii*, quod posterius membrum non potest de piis ac credentibus, qui spiritualis sive primae resurrectionis participes facti sunt Apoc. 20, v. 6. intelligi, sed necessario ad impios et incredulos referendum, ac proinde etiam impiorum resurrectio ibidem praedicitur. *6. Ex collatione cum loco prophetico* Dan. 12. Augustinus libr. 20. de civ. Dei c. 23: *Sententiae evangelicae Joh. 5. locus propheticus Dan. 12. simillimus est de resurrectione mortuorum. Nam qui illic dicti sunt esse in monumentis*, *ipsi hic dormientes in terrae aggere vel, sicut alii interpretati sunt*, *in terrae pulvere. Et sicut ibi procedent dictum est*, *ita hic exsurgent. Sicut ibi qui bona fecerunt*, *in resurrectionem vitae*,
XIX. 60. *qui autem mala egerunt, in resurrectionem judicii; ita et isto loco hi in vitam aeternam et hi in opprobrium et in confusionem aeternam. Non autem diversum putetur, quod cum ibi positum sit, omnes qui sunt in monumentis*, *hic non ait propheta omnes*, *sed multi dormientium in terrae aggere*, *ponit enim aliquando Scriptura pro omnibus multos.* Quae omnia si probe observentur, in fumum abeunt detorsiones Schmaltzii, quibus disp. 6. contra Frantz. pag. 171. hunc locum horribiliter corrumpere fuit ausus. Cum dicto Christi conjungimus dictum apostolicum Act. 24, v. 15. ubi resurrectionem mortuorum tum *justorum*, tum *injustorum* sese exspectare apostolus asserit, quo quid clarius dici potuisset? Excipiunt *1. non potuisse apostolum exspectare sive sperare resurrectionem justorum.* Respondemus: Spes apostoli refertur ad ipsam resurrectionem, quae postea ratione diversorum subjectorum in resurrectionem justorum ac injustorum distinguitur, sic Paulus Rom. 6, v. 17. *gratias se agere* dicit *Deo, quod* Romani *fuerint servi peccati, obedierint autem ex corde in formam doctrinae coelestis*, ubi est enuntiatum conjunctum, non enim agit Deo gratias, quod Romani olim fuerint servi peccati, sed quod cum olim fuissent servi peccati, jam obedierint doctrinae; sic et hoc loco apostolus sperat resurrectionem justorum et injustorum. Adde quod certo respectu etiam injustorum resurrectionem pii sperare possunt, ut scilicet justo Dei judicio ipsis retribuatur, quod contra pios in hac vita male egerunt, Sap. 5, v. 1. 2. Thess. 1, v. 6. *2. Injustorum nomine intelligi eos, qui olim tales fuerant.* Respondemus: At conjunguntur justi et injusti; jam vero omnes aliquando fuere injusti, ergo hoc sensu nulli deberent dici justi. Quotiescunque in Scripturis justi et injusti invicem opponuntur, non intelliguntur injusti, qui olim tales fuere, sed qui adhuc re vera tales sunt.

97. 2. *Ex rationum momentis. 1. Ex resurrectionis causa impellente.* Justitia divina requirit, ut non solum piis, qui in hac vita bona egerunt, reddantur praemia, sed etiam ut impiis, qui mala egerunt, rependantur supplicia. Quare cum non solum pii in corpore et per corpus bona egerint, sed etiam impii in corpore et per corpus peccaverint, ideo justitia divina requirit, ut non solum pii sed etiam impii resurgant. 2. *Ex resurrectionis causa efficiente.* Christus est constitutus judex omnium hominum non solum piorum sed etiam impiorum, Joh. 17, v. 2: *Pater dedit ei potestatem omnis carnis;* cap. 5, v. 27. *potestatem faciendi judicium;* Act. 17, v. 31: *Judicaturus est orbem terrarum in justitia.* Ergo non solum pios sed etiam impios resuscitabit. 3. *Ex resurrectionis consequente.* Impii non tantum judicio Christi sunt sistendi, sed etiam una cum corporibus et in corporibus suis igni infernali adjudicandi. Ergo necessarium erit, ipsos in corporibus resuscitatis judicio Christi sisti et damnationis sententiam audire. 4. *Ex absurdis.* Si non resurgunt impii, 1. falsa erunt modo adducta Spiritus sancti oracula, in quibus impiorum resurrectio disertis verbis praedicitur; 2. injustus erit Deus, qui corpora, quae fuerunt injustitiae arma ac malorum operum organa debitis eximit suppliciis; 3. securitati et impietati reproborum bipatentes portae aperientur etc. quae omnia cum sint absurda, ideo absurdum quoque illud, ex quo talia consequuntur.

98. 3. *Ex patrum testimoniis*, quorum itidem
duae constitui possunt classes. In quibusdam enim XIX. 61.
*generaliter* omnium omnino hominum resurrectionem secuturam asserunt; in quibusdam *definite* ac specialiter etiam impiorum resurrectionem futuram testantur. Ad priorem classem pertinent haec dicta: Justinus apol. 2. pro Christ. pag. 68: *Christus omnium, qui unquam exstitere, mortalium corpora excitabit.* Tertullianus de resurr. carn. c. 63. p. 347: *Resurget caro*, *et quidem omnis.* Auctor libri de definitionibus, qui habetur in operibus Tertulliani

c. 6: *Omnes simul et semel resurgent.* Epiphanius in ancorat.: *Omnes resurgent, etiamsi nolint.* Augustinus in enchirid. ad Laurent. c. 84: *Resurrecturam carnem omnium, quicunque nati sunt hominum atque nascentur et mortui sunt atque morientur, nullo modo dubitare debet Christianus.* de dogm. eccles. c. 8. in princ.: *Omnium hominum erit resurrectio.* serm. 140. de temp.: *Omnes sumus resurrecturi, sed non omnes laetaturi.* Hesychius libr. 7. comment. in c. 25. Levit.: *Totius humani generis erit resurrectio.* Ad posteriorem classem haec referenda: Tertullianus de resurr. carn. c. 35. p. 331: *Praecipit Christus eum potius timendum, qui corpus et animam occidat in gehennam, id est Dominum solum, non qui corpus occidant, animae autem nihil nocere possint, id est humanas potestates; adeo hic et animae immortalis natura recognoscitur, quae non possit occidi ab hominibus, et carnis esse mortalitatem, cujus sit occisio, atque ita resurrectionem quoque mortuorum carnis esse, quae in gehennam nisi resuscitata non poterit occidi.* Cyprianus serm. de resurr. Christi: *Resurrectio communis est, et ante tribunal Christi necesse est in corpore stare justos et impios Dei hoc dictante justitia, ut pietas et impietas debitis stipendiis donarentur.* Lactantius lib. 7. instit. c. 21: *Quia impii peccata in corporibus contraxerunt, rursus carne induentur, ut in corporibus piaculum solvant, et tamen non erit caro illa, quam Deus homini superjecerit, huic terrenae similis, sed insolubilis ac permanens in aeternum, ut sufficere possit cruciatibus et igni sempiterno.* Cyrillus libr. 4. in Johann. c. 12: *Universum genus humanum, quod in mortem cecidit, ad vitam revertetur; qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae, qui mala, in resurrectionem judicii.* Augustinus de vera relig. c. 27. circa fin.: *Resurget pius populus, ut veteris hominis sui reliquias transformet in novum; resurget impius populus, qui ab initio usque ad finem veterem hominem gesserit, ut in secundam mortem praecipitetur.* de fide ad Petr. c. 3. circa med.: *Erit etiam iniquorum resurrectio, sed sine immutatione, quam solis fidelibus et ex fide juste viventibus daturus est Deus, habebunt iniqui cum justis resurrectionem carnis communem, immutationis tamen gratiam non habebunt.* cap. 29. in princ.: *Firmissime tene et nullatenus dubites, omnibus hominibus, et bonis, et malis resurrectionem carnis in adventu Domini futuram esse communem, retributionem vero justitiae Dei esse bonis malisque dissimilem.* in orat. contra Judaeos, paganos et Arianos c. 20: *Bonis malisque promittetur resurrectio.* de verb. Dom. serm. 17. circa fin.: *Etiam impii resurrecturi sunt, sed in ignem ituri.*

99. Ratione distinctorum illorum subjectorum duae constituuntur resurrectionis species Joh. 5, v. 29. Una vocatur *resurrectio vitae*, quae est piorum et vere credentium propria; altera vero dicitur *resurrectio judicii*, quae est impiorum et incredulorum propria. Resurrectio vitae vocatur *ratione finis et consequentis*, quia pii resurgent ad vitam aeternam XIX. 62.
sive *ad vitas seculi*, ut loquitur Dan. c. 12, v. 2. ut in passionem plenariam vitae ac felicitatis internae introducantur, unde jure ac merito ipsorum resurrectio vitae, hoc est *vitalis* ac salutaris *resurrectio* appellatur. Dicitur etiam *ἀνάστασις εἰς ζωήν*, *resurrectio ad vitam* 2. Macc. 7, v. 14. *αἰώνιος ἀναβίωσις ζωῆς* v. 9. *κρείττων ἀνάστασις*, quia omnia meliora reddet, Hebr. 11, v. 35. et absolute *ἀνάστασις* Luc. 20, v. 36. ubi pii et electi vocantur *υἱοὶ τῆς ἀναστάσεως*, quia illi vere et proprie censentur resurgere, qui ad vitam et beatitudinem aeternam resurgunt; impiorum resurrectio potius est horribilis in aeternum exitium prolapsus, unde eorum resurrectio itidem *ratione finis et consequentis* vocatur *resurrectio judicii*, scilicet damnatorii sive condemnationis, quia scilicet fine eo resurgent, ut audita in judicio sententia damnatoria in mortem secundam sive aeternam praecipitentur. Quidam disputant, priorem resurrectionis speciem proprie vocari תְחִיָּה, *ἀναβίωσιν*, *ζωοποίησιν*, *ἀνάστασιν*; posteriorem vero תְקוּמָה, *ἐξανάστασιν*. Et sane in quibusdam Scripturae dictis hoc discrimen observatur, ut constat ex Luc. 20, v. 36. Rom. 8, v. 11. 1. Cor. 15, v. 22. etc. interim tamen non est perpetuum, Joh. 5, v. 29. impiorum resurrectio vocatur *ἀνάστασις κρίσεως*, Act. 24, v. 15. *ἀνάστασις ἀδίκων*. Joh. 11, v. 24. Hebr. 6, v. 2. Universalis omnium hominum resurrectio absolute vocatur *ἀνάστασις*, Rom. 4, v. 17. in genere dicitur, quod Deus *ζωοποιεῖ τοὺς νεκρούς*. Dicendum igitur, quod quemadmodum est duplex vita, *corporalis et spiritualis, naturalis et coelestis;* ita quoque duplex sit *ζωοποίησις καὶ ἀναβίωσις*, collatio scilicet vitae corporalis et spiritualis; prioris participes reddentur in resurrectione impii, non autem posterioris, quia vitae naturalis restitutionem in ipsis sequetur aeternum opprobrium ac supplicium, quod mortis aeternae sive secundae nomine Spiritus s. exprimit Apoc. 20, v. 6. De resurrectione ad vitam suavissime sic loquitur Polycarpus in orat. sua *προαγωνίῳ* apud Eusebium lib. 4. hist. eccles. c. 15: *Domine Jesu Christe, fac me participem resurrectionis sanctorum tuorum,* hoc est scio, duplicem esse resurrectionem, sanctorum ad vitam, impiorum ad mortem aeternam; ardenti igitur voto et toto pectore precor, ut laetissime resurrectionis ad vitam particeps reddar.

100. Antithesis. Impiorum resurrectionem negant Antithesis.
*1. Judaei*, de quibus Buxtorffius in synag. Jud. c. 1. refert, quod antiquam illam traditionem amplectantur, quae statuit, *pios tantum resuscitatum iri, impios autem prorsus exspirare et aeternis tenebris obrui, ut nunquam redeant in vitam.* Eandem opinionem videntur amplexi amici Jobi, unde ipsi, quem ob impietatem promeritis affici suppliciis existimabant, crebro objiciunt, eum prorsus exstinctum iri, nullam vitae spem ipsi esse reliquam, ejus memoriam prorsus interituram. Baldad. c. 18, v. 5. sic disserit: *Lux impii exstinguetur, nec splen-*

*debit scintilla ignis ejus.* v. 13. *Consumet robur ejus primogenitus mortis,* v. 14. *avertetur de tabernaculo fiducia ejus.* Zophar c. 20, v. 7: *Velut sterquilinium sempiternum peribit impius, videntes eum dicent, ubi ille?* In libro Abkat Rochel impiis Judaeis beneficium resurrectionis obtingere negatur, *quia scilicet indigni sint liberatione et gaudio futuro in diebus Messiae.* In Talmudo lib. Sanhedrin de resurrectione ita disseritur, ut tantum piorum et justorum mentio fiat; et clarius libr. Taanith solis justis resurrectio assignatur. Similiter apud
XIX. 63. Rab. Saadia Gaon super Dan. 12. Gentilium resurrectionem negant, ut videre est in Abraham Aben Ezra et Rab. Salom. et Rab. Dav. Kimchi super Esa. 26, v. 14. item Aben Ezra et Rab. David super Psalm. 1, v. 5. ubi docent, *animas impiorum una cum corporibus interire in die mortis*, sicut et Aben Ezra super Daniel. 12. Sed praeter locum propheticum solis radio scriptum Dan. 12, v. 2. et argumentum ex regula justitiae divinae petitum, Helvicus in elench. Judaeor. 3. qui est tom. 4. Gissens. disp. 6. th. 19. et 20. ipsis opponit, quod in hac quaestione sibi non satis constent, alibi enim affirmant, *gentiles condemnatum iri*, ut patet ex Raschi super Ezech. 32, v. 18. at si condemnabuntur, utique non solae animae condemnabuntur, sed animae cum corporibus, cum utraque peccaverint, id quod agnoverunt Ansche Hamaechkar, sicut tradunt Aben Ezra et David Kimchi super Psalm. 104, v. 30. ac posito principio resurrectionis, resurrectionem ipsam negare non debent. At principium resurrectionis juxta Judaeos est *ossiculum in spina dorsi humani*, quod nunquam putrescit, etsi per multa annorum millia in terra jacuerit, inde enim fabulantur Deum initium sumere resuscitationis, jam illud aeque est in gentilibus atque in Judaeis. Targum Hierosolymit. Cant. 8, v. 5. *impiis* spem facit resurrectionis, licet non omnibus, sed iis tantum, *qui in regione Canaan obierunt.* Rab. Bechai in lib. Kadhakemach, *absque discrimine omnes Israëlitas impios resurrecturos, sed in sui ignominiam sempiternam*, ex quibus apparet, Judaeos de impiorum resurrectione nihil certi habere.

101. *2. Photiniani* de impiorum resurrectione obscure et ambigue loquuntur, videntur autem sentire, totum hominem, quando moritur, corpore et anima exstingui, ac pios quidem ad aeternam vitam resuscitatum iri, impios vero vel non resuscitandos, vel suscitatos et a Christo judicatos iterum in nihilum redigendos, adeoque ipsos etiam diabolos aeternum delendos et prorsus perdendos. Objecerat haec ipsis Frantzius disp. 7. poster. in August. confess. th. 98. ad quae responsurus Schmaltzius in refut. p. 409. anguillae instar totus lubricus est, ut certo ex verbis ejus colligere nequeas, quid de hisce Christianae doctrinae capitibus sentiat, interim si accurate observes sequentes propositiones a Schmaltzio disertis verbis ibidem assertas, facile apparebit, cui opinioni sit addictus. Sic ergo loquitur p. 409: *Solos pios victuros in aeternum, nonne est petitum ex penetralibus sacrarum literarum, quae sola vitae promissione solantur fideles? jam si quis hinc colligat, impios aeternum non victuros, id non nostrae sententiae, sed sacris literis potius adscribendum esset.* (Vocabulum *vitae aeternae* est ambiguum, quandoque enim accipitur pro beata illa vita, quam electi in coelis cum Christo et sanctis angelis agent, quandoque vero pro duratione aeterna accipitur; priori sensu impiis denegatur, posteriore vero adscribitur, quae duratio impiorum diverso respectu et *vita et mors aeterna* vocari potest, quia *vita erit his sine fine mori et mors vivere poenis.)* Franc. Junius in comm. Daniel. cap. 12. tom. 1. oper. p. 933: *Vita aeterna duobus modis consideranda est, 1. secundum essentiam creaturae viventis in se; 2. secundum affectionem creaturae viventis ad principium aeternum vitae, hoc est Deum, qui propterea in Scripturis vita aeterna appellatur.* XIX. 64.
*Secundum vitam illam essentialem, qua creaturae vivunt in sese, omnes tam mali quam boni aeternum victuri sunt, sed secundum alterum modum soli pii victuri sunt in Christo Jesu.* Pergit Schmaltzius p. 410: *Cum porro de interitu vel judicio daemonum legitur, nonne delendos eos esse hinc jure colligi potest? jam quomodo hoc futurum sit, in eo unicuique nostro quidem judicio licet suo sensu abundare, idque idem etiam de cruciatibus daemonum et impiorum statuendum est, nos quid amplius et aliud hac de re statui debeat, nihil nunc dicimus.* (Scriptura judicium daemonum et impiorum non describit per *annihilationem*, sed per *aeternorum cruciatuum* et ignis infernalis *adjudicationem*, dicuntur enim impii *ituri in supplicium aeternum ac projiciendi in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* Matth. 25, v. 41. et 46. paleae dicuntur *comburendae igni inexstinguibili* Matth. 3, v. 12. *vermis impiorum non morietur, ignis eorum non exstinguetur* Esa. 66, v. 24. Marc. 9, v. 44., 46. et 48. At si aeterno supplicio afficiendi sunt, utique aeternum erunt duraturi. Tertullianus de resurrectione carnis c. 35. p. 331: *Si quis occisionem carnis atque animae in gehennam ad interitum et finem utriusque substantiae arripiet, non ad supplicium quasi consumendarum, non quasi puniendarum, recordetur ignem gehennae aeternum praedicari in poenam aeternam et inde aeternitatem occisionis agnoscat, propterea humanae ut temporali praetimendam, tunc et aeternas substantias credet, quarum aeterna sit occisio in poenam. Certe cum post resurrectionem corpus cum anima occidi habeat a Deo in gehennam, satis constabit de utroque, et de carnali resurrectione, et de aeterna occisione. Absurdissimum alioquin, si idcirco resuscitata caro occidatur in gehennam, uti finiatur, quod et non resuscitata pateretur. In hoc scilicet reficietur, ne sit, cui non esse jam evenit.*) p. 413. *Matth. 10, v. 28. sermo est de tali anima, quae occidi potest, nempe a Deo, anima autem, quae idem est quod spiritus, in gehennam conjici non potest, cum ad Deum redeat, qui eam*

*dedit, et sit immortalis.* (Animam esse immortalem et animam impiorum una cum corpore perdendam esse in gehenna non pugnant invicem, sed sunt subordinata, perditio enim illa non erit animae abolitio vel annihilatio, sed aeternorum cruciatuum, qui aeternae ac secundae mortis nomine intelliguntur, inflictio.) pag. ead.: *Probat Frantzius, quod impii aeternis cruciatibus obnoxii erunt, qua quidem in re quia nihil de nobis certi pronuntiare potest, mirum est, ipsum ita esse curiosum et anxie scrupulosum, ut eam etiam, quam nos non profitemur, refutare velit sententiam, quod in homine, qui alios docet Christi religionem, vitio non caret.* (Imo vero id vitio merito vertitur Schmaltzio et ipsius asseclis, quod suam de aeternis impiorum ex morte resuscitatorum cruciatibus sententiam disertis verbis profiteri nolint, sed forte Schmaltzius eam nobis edisseret,) sequitur enim pag. 414: *Ego quidem quod ad me attinet, hanc quaestionem satis difficilem esse puto, quae vero a Frantzio asseruntur, ea non dubito affirmare, rem istam nullo modo conficere.* (Quae Frantzius pro stabilienda impiorum resuscitatorum damnatione attulerat, ex illis eam confici posse Schmaltzius negat, sed tamen alia fundamenta proponit, utique ergo innuit, se non tantum probationem rei, sed etiam rem ipsam negare.) *Locus enim Joh. 5, v. 29. allegorice intelligi potest, imo debet* (contrarium ostendimus superius), *locus Matth. 25, v. 41. de resurrectione nihil loquitur, sed tantum de iis, quos Christus vivos offendet* (falsissimum hoc est, quia v. 32. con-
XIX. 65. gregandae dicuntur coram judice *omnes gentes*, ergo de universali judicio ac proinde etiam de universali resurrectione judicium antegressura ac omnium piorum glorificatione, omnium vero impiorum damnatione judicium secutura v. 41. diserte agitur). *Locus Danielis 12. de captivitate Babylonica et de liberatione ex illa proprie intelligendus est, ad negotium resurrectionis non nisi improprie trahi potest, quod ut multa, quae hic dici possint, omittam, vel hoc solum evincit, quod ibi non de omnibus sit sermo, sed de multis tantum* (contrarium ostendimus superius ac frivolae illi argutiae ex Porphyrii schola petitae respondimus) *Apoc. 22, v. 14. et 15. item Judae v. 14. et 15. nulla resurrectionis sit mentio.* (In priore loco agitur de gloria beatorum aeterna et poenis impiorum sempiternis, inter quas exclusio a coelesti Hierosolyma et aeterna felicitate non postremum obtinet locum; in posteriore agitur de ultimo Christi adventu et judicio contra impios ferendo, utrumque videlicet, tum judicium, tum poena impiorum, resurrectionem eorum praesupponit.) *Locus Matth. 10, v. 28. perditionem tantum animae in gehenna, non cruciatum denuntiat* (contrarium ex Tertulliano paulo ante ostendimus). *Ignis Marc. 9, v. 44. inexstinguibilis dici potest, quomodo etiam ignis, quo Sodoma exusta est, aeternus appellatur, cum tamen hodie is nullus sit, quia scilicet aeternum exitium attulit isti civitati.* (At Sodomiticus ignis nuspiam dicitur ἄσβεστος, qua περιφράσει infernalis ignis proprie describitur, *cujus fumus dicitur adscensurus in secula seculorum* Apoc. 14, v. 11. cui conjungitur *opprobrium aeternum* Dan. 12, v. 2. *supplicium aeternum* Matth. 25, v. 46. *ac vermis impiorum* corda et conscientias arrosurus *nunquam exstinguendus vel finiendus* Marc. 9, v. 44. dicitur.) Si obvertere velint, Jud. v. 7. *ignem Sodomiticum vocari αἰώνιον*, respondemus, Sodomitas ut *duplici coecitate*, corporali et spirituali, percussos Genes. 19, v. 11. ita quoque *duplici igne*, temporali et aeterno, punitos, qua de re in tract. de inferno plenius dicetur. Matth. 23, v. 15: *Filius gehennae est dignus gehenna, h. e. supplicio gravi. Duplicitas autem ista manifeste docere potest, sermonem hunc esse figuratum, cum in cruciatibus aeternis nulli dentur gradus* (contrarium suo loco demonstrabimus). Matth. 8, v. 29. *non de afflictione aliqua futura in fine mundi, sed de tali, quae tunc daemonibus accidere poterat, sermo est, quae erat, quod Christus eos ejiciebat ex hominibus inter extraneas gentes, ad quas Christus tunc missus non erat* (imo vero diserte addunt daemones, *venisti huc ante tempus*, scilicet judicii, *nos βασανίσαι*, quem vero βάσανον intelligant, colligitur ex Matth. 25, v. 41. Luc. 16, v. 23. Apoc. 20, v. 14. etc.). Apoc. 14, v. 10. et c 20, v. 10. *nulla fit resurrectionis mentio* (agitur ibi de aeternis impiorum ac diabolorum suppliciis, cum vero impii ea non solum in animabus, sed etiam corporibus sint toleraturi, ideo resurrectio impiorum ex illis probari potest). Concludit tamen Schmaltzius his verbis: *Quae omnia fusissime dilatari et probari potuissent, si nunc cum Frantzio ea de re contendere nobis animus esset, quam nusquam aperte proposuimus, sed quam ille ex libris nostris vi quadam extorquere conatur.* (Si Frantzius injuriam ipsis fecit hasce hypotheses eis assignando, eccur in eis adstruendis et quae in contrarium afferuntur diluendis tantopere solicitus est Schmaltzius? cur non diserte et perspicue suam suorumve asseclarum proponit sententiam? quid adhuc tergiversatur?) pag. 415. audacior factus subjungit: *Impios futuros etiam immortales, nempe in aeternum op-*
*probrium, nec usquam sacrae literae comprobant,* XIX. 66.
*nec quidquam ex illis afferri videtur, unde sententia illa probari possit.* Causam cur in hac quaestione de impiorum resurrectione tam obscure et lubrice loquantur, exponunt ipsi in actis manuscriptis colloquii Racoviensis hisce verbis: *Caute hac de re agendum est, quemadmodum et ipse Christus et apostoli sese ad captum populi accommodarunt, ut parabola de Lazaro et divite docet, non erat tunc tempus conturbandi Judaeos, ut et nunc non est. Sic et interdum possunt quaedam dici, quae hanc sententiam hominibus indicent, donec tandem aetas maturescat et homines hisce loquendi modis assuescant.* Atqui 1. veritas nihil timet nisi abscondi; 2. filii lucis non amant tenebras; 3. suspecta

merito est doctrina, quae audiri et probari se non patitur; 4. Christo honorificentius testimonium praebent Pharisaei Matth. 22, v. 16.

Argumenta contra impiorum resurrectionem 1. ex Psalm. 1, v. 5. 2. ex Esa. 26, v. 14. 3. ex Esa. 43, v. 17. 4. ex Jer. 51, v. 30. 5. ex Dan. 12, v. 2. 6. ex 2. Macc. 7, v. 14. 7. ex Luc. 14, v. 14. 8. ex 1. Thess. 4, v. 14.

102. Argumenta contra impiorum resurrectionem potiora haec sunt: 1. Psalm. 1, v. 5: *Non resurgent impii in judicio, neque peccatores in coetu justorum.* 2. Esa. 26, v. 14: *Morientes non vivent, gigantes non resurgent.* 3. Esa. 43, v. 17: *Simul obdormierunt nec resurgent, exstincti sunt quasi linum.* 4. Jer. 51, v. 39: *Dormiant somnum sempiternum et non consurgant.* Responsionem pete ex §. 38. 5. Dan. 12, v. 2: *Multi qui dormiunt sub pulvere terrae, evigilabunt.* Ergo non omnes. Responsio tradita fuit §. 13. 6. 2. Macc. 7, v. 14: *Resurrectio non erit.* Responsio: explicatio ac limitatio statim additur, *εἰς ζωήν, ad vitam.* 7. Luc. 14, v. 14: *Retribuetur tibi in resurrectione justorum.* Responsio: non excluduntur impii, ideo autem justis peculiariter tribuitur resurrectio, quia illorum resurrectio erit salutaris ad vitam, cum contra impii resurrecturi sint *ad opprobrium, ad judicium et ad supplicium*, ac ipsorum resurrectio ad opprobrium et exitium est potius aeternus casus quam resurrectio. 8. 1. Thess. 4, v. 14: *Dormientes per Jesum adducet cum eo.* Responsio: Photius apud Oecumenium in comm. illius loci tres causas adducit, propter quas apostolus resurrectionem describens nullam fecerit aperte mentionem eorum, qui ad supplicium et ultionem resurgunt. *Primum quidem, quod ut Thessalonicenses consoletur, resurrectionis meminit. Nolo enim vos ignorare ait de his, qui dormierunt, ne moereatis. Non ergo eum, qui consolationem erat allaturus, tristia permiscere oportuit. Qualis enim fuisset consolatio, supplicium et ultio perpetua, tenebrae, vermes et ignis? Itaque si ita scripsisset, moerorem potius intendisset et nulla ex parte animabus eorum consolationem attulisset. Secundo autem, quia fidelibus resurrectionem exponebat. Merito ergo eorum non meminit, qui sunt in supplicium abducendi. Fideles namque, qui juxta Dominica conversantur praecepta, nullius poenae capient experientiam, sed in perpetuo gaudio ac laetitia degent. Tertio vero, quia ipsum resurrectionis mysterium et propter quid facta sit, pariter nunc exponit. Etenim resurrectionem facit Deus ad salutem omnium hominum et immortalitatem ac inenarrabilem gloriam aeternorumque fruitionem bonorum. Siquidem supplicium diabolo et angelis ejus, quemadmodum dicit etiam in evangelio, praeparavit. Quodsi quidam suis nequitiis pro praeparatis sibi bonis, ea, quae diabolo sunt praeparata, eligunt, id non fit juxta*
XIX. 67. *Dominicam benignitatem et providentiam. Idcirco Paulus ipsam resurrectionis naturam referens et propter quid ipsam Deus producat, merito eorum non meminit, qui in supplicium abducuntur, neque enim fit propter supplicium, sed propter mercedis*
9. Ex ratione. *retributionem.* 9. *Resurrectio est singulare beneficium Christi, quod impiis tribui nequit.* Responsio: resuscitatio piorum ad vitam aeternam est beneficium Christi Mediatoris ac Salvatoris; resuscitatio impiorum ad ignominiam et poenam aeternam est opus Christi judicis.

Quaestiones de subjecto resurrectionis. 1. An infantes in utero materno exstincti sint resurrecturi.

103. Quaeritur circa resurrectionis subjectum, *1. An infantes in utero materno exstincti sint resurrecturi?* Justinus in quaest. et respons. ad orthodox. quaest. 13. pag. 311. hoc dubium movet. Sic enim quaestionem informat: *Si resurrectio propter eorum, quae quisque in vita egit, remunerationem fit, quomodo infantes, aut etiam qui in utero exstinguuntur foetus, resurgunt, qui neque factorum compensationem referunt, neque vel laxamenti vel angustiae, propter aetatis immaturitatem, διὰ τὸ τῆς ἡλικίας ἄωρον, sensum percipere possunt?* Respondet autem ex his fundamentis: *Qui credit, verum esse illud, seminatur in infirmitate, resurgit in potentia, eum quoque possibile est et decet infantium credere resurrectionem. Nam qui eis incorruptibilitatem tribuit, potentiam quoque, qua praesentia sentiant bona, conferre potest. Atque horum si resurrectio non sit, reperietur Deus frustra eos finxisse. At si Deus nihil facit frustra, necesse profecto est, per resurrectionem infantes quoque ad id ut sint sive ad esse produci. Quo modo vero importunum non fuerit, ulciscendae infantium occisionis gratia Herodem condemnare, si infantes, qui vendicandi sunt, non exstent? Testimonium his perhibent et Baptistae Johannis in utero materno exsultationis subsultatio et infantium atque lactentium hymnus et laudatio.* Haec Justinus. *Si foetus* fuere *animati* et vivi, quibus contingit prius sepeliri quam nasci, ac ipsis convertitur in coemiterium, quod vitae debebat hospitium, dubium nullum, quin sint resurrecturi, 1. quia *omnes homines* in die novissimo resurgent, jam vero infantes illi sunt homines, quippe corpore organico et anima rationali praediti. 2. Quia infantes Christianorum per preces parentum et ecclesiae Deo oblatos etiam ante perceptum baptismum in utero exstinctos a salute non debere excludi, ostendimus in tract. de bapt. §. 238. at si *salvandi* sunt, utique etiam resuscitandi. 3. Quemadmodum Christus ex eo, quod Deus se vocat Deum Abrahami, Deum Isaaci ac Deum Jacobi Exod. 3, v. 6. contra Sadducaeos probat resurrectionem illorum patriarcharum Matth. 22, v. 31. Marc. 12, v. 26. Luc. 20, v. 38. sic ex eo, quod Deus se vocat *Deum seminis nostri*, quae appellatio infantes nondum in lucem editos complectitur, resurrectionem infantum in utero materno exstinctorum probare possumus. 4. Christus non solum nasci, sed etiam *in utero virginis concipi* ac gestari voluit, ut etiam infantum in utero materno adhuc conclusorum ac piis precibus sibi oblatorum sese Salvatorem esse demonstraret.

2. An foetus abortivi sint resurrecturi.

104. *2. An foetus abortivi sint resurrecturi?* De hac quaestione sic disserit Augustinus tom. 3. in enchirid. ad Laurent. c. 85: *De abortivis foetibus primo occurrit quaestio, qui jam quidem nati sunt in uteris matrum, sed nondum ita, ut jam* XIX. 66.

*possint renasci. Si enim resurrecturos eos dixerimus, de his, qui jam formati sunt, tolerari potest utcunque quod dicitur. Informes vero abortus quis non proclivius perire arbitretur, sicut semina, quae concepta non fuerint? Sed quis negare audeat, etsi affirmare non audeat, id acturam resurrectionem, ut quidquid formae defuit, impleatur? atque ita non desit perfectio, quae accessura erat tempore, quemadmodum non erunt vitia, quae accesserunt tempore, ut neque in eo, quod aptum et congruum, dies allaturi fuerant, natura fraudetur, neque in eo, quod adversum atque contrarium dies attulerant, natura turpetur, sed integretur, quod nondum erat integrum, sicut instaurabitur, quod fuerat vitiatum.* cap. 86: *Scrupulosissime inter doctissimos quaeri ac disputari potest, quod utrum ab homine inveniri possit ignoro, quando incipiat in utero homo vivere. Utrum sit quaedam vita occulta, quae nondum motibus viventis appareat. Nam negare, vixisse puerperia, quae propterea membratim exsecantur et ejiciuntur ex uteris praegnantium, ne matres quoque, si mortua ibi relinquantur, occidant, impudentia nimia videtur. Ex quo autem incipit homo vivere, ex illo utique jam mori potest. Mortuus vero, ubicunque illi mors potuit evenire, quomodo ad resurrectionem non pertineat mortuorum, reperire non possum.* tom. 5. lib. 22. de civit. Dei cap. 13: *Abortivos foetus, qui cum jam vixissent in utero, ibi sunt mortui, resurrecturos ut affirmare, ita negare non audeo, quamvis non videam, quomodo ad eos non pertineat resurrectio mortuorum, si non eximuntur de numero mortuorum. Aut enim non omnes mortui resurgent et erunt aliquae humanae animae sine corporibus in aeternum, quae corpora humana quamvis intra viscera materna gestarunt; aut si omnes animae humanae recipiant resurgentia sua corpora, quae habuerunt, ubicunque viventia et morientia reliquerunt, non invenio, quemadmodum dicam, ad resurrectionem non pertinere mortuorum quoscunque mortuos etiam in uteris matrum.* Haec Augustinus. Decisio quaestionis pendet ex hypothesi *de animae propagatione.* Quidquid enim anima rationali, utpote forma humana, fuit praeditum, illud aliquando resurget. Quodsi igitur certum tempus statuitur, quo foetus animatur, constare etiam poterit, quinam abortus resurrecturi sint, quinam vero minime. *Resurrectio praesupponit mortem, mors praesupponit vitam.* Abortus inanimes et informati non vixerunt, ergo nec mori potuerunt, et per consequens nec resurgent. Foetus autem abortivi, qui formati fuerunt et vitam habuerunt, etiamsi in utero exstincti fuerint, resurgent, ab omni tamen defectu et infirmitate liberati. Sed praestat hic *ἐπέχειν* et cautam profiteri ignorantiam quam temerariam venditare scientiam.

3. An partus monstrosi sint resurrecturi.

105. *3. An partus monstrosi sint resurrecturi?* Monstra sunt duplicia, quaedam a specie humana plane abhorrent et brutis animantibus quam hominibus sunt similiora, quae proprie dicuntur *monstra*, quaedam vero speciem hominis adhuc referunt, interim quantitate vel figura membrorum aberrant, et haec proprie dicuntur *partus monstrosi.* Priorum resurrectionem negamus, posteriorum vero affirmamus. Augustinus in enchirid. ad Laurent. cap. 87: *Neque enim et monstra, quae nascuntur et vivunt, quamlibet cito moriantur, aut resurrectura negabuntur, aut ita vitiata resurrectura credenda sunt, ac non potius correcta emendataque natura. Absit* XIX. 69. *enim, ut illum bimembrem, qui nuper natus est in Oriente, de quo et fratres fidelissimi, qui eum viderunt, retulerunt et sanctae memoriae Hieronymus presbyter scriptum reliquit, absit inquam, ut unum hominem duplicem ac non potius duos, quod futurum fuerat, si gemini nascerentur, resurrecturos existimemus. Ita cetera, quae singuli quique partus vel amplius, vel minus aliquid habendo, vel quadam nimia deformitate monstra dicuntur, ad humanae naturae figuram resurrectione revocabuntur, ita ut singulae animae singula sua corpora obtineant, nullis cohaerentibus, etiam quaecunque cohaerentia nata fuerant, sed seorsim sibi singulis sua membra gestantibus, quibus humani corporis completur integritas,* quae verba Augustini adducit Lombardus 4. sent. distinct. 44. §. ult. Bonaventura in comm. illius loci quaerit de monstro, *quod partim est homo, partim bestia,* an illud sit resurrecturum? Respondet autem, *si partes principales sunt hominis, si vixit, habuit animam humanam et ideo ordinatum est ad resurrectionem, et resurget homo secundum totum.* Huterus in locis artic. 24. p. 882: *Cum hominem subjectum resurrectionis constituimus, merito hinc excludimus monstra et partus abortivos inanimes, qui hominis definitionem non sortiuntur.*

4. An subjectum resurrectionis recte dicatur totus homo?

106. *4. An subjectum resurrectionis recte dicatur totus homo?* Ratio dubitandi est, quia totus homo non moritur secundum omnes partes, cum anima immortalis perseveret. Dicendum igitur, quod cum actiones et passiones sint suppositi, *totus homo* *ὁλικῶς* consideratus recte statuatur subjectum resurrectionis, sed non *totum hominis* *μερικῶς* considerati sive omnes hominis partes. Animae enim utpote spiritui immortali non competit resurrectio illa, de qua hoc loco agimus, sed alia, videlicet spiritualis, quam Johannes vocat *resurrectionem primam* Apoc. 20, v. 6. quae in hac vita duntaxat locum habet. Corpus vero ut in morte proprie cadit, ita etiam proprie resurgit et corporis *τοῦ πεπτωκότος* respectu homo dicitur resurgere, unde in symbolo apostolico notanter dicitur: *Credo resurrectionem carnis.* Methodius apud Epiphanium haeres. 64. pag. 242: *εἰ δέ τις τὴν ἀνάστασιν ἐπὶ τῆς ψυχῆς καὶ μὴ ἐπὶ τῆς σαρκὸς βιάζεται λέγειν ἔσεσθαι, πολλὴ μὲν μωρία τούτῳ καὶ ἀλογία, οὐ γὰρ τὸν ἑστῶτά τις ἀνίστησιν, ἀλλὰ τὸν κείμενον.* Chrysostomus serm. 1. de resurrect.: *De anima non proprie dicitur resurrectio, resurrectio enim ejus est, quod cecidit et quod dissolutum est, anima autem non dissolvitur, sed corpus.* Quia vero superius diximus, formam resurrectionis consistere in duobus, *in corporum* scilicet

ex terrae pulvere *reformatione* et in eorundem *animatione*, sive animarum cum corporibus suscitatis redunitione, ideo respectu operis posterioris etiam animabus resurrectio tribui potest, sed κατ' ἄλλο qui corpori resurgenti iterato uniuntur, ac ad pristinum officium animationis, quod in morte ac per mortem suspensum fuerat, iterum redeunt. Ex Scholasticis monuimus superius, resurrectionem accipi tum *pro suscitatione animae a peccato mortali* ad statum gratiae, quae est resurrectio prima; tum *pro reunitione animarum rationabilium* in sua corpora, et sic resurrectionem definiunt corporis facti incorruptibilis ad animam iteratam unionem. *Resurgere*, inquit Gabriel. serm. 2. in festo pasch. *nihil aliud est quam animam vivificantem iterum corpori, quod deseruit, uniri.*

XIX. 70. 4. An bruta sint resurrectura?

107. *5. An etiam bruta sint resurrectura?* Socinus in resp. ad defens. Pucc. p. 144. Puccio tribuit, *quod statuerit, bestias in nova terra futuras.* Et sane Puccius in defens. adv. Socinum p. 38. ita statuit ac pro resurrectione brutorum adducit tria Scripturae dicta Esa. 65, v. 25. Rom. 8, v. 19. 1. Cor. 15, v. 17. 2. In legendis papisticis de Sylvestro memoratur, *quod mortuum taurum excitaverit;* de D. Germano, *quod asellum, qui obierat, et vitulum, quem ipsius familia comederat, a mortuis revocaverit;* de Bonifacio, *quod vulpem coëgerit, ut gallinas devoratas redderet;* Capgravius de S. Aido narrat, *quod octo lupis esurientibus octo bidentes dederit, miserebat enim eum luporum famelicorum, sed postmodum eosdem bidentes jam devoratos a lupis oratione sua integros ex ventribus luporum receperit.* Ex quibus miraculis (nisi falsa et ficta essent) quodammodo colligi posset, etiam bruta resuscitatum iri. *3. Mahumetistae* brutorum resurrectionem credunt. Sed bruta illa opinio merito exsulare ab hominibus debet, 1. quia Scriptura nuspiam de brutorum resurrectione loquitur. Quae Puccius adducit, nihil minus quam brutorum resurrectionem docent. 2. Bruta non sunt ad immortalitatem a Deo condita. 3. In bruta proprie non cadit virtus vel peccatum, quidquid Photiniani perquam absurde hic nugentur. Ergo etiam non reportabunt praemia vel supplicia eorum, quae in hac vita egerunt. 4. Animae brutorum non sunt spiritus immortales, sed una cum corporibus exstinguuntur. Recte ergo Nyssenus lib. de opif. hominis c. 3. scribit: *Proprium et praecipuum hominis ac solum a cunctis animantibus est, ejus corpus post mortem resurgere et immortalitate donari.* Si dicas, *apostolum* Rom. 8, v. 20. *asserere, quod creatura subjecta sit* ματαιότητι, v. 21. *liberanda vero a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei;* respondeo, *creaturae* nomine generaliter intelligi totam mundi machinam coelesti et elementari regione constantem, quae in hac vita subjecta est ματαιότητι, vanitati ac frustratione, hoc est non tantum corruptioni et multiplici mutationi, sed etiam abusui impiorum, unde per quandam προσωποποιΐαν, ut Chrysostomus in comm. notat, dicitur simul *ingemiscere et parturientis dolores sustinere, ut a servitute corruptionis liberetur*, quod fiet in die novissimo, quando filii Dei in libertatem gloriae sive gloriosam evehentur, particula enim εἰς phrasi Hebraica pro ἐν posita videtur. Sed de hoc loco apostolico in tractatu de mundi συντελείᾳ plenius disseremus.

---

## CAPUT IX.

## DE ADJUNCTIS RESURRECTIONIS.

Adjuncta resurrectionis. 1. Tempus.

108. *Adjuncta resurrectionis* sunt *1. tempus*, *2. locus.* Tempus resurrectionis universalis est dies novissimus, in quo etiam seculi consummatio et judicii extremi exsecutio sequetur. Job. 19, v. 25: *In novissimo die super pulverem me statuet.* Dan. 12, v. 1: *In tempore illo* (novissimo) *stabit Michaël pro populo suo,* v. 2. *et multi, qui in pulvere dormiunt, evigilabunt.* v. 13. *Tu Daniel requiesces et stabis in sorte tua in fine dierum.* Matth. 13, XIX. 71.
v. 39: *Messis et consummatio seculi.* v. 41. *Mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala.* cap. 24, v. 30: *Videbunt Filium hominis venientem in nubibus coeli cum virtute et majestate multa*, v. 31. *et mittet angelos suos cum tuba et voce magna, et congregabunt electos ejus a quatuor ventis.* cap. 25, v. 31: *Cum venerit Filius hominis in gloria sua et omnes sancti angeli cum eo, tunc sedebit super thronum gloriae suae*, v. 32. *et congregabuntur ante eum omnes gentes* (ex mortuis scilicet suscitatae). Joh. 6, v. 39: *Quod dedit mihi Pater, non perdam ex eo, sed resuscitabo illud in die novissimo*, quod repetitur v. 40. et 44. Joh. 11, v. 24. ait Martha de fratre defuncto Lazaro: *Scio, quia resurget in resurrectione in die novissimo.* 1. Cor. 15, v. 52: *In novissima tuba, tuba enim canet, et mortui resurgent incorrupti et nos immutabimur.* 1. Thess. 4, v. 16: *Ipse Dominus in jussu, in voce archangeli et in tuba Dei descendet de coelo, et mortui in Christo resurgent primum.* Apoc. 20, v. 11: *Et vidi thronum magnum et candidum et sedentem super eum, cujus a conspectu fugit coelum et terra, et locus non est inventus eis*, v. 12. *et vidi mortuos magnos et pusillos stantes in conspectu throni et libri aperti sunt* etc. *et judicati sunt mortui ex his, quae scripta erant in libris, secundum opera ipsorum.* Hilarius in prooemio Psalm. et Augustinus serm. 251. de temp. statuunt, *die Dominico futuram generalem resurrectionem.* Hilarius enim Psalmum 8. propterea hanc inscriptionem *pro torcularibus* habere dicit, *quod corpora nostra die octavo ut vascula novis fructibus praeparata resurrectionis gloriam sint receptura.* Scholastici dicunt: *Resurrectio omnium illorum, qui in adventu Christi invenientur mortui, erit in ultimo instanti temporis proprie dicti, quod cessabit cessante*

*motu coeli.* Quia vero praecise et exacte sciri nequit, quis futurus sit novissimus dies et quo tempore Christus ad judicium sit venturus, Matth. 24, v. 16. Marc. 13, v. 32. Actor. 1, v. 7. ideo etiam momentum universalis resurrectionis sciri nequit. De Chiliastarum opinione, quod sancti ante universalem reliquorum hominum resurrectionem sint a Christo suscitandi, ut per annos mille in his terris cum Christo deliciis mundi perfruantur, antequam scilicet seculi consummatio et impiorum resurrectio sequatur, ut et de Piscatoris somnio, qui putat, *solos martyres ante universalem hominum resurrectionem esse resurrecturos et mille annis cum Christo in coelis regnaturos, deinde vero reliquos homines ex morte in vitam revocandos esse,* in tract. de consummatione seculi dicemus.

Antithesis. 109. **Antithesis.** Circa tempus resurrectionis a veritatis tramite aberrant *1. omnes,* quotquot extremi judicii et consummationis seculi diem curiosa temeritate ac temeraria *curiositate* definire praesumunt. Cum enim resurrectionem mortuorum immediate secuturum sit judicium extremum et consummatio seculi, ideo determinando tempus judicii et consummationis seculi etiam resurrectionis tempus soli Deo praecise notum consequenter definire convincuntur. Sed de his ἀεροβατοῦσιν, imo οὐρανοβατοῦσιν inferius dicemus. *2. Philosophi Platonici ac mathematici,* qui post *annum magnum* seu perfectam revolutionem orbium coelestium omnia restituenda in eum statum, in quo nunc sunt, tradiderunt, ita ut post triginta sex millium annorum decursum omnes iidem et numero et essentia, et ac-
XIX. 72. cidentibus et actionibus simus futuri, qui nunc sumus. Rationem hujus opinionis desumunt ex astronomicia. Volunt enim, orbem illum summum coelorum in se complecti 366 gradus et unumquodque astrum centenis quibusque annis unum ex eis pertransire, unde contingat, ut exacto triginta sex millium annorum spatio unumquodque sidus ad idem punctum redeat, a quo moveri coeperat, et cum status ac situs coelestium corporum eadem ratione, qua fuit ab initio, sese habeat, existimant, omnia ad eam formam reditura, qua tunc fuerit. Sed falsitatem hujus opinionis multis ostendere non est operae pretium. 1. Principium ejusdem, quod hominum studia, consilia, actiones, vita et mors dependeant ex positu siderum, nondum satis probatum ac stabilitum, imo a Joh. Pico Mirandulano et aliis penitus destructum. 2. Consectarium ejusdem est absurdum, videlicet resurrecturos homines ad pristinum hujus vitae statum, cum Scriptura testetur, *ad vitam aeternam* alterius seculi homines resuscitandos. 3. Ipsimet opinionis hujus architecti et asseclae sibi non satis constant, quidam enim illam ἀποκατάστασιν universalem ad quadraginta millia annorum dilatum iri arbitrantur. 4. Eadem includit falsissimam hypothesin *de mundi aeternitate,* quia exactis iterum triginta sex annorum millenariis eadem revolutio secutura statuitur, et sic consequenter. 5. Aristoteles hanc opinionem refellit ex principio physico, quod ἀδύνατον sit, ea quae semel interciderunt, eadem numero redire, quantumcunque temporis spatium interponatur. 6. Resurrectio mortuorum non est opus vel effectum quoddam naturae a causis naturalibus, a corporibus scilicet coelestibus ac gradibus firmamenti, originem trahens, sed est actio Dei supernaturalis et miraculosa a divina voluntate, potentia, justitia, sapientia, bonitate et veracitate unice dependens.

110. Quaeritur hoc loco, *1. cur Deus tamdiu differat piorum resurrectionem, cum corpora piorum fuerint Spiritus sancti templa non minus quam ipsius Christi, quem ultra triduum Deus in sepulcro quiescere noluit.* Respondemus: 1. causam exponit divinum oraculum animabus martyrum vindictae accelerationem flagitantibus datum Apoc. 6, v. 11: *Quibus dictum est, ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur etiam conservi eorum et fratres eorum, qui interficiendi sunt sicut et ipsi.* Differt igitur Deus tempus resurrectionis et judicii, quia nondum completus est electorum numerus. 2. Animae piorum coelesti vita, pace et laetitia interim perfruuntur, neque quidquam doloris aut molestiae inde percipiunt, quod corpora utpote per se inanimia ac sensus expertia in sepulcro putrescant. 3. Christus resurrexit ut *primitiae dormientium* 1. Cor. 15, v. 23. ac *primogenitus ex mortuis* Col. 1, v. 18. aequum igitur est, ipsum ut in omnibus, ita quoque in resurrectione πρωτεύειν, ut apostolus ibidem loquitur, ac proinde temporis et ordinis respectu non minus quam dignitatis ratione *primus* resurgere debuit. 4. Quamvis corpora nostra non minus quam ipsius Christi fuerint Spiritus sancti templa, tamen inter nostra et Christi corpora est maximum discrimen. Christi corpus est ex Spiritu sancto conceptum, ex virgine sine peccato natum, prorsus impollutum ac Λόγῳ personaliter unitum; nos contra in peccatis nati *iniquitatem velut aquam hausimus,* quae per corruptionis alembicum iterum est extrahenda. Quaeritur *2. quo diei tempore* XIX. 73.
*homines sint resurrecturi?* Thomas in supplem. quaest. 77. art. 3. respondet, *resurrecturos in crepusculo diei summo diluculo, quo Dominus resurrexit.* Sed ut articulus temporis, in quo Christus ad judicium rediturus, homini non est notus, Marc. 13, v. 35: *Nescitis, quando dominus domus sit venturus, sero, an media nocte, an gallicinio, an mane;* ita quoque momentum illud temporis, in quo futura est resurrectio, in Scripturis non est revelatum. Collatio resurrectionis Christi cum resurrectione nostra non instituitur respectu temporis, sed ratione causae efficientis ac meritoriae, quia Christus resurrectione sua beatam ad vitam resurrectionem nobis promeruit.

111. De *loco* resurrectionis Judaei sic fabulan- 2. Locus.
tur, *quod tempore adventus Messiae resuscitandi sint mortui ea conditione, ut qui extra terram Canaan mortui fuerint, ingenti dolore per subterranea loca volvantur usque ad terram Canaan ibique demum resurgant.* Sed de hac singulari terrae Ca-

naan praerogativa vel sanctitate altum in Scripturis est silentium. Contra vero absolute sine ullius loci vel regionis respectu praenuntiat Scriptura omnium hominum resurrectionem, *quod evigilaturi sint, qui dormiunt in pulvere terrae* Daniel. 12, v. 2. *qui sunt in monumentis* Johan. 5, v. 28. *qui in cubilibus suis quiescunt* Esa. 57, v. 2. *qui habitant in pulvere* Esa. 26, v. 19. *quod terra et mare redditura sint mortuos suos* Apocal. 20, v. 13. Ergo nulla erit opus subterranea circumvolutione ac circumgyratione. Pollicetur Deus Ezech. 37, v. 12. *se tumulis jam apertis et mortuis vivificatis*, adeoque ex omnibus mundi partibus collectos eos *in terram promissionis reducturum*, ergo extra terram Canaan peragetur mortuorum resuscitatio. Somnio suo probabilitatem quandam Judaei conciliare nituntur ex eo, *quod pii patriarchae voluerint in terra Canaan sepeliri et corpora sua post mortem eo deferri, quia scilicet ipsis notum fuerit, Israëlitas extra terram Canaan sepultos non resurrecturos a mortuis, nisi per occultos terrae meatus ingenti cum cruciatu in promissam terram fuerint devoluti*, ut nugatur Rab. Salomon Jarchi in comm. Genes. 47. Sed in hoc argumento est *fallacia causae;* veras hujus propositi patriarchalis causas ostendimus in tract. de morte, in quaest. de cultu reliquiarum §. 115. Scholastici de resurrectionis loco varie disputant. Abulensis in c. 22. Matth. qu. 233. et c. 25. qu. 302. opinatur, *omnes omnium hominum cineres ab angelis in vallem Josaphat deducendos atque in eadem valle omnes homines resurrecturos.* Idem statuit Scotus 4. sent. dist. 43. et alii ex Scholasticis. Sed nititur haec opinio hypothesi incerta, quod scilicet omnes gentes *in valle Josaphat* sint judicandae, adde quod in prophetico vaticinio Joël 3. cui unice innituntur, dicatur, *congregandas esse gentes in vallem Josaphat.* Quodsi ergo in vallem illam congregandae, utique in ea non resurgent. Chrysostomus 1. Thess. 4: *Ubique resurgunt, congregantur autem ab angelis*, qua de re in sequ. tract. de extremo judicio in quaestione de loco plenius dicetur. Scriptura simpliciter asserit, *mortuos in terrae pulvere dormientes vocem Christi audituros et ad judicium prodituros*, unde alii ex Scholasticis statuunt, *quod resurrecturi sint mortui in illis locis, in quibus tempore resurrectionis erit pars principalior corporis, sive ibi a principio fuerint sepulta eorum corpora, sive non; vel resur-*
XIX. 74. *gent in illo loco, in quo Deus quemque resurgere voluerit, et hoc ultimum dicitur propter hoc, si aeque plures partes principaliores corporis reperiuntur in uno loco, sicut in alio.* Richardus 4. sent. dist. 43. art. 5. qu. 3.

---

## CAPUT X.

## DE COGNATIS RESURRECTIONIS.

112. *Cognata* resurrectionis sunt 1. *resuscitatio quorundam mortuorum a Christo et sanctis Dei hominibus, prophetis et apostolis tum in V. tum in N. T. facta*, quae fuit praeludium secuturae in die novissimo resurrectionis. Exempla et praeludia illa enumeravimus superius §. 27. Differt autem illa paucorum resurrectio a futura omnium hominum resurrectione 1. *ratione causae efficientis instrumentalis.* Excepta enim filia Jairi, filio viduae in Nain ac Lazaro, itemque iis, qui post Christi resurrectionem e monumentis prodierunt, qui a Christo immediate resuscitati, reliqui omnes mediante sanctorum ministerio ac precibus in hanc vitam revocati sunt, sed resuscitatio in fine seculi immediate ab ipso Christo peragetur.' 2. *Ratione finis*, illi resuscitati fuere ad hanc vitam, ideoque ipsis denuo fuit moriendum, ut ostendimus in tractat. de morte §. 68. sed qui in die novissimo resurgent, ad immortalitatem et incorruptibilitatem resurgent, ideo a morte penitus immunes ac liberi erunt. 3. *Ratione subjecti.* Illa resurrectio paucorum est, ac proinde duntaxat particularis, haec vero erit omnium ac proinde universalis. 4. *Ratione adjuncti temporis.* Illa facta est durante adhuc tempore gratiae et praesentis vitae statu, haec vero fiet in fine seculi, quam immediate sequetur judicium extremum et mundi totius consummatio. Cognata resurrectionis.

113. 2. *Translatio Enochi* Genes. 5, v. 24. Sirac. 44, v. 16. cap. 49, v. 16. Hebr. 11, v. 5. et *Eliae* 2. Regum 2, v. 11. Sirac. 48, v. 9. 1. Maccab. 5, v. 58. quibus conjungi possunt *sancti*, *qui cum Christo ex mortuis resurrexerunt* et cum ipso in adscensione coelestem gloriam ingressi sunt Matth. 27, v. 52. et 53. in quibus et ἀναστάσεως et μεταθέσεως exemplum nobis proponitur. Nec absurde quis huc retulerit exemplum *Moysis*, quem ab ipso Domino sepultum ac proinde etiam mortuum esse Spiritus sanctus commemorat Deuter. 34, v. 6. Sed quia una cum Elia in transfiguratione Christi conspicitur ἐν δόξῃ et sermones cum ipso confert Matth. 17, v. 3. Marc. 9, v. 4. Luc. 9, v. 31. versimile est, ipsum fuisse a morte divinitus resuscitatum ac in coelestem paradisum ad Enochi et Eliae consortium translatum. Differt autem haec translatio Enochi et Eliae a resurrectione mortuorum in die novissimo secutura 1. *ratione generis;* aliud est μετάθεσις vivorum, aliud ἀνάστασις mortuorum; 2. *ratione subjecti;* illa fuit privilegium paucorum, haec vero erit omnium omnino hominum; 3. *ratione adjuncti temporis;* illa facta est durante adhuc V. T. tempore, haec vero in fine seculi fiet; 4. *ratione modi*; illa est actio Dei extraordinaria, haec vero erit opus Christi mediatoris, regis ac judicis ordinarium; 5. *ratione finis;* Enoch translatus est, *ut exemplum*

XIX. 75. *poenitentiae esset generationibus* Sirac. 44, v. 16. h. e. ut realem poenitentiae concionem hominibus proponeret, quia Deus hac translatione manifestum fecit, restare adhuc vitam aliam; mortui vero in novissimo die resurgent, *ut unusquisque reportet eorum vel praemia, vel supplicia, quae in corpore gessit* 2. Corinth. 5, v. 10.

114. 3. *Liberatio ex morbis letalibus.* Cum enim morbi sint mortis caduceatores atque apparitores, cum in morbis letalibus portae mortis nobis aperiantur; ideo liberatio ex morbis letalibus haud immerito cognatum quoddam resurrectionis praeludium censetur. 1. Samuel. 2, v. 6: *Dominus mortificat et vivificat*, per liberationem ex terroribus et periculis mortis. Psalm. 9, v. 14: *Exaltas me de portis mortis, ut enarrem laudes tuas in portis filiae Sion*, h. e. vitae ac sanitati me restituis atque ex tentationibus liberas, ut laudem canam nomini tuo. Psalm. 30, v. 4: *Eduxisti ab inferno animam meam, vivificasti me a descendentibus in sepulcrum.* Psalm. 68, v. 21: *Deus est nobis Deus ad salutes, et Domino Deo sunt ad mortem exitus.* Sicut soli Deo *detectae sunt portae mortis* Job. 38, v. 17. hoc est aditus ad mortem perspectos et in promptu habet ad perveniendum, quocunque tandem mortis genere aliquem hinc evocare voluerit; ita quoque ipsi sunt *exitus ad mortem*, hoc est novit varias vias et modos, quibus ex morte aliquem liberare possit, tum per liberationem ex morbis letalibus, tum per resuscitationem corporis ex sepulcro, tum per donationem vitae spiritualis, coelestis ac aeternae. Psalm. 107, v. 17: *Stulti sive peccatores propter viam praevaricationis eorum et propter iniquitates eorum afflicti fuerunt etc. pervenerunt usque ad portas mortis*, v. 19. *et clamaverunt ad Dominum, et ab angustiis suis servavit eos*, v. 20. *misit verbum suum et sanavit eos et eruit de perditionibus eorum.* Atqui si morborum letalium immissio est ad portas mortis deductio, utique liberatio ex morbis letalibus est ex portis mortis quaedam reductio. Esa. 38, v. 10. inquit Ezechias: *In excisione dierum meorum vadam ad portas sepulcri*. v. 16. *Sanabis me et vivificabis me*, v. 17. *placuit tibi eruere animam meam a fovea putredinis.* 2. Corinth. 1, v. 8: *Summe gravati fuimus supra vires, adeo ut prorsus animi penderemus etiam quoad vitam;* v. 9. *sed ipsi apud nos ἀπόκριμα τοῦ θανάτου, responsum sive decretum mortis, habuimus, ne confideremus in nobis ipsis, sed in Deo, qui mortuos excitat;* v. 10. *quique ex tanta morte nos eripuit et eripit, in quo speramus, eum nos adhuc etiam erepturum.* Haec omnia liquido testantur, liberationem ex morbis letalibus esse praeludium quoddam resuscitationis, a qua tamen adhuc differt tum ratione *termini a quo*, tum *ratione termini ad quem*, ut cuivis primo intuitu manifestum.

De immutatione eorum, quos dies novissimus deprehendet vivos.

115. 4. Cumprimis vero proximam cum resurrectione cognationem habet ἀλλαγή sive *immutatio eorum, quos dies novissimus deprehendet vivos ἐν τῷ ἀτόμῳ καὶ ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ* peragenda, de qua 1. Corinth. 15, v. 51: *Ecce mysterium vobis dico, non omnes quidem obdormiemus, sed omnes immutabimur*, v. 52. *in momento, in ictu oculi, in tuba novissima (canet enim tuba) et mortui resurgent incorrupti et nos immutabimur.* v. 53. *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptibilitatem et mortale hoc induere immortalitatem.* et 1. Thess. 4, v. 15: *Hoc vobis dicimus in verbo Domini, quia nos vivimus, qui reliqui erimus in adventu Domini,* XIX. 76. *non praeveniemus eos, qui obdormierunt;* v. 16. *ipse enim Dominus cum hortationis clamore, cum voce archangeli et cum tuba Dei de coelo descendet, et qui mortui fuerint in Christo, resurgent primum*, v. 17. *deinde nos vivi, qui reliqui erimus, rapiemur simul cum eis in nubibus in occursum Domini in aëra et ita semper cum Domino erimus.* Isthaec vivorum immutatio, per quam exuta corruptibilitate et mortalitate incorruptibititatem et immortalitatem induent, mortis et resurrectionis instar ipsis erit. Antequam vero de istac vivorum ἀλλαγῇ uberius agamus, notandum est, in loco apostolico 1. Cor. 15, v. 51. lectionum diversitatem occurrere, de qua Hieronymus in epistolis ad Minerium et Alexandrum, quae est num. 152. tom. 3. pag. 37. ex veteribus interpretibus latissime disserit. *Quaeritis*, inquit, *quo sensu dictum sit et quo modo in prima ad Corinthios epistola Pauli sit legendum, omnes quidem dormiemus, non autem omnes immutabimur; an juxta quaedam exemplaria, non omnes obdormiemus, omnes autem immutabimur, utrumque enim in Graecis codicibus invenitur. Super quo Theodorus Heracleotes, quae urbs olim Perinthus vocabatur, in commentariolis apostoli sic locutus est: Omnes quidem non dormiemus, omnes autem immutabimur. Enoch enim et Elias mortis necessitate superata, ita ut erant in corporibus, de terrena conversatione ad coelestia regna translati sunt, unde et sancti, qui die consummationis atque judicii in corporibus reperiendi sunt, cum aliis sanctis, qui ex mortuis resurrecturi sunt, rapientur in nubibus obviam Christo in aëra et non gustabunt mortem, eruntque semper cum Domino gravissima mortis necessitate calcata, unde ait apostolus: omnes quidem non dormiemus, omnes autem immutabimur. Qui enim ex mortuis resurrexerint et in nubibus viventes rapti fuerint, transibunt ad incorruptionem et a mortalitate in immortalitatem mutabuntur, non in tempore, non saltem in brevi spatio, sed in atomo et in puncto temporis atque momento, quo palpebra oculi moveri potest, in novissima tuba, tanta enim fiet celeritate resurrectio mortuorum, ut vivi, quos in corporibus suis consummationis tempus invenerit, mortuos de inferis resurgentes praevenire non valeant. Diodorus Tarsensis episcopus praeterito hoc capitulo in consequentibus breviter annotavit in eo, quod scriptum est, et mortui resurgent incorrupti et nos immutabimur. Si, inquit, incorrupti resurgent mortui, haud dubie quin et ipsi ad meliora mutati. Quid necesse fuit dicere et nos immutabimur? An hoc voluit intelligi, quod incorruptio communis sit omnium, immutatio autem proprie justorum?* dum non solum incorruptionem et im-

Margin notes: mus deprehendet vivos. — De loco apostolico 1. Cor. 15. v. 51.

*mortalitatem, sed et gloriam consequuntur. Apollinarius licet aliis verbis, eadem quae Theodorus asseruit, quosdam non esse morituros, sed de praesenti vita rapiendos in futuram, ut mutatis glorificatisque corporibus sint cum Christo, quod nunc de Enoch et Elia credimus. Didymus non pedibus, sed verbis in Origenis transiens sententiam, contraria via graditur. Ecce mysterium vobis loquor, omnes quidem dormiemus, non omnes autem immutabimur, quod ita disseruit: Si non indigeret resurrectio interprete, nec obscuritatem haberet in sensibus, nunquam Paulus post multa, quae de resurrectione locutus est, intulisset: ecce mysterium vobis dico, omnes quidem dormiemus, id est moriemur, non omnes autem, sed soli sancti immutabimur. Scio, quod in nonnullis codicibus scriptum sit, non quidem omnes dormiemus, omnes autem immutabimur. Sed considerandum, an ei quod*
XIX. 77. *praemissum est, omnes immutabimur, possit convenire, quod sequitur, mortui resurgent incorrupti et nos immutabimur. Si enim omnes immutabimur et hoc commune cum ceteris est, superfluum fuit dicere, et nos immutabimur. Quamobrem ita legendum est: Omnes quidem dormiemus, non omnes autem immutabimur. Si enim in Adam omnes moriuntur, et in morte dormitio est, omnes ergo dormiemus sive moriemur. Dormit autem juxta idioma Scripturarum, qui mortuus est spe resurrectionis futurae, omnisque qui dormit, utique expergiscitur, si tamen non subita vis mortis eum oppresserit et mors somno fuerit copulata, cumque omnes ita dormierint lege naturae, soli sancti et corpore et anima in melius mutabuntur, ita ut incorruptio omnium resurgentium sit, gloria autem atque mutatio proprie sanctorum* etc. *Acacius Caesareae, quae prius Turris Stratonis vocabatur, post Eusebium Pamphili episcopus in quarto συλλέκτων ζητημάτων libro proponens sibi hanc eandem quaestionem latius disputavit et utrumque suscipiens, quod inter se videtur esse contrarium, sic locutus est: Dicamus primum de eo, quod magis in plurimis codicibus invenitur, ecce mysterium vobis dico, omnes quidem dormiemus, non autem omnes immutabimur. Mysterium dixit, ut attentiores faceret auditores de resurrectione plenius disserturus. Dormitio autem mortem istam, quae communis est omnium, significat, unde rectissime posuit, quod omnes dormiamus, id est moriamur, sicut supra dixit, in Adamo omnes mori. Cum ergo omnes morituri sint, audite sacramenta, quae dico, omnes quidem moriemur, sed non omnes immutabimur. Canit enim tuba, haud dubie quin angelus septimus, et mortui resurgent incorrupti. Si autem incorrupti erunt mortui, quomodo non immutabuntur, cum incorruptio ipsa mutatio sit? Sed hic commutatio, qua Paulus mutandus et sancti sunt, glorificatio intelligitur. Incorruptio autem idcirco communis est omnium, quia in eo miserabiliores erunt peccatores, ut ad tormenta perpetui sint et non mortali et corruptibili corpore dissolvantur* etc. *cui sententiae magis acquiescit ecclesia, ut omnes communi morte moriamur et non omnes mutemur in gloriam* etc. *Quae cum ita se habeant et sic intellecta sint a nobis, eorum tantum commutationem suscipere, qui resurgent in gloriam, peccatorum autem et infidelium, qui mortui appellantur et resurgent incorrupti, nequaquam commutationem, sed poenas perpetuas esse dicendas. Transeamus ad secundam lectionem, quae ita fertur in plerisque codicibus, non quidem omnes dormiemus, omnes autem immutabimur. Ex qua nonnulli asserunt, multos vivos in corporibus reperiendos, et si non dormiant omnes, non omnes esse morituros; si autem non moriantur omnes, non omnes resurrecturos, resurgere enim proprie dicitur, qui prius moriendo cecidit, unde et Paulum volunt scribere 1. Thessal. 4. nos qui vivimus, qui residui sumus in adventu Domini, non praeveniemus eos, qui dormierunt* etc. *Et ex his dictis probare conantur, apostolum Paulum et qui cum eo scribebant, putasse, se non esse morituros, sed reperiendos die consummationis in corpore. Quod si verum est, erravit Paulus et humana aestimatione deceptus est, ut arbitraretur, se inveniendum in corpore, quod falsum esse, rerum exitus approbavit* etc. *Melius est igitur spiritualiter sentire, quod scriptum est, et dormitionem in praesenti loco non mortem accipere, per quam anima a corpore separatur, sed peccatum post fidem et offensam Dei, dormitionemque post baptismum* etc. *est enim somnus peccati, qui ducit ad mortem, et est alia delicti dormitio. quae morte non stringitur* etc.
*Cum igitur quidam non dormiant, qui semper in* XIX. 78.
*Christo vivunt et vigilant, sequitur, ut nequaquam omnes dormiant et e contrario omnes immutentur, non immutatione gloriae, quae proprie debetur sanctis, sed ea immutatione, qua corruptivum hoc incorruptivum efficitur, ut vel poenas vel praemia recipiat sempiterna* etc. *Hoc autem sciendum, quod magis conveniat veritati ita legere, omnes quidem dormiemus, non omnes autem immutabimur, maxime quia sequitur, mortui resurgent incorrupti et nos immutabimur. Si enim omnes sunt immutandi juxta alteram lectionem, quomodo postea dicitur quasi praecipuum atque privatum et proprie apostolorum, et nos immutabimur? Quaeritis, quomodo intelligendum sit illud, quod in prima ad Thessalonicenses epistola scribitur, nos qui vivimus, qui residui sumus in adventu Domini, non praeveniemus eos, qui dormierunt* etc.? *Super quo quamvis superior Acacii disputatio plenius ventilarit, tamen dicendum est, quid videatur aliis, Theodoro videlicet, Apollinario et Diodoro, qui unam sequuntur sententiam, quorum Diodorus haec scripsit: Residuos atque viventes Paulus apostolus vocat, non quo velit intelligi et se et alios resurrectionis tempore in corpore reperiendos, sed non dixit, pro eo quod est justos, de quorum et ego sum numero, ipsi enim rapientur obviam Christo et non peccatores. Viventes autem non juxta tropologiam san-*

*ctos accipimus, qui peccato mortui non sunt, sed omnes, quos in corpore adveniens Christus invenerit. Quodque sequitur, non praeveniemus eos, qui dormierunt, nequaquam ad peccatores referre debemus, neque enim peccatores cum justis rapientur obviam Christo, sed ii, quos mors dissolverit* etc. Subjungit postea Origenis expositionem allegoricam et concludit: *Haec celeri sermone dictavi, quid eruditi viri de utroque loco sentirent et quibus argumentis suas vellent probare sententias, vestrae prudentiae exponens, neque enim tanta est meae pusillitatis auctoritas, quanta eorum, qui nos in Domino praecesserunt* etc. Et postea: *Illud breviter in fine commoneo, hoc quod in Latinis codicibus legitur, omnes quidem resurgemus, non omnes autem immutabimur, in Graecis voluminibus non haberi, sed vel, omnes dormiemus, non autem omnes immutabimur, vel non omnes dormiemus, omnes autem immutabimur.* Is qui commentariolos collegit in omnes Paulinas epistolas, quos quidam Hieronymi putant, sed falso, indicat triplicem hujus loci lectionem. Prima est, *omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*, ut immutari sit proprium transeuntis ad vitam beatam, cujus lectionis et hunc sensum facit, *omnes resurgemus, qui mortui reperiemur, non omnes immutabimur, qui in corpore vivi reperiemur*, quod soli pii sint immutandi, multi autem impii deprehendendi vivi. Alteram, *omnes quidem dormiemus, sed non omnes immutabimur*, ut accipiamus, neminem non moriturum, non omnes item immutandos in gloriam. Tertiam, *omnes quidem non dormiemus, sed omnes immutabimur*, ut intelligas, non omnes morituros, omnes tamen transformandos ad eandem gloriam, siquidem totus hic sermo non ad omnes homines communiter, sed ad justos proprie pertinet, atque hanc postremam lectionem maxime probat, ut apostolico sensui maxime congruentem. Chrysostomus homil. 42. in 1. Cor. circa med. locum hunc sic enarrat: *Venerandum quiddam et arcanum et quod non omnes norunt, est dicturus. Quid hoc autem est? Omnes quidem non obdormiemus, omnes autem immutabimur. Hoc est autem, quod dicit, non omnes*
XIX. 79. *quidem moriemur, omnes autem immutabimur, etiam qui non moriuntur, nam illi quoque sunt mortales. Ne ergo quoniam morieris, propterea, inquit, timeas tanquam non resurrecturus. Sunt enim, sunt etiam aliqui, qui hoc effugient, et tamen hoc eis non sufficit ad illam resurrectionem, sed oportet illa quoque corpora, quae non moriuntur, immutari et transire ad incorruptionem.* Et postea: *Mortui resurgent incorrupti et nos immutabimur. Illud nos non dicit de se ipso, sed de iis, qui tunc invenientur viventes.* Ambrosius vel quicunque est alius auctor in comm. 1. Cor. 15: *Omnes quidem resurgemus, non omnes immutabimur. Omnes enim homines resurgent, sed soli, qui regnaturi sunt, in gloriam mutabuntur. Sive ita: omnes resurgemus, qui in adventu Christi mortui inveniemur, non omnes immutabuntur, qui in corpore sint reperti, quia soli sancti beatitudinis gloriam consequentur. Mortui resurgent incorrupti et nos immutabimur. Mortui vel peccatores intelligendi sunt, qui etiam viventes mortui esse dicuntur, ut ad poenam; aut immortales, ut absque aliqua membrorum diminutione resurgant. Vel certe simpliciter omnes mortuos resurgere dicit et solos sanctos cum iis, qui vivi justi inventi fuerint, in gloriam immutari.* In comm. 1. Thess. 4: *Ipso raptu mors proveniet et quasi per soporem, ut egressa anima in momento reddatur. Cum enim tollentur, morientur, ut pervenientes ad Dominum recipiant animas, quia cum Domino mortui esse non possunt.* Augustinus libr. 20. de civ. Dei c. 20: *Quaeri solet, utrum illi, quos hic viventes Christus inventurus est, quorum personam in se atque illos, qui tunc secum vivebant, transfigurabat apostolus, nunquam omnino morituri sint, an ipso temporis puncto, quo cum resurgentibus rapientur in nubibus obviam Christo in aëra, ad immortalitatem per mortem mira celeritate transibunt. Neque enim dicendum est, fieri non posse, ut dum per aëra in sublime portantur, in illo spatio et moriantur et reviviscant* etc. *Ad hunc autem sensum, quo existimemus, etiam illos, quos hic vivos inventurus est Dominus, in ipso parvo spatio et passuros mortem et accepturos immortalitatem, ipse apostolus nos videtur urgere, ubi dicit, in Christo omnes vivificabuntur, cum alio loco de ipsa loquens resurrectione corporum dicat, tu quod seminas, non vivificatur, nisi moriatur. Quomodo igitur, quos viventes hic Christus inveniet, per immortalitatem in illo vivificabuntur, etsi non moriantur, cum videamus propter hoc esse dictum, tu quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur? aut si recte non dicimus seminari, nisi ea corpora hominum, quae moriendo quoquo modo revertuntur in terram, sicut sese habet etiam illa in transgressorem patrem generis humani divinitus prolata sententia, terra es et in terram ibis; fatendum est, istos, quos nondum de corporibus egressos, cum veniet Christus, inveniet, et in istis verbis apostoli et illis de Genesi non teneri, quoniam sursum in nubibus rapti non utique seminantur, quia nec eunt in terram nec redeunt, sive nullam prorsus experiantur mortem, sive paululum in aëre moriantur. Sed aliud rursus occurrit, quod idem dicit apostolus, cum de resurrectione corporum ad Corinthios loqueretur, omnes resurgemus, vel sicut alii codices habent, omnes dormiemus. Cum ergo nec resurrectio fieri possit, nisi mors praecesserit, nec dormitionem possumus illo loco intelligere, nisi mortem, quomodo omnes dormient vel resurgent, si tam multi, quos in corpore inventurus est Christus, nec dormient, nec resurgent? Si ergo sanctos, qui reperientur Christo veniente viventes eique obviam rapientur, crediderimus, in eodem raptu de mortalibus corporibus exituros et ad eadem mox immor-* XIX. 80.
*talia redituros, nullas in verbis apostoli patiemur angustias, sive ubi dicit, tu quod seminas, non vivificatur, nisi moriatur; sive ubi dicit, omnes resur-*

*gemus, aut omnes dormiemus, quia nec illi per immortalitatem vivificabuntur, nisi quamlibet paulum tamen ante moriantur, ac per hoc et a resurrectione non erunt alieni, quam dormitio praecedit* [alii legunt: dormitione praecedunt] *quamvis brevissima, non tamen nulla.* In quem Augustini locum sic commentatur Ludovic. Vives: *Graeci codices non omnes hic consentiunt teste Hieronymo, nam alii habent, omnes quidem non dormiemus, omnes autem immutabimur, ut Erasmus copiosius ostendit et in annotationibus et in apologia, qua super hac re calumniatori respondit. Ex hac librorum dissonantia credo natam controversiam illam, sintne omnes morituri, an aliqui, quos dies ille ultimus deprehenderit viventes, sine morte transituri ad immortalitatem. Lombardus cum pugnare inter se Hieronymum et Ambrosium docuisset, inter tantos viros pronuntiare non sustinuit. Quid quod Augustinus Ambrosio accedit, sed Hieronymus frequenti Graecorum manu stipatur, Origene, Chrysostomo, Theophylacto, qui legerunt apud Paulum, non omnes dormiemus, et Ambrosium ostendit Erasmus nutare.*

116. Hisce veterum vestigiis insistentes notamus circa locum apostolicum 1. Cor. 15, v. 51. *1. In Graeco textu sive in ipso fonte nullam hic esse corruptionem.* Oppositum est hoc theorema Melchiori Cano et Thomae Stapletono, quorum ille libr. 2. locor. theolog. cap. 13. hic vero in relect. princip. fid. contr. quaest. 3. art. 2. et in antidot. 1. Cor. 15. Graecum Novi Testamenti textum corruptionis propter hunc ipsum locum accusat. Atqui 1. aliud est diversitas lectionis, aliud vero corruptio textus. Quodsi namque ob lectionis diversitatem corruptio statim inferenda, nec Hebraeus textus in Vetere nec Graecus in Novo Testamento, nec versio Latina incorrupta erit, et consequenter nullam habebimus Scripturam integram et incorruptam. 2. Vulgata versio non tantum magnam varietatem et lectionum diversitatem admisit, ut multis probant Benedictus Arias Montanus, Franc. Lucas Burgensis et alii, sed etiam vitiositatem, quae tamen in concilio Tridentino sub poena anathematis pro authentica Scriptura declarata est. 3. In hoc ipso loco variant Latini codices, quidam enim legunt *omnes dormiemus*, quidam vero *omnes resurgemus*, ut notat Augustinus loco proxime citato. Quodsi ergo diversitas lectionis parit corruptionem, etiam Latini codices corrupti erunt. 4. Neutra lectio Graeci textus talem introducit discrepantiam, quae fidei analogiae repugnet vel errori alicui patrocinetur, ut postea demonstrabimus. 5. Hieronymus lectionis diversitatem in Graeco textu notat, corruptionis vero nec verbulo meminit. 6. Bellarminus lib. 2. de verbo Dei cap. 7. et Huntlaeus Gordonus in epitom. controv. 1. de verbo Dei cap. 12. recenset loca, in quibus corruptelam aliquam textui Graeco Novi Testamenti subesse arbitrantur, sed hunc ipsum locum apostolicum praetermittunt, non praetermissuri utique, si quid mendae in eo agnovissent.

117. *2. Lectio, quae sic habet, πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα, praeferenda est alteri, quae per trajectionem particulae negativae sic habet, πάντες μὲν κοιμηθησόμεθα,* XIX. 81.
*ἀλλ᾽ οὐ πάντες ἀλλαγησόμεθα.* Hoc theorema probamus sequentibus fundamentis 1. quia antiquissimi ac probatissimi codices sic legunt, ut constat ex opere regio et Roberti Stephani codicibus. Eodem modo legitur in editione Aldina, Hervagiana et Wecheliana. 2. Syrus et Arabs interpretes eodem modo vertunt. Acacius apud Hieronymum *plerosque codices sic legere* asserit. 3. Eodem tenore hunc locum citant Theodorus Heracleae, Diodorus Tarsensis et Apollinarius Laodiceae episcopi referente Hieronymo d. l. Origenes libr. 2. contra Celsum, Chrysostomus, Basilius, Theodoretus, Oecumenius et Theophylactus. In commentariolis Hieronymo adscriptis eadem lectio ut apostolico sensui maxime congrua reliquis praefertur. Ambrosius, quamvis in expositione textus alteram lectionem, *omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*, sequatur, tamen etiam alteram subdit interpretationem, in qua significat, *fore, qui non moriantur atque ob id non resurgant.* Idem facit lib. de fid. resurrect. c. 9. Augustinus, quamvis alteram lectionem sequatur, tamen in quaest. ad Dulcit. quaest. 3. statuit, *non omnes homines morituros*, videlicet non eos, qui in fine mundi obviam Christo rapientur. At haec sententia non satis congruit cum altera lectione *omnes dormiemus.* 4. Erasmus in annot. h. l. pag. 356. ponit hanc regulam: *Quoties veteres fatentur, lectionem esse diversam, semper mihi suspectior esse solet ea, quae prima specie videtur absurdior, ut consentaneum sit, lectorem vel parum eruditum, vel parum attentum offensum absurditatis imagine mutasse Scripturam.* Idem etiam circa hunc locum usu venisse videtur. 5. Lectio illa magis congruit συναφείᾳ textus. *Ecce*, inquit apostolus, *mysterium vobis dico.* Atqui omnes dormituros sive morituros, non autem omnes immutandos, non erat tantum mysterium, quia jam ante constabat Corinthiis, omnes esse morti obnoxios, omnes esse resuscitandos, sed ex omnibus resuscitatis solos pios ad gloriam per immutationem transferendos, quid? quod in hoc ipso capite apostolus illud jam ante tradiderat v. 22: *In Adam omnes moriuntur.* v. 43: *Seminatur in corruptione, surgit in incorruptione* etc. Praeterea versus 52. immediate subjunctus optime respondet huic lectioni, *in momento, in ictu oculi, in novissima tuba et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur.* Distinguit inter mortuos resurrecturos incorruptos et inter vivos ad incorruptionem immutandos, quia scilicet non omnes sint dormituri sive morituri ac proinde nec resurrecturi, omnes tamen immutandi sive in ipsa resurrectione, sive in resurrectionis analogo. Prius ad mortuos, posterius ad eos, quos novissimus dies deprehendet vivos, spectat. 6. Eadem lectio magis congruit cum loco 1. Thessal. 4. ut ostendit collatio versic. 15: *Hoc dicimus vobis in verbo Domini* [id respondet

illi 1. Cor. 15, v. 51: *Mysterium vobis dico*) *nos qui vivimus, qui residui sumus in adventu Domini, non praeveniemus eos, qui dormierunt* (id respondet illis verbis, *non omnes dormiemus*, si enim quidam vivent ac residui erunt in adventu Domini, qui non praevenient eos, qui dormierunt, utique non omnes dormiemus), v. 16: *Ipse Dominus in jussu, in voce archangeli et in tuba Dei descendet de coelo et mortui resurgent primi* (id respondet illis verbis 1. Cor. 15, v. 52. *in momento, in ictu oculi, in novissima tuba mortui resurgent incorrupti*), v. 17. *deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul ra-*
XIX. 82. *piemur cum illis in nubibus obviam Domino in aëra* (id respondet illis verbis, *et immutabimur*, quia absque intercedente immutatione corpora animalia non possent in nubibus obviam Domino rapi in aëra). 7. Haec lectio congruit cum aliis Scripturae dictis, in quibus Christus dicitur *judex ac dominus vivorum et mortuorum*, Actor. 10, v. 42. Rom. 14, v. 9. 1. Petr. 4, v. 5. Quodsi namque omnes morituri essent, utique Christus non vivorum, sed mortuorum duntaxat esset judex.

118. Opponitur huic lectioni a Salmerone, Stapletono, Suarezio, Cornelio a Lapide, Sacrobosco et aliis Pontificiis, 1. quod *in aliis Scripturae locis et in hoc ipso capite* 1. Cor. 15, v. 22. *omnes dicuntur in Adamo morituri. Ergo concinnius est sic legere, omnes quidem dormiemus, i. e. moriemur.* Cornelius a Lapide in comm. Responsio: 1. Locus apostolicus 1. Thessal. 4, v. 15. et 16. clarissime ostendit, quosdam non dormituros, eos scilicet, quos adventus Domini residuos ac vivos deprehendet. 2. Paucorum praerogativa nihil derogat legi communi. *Omnes in Adam peccaverunt*, inquit apostolus Rom. 5, v. 12. et tamen Pontificii exceptam putant ab hac universalitate B. Virginem. 3. Enochus et Elias salva regula apostolica Hebr. 9, v. 27. *statutum est hominibus semel mori*, a mortis necessitate fuere excepti. Idem de illis, quos dies novissimus vivos deprehendet, cogitari potest. 2. *Quod non omnes in die novissimo sint immutandi, quia impii non transformabuntur in gloriam. Unde apostolus non dicit v. 52. omnes immutabuntur, sed nos immutabimur.* Stapletonus in antid. h. l. ubi eo impudentiae procedit, *ut Graecum textum falsum et impium asserat.* Responsio: Erasmus respondet, malos etiam immutandos non quidem ad gloriam, tamen ad immortalitatem, sed ostendimus superius, apostolum hic de piis duntaxat loqui, simplicissime igitur respondetur, omnes pios esse ad gloriam immutandos, mortuos quidem per *resurrectionem*, vivos per *analogum resurrectionis*. 3. *Quod haec lectio falsam inducat hypothesin. Nam illud, omnes quidem non dormiemus, juxta verborum proprietatem perinde est ac dicere, nullos dormituros. Non enim Graece dicitur sic, non omnes dormiemus, quo declararet, aliquos non morituros, sed: omnes non dormiemus, quod significat nulli dormient.* Salmeron. disput. 28. in 1. Cor. 15. pag. 249. Responsio: Mirum vero, Chrysostomum, Theodoretum, Theophylactum et alios Graecos patres hoc non animadvertisse, qui tamen Graeci sermonis peritiores erant quam Salmeron. Mirum est, Hieronymum, Ambrosium et alios, qui alteram lectionem praeferunt, propterea hanc nostram non penitus repudiare, quia falsam pariat sententiam. Sed breviter respondemus, distinguendum esse idiotismum Hebraeum a Graeco. Apud Hebraeos quidem hic sensus ex tali propositione resultat, ut apparet ex similibus exemplis. *Non justificabitur in conspectu tuo omnis caro*, i. e. nulla. *Non erit impossibile apud Deum omne verbum*, i. e. nullum. Sed Graeci idiomatis est dispar ratio. 4. *Quomodo Paulus diceret, non omnes dormiemus, cum Dominus dicat, dormitaverunt omnes et dormierunt*, Matth. 25? Salmeron d. l. Responsio: Parabola Christi non est opponenda textui apostolico 1. Thess. 4. in quo clarissime asseritur, non omnes per mortem obdormituros. Per dormitationem ac somnum παραβολικῶς innuitur, quod ob moram sponsi taedio quodam afficiantur ac curam sponsi exspectandi ferme deponant. Quodsi vel maxime cum Hiero- XIX. 83.
nymo in comm. Matth. 25. Augustino epistol. 120. in enarr. Psalm. 147. lib. 83. quaest. q. 59. et Gregorio homil. 12. in evang. de morte accipere velimus, responderi tamen posset, immutationem vivorum fore morti analogam vel de majori hominum parte agi, quae ante extremum diem moritur, quorum comparatione pauci sunt, quos dies novissimus deprehendet vivos. 5. *Si orbis conflagratio judicium praecessura est, quis in tanto incendio vivus valeat superesse?* Salmeron d. l. Responsio: hypothesis argumenti adhuc dubia est, ut in tr. 1. ostendimus, ac si vel maxime esset certa, tamen qui tres pueros in fornace Babylonica servare potuit vivos, id ipsum in novissimo die praestare poterit. 6. *Si de iis, qui non morientur, dixit apostolus, et nos immutabimur, quomodo verum erit de ipso apostolo Paulo, quod non sit mortuus, cum se inter eos enumeret, qui immutabuntur et non morientur? et quomodo hanc ansam prudens dedisset existimandi vicinum judicium et diem Domini imminere, cum ipse sui corporis resolutionem sciret et de illa interdum loquatur?* Salmeron d. l. Responsio: 1. Thess. 4, v. 16. itidem se annumerat iis, quos dies novissimus deprehendet, qua de re pluribus paulo post agemus. 7. *Quis ausit ullum hominem a communi mortis debito eripere, si nec Christus, nec Beata Virgo, nec Johannes Baptista, nec apostoli ab ea excepti fuerunt?* Salmeron d. l. Responsio: Excepti fuere Enoch et Elias, quos ab Antichristo occidendos reservari falsa est Pontificiorum hypothesis. Apostolus discretis verbis excipit, quos dies novissimus vivos inveniet. Christus mortuus est libera voluntate inductus, non autem moriendi necessitate coactus. Gratias autem habemus Salmeroni, quod fateatur, *B. Virginem et Johannem Baptistam morti fuisse obnoxios*, cum multi ex Pontificiis contrarium statuant.

119. *3. Lectio, quae juxta quosdam codices Graecos sic habet, πάντες μὲν κοιμηθησόμεθα, ἀλλ' οὐ πάντες ἀλλαγησόμεθα, ac juxta Latinos codices, omnes dormiemus vel omnes resurgemus, non autem omnes immutabimur, potest ad bonum sensum reduci, ac proinde nequit simpliciter repudiari.* Probamus hoc 1. quia sic legunt Tertullianus de resurrectione carnis cap. 42. Origenes in 3. volum. epist. ad Thessal. Ambrosius et Cyrillus in comm. Augustinus libr. 20. de civ. Dei cap. 20. in quaestionibus ad Dulcitium, orat. contra Judaeos cap. 12. contra Adimantium cap. 20. Fulgentius libro de fide ad Petrum cap. 3. Philo Carpathias in Cant. canticor. Paulinus episcopus Nolanus in panegyrico de Celso puero sic canens:

*Namque resurgemus, sed non mutabimur omnes,*

et alii ex Latinis patribus. Didymus Alexandrinus et Acacius Caesariensis episcopus apud Hieronymum eam praeferunt, Beza in codice Claromontano Graecum textum Latino respondere asserit. *2. Dormitionis et resurrectionis* nomen generaliter accipi potest, ut complectatur non solum dormitionem sive mortem et resurrectionem proprie dictam, sed etiam immutationem illam, qua mortalitas exuitur et immortalitas induitur, quae instar mortis et resurrectionis futura est. *3. Immutationis* nomine specialiter intelligi potest beata illa immutatio, qua pii non solum immortalitatem induent, sed etiam in spiritualitatem, gloriam et virtutem transferentur,
XIX. 84. quae non erit omnibus hominibus communis, sed piorum duntaxat propria. Gagneius tale scholion ex Graecis adducit: *Resurgent indubie omnium corpora immortalitatis induta gratiam, at non omnes immutabuntur, sed inhonori permanebunt impii, soli vero immutabuntur justi, nimirum ad immortalitatis commodum immutati ut divinae gloriae indumento ditati.* Omnes ergo morientur et resurgent, si mortis ac resurrectionis nomen *late* accipiatur, ut includat immutationem illam, qua in iis, quos dies Domini deprehendet vivos, vita animalis cessabit et exuta mortalitatis veste immortalitas induetur. Non morientur nec resurgent omnes, si mortis ac resurrectionis nomen *stricte* accipiatur pro animae a corpore separatione et ejusdem cum corpore ex terrae pulvere formato redunitione. 4. Cornelius a Lapide in comm. 1. Cor. 15. praefert quidem lectionem vulgatae translationis, *omnes resurgemus* etc. ut planiorem, veriorem, certiorem et cum dictis Scripturae, quae *omnibus hominibus statutum esse simul mori* docent, magis congruentem; interim non audet alteram, quae negat, omnes dormituros ac resurrecturos, simpliciter repudiare; proinde etiam discedit a Soto et Catharino, qui lectionem illam Graecorum et sententiam ex ea ortam, quod non omnes morituri sint, temeritatis ac erroris damnant, ac cum Suarezio concludit, *sententiam illam, quae docet, omnes omnino homines morituros et resurrecturos, tantum esse probabiliorem contraria.* Cajetanus et Erasmus nobis sunt ὁμόψηφοι. Sixtus Senensis libr. 6. biblioth. sanct. annotat. 265. pag. 543. scribit, *apud Graecos Oecumenium et apud Latinos auctorem libri de eccles. dogm. et Augustinum qu. 3. ad Dulcitium pronuntiare, quod aeque catholici sunt, qui tam istam, quam illam lectionem et opinionem sequantur.*

120. Ceterum cum lectionis illius, quam alteri praeferendam diximus, magnum in loco parallelo 1. Thess. 4. paratum sit praesidium, ideo Salmeron eum plane in alienum detorquet sensum. Primo probare conatur, *Paulum de illis residuis in adventu Domini unum non posse intelligi, quia erroris illius, quod dies Domini tum temporis vicinus esset, tollendi causa posteriorem ad Thessalonicenses scripsit epistolam et quia corporis sui propinquam solutionem fore arbitrabatur.* 2. Tim. 4. ex quo infert, *alium in his apostoli verbis quaerendum esse sensum*, quem sic exponit: *de resurrectione piorum doctrina traditur et mysterium aperitur. Resurrectio omnium, quantum ad carnem assumendam universa erit, quantum vero ad plenitudinem gloriae, resurrectio erit justorum tantum, et de ista hoc loco sermo est, distinguunt enim sacrae literae resurrectionem justorum ab illa impiorum Psalm. 1, v. 5. Joh. 5, v. 29. Constabit autem resurrectio hoc ordine. Primo resurgent sancti resurrectione perfecta ante inchoatum judicium et cum Christo judice et Beata Virgine invenientur in aëre, utpote qui dudum in hac mortali vita judicium suum pertulerunt, apparebunt ergo cum Christo in gloria quasi in aëre ad judicandum, segregati tamen ab aliis, qui relinquuntur sub judicio, viventes scilicet communi vita gratiae, de qua Psalm. 113: Non mortui laudabunt te Domine, sed nos qui vivimus, scilicet Deo per gratiam. Hi sunt, inter quos se apostolus prae humilitate et modestia collocat et asserit, hos non praeventuros sanctos illos, qui dormierunt, quoniam ipse Dominus descendet de coelo, et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primo, hoc est illi sancti, qui peculiariter in Christo et pro Christo mortui sunt, qui non sunt in judicio sistendi, sed judicaturi cum ipso Domino, quod est dicere, illi qui primi sunt dignitate* XIX. 85.
*et meritis, illi resurgent et habebunt stolam suam invenienturque cum illo in nubibus* etc. *deinde nos qui vivimus, qui vita gratiae et spe resurrectionis sustentamur, relicti tamen in illum Domini adventum judicandi ac discernendi ab injustis, tunc simul cum illis prioribus sanctis rapiemur in aëra.* Respondemus: 1. Verba apostoli sunt clarissima, quod οἱ ζῶντες καὶ οἱ περιλειπόμενοι εἰς τὴν παρουσίαν τοῦ κυρίου, id est illi, quos dies novissimus inveniet vivos ac residuos, non sint praeventuri eos, qui dormierunt, quodque in adventu Domini *mortui in Christo* sint primum resurrecturi ac deinde οἱ ζῶντες καὶ οἱ περιλειπόμενοι illi vivi, illi residui simul rapiendi cum illis in nubibus obviam Domino in aëra, quae non possunt nisi per violentam detorsionem in alienum sensum trahi. 2. Nostram expositionem confirmant non solum antiquissimi et

probatissimi patres superius citati (quod ne ipse quidem Salmeron dissimulare potuit, sic enim sub finem disputat. 4. pag. 373. scribit: *Hieronymus in epistol. ad Miner. et Alexandrum tradit, Diodorum, Apollinarium et Origenem interpretatos esse viventes et residuos in adventu Domini esse justos, ut Paulum, Timotheum, Sylvanum; Athanasius quoque in libr. quaest. tenet, aliquos in judicio vivos reperiendos, ut et alii multi, ut Hieronymus, Chrysostomus et Epiphanius, qui quidem duos ordines resurgentium ponit, alterum viventium, alterum mortuorum*), sed etiam ex ipsis Pontificiis Cajetanus et Erasmus, quin et Cornelius a Lapide in comm. illius loci. 3. Salmeron ex tota antiquitate non potuit pro sua interpretatione stabilienda invenire ullum testem praeter solum *Methodium*, qui tamen non hoc dicit, quod Salmeron vult, sed longe aliud. *Nos*, inquit, *qui vivimus, qui residui sumus, i. e. animae immortales non praevenient corpora in resurrectione, sed corpus simul cum anima ad vitam immortalem resurget.* At haec Methodii expositio plane discedit a mente apostoli, non enim apostolus dicit, *non praeveniemus τὰ κοιμηθέντα*, corpora dormientia, sed *τοὺς κοιμηθέντας, dormientes* mortuos. 4. Huic nostrae interpretationi nequaquam adversatur, *quod Paulus non sit inter eos, quos dies novissimus deprehendet vivos*, ac proinde per *τοὺς ζῶντας καὶ περιλειπομένους* non debeant intelligi viventes vita naturali in adventu Domini, respondet enim pro nobis Augustinus libr. 20. de civ. Dei cap. 20: *Quod apostolus personam eorum, quos hic viventes Christus inventurus est, in se atque alios, qui tunc secum vivebant, transfigurarit.* Loquitur apostolus de se et piis tunc viventibus, ac si victuri essent ad novissimum diem, non quod sic futurum putaret, sed ut illius diei terribilis et incertae memoriam et timorem perpetuum nobis incuteret, ut semper suspensi diem illum exspectemus et ad eum nos comparemus, est ergo enallage personae. *Nos qui vivimus*, id est quicunque vivent, sive ex nobis, sive ex posteris nostris, quorum personam hic induo et subeo, quae sunt verba Cornelii a Lapide dict. l. cum quibus consentiunt illa Erasmi in annotat. 1. Cor. 15. p. 355: *Se ponit Paulus inter eos, quos adventus Domini deprehendet vivos, propterea quod Christus eum diem omnibus occultum esse voluit, et ex aliis locis apparet, Paulum semper eum diem exspectasse, licet non nesciam, ita posse intelligi, ut Paulus sub prima persona quosvis designarit, quos adventus Domini sit reperturus, nos qui vivimus, id est, si nunc incidat adventus Domini, quod in nobis accideret, idem accidet in illis, quicunque*
XIX. 86. *erunt;* et in annotat. 1. Thessal. 4. pag. 457: *Paulus ita loqui videtur, quasi resurrectio ea aetate esset futura, qua haec scribebat; tametsi quoniam participiis est usus, quae sequuntur rationem ejus verbi, cui adhaerent, verti poterant et per futurum, ἡμεῖς οἱ ζῶντες καὶ οἱ περιλειπόμενοι ἅμα σὺν αὐτοῖς ἁρπαγησόμεθα*, id est *nos qui vivemus et reliqui erimus, una cum illis rapiemur.* 5. Hujus *ἀνακοινώσεως* exempla in scriptis apostolicis etiam alibi occurrunt, quae per *enallagen personarum* vel *synecdochen* explicanda 1. Cor. 4, v. 6. c. 11, v. 31. et 32. Hebr. 2, v. 3. c. 3, v. 6. et 14. 1. Petr. 4, v. 3. 6. Quod Thessalonicenses ex pravo horum verborum intellectu suspicati fuere, diem Domini esse in propinquo, nostram potius confirmat sententiam. Nisi enim apostolus sese illis, quos dies novissimus deprehendet vivos, per quandam *ἀνακοίνωσιν* annumerasset, Thessalonicenses in illam suspicionem devenire minime potuissent. 7. De resurrectione piorum hoc loco sermonem esse concedimus, sed negamus, duplicem piorum resurrectionem uspiam in sacris literis describi, quippe quae unicam duntaxat resurrectionem nobis proponunt. 8. Si pii cum Christo judicaturi prius resurrecturi essent quam pii a Christo judicandi, quod Salmeron hoc loco asserit, resurrectio non foret momentanea, id est non absolveretur uno temporis momento, quod ipsum tamen idem in sequentibus confirmat. 9. Si pios cum Christo judicaturos a piis judicio Christi sistendis apostolus hoc loco distingueret, non posteriori, sed priori piorum classi sese annumeraret, quia inter pios cum Christo judicaturos Salmeron recenset apostolos. Atqui ab apostolorum collegio Paulus excludi nequit, cum diserte de se scribat 2. Cor. 11, v. 5: *λογίζομαι μηδὲν ὑστερηκέναι τῶν ὑπερλίαν ἀποστόλων.* c. 12, v. 11: *οὐδὲν ὑστέρησα τῶν ὑπερλίαν ἀποστόλων*, v. 12. *signa apostoli facta sunt inter vos;* ac inter apostolos immediate a Christo vocatos se ipsum numeret Gal. 1, v. 1. et 12. c. 2, v. 8. 10. Nec est, quod humilitati ac modestiae Paulinae hoc tribuatur, quia humilitatis studium et veritatis confessio invicem non pugnant, voluit Deus, nos esse et humiles et veraces. Augustinus libr. 20. de civit. Dei c. 5: *Non quoniam super sedes duodecim sessuros Christus dicit Matth. 19, v. 28. duodecim solos homines cum ipso judicaturos putare debemus. Duodenario quippe numero universa quaedam significata est judicantium multitudo propter duas partes numeri septenarii, quo significatur plerumque universitas, quae duae partes, id est tria et quatuor alterae per alteram multiplicatae duodecim faciunt. Nam et quatuor ter et tria quater duodecim sunt, et si quae alia hujus duodenarii numeri, quae ad hoc valet ratio, reperitur, alioqui quoniam in locum Judae traditoris apostolum Matthiam legimus ordinatum, apostolus Paulus, qui plus omnibus illis laboravit, ubi ad judicandum sedeat, non habebit.* 11. Quod in specie apostolis promittitur Matth. 19, v. 28. id certo modo omnibus piis in genere promittitur 1. Cor. 6, v. 2. et 3. quod scilicet *sancti mundum* et *angelos sint judicaturi*, id est quod judicium et condemnationem mundi ac diabolorum approbaturi sint ut assessores supremi judicis Christi et divinae gloriae consortes. Remigius in annotat. 1. Cor. 6. pag. 38: *Sancti amatores hujus mundi et malignos spiritus judicabunt exemplo fidei suae et compa-*

*ratione melioris facti, non sicut judices seculi.* Francisc. Suarez part. 3. disput. 57. sect. 2. tom. 2. et ex eo Cornelius a Lapide in comm. h. l.: *Christo in nube splendidissima quasi throno considenti ad*
XIX. 87. *judicium peragendum omnes sancti in nubibus splendidis quasi thronis assistent et quasi assidebunt.* Iidem ergo pii diverso respectu et a Christo judicabuntur et cum Christo judicabunt, prius respectu *ipsius Christi*, qui est summus et authenticus omnium angelorum et hominum judex; posterius *respectu impiorum ac diabolorum* infernalibus flammis adjudicandorum. 12. Perquam durum est, per τοὺς ζῶντας intelligere viventes vita gratiae eosque distinguere ab illis, qui cum Christo judicabunt, cum ipsi quoque vita gratiae vivant; ac per τοὺς νεκροὺς ἐν Χριστῷ intelligere solos apostolos cum Christo judicaturos, cum pii ante novissimum diem mortui et a Christo judicandi itidem fuerint ἐν Χριστῷ νεκροί. 13. Scopus apostolicus nostram confirmat interpretationem, Salmeronis vero explicationi adversatur. Scopus est, Thessalonicenses consolari, ne propter obitum suorum nimiopere contristentur. *Nos*, inquit, *qui adhuc vivimus et quicunque vivent in die judicii, non prius resurgemus aut gloria donabimur, quam ii resurgant ad gloriam, qui ante nos mortui jam pridem computruerunt;* expendite igitur, quam facile et subito Deus mortuos in cinerem et pulverem conversos suscitabit, ac proinde fratres ac amicos mortuos ne lugeatis nimium nec ob eos contristemini. Theophylactus in comm.: *Quia difficile videbatur, eos, qui computruerunt, resurgere, hinc ait Paulus, quod virtutes haudquaquam antevertent illos, ac quemadmodum Deo facile est viventes et integros adducere ad Christum, sic et illos corruptos.* 14. Quod *mortui in Christo* dicantur primi resurrecturi, id varie ab interpretibus exponitur. Sedulius putat, *significari hic ordinem temporis non dignitatis, qui enim in Christi fide et gratia mortui sunt, primi resurgent non tempore, sed dignitate.* Chrysostomus et Theophylactus etiam ad tempus referunt. *Resurgent*, inquiunt, *ante impios justi, ut sint primi in resurrectione non tantum dignitate, sed etiam tempore, utpote qui rapiendi sint in aëra, ut Christo judici venienti honoris causa occurrant. Posterius vero resurgent impii, ut qui neque rapiendi sint in aëra, neque Christo occursuri.* Sed utraque explicatio abludit a mente apostoli, quia apostolus non ponit ordinem vel temporis, vel dignitatis inter resurrectionem justorum et impiorum, sed inter mortuos in Christo et adhuc viventes. Theodoretus sic exponit: *Tam facile ac subito resurgent illi, qui jam olim ante multa secula mortui et putrefacti, ut praeveniant eos, qui tum temporis superstites et vivi invenientur, hi enim prius mori debent quam resurgant, his ergo morientibus illi, jam olim scilicet mortui, resurgent et consequenter hosce in resurrectione praevenient.* Sed quid de illa hypothesi, quod omnes sint morituri, statuendum, jam ante expendimus. Quidam putant, *non significari hic ordinem et consequentiam, sed duntaxat comitantiam*, ut ἔπειτα idem sit quod *praeterea.* Simplicissime hic locus ab Anselmo sic exponitur: *Mortui in Christo resurgent πρῶτον, primum, antequam scilicet Christo obviam in aëra rapiantur, deinde nos qui vivimus simul cum illis, qui ex mortuis resurrexerunt, rapiemur obviam Christo.* Ponitur enim hic ordo non resurgentium nec resurrectionis ad resurrectionem, sed ordo resurrectionis ad raptum et occursum Domini, videlicet quod primi illi, qui mortui erant, resurgent, deinde quod iidem cum aliis tum viventibus simul rapientur in occursum Christi.

121. Ex his, quae dicta sunt, facile colligitur, XIX. 88.
quid respondendum sit ad quaestionem, *an omnes omnino homines, ac proinde etiam ii, quos dies novissimus deprehendet vivos, sint morituri?* Pontificii affirmant, sed apostolus 1. Cor. 15, v. 51. et 1. Thessal. 4, v. 7. negat. Apostolo suffragantur patres plerique omnes. Tertullianus libro de resurrect. carnis cap. 41. ad verba apostoli 2. Cor. 5. *cupientes superindui*, sic annotat: *id est ante volumus superinduere virtutem coelestem aeternitatis, quam carne exuamur, hujus enim gratiae privilegium illos manet, qui ab adventu Domini deprehendentur in carne et propter duritias temporum Antichristi merebuntur compendio mortis per demutationem expunctae concurrere cum resurgentibus.* Justinus Martyr in quaest. et resp. ad orthodox. qu. 109: *Judicabit vivos Dominus, id est eos, qui tunc vivent.* Hieronymus epist. 148. ad Marcellam: *Hoc ex ipsius loci 1. Thessal. 4. continentia sciri potest, quod sancti, qui in adventu Salvatoris deprehensi fuerint in corpore, in iisdem corporibus ei occurrant, ita tamen ut inglorium et corruptivum et mortale, gloria et incorruptione et immortalitate mutetur; ut qualia corpora mortuorum surrectura sint, in talem substantiam etiam vivorum corpora transformentur.* Epist. 152. ad Minerium et Alexandrum allegat verba Theodori Heracleotis: *Sancti, qui in die judicii in corporibus reperiendi sunt, cum aliis sanctis, qui ex mortuis resurrecturi sunt, rapientur in nubibus obviam Christo in aëra et non gustabunt mortem eruntque semper cum Domino gravissima mortis necessitate calcata.* Ibidem addit, *Apollinarium eadem asseruisse, videlicet quosdam non esse morituros, et de praesenti vita rapiendos in futuram.* Chrysostomus, Oecumenius, Theophylactus ac Theodoretus in comment. 1. Cor. 15. idem per omnia asserunt. Augustinus in libro de octo quaest. Dulcitii: *Videtur apostolus asserere, quosdam in fine seculi vivos repertos in illam immortalitatem, quae sanctis etiam ceteris datur, repente mutandos et simul cum illis rapiendos in nubibus, nec aliquid aliud mihi visum est, quoties de his verbis volui cogitare.* libr. 2. de peccat. merit. et remiss. cap. 31: *Hoc quibusdam Deus in fine largietur, ut mortem istam repentina commutatione non sentiant, sed simul cum resurgentibus rapiantur in nubibus obviam Christo in aëre.*

(Idem tamen libr. 20. de civit. Dei cap. 20. in eam videtur potius inclinare sententiam, quod illi etiam mortem sint obituri.) libr. 2. retractat. cap. 33. utramque opinionem ut probabilem proponit. *Aut non morientur*, inquit, *aut de vita ista in mortem et de morte in aeternam vitam celerrima commutatione tanquam in ictu oculi transeundo mortem non sentient.* Ac ne opus sit reliquos omnes percensere, annotabo hac de re verba Suarezii tom. 2. comm. in part. 3. Thom. qu. 56. disput. 50. sect. 2. pag. 571. *Haec sententia* (quae negat, illos homines justos, qui tempore judicii vixerint, esse aut morituros, aut resuscitandos, sed solum immutandos seu transformandos) *videtur esse expressa Pauli. Et ita censent exponenda haec loca* (1. Cor. 15. et 1. Thess. 4.) *Chrysostomus* hom. 42. in 1. Cor. et homil. 7. in 1. Thess. *Theodoretus*, *Theophylactus et Oecumenius* ibid. *Origenes* libr. 5. contra Celsum non longe ab initio, *et Hieronymus* epist. 152. ad Minerium *refert in hanc sententiam Theodorum Heracleotem et Apollinarium, quam ipse non judicat improbabilem, et super Esaiam cap. 51. illam lectionem Pauli sequitur, non omnes dormie-
XIX. 89. mus, in epistola vero 148. qu. 3. interpretans locum Pauli 1. Thessal. 4. absolute docet hanc sententiam. Augustinus etiam qu. 3. ad Dulcitium, licet locum 1. Cor. 15. aliter legat et ideo dubius de tota sententia esse videatur, tamen propter aliud testimonium ad Thessal. valde est propensus in hanc sententiam et plane fatetur, se ignorare, in quo alio sensu locus exponi possit. Et Gennadius de eccles. dogmat. cap. 7. et 8. hanc sententiam ut probabilem relinquit. Praeterea Tertullianus lib. de resurr. carnis cap. 41. et 42. licet locum 1. Cor. 15. aliter legat, hanc nihilominus sententiam aperte docet et ad illam accommodat vulgatam lectionem, quae sic habet, omnes quidem resurgemus, dicens, illam immutationem, quae fiet in justis tunc viventibus, pro resurrectione computari.*

---

## CAPUT XI.

## DE PUGNANTIBUS CUM RESURRECTIONE.

Pugnantia resurrectionis.

122. *Pugnantia* cum resurrectione in duas distribui possunt classes. Quaedam enim *theoretice*, quaedam *practice* cum ea pugnare deprehenduntur. Θεωρητικῶς orthodoxiae hujus articuli adversantur, quotquot vel in totum ac universum resurrectionem negant, vel ex parte ejus veritatem et integritatem labefactant. *In totum* ac universum resurrectionem negant tum *gentiles* extra ecclesiam, tum *haeretici* intra externam ecclesiae societatem, ut in V. T. Sadducaei, in N. Hymenaeus ac Philetus, Simoniani, Carpocratiani, Valentiniani, Hieracitae et complures alii, de quibus superius diximus §. 36. *Ex parte* resurrectionis veritatem labefactant, qui idem numero et essentia corpus resuscitatum iri negant, ut Origenes, Johannes Hierosolymitanus, Eutychius Constantinopolitanus, quos hodie sequuntur Photiniani, Anabaptistae, Weigeliani, Methistae et alii, de quibus diximus §. 70. Πρακτικῶς vero resurrectionis articulo adversantur omnes Epicurei, empaectae et athei, quorum voces μιμητικῶς describuntur Esai. 22, v. 13. Sap. 2, v. 1. 1. Cor. 15, v. 32. quin imo omnes impoenitentes, impii ac securi, quamvis in externo ecclesiae consortio vivant et verbis Christianam religionem, adeoque etiam resurrectionis articulum confiteantur, tamen ipso facto eundem abnegare deprehenduntur. Quemadmodum enim de impiis apostolus dicit Tit. 1, v. 16: *Confitentur, se nosse Deum, factis vero negant;* ita quoque de iisdem vere pronuntiare possumus, confitentur, se credere resurrectionem carnis, factis vero negant; ac quod Panormitanus in specie de pontificibus Romanis dicit, *multos ex ipsis ejusmodi vitam agere, ut verisimile non sit, illos resurrectionem mortuorum vel futurum judicium vel vitam aeternam credere*, idem in genere de omnibus impiis ac securis pronuntiare possumus. Deus, qui est ipsa veritas, non judicat secundum *oris confessionem*, sed juxta *operis demonstrationem*, ipse *cor intuetur* 1. Sam. 16, v. 7. et ex factis de verborum et confessionis veritate fert judicium.

---

## CAPUT XII. XIX. 90.

## DE USU HUJUS DOCTRINAE.

Usus doctrinae de resurrectione.

123. *Usus* doctrinae de resurrectione est vel θεωρητικός, vel πρακτικός. Θεωρητικὸς est vel διδασκαλικός, ut fundamentalem illum fidei Christianae articulum probe discamus ac columnam illam, cui tota structura Christianismi alioqui in animis hominum corruitura innititur 1. Cor. 15, v. 13. et 14. firmiter muniamus; vel ἐλεγκτικός, ut palladium coelestis veritatis, sicut in aliis fidei Christianae articulis, ita quoque in hoc ipso adversus quosvis hostes defendamus, et cum *in nulla re sic contradicatur fidei Christianae ut in resurrectione carnis*, eo alacriores et constantiores in ejus assertione nos exhibeamus. Πρακτικὸς est παρακλητικός, tum *ratione nostri*, ut promissione futurae ad vitam resurrectionis animati, exemplo Maccabaeorum martyrum 2. Macc. 7. quaevis hujus vitae adversa, adeoque ipsam etiam mortem ob confessionem veritatis illatam excelso animo contemnamus, est enim articulus resurrectionis lucidissimum speculum, quod eorum animos, qui defixis illud intuentur oculis, ita perstringit, ut ad hujus vitae pericula et supplicia quasi coeci efficiantur; tum *respectu proximi*, ut dolorem ex obitu amicorum conceptum leniamus, 1. Thessal. 4, v. 13. Athanasius orat. in assumt.

Christi tom. 2. p. 3: *μνήμη τῆς ἀναστάσεως τὰ κατὰ τοῦ θανάτου τοῖς ἀνθρώποις χαρίζεται νικητήρια.* Vel *παραινετικὸς*, *νουθετικὸς* ac *παιδευτικός*, tum *respectu nostri*, ut futurae resurrectionis perpetuo memores corpora nostra exhibeamus arma justitiae et abnegata omni impietate ac securitate solicite ambulemus; est enim articulus resurrectionis vivus quidam fomes pietatem in animis hominum mirifice alens, si exhortationum flabello quotidie excitetur. *Qui bona fecerunt*, ait Christus Joh. 5, v. 29. *procedent in resurrectionem vitae; qui mala fecerunt, in resurrectionem judicii. Resurgat ergo in resurrectione prima, qui non vult in secunda resurrectione damnari*, ait Augustinus libr. 20. de civ. Dei cap. 6. tum *respectu proximi*, ut corpora sanctorum ob spem resurrectionis honorifice sepeliamus, de quo practico hujus articuli usu egregia patrum dicta in exordio hujus capitis superius adduximus.

## CAPUT XIII.

## DEFINITIONEM RESURRECTIONIS PROPONIT.

124. *Definitiones* resurrectionis active sumtae, hoc est resuscitationis, traduntur variae. Potiores enumerabimus. Damascenus lib. 4. c. 28. *ἡ ἀνάστασίς ἐστι δευτέρα τοῦ πεπτωκότος στάσις.* Sed haec potius est nominis quam rei definitio, inde ibidem additur: *ἡ ἀνάστασίς ἐστι συνάφεια πάλιν ψυχῆς τε καὶ σώματος καὶ δευτέρα τοῦ διαλυθέντος καὶ πεσόντος ζῴου στάσις*, in qua definitione *materia* et *forma* resurrectionis exprimitur. Pleniores descriptiones sunt, in quibus etiam causae externae, *efficiens* scilicet *ac finis*, exprimuntur. *Resurrectio est actio*
XIX. 91. *sacrosanctae Trinitatis, Patris scilicet, Filii ac Spiritus sancti, qua omnipotenti sua virtute per tubam archangeli omnes homines tum pios, tum impios, licet jam olim in pulverem redactos, ex monumentis resuscitabit et animas eorum cum corporibus ad durabilitatem nunquam finiendam conjunget, ut impii quidem aeternas scelerum suorum poenas luant, pii vero aeterna beatitudine perfruantur:* vel *est actio Dei externa, qua juxta liberrimum decretum et praedictionem omnipotentis ac veracis Dei in novissimo die ad vocem Christi et tubam archangeli cum pristinis omnium mortuorum hominum corporibus animae eorum rursus conjungentur ad vitam immortalem et incorruptibilem, ut reprobi quidem poenas peccatorum cum diabolis aeternas luant, electi vero communicatione lucis, sapientiae, justitiae et vitae divinae fruantur ad Dei gloriam;* vel *est actio, qua in die novissimo nobis incognito omnes mortui tam impii, quam pii, licet dudum in pulverem redacti, per Christum cum sanctis suis et multis angelorum millibus cum clamore et voce archangeli et tuba Dei in nubibus eadem, qua in coelos adscendit, visibili forma venturum, resuscitati, unione corporum et animarum instaurata et mortalitate demta, in vitam redibunt, superstites vero in momento immutabuntur, ut sic morte victa integri homines immortales facti coram tribunali sistantur ac perpetuo vivant, alii in gloria, alii vero in poenis pro ratione vitae in his terris exactae. Est nova copulatio animae ad corpus a vi seu potentia Dei, ut integri homines in extremo judicio sistantur et praemiis aut poenis afficiantur.* Breviter sic definiri potest: *Resuscitatio mortuorum est opus solius veri Dei, quo corpora defunctorum omnium ex terrae pulvere excitabit ac animabus uniet, ut pios gloria ornet, impios vero ad cruciatus nunquam finiendos damnet.* Christus Jesus, qui est *resurrectio et vita*, nos in ipsum credentes ipsique servientes in media morte conservet et ex terrae pulvere suscitatos ad resurrectionem vitae producat, consortes nos faciat primae resurrectionis, ut secunda mors nullam in nos potestatem habeat. Ipsi utpote mortis victori et vitae duci cum Patre et Spiritu s. sit laus, honor et gloria in aeternum. Amen.

תלח

*LAUS DEO VIVENTI.*

אמן

# CONSPECTUS OCTAVI TOMI.



## FINIS OCTAVI TOMI.

Altenburgi, ex typographeo aulico. (Stephan Geibel & Co.)